TOM II.

KODEKS DYPLOMATYCZNY
WIELKOPOLSKI.

CODEX DIPLOMATICUS
MAIORIS POLONIÆ.

TOMUS II.

POZNAŃ.
NAKŁADEM BIBLIOTEKI KÓRNICKIEJ.
DRUKIEM J. I. KRASZEWSKIEGO (Dr. W. ŁEBIŃSKI).
1878.

KODEKS DYPLOMATYCZNY
WIELKOPOLSKI.

CODEX DIPLOMATICUS
MAIORIS POLONIÆ.

CODEX DIPLOMATICUS

MAIORIS POLONIÆ

DOCUMENTA, ET IAM TYPIS DESCRIPTA, ET ADHUC INEDITA COMPLECTENS,

ANNUM 1400 ATTINGENTIA.

EDITUS CURA

SOCIETATIS LITERARIAE POZNANIENSIS.

TOMUS II

COMPREHENDIT NUMEROS 617—1292
ANNOS 1288—1349.

POZNANIAE.
SUMPTIBUS BIBLIOTHECAE KORNICENSIS.
TYPIS J. I. KRASZEWSKI (Dr. W. ŁEBIŃSKI).
1878.

KODEKS DYPLOMATYCZNY

WIELKOPOLSKI

OBEJMUJĄCY DOKUMENTA TAK JUŻ DRUKOWANE, JAK DOTĄD NIE OGŁOSZONE,

SIĘGAJĄCE DO ROKU 1400.

WYDANY STARANIEM

TOWARZYSTWA PRZYJACIÓŁ NAUK POZNAŃSKIEGO.

TOM II

ZAWIERA NUMERA 617—1292
LATA 1288—1349.

POZNAŃ.
NAKŁADEM BIBLIOTEKI KÓRNICKIEJ.
DRUKIEM J. I. KRASZEWSKIEGO (Dr. W. ŁEBIŃSKI).
1878.

INDEX TOMI II.

*

Nr. 617.

Premilz dux Polonie 1288 Mart. 17, in Luckna; renovat donationem hominum, monasterio de Łekno ab avis et atavis suis factam.

Pergam. orygin. Pieczęć Przemysława księcia przywieszona na plecionce z nici lnianych czerwonych; (pieczęć XXI).

Kurnik. Biblioteka, Diploma Nr. 8.

In nomine Ihesu Christi amen. Nos Premilz Dei gracia dux Polonie, universis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in Filio Virginis gloriose. De gestis preteritis nova suboriri solet contencio, nisi ea que a presentibus racionabiliter ordinantur, futurorum noticiam ne excedant, testium subscripcionibus et sigillorum impressionibus perhennentur. Eapropter nos, cum elemosinam attavorum nostrorum pocius augere quam minuere debeamus, notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod venerabilis pater Petrus abbas de Luckna una cum suo conventu personas in hac pagina subscriptas, coram nobis et baronibus terre consistens, homines ecclesie Lucknensis iusto iudicio optinuit, prout eciam perspeximus in suis patentibus privilegiis a domino Wlodizlavo collatis, veraciter ac racionabiliter conprobando. Et hec sunt eorum nomina: Bernardi filii quatuor, Stephanus cum filiis, Laurencius cum filiis, Bertolfus cum filiis, Andreas cum filiis quorum avus nomine Stephanus, Brezzis filii duo, Falis cum filiis, Fridericus cum filiis quorum avus nomine Cys, Laurencii filius, Thomas cum filiis, cuius avus eciam nomine Cys, Alberti filii duo, Nicolaus cum filiis, Iohannes cum filiis quorum avus nomine Neprebis, Boncdani filius Petrus cognomine Zarbinoviz cum filiis, cuius avus nomine Lobota, Blasonis filii duo, Wernerus cum filiis, Stephanus cum filiis quorum avus eciam nomine Lobota, Boncdani filius Nicolaus cum filiis, cuius avus nomine Rados, Laurencii filius Chemil cum filiis, Bertolfi filius Laurencius cum filiis, Malodote filius Iacobus aut Saloba cum filiis, cuius avus nomine Curask. Ut hec donacio, ab avis et attavis nostris ab antiquo Deo et fratribus ecclesie beati Petri in Luckna devote collata, rata et inconvulsa permaneat, dedimus predictis fratribus memorate ecclesie presentem paginam, nostro patrocinio firmiter renovatam. Datum in Luckna anno gracie

M.CC.LXXX.VIII, XVI Kalendas Aprilis. Cum hec fierent, hii testes presentes astiterunt: Brizlavus castellanus Gneznensis, Vincencius cancellarius, Andreas iudex, Petrus filius Zlavenici, Iohannes capellanus de Luckna et alii quam plures.

Luckna, *Łekno.*

Nr. 618.

Premizel secundus dux Maioris Polonie 1288 Apr. 23, in Gnezdna; impetrat a Iacobo archiepiscopo Gneznensi, ut commutet decimas villarum suae ecclesiae in castellania de Nakło cum decimis villarum monasterii Byszewo, iacentium in regione oppidi Koło.

Pergam. orygin. Na sznurku z nici jedwabnych czerwonych i żółtych przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXI).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 46.

In nomine Domini amen. Ut varietas temporum cum suis decursibus, ea que disponuntur consilio maturato, in oblivionis non deducat abissum a memoria posterorum, sagaci sapientum consilio consueverunt autenticarum scripturarum et testium fide dignorum testimoniis perhennari. Hinc est quod nos Premizel secundus, Dei gracia dux Maioris Polonie, notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris, quod accedens ad nos Engelbertus abbas de Byssovia, Cysterciensis Ordinis, suo et sui conventus nomine nobis humiliter suplicavit, ut nos ipsorum commodo consulentes, pro ipsis et cum ipsis venerabili in Christo patri domino Iacobo archiepiscopo Gnezdnensis ecclesie nostras preces porrigere efficaciter dignaremur, quatenus idem venerabilis pater pro ecclesia ipsorum de Dobrow et eius pertinentiis, hereditatibus videlicet: ipso Dobrow, Zadovo, Quettovo, Lesno et Rsuchovo et decimis earundem, ac decimis aliarum villarum ad eandem ecclesiam pertinencium, scilicet Bruzovo, Kolnicza, Ianisovo, utriusque Vola, Glova, Chozmino, Chelm, Grobevo, Ostrofno, Komorovo, Karsovo, Zacrevo, Bissecre et Slavencino, decimas villarum in castellania de Nakel dicto cenobio adiacentes, videlicet Suchorambzke, Vele Viti, Pamperino, Scoraschovo, Mroscha, Wirchocino utriusque, Tuscovo, Wiskidno, Lansco, Zanseschno, Senno, Sadki, Dambovo Radzlai, Samostrele et Orle, in recompensacionem dictorum bonorum eis conferre et donare paterna sollicitudine dignaretur. Nos ipsorum postulacionibus tamquam iustis pietate solita aures accomodas adhibentes, dictum venerabilem patrem per nos personaliter et per nostras litteras ad hoc faciendum induximus omni conamine et affectu. Qui nostris peticionibus assensu gratuito et exaudicionis gracia concurrendo, matura deliberacione super hoc facto cum Gnezdnense Capitulo celebrata, de consensu eiusdem Gnezdnensis Capituli dictam ecclesiam cum suis pertinenciis acceptando, dictis abbati et conventui de Byssovia decimas villarum prescriptarum contulit et eorum monasterio iure perpetuo possidendas. In cuius rei testimonium, presentem paginam conscribi fecimus et nostri sigilli appensione communiri. Datum et actum in Gnezdna publice anno Domini MCCLXXXVIII, presentibus hiis: Nicolao palatino Kalisiense, Petricone castellano Poznaniense, Zavisa castellano Kalisiense, Dirsicraio castellano de Santok, Andrea iudice Gnezdnense,

Gnevomiro iudice Poznaniense, Berwoldo iudice Kalisiense et aliis quam pluribus fide dignis, in festo beati Adalberti, Indictione prima. Amen.

Byssovia, *Byszewo.* Dobrow, *Dobrów.* Zadovo, *Szadów.* Quettovo, *Kwiatkowo.* Lesno, *Leszno.* Rsuchovo, *Rzuchów.* Bruzovo, *Brudzew.* Kolnica, Janiszewo, Wola, Głowy, *dziś tak samo.* Chozmino, *Koźmin.* Chelm, *Chełmno.* Grobevo, *dziś pewnie Grabina.* Ostrofno, *Ostrow.* Komorovo, *osada znikła.* Karsovo, *Karszewy.* Zacrevo, *Krzewo.* Bissecre, *Biesiekiery.* Slavencino, *Sławęcin.* Nakel, *Nakło.* Suchorambzke, *Suchoręczek.* Vele Viti, *Wiele.* Pamperino, *Pęperzyn.* Scoraschovo, *Skoraszewo.* Mroscha, *Mrocza.* Wirchocino utrumque, *Wierzchucin królewski i Wierz. szlachecki.* Tuscovo, *Tuszkowo.* Wiskidno, *Wyskidno.* Lansco, *Łącko.* Zanseschno, *Samsieczno.* Senno, *Sienno.* Sadki, *Sadki.* Dambovo Radzlai, *Dębowo.* Samostrele, *Samostrzel.* Orle, *Orle.* Santok, *Santok.*

Nr. 619.

Secundus Premisl dux Polonię 1280 (sic) Mai. 12, in ecclesia Poznaniensi; dat ecclesiae Poznaniensi pro villa eiusdem forensi Skrzynno, villas Lubnica, Zemsko, Witomyśl et partem villae Biała, libertatibus antiquarum villarum eiusdem ecclesiae munitas; praedictam vero villam Skrzynno commutat cum Mistivoyo duce Pomeraniae pro castro Wyszogród.

Trzy pergam. równobrzmiące. Nr. 15 z r. 1280 (?), zachował sznurek jedwabny zielony, z którego pieczęć znikła. Nr. 16, z dodatkiem z r. 1295, zachował na sznurze jedwabn. czerwon. dwa odłamy pieczęci XXVI Przemysława księcia. Nr. 17 z r. 1288, zachował na takimże sznurze pieczęć XXI tegoż księcia. Świadkowie z pergaminu I, 15, z którego następny dokument jest odpisany, należą do r. 1288.

Poznań. Archiv. Capituli. I 15, I 16, I 17.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurritur, cum etatis nostre negocia litterarum et testium munimine roborantur. Hinc est quod nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod de consilio et consensu baronum nostrorum cum venerabili patre domino Iohanne secundo, Dei gratia episcopo Poznaniensi, permutationem villarum fecimus in hunc modum. Dedimus siquidem prefato domino episcopo et ecclesie Poznaniensi has villas: Lubnicam, Zambrsco, Withomisle cum ecclesia, et sortem super Balam contiguam ville episcopi Belsco, nulli alteri nisi nostro ducatui pertinentes, cum omnibus iuribus, pertinenciis et libertatibus quas habent ville Poznaniensis ecclesie ab antiquo possesse; recipientes ab eodem episcopo et Capitulo suo villam forensem sitam in terra Sendomiriensi cum ecclesia, que Scrin vulgariter nuncupatur, cum villis ei adiacentibus et pertinenciis ad easdem, cum omni iure quod iidem episcopus et Capitulum in predictis villis habebant, hominibus ascripticiis ecclesie Poznaniensis dumtaxat exceptis. Quas villas dedimus dilecto patruo nostro, illustri principi domino Mistivoyo duci Pomoranie, pro ipsius necessitate, recipientes ab ipso pro reconpensacione castrum Visegrod cum omnibus villis et pertinenciis eiusdem: et hanc permutationem promisimus inter nos bona fide fir-

miter et inviolabiliter observari. Ut autem hec permutatio solemnis inter nos habita, firma et inviolabilis perpetuo perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine ac quorundam baronum nostrorum sigillis fecimus conmuniri. Acta sunt hec in ecclesia Poznaniensi anno Domini M.CC.LXXX,[1]) quarto Ydus May, presentibus comitibus: Thomislao palatino Poznaniensi, Nicolao palatino Kalissiensi, Petrcone castellano Poznaniensi, Zavisia[2]) castellano Kalissiensi[3]), domino Thilone preposito nostro de Santok. Ego Iasco notarius domini mei domini[4]) ducis hiis omnibus interfui, et de mandato ipsius cuncta[5]) manu propria conscripsi.

I, 16 *habet adiectum:*

Verum, quia de comuni baronum nostrorum consensu et consilio statuimus, ut nullum privilegium robur firmitatis aliquod obtineret nisi nostro magno et ultimo sigillo existeret sigillatum, propter quod presens privilegium innovari iussimus et nostri sigilli magni et ultimi munimine roborari. Datum Poznanie anno Domini M.CC. Nonagesimo quinto, Indiccione octava, per manus Nicholay scriptoris curie nostre.

Lubnica, *Lubnica.* Zambrsco, *Zemsko.* Withomisle, *Witomyśl.* Bala, *Biała.* Belsco, *Bielawy.* Scrin, *Skrzynno.* Visegrod, *zamek niegdyś przy ujściu rz. Brda do rz. Wisła.* Santok, *Santok.* Gdecz, *Giecz.*

Nr. 620.

Mstivius dux Pomoranie 1288 Mai. 14, in Repka; impetrat una cum Premislone duce Poloniae a Iacobo secundo, archiepiscopo Gneznensi, ut villam ecclesiae ipsius, dictam Ujma mała, cum villa Gardna commutet.

Pergam. origin., w którym z przywieszonych dwóch pieczęci, pozostały, od pierwszéj nici jedwabne żółte, od drugiéj wcięcia poprzeczne.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 47.

In nomine Domini amen. Ut mutacio temporum racionabilia facta mortalium non immutet, set perpetue gaudeat privilegio firmitatis, sagaci sapientum consilio litterarum autenticarum presidio et subscripcione testium consueverunt esse nancisci perpetuum, et posterorum memorie commendari. Hinc est quod nos Mstivius Dei gracia dux Pomoranie notum esse volumus universis presentibus et futuris, quod nos una cum magnifico principe domino Premizl secundo, duce Maioris Polonie, venerabili in Christo patri domino Iacobo secundo, archiepiscopo sancte Gnezdnensis ecclesie, precum nostrarum libamina studiose optulimus flagitantes, quatenus idem venerabilis pater nobis villam ecclesie sue iacentem in Kuiavia super Bahoram fluvium, que Minor Uyma vulgariter dicitur, pro Gardna villa nostra et suis pertinenciis dare commutacionis titulo paterna sollicitudine dignaretur; qui nostris precibus annuendo, villam prefatam que

---

1) I. 16: M.CC octogesimo quarto. Ydus etc. I. 17: M.CC.LXXXVIII quarto Ydus etc.
2) I. 16: Zavisa, I. 17: Zavissa.
3) I. 17: *dodaje między Zawiszą a Thilonem*: Johanne castellano de Gdecz.
4) *Drugie* domini *po* mei *brakuje w* I. 17; *jest w* I. 16.
5) ipsius cuncta *w* I. 15 *i* I. 17; *zamiast tego, w* I. 16: eius hec omnia.

Minor Uyma vocatur, quam ecclesia Gnezdnensis iure hereditario possidebat, de consensu Gnezdnensis Capituli nobis modo prehabito tradidit et donavit. Pro qua nos eidem domino archiepiscopo et Gnezdnensi ecclesie villam nostram que Gardna dicitur, iacentem super lacum eiusdem nominis, cum ecclesia et eis que ad ipsam pertinent, Villa piscatorum, clausuris et omnibus utilitatibus et pertinenciis ipsius ville Gardna, prout est suis cadibus seu terminis limitata, cum pleno dominio et libertatibus omnibus, sicut nos ipsam tenuimus, in recompensacionem dicte ville Uyma in hiis scriptis conferimus et donamus, iure hereditario perpetuo possidendam. Ut autem hec nostra commutacio et donacio, rata, firma et stabilis perseveret, nec a quoquam possit in posterum annullari, presentem litteram confici fecimus, et sigillorum nostri et prefati principis domini Premisl ducis Polonie sigillari munimine in memoriam sempiternam. Actum et datum in Repka sub anno Domini M.CC.LXXX.VIII, II Idus Maii, presentibus: venerabili in Christo patre domino Wisslao Wladislaviensi episcopo, comite Paulo palatino de Swece, Nicholao palatino de Trsew, Chsciborio castellano de Puczsco; baronibus quoque Polonie: Sbilutone castellano de Nakel, Boguslao castellano de Uscze, Troiano venatore, Iacobo castellano de Rogozno, et aliis pluribus fide dignis.

Bahora fluv., *Bachorza rz.* Uyma minor, *Ujma mała.* Gardna, *z niemiecka Garde.* Repka, *osada znikła p. miast. Bydgoszcz.* Swece, *Swiecie.* Trsew, *Tczew.* Puczsco, *Pucko.* Nakel, *Nakło.* Uscze, *Ujście.* Rogozno, *Rogoźno.*

Nr. 621.

Secundus Premisl dux Polonie 1288 Mai. 17, in Poznan; hereditatem Jaktorowo, ab Anthonio et Woyslao et heredibus Dobesii comiti Boguslao castellano de Ujście resignatam, ab omni solutione facit immunem, et facultatem eandem iure Theutonico locandi concedit.

Pergam. orygin. Brzegi bardzo obcięte. Śladu zawieszenia pieczęci nie masz. Trzemeszno. Priv. Conv. Can. Reg. Later.

In nomine Domini amen. Multis incomodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum et testium munimine roboramus. Nos igitur secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia Anthonius, Woyslaus et heredes Dobesy, comiti Boguslao castellano de Usche et subcamerario Poznaniensi hereditatem Jactorovo pro septuaginta et duabus marcis irrecuperabiliter venditam resignarunt cum silva que Proscow vulgariter nuncupatur, in qua silva heres de Jactorovo venandi in perpetuum habebit liberam facultatem. Nos vero dilecti baronis nostri comitis Boguslai iam dicti serviciis fidelibus in his et in aliis annuere cupientes, prefatam hereditatem ab omni solucione facimus liberam et immunem, videlicet a naraz, a povoz, a prevod, a stroza, a podvorove, a bove et vacca, ab opole, a poradlne, a castoribus, a castri citacione, a furto. Homicidium perpetratum inter ipsos incolas, ipse et sua posteritas percipiant ex integro; liberum eciam habeant arbitrium ibidem locandi ius Theutonicum libere, prout ipsis videbitur expedire. Ut autem nostre libertatis donacio supradictorumque militum

stabilis resignacio seu vendicio perpetuo inviolabilis perseverent, presentem litteram nostri sigilli munimine duximus confirmandam presentibus his testibus: comite Nicolao palatino Kalisiensi, comite Gnevomiro iudice Poznaniensi, domino Thilone preposito de Santok. Datum in Poznan in crastino Penthecostes, anno Domini M.CC.LXXX.VIII, per manus Iasconis notarii curie nostre, Indictione prima.

Usche, *Ujście.* Jactorovo, *Jaktorowo.* Santok, *Santok.*

Nr. 622.

Premisl secundus dux Polonie 1288 Mai. 21, in Poznan; approbat ordinationem militis Dirzicraii, qua filiolos ipsius Jesconem et Jaroslaum successores in hereditatibus suis constituit, filiae vero villam Bronowo assignat.

Poznań. Königl. Staats Arch. Lib. terrestr. Pyzdrens. a. 1559, fol. 223.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia literarum ac testium subscripcione roboramus. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, cupientes digna negocia, nostro precipue testimonio delata, perpetua gaudere dignitate, notum facimus universis tam presentis etatis hominibus quam future, quod in nostram nostrorumque baronum presenciam veniens noster fidelis miles Dirzycraius Kopaszize, filius Vestkonis, cum duobus suis filiolis, videlicet Iescone et Iaroslao filiis comitis Vincentii, cum bona deliberacione et consilio maturo, nulla necessitate coactus, resignavit, donavit atque contulit dicto Iesconi et Iaroslao suas hereditates, scilicet Beganowo, Zelonidamp et Galanzowo, iure hereditario libere in perpetuum possidendas. Insuper et alias hereditates, quas dictus iam Dirzycraius Kopaszize habet et possidet, iam dicti sui filioli, Iesco et Iaroslaus, in quantum nunc et in posterum pro eis obtinere qualicunque condicioni potuerint, habeant absque omni impedimento, quia sepedictus comes Dirzycraius ipsos elegit ex omnibus filiolis suis. Unam vero hereditatem, scilicet Brunowo vulgariter nuncupatam, sue filie assignavit; sed sepedictas hereditates, Beganowo, Zelonidamp et Galanzewo, Iesconi dicto et Iaroslao et suis legittimis successoribus resignavit coram nobis, constituens ipsos Iesconem, Iaroslaum et ipsorum legittimos successores et heredes, dictarum hereditatum legittimos possessores. Nos vero considerantes huiusmodi cessionem et resignacionem rite et racionabiliter celebratam, ipsam approbantes decernimus vigere vigore perpetue firmitatis. In huius rei testimonium, presentes conscribi iussimus et sigilli nostri munimine fecimus communiri presentibus hiis testibus: comitibus Beniamin palatino Poznaniensi, Boguslao Domaratowiz, Gneomiro iudice Poznaniensi, Francisco de Coscelizo, Swantomiro de Kuhcaz, Presopasso de Turscho. Datum in Poznan sexta feria proxima ante diem sancte Trinitatis, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, per manus Iasconis scriptoris curie nostre.

Kopaszize, *Kopaszyce.* Beganowo, *Bieganowo.* Zielony dąb, *dziś Zieleniec.* Galanzowo *Gałęzewo.* Brunowo, *Bronowo.* Coscelizo, *Kościelec.* Kuhcaz (r?) *zapewne zamiast Kuchary.* Turscho, *Tursk.*

Nr. 623.

Wladysslaus dux Lanchicie et Cuiaviens. 1288 Jun. 13, in Bzesche; protestatur una cum fratre suo duce Kazimiro, Venceslaum scolasticum ecclesiae de Włocławek, partem hereditatis Zbląg quam iure Novi fori locare concedit, nepotibus suis comiti Bernardo et fratri eius Venceslao contulisse.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny czerwony, z którego pieczęć znikła.
Poznań. Archiv. Capituli. I, 18.

In nomine Domini amen. Iuris equitas statuit et honestas, ut acta que simul permutantur cum tempore, scriptis memorie commendentur. Hinc est quod nos Wladysslaus Dei gracia dux Lanchicie et Cuiaviensis, cum fratre nostro domino duce Kazymiro herede eiusdem Lanchicie et Cuiaviė universorum presencium et futurorum noticie volumus provenire, quod cum venerabilis vir magister Vencesslaus, ecclesie Wladysslaviensis scolasticus, in nostra presencia et fratris nostri et omnium baronum nostrorum fuisset constitutus, partem hereditatis Deschblaz, quam a comite Martino filio Baranchonis cum voluntate bona socrus sue et uxoris sue ac puerorum suorum redemerat, publice sub nostro bono omnium testimonio nepotibus suis, videlicet comiti Bernardo et fratri suo Vencesslao, iure hereditario ac perpetuo possidendam contulit ipsis et pueris ipsorum ac donavit. Contulimus nichilominus et nos prefato Bernardo et fratri suo Wencesslao dictam partem hereditatis Deschblaz iure Novi fori de Sroda et consuetudine de Slesia exponere et locare, dantes eisdem in dicta hereditate omnimodam duodecim libertatem annorum. Ne igitur super eadem donacione tam solempni et manifesta, que coram nobis facta est, quippiam questionis oriatur, nos eidem Bernardo et fratri suo Wencesslao in testimonium predictorum litteram nostram presentem contulimus, nostri sigilli munimine roboratam. Actum et datum in Bzesche, proximo dominico die ante diem beati Viti, per manum Redgeri subcancellari nostri, presentibus hiis venerabilibus testibus: comite Christino castellano Crsincensi, comite Predslao castellano Brestensi, comite Mathia iudice Cuiaviensi, tesaurario Alberto Cuiaviensi, Gregorio subpincerna, ac aliis quam pluribus fide dignis. Actum anno gracie Mll. (sic) CC.LXXX. octavo.

Deschblaz, *Nr. 627.* Sceblanz, *dawniéj* Soblacz, *dziś Zbląg.* Novum forum, *czyli Środa na Szlązku, z niemiecka Neumarkt.* Bzesche, *Brześć Kujawski.* Crsincensis *t. j. de Skrzynki, nie odgadnione; wieś Skrzynki leży pod m. Kowal, może ta kasztelania zmieniona późniéj na Kowalską.*

Nr. 624.

Secundus Premisl dux Polonie 1288 Jun. 30, Poznanie; ratam habet donationem 5 mansorum liberorum in villa Cieśle, quos capellanus suus Gregorius Boguslao, filiastro ipsius, dederat.

Poznań. Archiv. Consistorii. A. C. anni 1434.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus

Premisl Dei gracia dux Polonie notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia veniens noster fidelis capellanus Gregorius cum suo filiastro nomine Boguslao, filio Bozislai, dedit, donavit ac porrexit iam dicto Boguslao et suis posteris quinque mansos liberos in villa que vulgariter Cesle nuncupatur, prope Pysdri, iure hereditario libere in perpetuum possidendos, et cum omnibus utilitatibus qui nunc ibi sunt et in posterum fieri possunt, et hoc de sua bona voluntate. Nos vero ipsorum amborum precibus inclinati, damus, donamus atque conferimus dicto Boguslao et suis legitimis successoribus dictos quinque mansos liberos in Cesle iure hereditario possidendos, excipientes dictos mansos ab omnibus exaccionibus et solucionibus, sive Theutonicalibus seu Polonicalibus, que ad nostrum dominium dinoscuntur pertinere, scilicet a naras, a prewod, a podvorove, a stroza, a porco, a vacca, a bove, a feno, a reparacione pontis, a poradlne, a citacione castri, a castellano, a wlodario; nisi nostro annulo fuerint evocati, tunc coram nobis comparebunt et respondebunt. Item adiecimus, quod si aliquis vel aliqui in posterum sepedictos quinque in Cesle iacentes mansos impetere aut impedire vellet, dicens esse suos, eum seu eos ex nunc prout ex tunc abiudicamus, et sepedictum Boguslaum cum suis legittimis successoribus ad sepius dictos quinque mansos liberos in Cesle in perpetuum confirmamus in hiis scriptis. Sepius vero dictus Boguslaus habeat facultatem sepedictos mansos vendere, dare, commutare cui vel quibuslibet, sine omni impedimento. Ut autem hec omnia robur obtineant perpetue firmitatis et ne in posterum per nos vel nostros successores valeant irritari, presentem literam nostro sigillo fecimus roborari. Datum Poznanie in crastino beatorum apostolorum Petri et Pauli anno Domini M.CC. octuagesimo octavo, coram hiis testibus: domino Andrea cancellario nostro, comite Stewano castellano Wyelunensi, comite Bodzantha Lubaschky Landensis castellanus, comes Marcuslaus Luthognewi filius et castellanus Bechoviensis, Swenthoslaus scriptor curie nostre.

Cesle, *Cieśle*. Wyelunensis, *de Wieluń*. Lubaschky, *(jeźli kopia dokładna) de Lubasz*. Landensis, *de Ląd*. Bechoviensis, *de Biechów*.

Nr. 625.

Premisl secundus dux Polonie 1288 Jun. 30—Jul. 6, Poznanie; confert antiquam civitatem Środka ecclesiae Poznaniensi.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny zielony, z którego pieczęć znikła.
Poznań. Archiv. Capituli. I, 24. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Polon. 70.

In nomine Domini amen. Multis incomodis prudenter occurritur, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine perhennantur. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis, quod ob remedium anime nostre et parentum nostrorum, et maxime reverenciam beatorum Petri et Pauli apostolorum, civitatem nostram antiquam, sitam circa ecclesiam sancte Margarethe in Poznan, Srodka vulgariter nuncupatam, in persona venerabilis patris nostri domini Iohannis episcopi Poznaniensis libere ac liberaliter ecclesie Poznaniensi, cum omni iure quo ipsam possedimus et tenuimus, contulimus perpetuo possidendam pacifice et optinendam. Do-

nantes dicto venerabili patri nostro omne ius civitatis, et eius civibus videlicet macella carnificum, pistorum, sutorum in eadem habendi, et permittentes eciam cetteros artifices, cuiuscunque fuerint operis, ibidem manendi, suum artificium libere operandi: hoc dumtaxat excepto, quod forum annuale vel ebdomadatium solempne cives ibidem degentes non habebunt, set tantummodo privatum. Thabernas prorsus, omnes qui volunt habeant ibidem et usum earum; pannos si quos ibi fecerint, vel aliunde cives dicte civitatis comparaverint, frustratim incidendo vel ulnatim penitus non vendant; set solummodo integros exibeant venales. Et ne super his in posterum dubitetur, presentes conscribi et sigilli nostri munimine fecimus communiri. Actum et datum Poznanie infra octavas beatorum apostolorum Petri et Pauli, anno gracie Domini millesimo ducentesimo octogesimo octavo, presentibus his testibus: comitibus Nicolao palatino Kalissiensi, Petrcone castellano Poznaniensi, Nicolao subdapifero Kalissiensi et Grabya subthezaurario curie nostre, per manus Iasconis notarii nostri.

Środka, *dziś przedmieście miasta Poznań.*

Nr. 626.

Premisl secundus dux Polonie 1288 Jul. 9, in terra Rudensi; ratam habet venditionem sex mansorum in villa sua Borkowo, quos Thilo civis de Kalisz Arnoldo filio Iohannis resignaverat, de quibus vero duos et quartale tertii, nondum liberos, amplis libertatibus munit.

Warszawa. Archiw. Główne. Ks. M. 34, fol. 283 v.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia literarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentis etatis hominibus quam future, quod de voluntate et nostra permissione speciali dilectus servitor noster Arnoldus, filius Iohannis, quinque mansos et quartale de sexto manso apud Thilonem concivem Calissiensem, dictum de Tlokina, emit pro quadraginta marcis argenti usualis in villa nostra Borkowo vulgariter nuncupata; quam vendicionem gratam et ratam habentes, decrevimus robur perpetue obtinere firmitatis. Et quoniam de dictis mansis tres sunt liberi racione eius, quia dati erant cuidam militi in commutacione pro alia hereditate que fuit adiuncta dicte hereditati Borcowo, nomen vero militis erat Lucianus, nos aliquid gracie facere cupientes dicto Arnoldo pro ipsius fidelibus serviciis, residuos duos mansos et quartale liberos fecimus ab omni census solucione, a poradlne, a vacca et bove, et curru expedicionis, ab aratura et omni servitute villana de concilio sculteti dicte ville, et ab universis solucionibus que cedere solent in villis. Sed ne dubium in posterum super his mansis possit oriri, declarandum duximus in his scriptis, quoniam dictos mansos obtinuerat Lucianus pro commutacione sicut superius est expressum; demum data sibi alia hereditate pro dictis mansis, dicti mansi per patruum nostrum, bone memorie ducem Boleslaum, dati fuerunt et venditi advocato Calissiensi, advocatus vero Thiloni tempore nostro vendidit Tlokina, et sic Thilo Arnoldo et successoribus eius vendidit sicut superius est expressum iure hereditario in perpetuum possidendum. Damus insuper dicto Arnoldo et successoribus eius liberum arbitrium dictos mansos vendere, donare,

commutare cum ea libertate qua ipsos possidet, seu eciam quolibet modo alienare. In cuius rei testimonium, presentes scribi iussimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum in terra Rudensi, eundo in Cracoviam, in crastino beati Ciliani anno gracie Domini millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, presentibus his testibus: comitibus Volislao succamerario Calissiensi, Raciborio filio Marcussii, Ianussio filio Peregrini, per manus Iaskonis notarii curie nostre.

Tlokina, *Tłokinia.* Borkowo, *Borkowo.* Rudensis, *de Ruda.*

Nr. 627.

Wladyssaus cum fratre suo Kazymiro duces Lanchicie et Cuiavie 1288 Jul. 12, in Bresche; concedunt magistro Wenceslao scolastico de Włocławek facultatem, villam ipsius Zbląg iure Theutonico locandi.

Pergam. orygin. Trzy dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci.
Poznań. Archiv. Capituli. I, 19.

In nomine Domini amen. Quoniam facta mortalium ac modernorum que aguntur in tempore, simul cum tempore successive labuntur, idcirco decrevit humana ratio, ea tum testium virorum aprobatorum, tum litterarum apicibus perpetuare. Noverint igitur universi presens scriptum inspecturi, quod nos Wladyssaus cum dilecto fratre nostro Kazymiro, Dei gracia duces Lanchicie et Cuiavie, magistro Wencesslao nostro capellano ac scolastico Wladysslaviensi, respicientes sua diuturna servicia et bone memorie (sic) que prius nostro (sic) usque ad consumacionem sue vite continue intulit et nobis a pueritia nostra similiter exibuit et aduc dante Domino paratus est exibere, libertatem in villa sua que vulgariter Sceblanz nuncupatur, quam videlicet villam predictus magister Wencesslaus a comite Martino de Baranow emerat et ab uxore sua et a socru sua, voluntate omnium filiorum suorum ad hec accedente, contulimus sicut in privilegiis super his confectis lucidius continetur, eandem villam iure Teutonico collocandam predicto magistro Wencesslao admisimus, volentes quod omnia iura Polonicalia que tum nostri suparii in eadem villa actenus habuerunt, penitus deleantur, sicut prewod, powos, podvorove, sive citationes per camerarios, et breviter absolvimus ab omnibus eam angariis sive perangariis, quocunque novo nomine censeantur. Volomus eciam, quod incole eiusdem ville a nullo iudicentur nisi a domino suo vel a suo scultheto in bonis propriis, et breviter, quidquid iuris nostri homines in nostris villis Theutonicalibus degentes habere dignoscuntur, idem ius habeat villa memorata. Hec autem libertas duodecim annis perdurabit. Expiratis hiis annis, idem ius in eadem villa habebimus, quod alii principes in villis militalibus eodem iure locatis habere consueverunt, iure tamen Theutonicali in eadem villa semper permanente. Et ut ista sibi et successoribus suis perpetuo permaneant, presentem paginam de consensu fratris nostris (sic), nostri sigilli munimine fecimus roborari. Actum in Bresche et datum in vigilia beate Margarete virginis per manum subcancellarii nostri Rodgeri, anno Domini M.CC.LXXX octavo, presentibus hiis venerabilibus testibus: comite Cristino castellano Crsincensi, comite Alberto tesaurario Cuiaviensi, comite Falcone agazone Cuiaviensi, comite Iacobo subdapifero,

comite Gregorio subpincerna, Myclono subagazone, magistro Ulrico iurisperito, et aliis quam pluribus fide dignis.

Sceblanz, *dziś Zbląg.* Baranow, *Baranów.* Bresche, *Brześć Kujawski.* Crsincensis *t. j. de Skrzynki, nie odgadnione; może to późniejsza kasztelania Kowalska z tejże powstała; wieś Skrzynki leży pod m. Kowal.*

Nr. 628.

Iohannes episcopus Poznaniens. 1288 Iul. 15, in Iashcovo; ecclesiae de Lusowo 8 villas in parochiam addit, et decimas de aliis villis concedit.

Poznań. Archiv. Consistorii. A. C. anni 1601—2.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentem litteram inspecturi, quod nos Iohannes Dei gracia episcopus Poznaniensis, una de consensu Capituli nostri Poznaniensis addidimus ecclesie de Lossowo has villas in parrochiam: Lussowo, Lussovecz, Tarnovo, aliud Tarnovo, Cobilniche, Sadi, Swancino et Siroslawo, et aliarum villarum decimas: Rumino, Panthcovo, Sobeserne, Breschno. Addidimus ecclesie supradicte piscinam, duos mansos cum pratis et decimum piscem de lacu, perpetuo liberaliter possidere. In cuius rei fidem et testimonium, presentem litteram sub nostro et nostri Capituli sigillis duximus roborandam. Datum in Iashcovo anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, Idus Iulii.

Lossowo, *Lusowo.* Lussovecz, *Lusowko.* Tarnovo, *Tarnowo, dziś w jednę wieś połączone.* Cobilniche, *Kobylniki.* Sadi, *Sady.* Swancino, *Swadzim.* Siroslawo, *Sierosław.* Rumino, *Rumianek.* Panthcovo, *Piątkowo.* Sobeserne, *Sobiesiernie.* Breschno, *Brzyżno.* Iashcovo, *Jaszkowo.*

Nr. 629.

Secundus Premisl dux Polonie 1288 Aug. 15, in Dlusco; confirmat commutationem hereditatis comitis Iohannis de Sługocin et filiorum eius dictae Lipia góra, quam amplis munit privilegiis, cum villa monasterii de Ląd, nomine Myśliborz.

Pergam. orygin., u którego z przywieszonéj pieczęci pozostał sznurek jedwabny, czerwony.

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae, I, Nr. 69. — Poznań. Königl. Staats Arch. Ląd, Lib. privil. A, Nr. 6.

In nomine Domini amen. Que geruntur in tempore ne temporis effluente articulo facilius elabantur, necesse est ea litterali apice nec non testium subscripcione firmiter roborari. Hinc est quod nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis presentem paginam inspecturis, quod comes Iohannes dictus de Slugocino ac filii sui, Symanus, Thomislaus et Albertus, hereditatem suam que Lippagora vulgariter nuncupatur, pro tribus sortibus, videlicet Blosino abbatis et Blo-

sino episcopi atque Mislibore, cum domino Gerardo abbate ac conventu domus Lendensis libenti animo commutarunt. Nos vero ob remedium anime nostre ac predecessorum nostrorum ea que ad utilitatem dicte domus sunt cupientes augere non minuere, prefatam commutacionem ratificamus, libertatem, quam prehabita hereditas sub comite Iohanne actenus habuit, dicte domui confirmantes cum omnibus utilitatibus que nunc in ea sunt ac in posterum poterunt exoriri. Et eximimus eam a povoz, ab omni prewod, a stroza, a dan, a naraz, podvorove, targove, mostne, a castrorum edificio seu poncium quorumlibet, a recepcione vel custodia aut conductu castorariorum: quia castores in eadem hereditate manentes cedunt fratribus domus supradicte: a custodia et solucione herodiorum quod sokol dicitur, a vicinia quod opole wlgariter nuncupatur, a bove et vacca, et a lasca opolna, ab omni exactione sive collectione, a vecturis et expedicionibus, et ab omnibus iuribus in Polonia constitutis, quibuscumque nominibus censeantur. Et si homicidium inter incolas prefate hereditatis que Lippagora vocatur contigerit, nullus nisi abbas et fratres penam percipiant capitalem. Et si voluerint, hereditatem eandem poterunt, iam nostra licencia super hoc habita, iure Theutonico tradere excolendam. Huius rei testes sunt: comes Bozatha castellanus Lendensis, comes Rosco venator Kalisiensis, comes Nicolaus thezaurarius Lendensis, comes Ozias subpincerna Kalisiensis et Iasco notarius curie nostre. Ut autem hec rata et inconvulsa permaneant, presentem litteram sigilli nostri munimine duximus roborandam. Datum et actum in Dlusco anno Domini M.CC.LXXX.VIII, in die Assumptionis gloriose virginis Marie.

Slugocino, *Sługocin.* Lippagora, *dziś Sługocinek.* Blosino abbatis, Blosino episcopi *i* Mislibore, *trzy działy składające dziś wieś Myśliborz.* Lendensis, *de Ląd.* Dlusco, *Dłusk.*

Nr. 630.

Iacobus archiepiscopus s. Gneznens. ecclesie 1288 Aug. 24, in Gnezna;

commutat decimas ecclesiae suae de pluribus villis, cum quibusdam decimis monasterio de Ląd pertinentibus.

Gniezno. Archiv. Consistorii Metropol. Acta ad annum 1576.

In nomine Domini amen. Que geruntur in tempore ne temporis defluente momento facile dilabantur, necesse est ea litterali apice nec non testium subscripcione firmiter roborari. Hinc est quod nos Iacobus, miseracione divina archiepiscopus sancte Gneznensis ecclesie, notum esse volumus omnibus Christi fidelibus presentibus et futuris, quia de voluntate et consensu concordi nostri Capituli, habita sufficienti deliberacione talem cum domino Gerhardo abbate Landensi et eius conventu inivimus contractum ac permutacionem decimarum, videlicet conferendo eis iure perpetuo decimas has possidendas: de Policzko et Zeczicze ac sortis hiis duabus hereditatibus attinentis, que Rokithnicha nuncupatur; ita tamen, si plebanus de Censim huius sortis decimam mediante iusticia non potuerit obtinere. Insuper decimas de Golkovicz, et de villa comitis Gerhardi que Chotchuna dicitur et de villula ipsius que Cluschenyza nominatur; que decime omnes ad cantoriam Gneznensem pertinebant, quas dominus Gabriel cantor a nobis plena recompensacione percepta tunc ad manus nostras plenarie ac voluntarie resignavit. Pro hiis autem omnibus, recepimus a dicto abbate

et eius conventu decimas villarum infrascriptarum, videlicet Thwardovo Theutonicali et Polonicali, ac de Twardossino (sic) et de Skarbenschiz. In supplementum autem eius quod minus esse videbatur, hereditatem ipsorum que Sabartowo nuncupatur recepimus ab ipsis, cum prenotatis decimis iure perpetuo possidendam. Acta sunt hec publice in Gnezna anno Domini M.CC.LXXXVIII in festo beati Bartholomei apostoli, Indictione prima, presentibus dominis canonicis: Wlostiborio preposito, Gozlao decano, Philippo archidiacono, Gabriele cantore, Philippo scolastico Gneznensibus, et aliis quam plurimis personis fidedignis, amen. Ut autem hec omnia, secundum quod rite ordinata sunt, nunc inconvulsa et rata perpetuo perseverent, presentem paginam super hiis conscribi fecimus et nostri ac Capituli Gneznensis sigillorum munimine roborari.

Landensis, *de Ląd.* Policzko, *Policko.* Zeccicze, *Dziedzice.* Rokithnicha, *Rokitnica.* Censim, *Ciążyń.* Golkovicz, *Gołkowo.* Chotchuna, *Kotunia.* Cluschenyza, *osada znikła.* Thwardovo Theutonicalis et Polonicalis, *Twardowo.* Twardossino, *w dokumencie tegoż arcybiskupa z r. 1313 Apr. 25, in Gnezna*, Wardezino, *Wardężyn.* Skarbenschiz, *Skarbienice.* Sabartowo, *Zabartów.*

Nr. 631.

Premizl secundus dux Maioris Polonie 1288 Sept. 3, in Gnezdna; ratam habet donationem villae Zabartów, quam monasterium de Ląd ecclesiae Gneznensi, ratione compensationis in commutatione quarundam decimarum, contulerat.

Pergam. orygin. Na sznurku z nici jedwabn. czerwon. i żółt. przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXI).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 48.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que aguntur in tempore cum tempore pariter elabuntur, provida veterum sanxit auctoritas, ut gesta mortalium, quibus plerumque calumpnia consuevit et oblivio novercari, scripture testimonio roborata ad posterorum noticiam transferantur. Hinc est quod nos Premizl secundus, Dei gracia dux Maioris Polonie, presentibus et futuris duximus declarandum, quod venerabilis pater dominus Iacobus archiepiscopus Gnezdnensis et religiosus vir dominus Gerhardus abbas cenobii Lendensis Cisterciensis Ordinis in nostra presentia constituti, quarundam decimarum commutationes protestati sunt ex consensu mutuo et suorum Capitulorum ac spontanee se fecisse. Et quia decime predicti venerabilis patris domini archiepiscopi, decimis abbatis et sui monasterii plus valebant, idem abbas volens mensam archiepiscopalem indempnem reddere, villam Zabartow vulgariter nuncupatam eidem archiepiscopali mense de fratrum sui totius conventus consilio et consensu liberaliter contulit coram nobis. Quam donacionem gratam et ratam habentes, predictam villam sepedicto domino archiepiscopo et eius successoribus iure hereditario in perpetuum confirmamus. In cuius confirmacionis robur et testimonium, presentibus sigillum nostrum duximus apponendum. Actum in Gnezdna anno Domini M.CCLXXXVIII, Indictione prima, Epacta XV, III Nonas Septembris, presentibus hiis dominis: Wlostiborio preposito, Gabriele cantore, Philippo scolastico Gne-

zdnensibus, et hiis nobilibus: Alberto castellano de Cbansin, Vito pincerna et Mirozlao subcamerario Gnezdnensibus.

Lendensis, *de Ląd.* Zabartow, *Zabartów.* Cbansin, *Zbąszyń.*

Nr. 632.

Premisl secundus dux Polonie 1288 Nov. 5, in Dlusco; protestatur, Iohannem episcopum Poznaniensem cum Prutenis suis, ratione decimarum de duabus villis apud Biechowo sitis, compositionem fecisse. (Diploma rescriptum 1295 Apr. 4—9, Poznanie).

Pergam. orygin. Skrawki pergaminu, z którego pieczęć znikła.
Poznań. Archiv. Capituli I, 23. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Polon. 71.

Nos Premisl secundus, Dei gratia dux Polonie, notum facimus omnibus hanc litteram inspecturis, quod in nostra presentia venerabilis pater dominus Iohannes, Poznaniensis episcopus, cum Prutenis nostris duarum villarum apud Behow super decima arature ipsorum taliter ordinavit: quod ipsi Pruteni debent solvere ratione decime de parvo aratro, quod radlo dicitur, quatuor scotos et dimidium, et de mangno, hoc ést de plugone, novem scotos; et hoc quilibet ipsorum Prutenorum argentum in die Purificationis beate Marie virginis in curia domini episcopi Vinemomte (sic) absque dubitatione qualibet presentabit. Quicumque autem ipsorum hoc neglexerit adimplere, solvet penam. Actum in Dlusco Nonas Novembris anno Domini M.CC octogesimo octavo, presentibus comitibus: Pertkone castellano Poznaniensi, Boguslao castellano de Usce, Stoygnevo, Wislao, et aliis quam plurimis.

Et quia nos de consensu nostrorum baronum statuimus, ut nullum instrumentum seu privilegium alicuius virtutis existeret, quod de sigillo parvo, in quo leo expressus est, existeret sigillatum, idcirco suprascriptum instrumentum in aliam transscribi litteram iussimus, et nostri novi mangni sigilli ad eterne rei memoriam munimine roborari. Datum Poznanie anno Domini M.CC nonagesimo quinto, in octava Pasce, per manus Nicholay scriptoris curie nostre.

Behow, *Biechów.* Vinemons, *Winnagóra.* Dlusco, *Dłusk.* Usce, *Ujście.*

Nr. 633.

Reynoldus advocatus Poznaniens. 1288 Dec. 6, in Poznan; vendit molendinum suum, situm in antiqua civitate Poznań, Thiloni preposito de Santok et fratribus ipsius.

Pergam. orygin. Sznurki jedwabne żółte od przywieszenia dwóch pieczęci.
Poznań. Archiv. Capituli. I, 21.

In nomine Domini amen. Forte rei noticia litigatur in postero, cum non venit robur firmius a testimonio litterarum. Igitur ego Reynoldus advocatus Poznaniensis

notum facio universis presentem paginam inspecturis firmiter protestando, me vendidisse pro sexaginta marcis usualis argenti molendinum meum, nulli nisi michi debitum, situm in antiqua civitate Poznaniensi, domino Thyloni preposito de Santok et fratribus suis, Iasconi, Iacobo, Nycholao et Stephano, ac dictam pecuniam protestor me ab eisdem ex integro recepisse, promittens bona fide pro me et meis heredibus, coram consulibus et iuratis civitatis Poznaniensis infra scriptis ad hoc vocatis et rogatis, litem vel controversiam prefatis domino Thyloni preposito et fratribus suis vel eorum heredibus de dicto molendino seu parte ipsius ullo tempore non inferre, nec inferenti quomodolibet consentire, sed ipsum molendinum, tam in proprietate quam in possessione, eis et eorum heredibus ab omni homine et universitate legitime defendere, et predictam venditionem firmam, ratam et inviolabilem perpetuo tenere, et non contrafacere vel venire, per se vel alium, aliqua causa vel ingenio, de iure vel de facto. Pro quibus omnibus et singulis firmiter observandis, sigilla civitatis Poznaniensis et meum proprium duxi presenti pagine ad perpetuam memoriam apponenda. Acta sunt hec in Poznan in die beati Nycholai confessoris anno Domini M.CC.LXXX octavo, presentibus hiis consulibus, scabinis et iuratis civitatis Poznaniensis: Lodvigo Pribyslai, Hermanno de Sroda, Henrico de Glogovia, Hermanno dicto Gubinko, Iohanne Stroybno, Walthero de Lesna, Henrico Rufo, Petro bursatore, Thylone Beringeri, Hermanno Saxone, Thylone pistore, Wylkino institore, Thylone Pribyslai, Henrico carnifice, et aliis quam plurimis civibus Poznaniensibus fide dignis.

Santok, *Santok.*

Nr. 634.

Secundus Premizl dux Polonie 1288 Dec. 6, Poznanie; confirmat venditionem molendini advocatiae Poznaniensis in antiqua civitate siti, quod Reynold advocatus Thiloni praeposito de Santok et fratribus ipsius resignaverat.

Pergam. orygin. Na sznurku jedwabn. żółt. przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXI).

Poznań. Archiv. Capituli. I, 22.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premizl Dei gratia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra baronumque nostrorum presencia constitutis, Reynoldo advocato nostro Poznaniensi, et capellanis nostris, Thylone preposito de Santok, Iascone notario nostro, Iacobo cancellario et canonico Posnaniensi, Nycholao canonico Poznaniensi et Stephano, fratribus, idem Reynoldus asseruit se dedisse, vendidisse, tradidisse iure proprio in perpetuum dictis fratribus molendinum quondam scoltecie seu advocatie sue, situm in antiqua civitate inter ecclesiam maiorem beati Petri et ecclesiam sancti Iohannis domus Hospitalariorum, ad habendum, tenendum, possidendum, et quidquid sibi suisque heredibus deinceps placuerit de dicto molendino faciendum, cum omnibus et singulis que infra dicti molendini continentur fines, et cum omni iure, actione et usu quod in eodem habebat, pro sexaginta marcis usualis argenti. Quod precium dictus Reynoldus confessus et

Nr. 636.

Secundus Premizl dux Polonie 1289 Mart. 31, in Lenda; concedit coloniae monasterii Ląd, dictae Wola Lędzka, libertatem viginti annorum ab omnibus solutionibus.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne w założonym dolnym brzegu, w których szczątki nici jedwabn. fioletow.

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata.

Noverint universi presentem litteram inspecturi, quod nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie, domum Lendensem pio prosequentes affectu et salutis nostre non inmemores existentes, ob reverenciam Dei et beate Virginis, super reliquam dambrova que iacet inter villam dicte domus Kovalevo et Dolane, bono animo et matura deliberacione habita, ab omni solucione Polonica que nunc in nostro est dominio et processu temporis poterit exoriri, quibuscumque nominibus censeatur, et precipue a poradlne, viginti annorum damus plenam et omnimodam libertatem. In huius rei testimonium, presentem paginam nostri sigilli munimine roboramus. Actum anno Domini M.CC.LXXX nono presentibus hiis testibus: comite Nicholao palatino, comite Marcussio castellano de Bechov, domino Thilone preposito de Santhoc. Datum in Lenda per manus domini Iacobi notarii curie nostre, proxima feria quinta post Iudica.

Lendensis, *de Ląd.* Dąbrowa inter Kowalewo et Dolane, *miejsce, na którem stanęła Wola Lądzka.* Kovalevo, *Kowalewo.* Dolane, *Dolany.* Bechov, *Biechów.* Santhoc, *Santok.*

Nr. 637.

Premizel dux Polonie 1289 Apr. 23, in Brezt; concedit monasterio de Byszewo, ut hereditatem Trzęsacz iure Theutonico locare valeat.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn., czerwon. i zielon. przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXI.)

Poznań. Königl. Staats Arch. Koronowo Nr. 15.

In nomine Domini amen. Facta et ordinaciones hominum ne a posterorum noticia labantur cum tempore dilabente, debent scripti caucione et ydoneorum hominum testimonio perhennari. Eapropter nos Premizel Dei gracia dux Polonie notum esse volumus universis presentibus et futuris, quod nos castro Wissegrod cum suo districtu in nostram potestatem ac possessionem devoluto, considerata necessitate et indigencia abbatis ac conventus monasterii de Byssovia Cysterciensis Ordinis, Wladislaviensis dyocesis, debito pietatis motu eis consulere prodesseque cupientes, ad profectum ipsorum ac divini cultus promocionem concedimus abbati et conventui iam dicti monasterii prelibati, ut hereditatem quam habent super Wyslam fluvium, quam eisdem in presentibus confirmamus, in districtu premisso Wyssegrodiensi, que Transchacz vulgariter appellatur, locent iure Thewtonico Meydeburgensi vel alio quo-

cumque, sicut eis videbitur expedire, cum toto districtu suo. Et ipsum ius per totam hereditatem habeant, tam in eo quod pro propriis aratris sibi reservabunt, quam in eo quod ad villam disponent; et in totum ipsam hereditatem ordinent secundum suam utilitatem, tam sub terra quam super terram, in agris, pratis, silvis, pascuis, aquis, molendinis, piscacionibus, venacionibus, et navigium seu passagium super Wizlam. Dantes eis liberam facultatem ibidem forum faciendi cum omni iure fori, ac per scoltetum et scabinos omne iudicium nomine abbatis pro causa qualibet exercendi. Ipse eciam abbas et cui ipse commiserit, omne iudicium iudicabunt tam magnum quam parvum in omnibus omnino locis dicte ville, et eciam in viis publicis ac semitis, vel viis privatis. Volentes ipsam hereditatem et habitatores eius in libertate Tewtonica ab omnibus iuribus et solucionibus ac serviciis esse semper quietam et exemptam, videlicet a prevod, a povoz, vivoz, podvoda, vimot, nastava, vesniza, a naraz, moztne, poradlne, povolove, podvorove, strosa, a socol, canibus, castorum captoribus, et ab aliis iuribus omnibus, sive antiquis sive noviter adinventis, a vacca, a bove et a stan; castra et pontes non edificabunt nec emendabunt, nec alicui iuridicioni castellanorum, palatinorum, iudicum, officialium aut camerariorum, nec eorum iudiciis subiacebunt, nec ad eos citabuntur: omne autem ius eisdem abbati et conventui monasterii sepe dicti conferimus in bonis memoratis quod nobis conpetit vel conpetere in eis videbatur, iure proprietatis perpetuo possidendum. Actum et datum in Brezt anno Domini M.CC.LXXXIX, Indictione secunda, in festo beati Adalberti. Testes sunt: Nicolaus palatinus Kalisensis, Boguzlaus castellanus de Usce, Phalo castellanus de Scharncov, Nicolaus subcamerarius, Mathias iudex de Brezce in Cuyavia, et dominus Tilo prepositus de Santok. Datum per manus notarii curie nostre. In cuius rei testimonium et perhennem memoriam, presentem paginam ipsis dedimus sigilli nostri munimine roboratam.

Wyszogród, *niegdyś gród w bliskości wsi Górne Strzelce, w okolicy m. Fordon.* Byssovia, *Byszewo.* Wladislaviensis, *de Włocławek.* Transchacz, *Trzęsacz.* Meydeburgensis, *de Magdeburg.* Brezt, *Brześć kujawski.* Usce, *Ujście.* Scharncov, *Czarnków.* Santok, *Santok.*

Nr. 638.

Iacobus archiepiscopus ecclesie Gneznens. 1289 Aug. 15, Gnezne; ad petitionem Nicolai heredis de Kobylin palatini Kalissiensis, in hereditate praedicta ecclesiam erigi, et de sustentatione eiusdem provideri facit.

Łukaszewicz, Krótki opis kościołów etc. I, p. 168.

In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Iacobus Dei gratia archiepiscopus ecclesie Gneznensis significamus quibus expedit universis tam presentibus quam futuris presentium notitiam habituris, quod strenuus vir dominus Nicolaus palatinus Calissiensis, heres de Kobylino, in nostram venerabiliumque dominorum Capituli Gneznensis infrascriptorum accedens presentiam humiliter nobis supplicavit, ut in oppido suo Cobylino, alias Venetia, ecclesiam dignaremur facere, de novo erigi et fundari; ad cuius nos petitionem humiliter factam diligentem, ecclesiam ibidem in Cobylino, alias Venetia, ad honorem omnipotentis Dei et ad laudem

sancti Stanislai martyris atque pontificis gloriosi fecimus fundari per nostrum suffraganeum (sic) Puritz (sic) et erigi. Idem vero strenuus vir Nicolaus palatinus, pro sustentatione eiusdem ecclesie, ut eo melius et commodius ipse rector ecclesie, qui pro tempore fuerit ad illam institutus, valeat diligentius intendere (divinis officiis) salubriter peragendis, in villa eadem dicta Cobelino, que iacet ante foras dicti oppidi Cobelino, duos mansos et duos hortos ante oppidum iacentes donavit. Nos vero Iacobus Dei gratia archiepiscopus sancte ecclesie Gneznensis, attendentes desiderabilem diligentiam ad predictam ecclesiam, in oppido Cobelino per nostrum suffraganeum nostro ex mandato erectam et fundatam, strenui militis Nicolai palatini Calisiensis, una cum consensu nostri Capituli Gneznensis addimus, adtribuimus et adiungimus perpetuis temporibus per presentes, villas pro regimine dicte ecclesie rectoris qui fuerit canonice institutus: primum villam Cobelino cum missalibus, Smolice cum missalibus et fertonibus, Chwalenice cum missalibus. In predicto vero oppido Cobelino, fertones cum missalibus grossosque in eo tabulares. Ad maiorem vero sustentationem rectoris predicte ecclesie in Cobelino, de nostra gratia Capitulique nostri Gneznensis cum consensu addimus fertones in Targoszyce ac etiam in Zakrzewo, que prope se iacent limitibus. Ne autem huic erectioni et donationi aliquis possit calumniare, aut valeat, videlicet causa odii, per aliquam malitiam obviare, presentem literam nostri sigilli et Capituli munimine, et cum nominibus eorum qui huic erectioni et donationi interfuerunt, iussimus roborare. Datum Gnezne die Assumptionis virginis Marie presentibus his testibus: dominis abbate de Lubin, Petro archidiacono Crusviciensi, Paulo scolastico Gneznensi, Iohanne fratre de Lubin, et aliis quam plurimis prelatis et canonicis totius Capituli ecclesie Gneznensis, testibus fide dignis. Anno millesimo ducentesimo octuagesimo nono.

Kobylino, *Kobylin.* Villa Cobelino, *Stary Kobylin.* Smolice, *Smolice.* Chwalenice, *może Wolenice.* Targoszyce, *Targoszyce.* Zakrzewo, *nie odgadnione, może dziś Zalesie.* Lubin, *Lubin.* *(N. b.* suffraganei *w znaczeniu powyższem, istnieją dopiero od XVI w.)*

Nr. 639.

Premisl secundus dux Polonie 1289 Aug. 25, in Gnezna; dotat hereditates Petri Winiarczyk, dictas Wangelniczi et Lagewniczi, qui sibi, dum a duce Boleslao separari cupiens castrum Gneznense furtive exiret, auxilium praebuerat, plurimis libertatibus et immunitatibus.

Transsumpt potwierdzony przez królów Zygmunta I i Zygmunta III, zachowany w Archiwum Konsystorza Poznańskiego. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 72.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod intuentes fidelia grataque obsequia dilecti ac specialis ministri ac servitoris nostri, Petri dicti Winiarczyk, que nobis exhibuit hactenus et semper exhibere est paratus; precipue considerato ipsius servicio quod exhibuit nobis in ardua nostra necessitate constitutis, dum a patruo nostro bone memorie duce Boleslao separari cuperemus, furtive castrum Gneznense exeundo

domum ipsius petivimus: qui de nocte consurgens, gratanter et fideliter nos suscipiens, universa necessaria ministravit, extra civitatem Gneznensem sub omni tranquilitate educendo. Nos vero tantorum beneficiorum memores, volentes sibi et suis posteris ac successoribus in aliquo consolacionis munere respondere, hereditates ipsius has: Wangelniczi et Lagewniczi, sitas ante civitatem memoratam Gneznensem, eximimus et absolvimus perpetuo a narzas, a povoz, a prevoz (sic), a stroza, a podvorove, a bove, a vacca, ab opole, a porco, a curru feni, a capete siliginis, a castri citacione, ab omni expedicione, a poncium quorumlibet et castrorum edificacione. Et si quis pro quacunque causa incolas dictarum hereditatum citare voluerit, ipsos ad nostram presenciam littera nostra, sigillo aut annulo evocabit. Et si, peccato exingente, inter ipsos homicidium perpetratum fuerit, in hereditatibus predictis aut in alio quolibet loco, predictus Petrus cum suis successoribus habeant iudicare, et penas integraliter ac fructus iudicii percipere ex integro. Sint eciam immunes a contribucionibus quibuslibet, factis et faciendis in dominio nostro; si que posite fuerint, dictus Petrus ipsas percipiat et sui successores. Liberamus preterea eos a recepcione nostrorum et aliorum venatorum, et ab omnibus aliis vexacionibus, exaccionibus, solucionibus, que nunc in terris nostris sunt et processu temporis poterunt exoriri. Preterea, ut in omnibus suo desiderio et voluntati faciamus sufficienter, sepedictas hereditates dictum Petrum et successores eius, quandocumque ipsis videbitur expedire, liceat iure Theutonico locare, quod ipsis plenarium concedimus. Et omnes causas magnas et parvas, sive exigant membrorum mutilacionem, seu capitis amputacionem, seu pecunie percepcionem, absque nostro assessore aut landwoyte cum suis iudicent scoltetis, iudicata percipientes ex integro; nec aliquam contribucionem, sive fuerint iure Theutonico sive Polonico locati, cives Gneznenses racione civitatis aut alia qualibet occasione eos ad solucionem compellant: cum eas hereditates ab omni iure civitatis Gneznensis, ita quod ad ipsas nichil penitus habeant, liberas volumus esse et immunes. Subsidia aliasque exacciones, currus ad expediciones oneratos, si in villis dari iusserimus Theutonicalibus, prefate hereditates in nullo teneantur; sed predictus Petrus de dictis disponat cum suis successoribus et ad usus proprios convertat. Scoltetos villarum Theutonicarum dum ad expedicionem mandaverimus, mandatum minime arceat; sed scolteti villarum predictarum cum suis hominibus sint suis serviciis integraliter obligati. Et ne super his omnibus dubitetur in posterum, presentes conscribi fecimus ac sigilli nostri appensione communiri presentibus hiis testibus: Beniamino palatino Poznaniensi, Wyerzbyata castellano de Wschow (sic), Nicolao subdapifero Calisiensi, et Grabia subthesaurario nostro. Datum in Gnezna in crastino beati Bartholomei, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo nono, per manus Iasconis notarii curie nostre.

Winiarczyk, *może zam. de Winiary, osada przyległa miastu Gniezno.* Wangelniczi *i* Lagewniczi, *w bliskości miasta Gniezna nie odgadnione.* Wschow, *Wschowa.*

Nr. 640.

Przemizl secundus dux Polonie 1289 s. d., in Kalis; confert civitati Kalisz omnes apothecas institorias, quae in circulo fori ibidem possint aedificari.

Pergam. orygin., w jednem miejscu kawałek pergaminu wydarty. Na niciach jedwabn. wyblakł. przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXI).

Warszawa. Biblioteka prywatna. Dyplomata.

In nomine Domini amen. Humani generis actiones perpetua memoria indigentes plerumque ab hominum noticia dilabuntur, que scripturarum seu testium munimine non renovantur. Igitur nos Przemizl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod civitatem nostram Kalisiensem et omnes ipsam inhabitantes pro aliis nostris civitatibus speciali dilectione et pio prosequentes affectu, pro reformacione eiusdem civitatis pias et condignas preces *(10 lit. des.)* Henrici videlicet advocati ibidem, iuratorum et consulum quorum nomina subsecuntur: Thilonis de Tlokina, Cunczonis, Theodrici, Waltheri, Arnoldi, Rytholphi, Janussii, Rudgeri, Henrici, Petri, Cunradi, Hecardi, admittere cupientes, omnes apotecas institorias que in circulo fori possunt edificari, ad usus et in reformacionem nostre civitatis supradicte integraliter in perpetuum cum suis usibus convertantur: excepto, quod advocato nostro Henrico superius dicto et suis successoribus, iure hereditario sextam apotecam cum pleno usu in perpetuum admisimus libere possidere. Ut autem nostra donacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus roborandam presentibus hiis testibus: comite Nycholao palatino Kalisiensi qui huius negocii fuit fidelis procurator, comite Ubislao subcamerario Kalisiensi, domino Thylone preposito de Santok. Datum in Kalis anno gracie Domini M.CC.LXXX nono per manus domini Iasconis notarii curie nostre.

Tlokina, *Tłokinia.* Santok, *Santok.*

Nr. 641.

Premislz secundus dux tocius Polonie 1298 (sic) Sept. 29, in Kalis; concedit comiti Petro Prusinowski ius Theutonicum in hereditatibus eiusdem, dictis Kobierno, Tomnice et Prusinowo.

Warszawa. Archiw. główne. Ks. M. 35, fol. 504.

In nomine Domini amen. Nos igitur Premislz secundus, Dei gracia dux tocius Polonie, notum facimus tam presentibus quam futuris ad quos presens scriptum devenerit, quia respicientes servicium fidele comitis Petri Pruszinowski filii Thome dicti Pruszinowo, damus sibi in hereditate sua, videlicet in Thomino, in Coberzno, et Pruszinowo quod iacet prope magnam silvam, cum omni silva que aspectat ad predictam hereditatem, omnia iura Theutonicalia, sibi et suis fratribus et successoribus suis natis et nascendis, perpetuo eaque habere. Item damus eis omnia iura Theutonicali modo iudiciaria pro homicidio sive pro furticinio; quod nec homines eorum nunquam

respondere pro homicidio aut furticinio vel qualiscumque causa acta fuerit in predicta hereditate, ipsos liberos facimus et solutos. Quod nec circa iudicium eorum, nullus noster nunctius debeat presens esse. Item confirmamus eis omnes utilitates, quas predecessores eorum habuerunt in venacione ferarum, sive in porcis vel in hinulis vel in leporibus aut in cervis, vel qualescunque feras mactare possunt tam remote, quod ad nocturnum domum redire possint. Alioquin damus eis etiam in gades suas mittere scrophas sive porcos ad pascendum de alia hereditate, sive de aliis hereditatibus, et sibi utilitatem recipere. Item facimus eandem hereditatem nominatam ita liberam, quod de omni mandato castrensi et solucione terrigenali, sive de porcis aut de vaccis aut de bove et de mensura frumentali, ex toto liberam facimus et solutam, et hoc nostra bona voluntate et per consilium nostrorum baronum. In cuius rei testimonium, hanc litteram nostro sub sigillo scribi precipimus (sic), scilicet per Berwoldum filium Alberti castellanum Calissiensem, et per Rosconem Stognyewowic venatorem Calissiensem, et per comitem Marcussium Lutognewowic castellanum Bechowiensem, et per comitem Vithkonem Wenceslawowic, et per Victorem flodarium Calissiensem. Datum in Kalis in die beati Michaelis, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo (sic).

Pruszinowski, *de Prusinowo.* Thomino, *Tomnice.* Cobersno, *Kobierno.* Bechowiensis, *de Biechów.*

Nr. 642.

Secundus Premizl dux Polonie 1290 Ian. 18, in Dlusco; dat Zdislao hereditatem Kamień, iure Theutonico locandam.

Pergam. orygin. W założonym dolnym brzegu dwa wcięcia poprzeczne od przywieszenia jednéj pieczęci.

Warszawa. Archiwum Główne, Dyploma Nr. 613. — Stronczyński, Wzory, Nr. 18.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assertio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod statum terre nostre in melius reformare cupientes, hereditatem nostram que Camon vulgariter nuncupatur, eidem hereditati alias adiungentes hereditates, videlicet Golcenice, Neglono et Voynovice sub uno circuitu, eandem hereditatem Sdeslao et suis successoribus dedimus iure Theutonico locandam. Racione autem sue locacionis, eidem sextum et septimum mansum liberum dedimus, iure hereditario cum omnibus utilitatibus in perpetuum possidendos. Damus eciam eidem liberum molendinum, thabernam liberam, unum macellum carnificum et pistorum, borram cum mellificiis; in eodem vero rivulo molendina construat quotcunque sibi videbitur expedire: et hec omnia pacifice ac libere possidenda. Habeat eciam silvam libere, ita quod nullus eandem silvam pro utilitatibus vel pro necessariis intrare presumat, nisi de ipsius speciali fuerit voluntate. Eisdem incolis infra spatium octo annorum dantes libertatem ab omni solucione Polonica; elapsa autem libertate, incole eiusdem hereditatis de manso quolibet duas mensuras tritici, sex siliginis, quatuor avene cum fertone argenti usualis,

pro censu et decima in magnam mensuram solvere tenebuntur singulis annis in festo beati Marthini confessoris. Prefatam vero locationem eidem Sdeslao vendidimus pro quadraginta marcis argenti usualis tali iure, prout alie ville in terra Kalisiensi sunt locate. Volumus eciam, ut advocatus Kalisiensis ad eandem villam et ad scultetum nullum penitus habeat respectum. Habeat eciam liberam venacionem in leporibus et perdicibus, parvas et magnas causas iudicet, eorundem iudicorum (sic) tertium denarium cum suis successoribus integraliter percipiendo. Unum currum cum quatuor equis nobis mittere tenebuntur, cum per procuratorem nostrum ad necessitates nostras fuerint exquisiti. Protestamur eciam, quod filius ipsius sculteti nomine Iohannes, cum fratre suo Bogufalo tertiam partem eiusdem obtinuit scultetie superius nominate. Ut autem nostra donacio et vendicio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam presentibus hys testibus: comite Nycolao subdapifero Kalisiensi, comite Ubislao subcamerario Kalisiensi, comite Nycolao subcamerario Gneznensi, domino Victore procuratore Kalisiensi. Datum in Dlusco anno Domini M.CC.LXXXX, in die beate Prisce virginis.

Camon, *Kamień*. Golcenice, Neglono, Voynovice, *osady znikłe*. Rivulus *p. w. Kamień, dziś Lubianka strum*. Dlusco, *Dłusk*.

Nr. 643.

Premisl secundus dux Polonie 1290 Apr. 20, in villa Bartosevici; iungit, quantum ad ius Theutonicum, villam Domachowo hereditati Iohannis episcopi Poznaniensis, dictae Zimnowo.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny czerwony, z którego pieczęć znikła.
Poznań. Archiv. Capituli I, 25.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod piis ac condignis peticionibus wenerabilis patris nostri domini Iohannis episcopi Poznaniensis in omnibus satisfacere cupientes, sortem Woycechonis dicti Ocasanech, que Domachovo vulgariter nuncupatur, quantum ad ius Theutonicum, iungimus hereditati domini episcopi eiusdem que Zimnovo dicitur in vulgari; exementes ipsam sortem ab omni exactione Polonica que nostro dignoscitur dominio pertinere, videlicet a castri citacione et ab aliis omnibus solucionibus, quibuscunque nominibus censeantur. In huius rei testimonium, presentem litteram nostri sigilli munimine fecimus roborari presentibus his testibus: comite Nicolao palatino Kalisiensi, comite Gnevomiro iudice Poznaniensi, domino Thilone preposito de Santok. Datum in villa Bartosevici XII Kalendas Maii, anno gracie Domini M.CC. nonagesimo, per manus Iasconis notarii curie nostre.

Domachovo, *Domachowo*. Zimnovo, *nie odgadnione, może Ziemlin, lub Siemowo*. Santok, *Santok*. Bartosevici, *Bartoszewice*.

Nr. 644.

Premisl secundus dux Polonie 1290 Apr. 24, apud Gneznam; confirmat commutationem hereditatis Iacobi archiepiscopi Gneznensis, dictae Piekarty, cum hereditate Nicolai militis, dicta Złotniki.

Pergam. orygin., w którego dolnym, założonym brzegu pasmo nici jedwabn. żółt. przez dwa wcięcia poprzeczne przewleczone, ostrem narzędziem odcięte.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 49.

In nomine Domini amen. Quia gestis mortalium consuevit plerumque calumpnia novercari, provida veterum adinvenit studiositas, ut ea que aguntur in tempore, ne cum tempore pariter elabantur, apicum testimonio ad perhennem memoriam et futurorum noticiam transferantur. Hinc est quod nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus tam presentibus quam futuris presentium noticiam habituris, quod venerabilis pater dominus Iacobus Gneznensis archiepiscopus et Nycolaus miles noster filius Abrahe in nostra presencia constituti, suarum hereditatum infra scriptarum talem fecerunt ordinationem sive commutationem: quod idem venerabilis pater recepit ab eodem Nicolao hereditatem ipsius Luccovo vulgariter nuncupatam, que alio nomine Zlotnici vocatur ex eo, quod nostri ducales aurifabri olim resederint in eadem; quam hereditatem eidem Nicolao pro suis fidelibus contulimus serviciis, sitam in kastellania Lendensi. Dans eidem Nicolao prefatus pater venerabilis hereditatem suam Pykardovo vulgariter nuncupatam, sitam iuxta nostram Doprzam in kastellania Kalysiensi, cum omnibus utilitatibus, pratis et silvula adiacente, sicut ipse primitus pacifice possedit eandem. Quam commutationem nos ratam habentes acceptavimus, et utrique ipsorum supradictas hereditates duximus liberaliter confirmandas. In cuius rei testimonium et robur, sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum apud Gneznam anno Domini M.CC. nonagesimo, in crastino beati Adalberti gloriosi pontificis et martiris, presentibus hiis nobilibus et dominis: comite Ubislao pincerna Kalisiensi, Syxto filio Virbente, Ianusio filio Peregrini, Philippo scolastico Gneznensi, Thilone preposito de Zanctoch, Iescone notario curie nostre, et aliis quam pluribus.

Luccovo, alio nomine Zlotnici, *dziś Złotniki.* Lendensis, *de Ląd.* Pykardovo, *Piekarty.* Doprza, *Dobrzec.* Zanctoch, *Santok.*

Nr. 645.

Henricus dux Slesie etc. 1290 Iun. 23, in Wratislavia; testamentum condit.

Wrocław. Archiv. Capituli. Liber niger fol. 348. — Stenzel, Bisthums-Urkunden pag. 252.

In nomine Domini amen. Cum extrema gaudii luctus occupare consueverit post mundi gaudia, futuris ex morte luctibus prudenter occurritur, si de terreni summa peculii provide disponatur. Nos igitur Henricus Dei gracia dux Slesie, Cracovie et Sandomirie, corporis langwore contriti, licet infirmi corpore, sani tamen mente et

soliditate racionis incolumes, cupientes functionis extreme terminum condigne disposicionis eulogio prevenire, huiusmodi condimus testamentum. Primumque, in terra Slesie totoque Wratislaviensi dominio, quondam (sic) ad nos sive ex paterna sive ex patrueli successione devenerat, carissimum fratrem nostrum Henricum ducem Slesie ac dominum Glogovie ex asse et in totum instituimus heredem. In terris vero Cracovie et Sandomirie, quarum dominium ad nos racionabiliter et rite multis sumptibus et magno labore pervenit, dominum Primizlaum ducem Maioris Polonie facimus et deputamus heredem; commitentes nostris baronibus, militibus et vasallis, advocatis et civibus, et generaliter subditis omnium terrarum nostrarum, sub fide nobis prestiti iuramenti, quatenus predictis nostris heredibus in suis partibus obtemperent et subsint concorditer, tamquam nobis. Volumus autem et sub fidei commissi lege precipimus heredi nostro per Slesiam instituto, quatenus, utprimum corporalem possessionem terre nostre fuerit assecutus, totam terram Croznensem, prout sibi olim per nos extitit assignata, cum eisdem metis et terminis filio sororis nostre Frederico, Thuringorum landgravio, in suum ius suumque dominium representet, ipsumque inducat in possessionem terre predicte, nec non protegat et tueatur inductum. Rogamus, volumus et mandamus, ut predictus frater noster dux Glogovie, heres noster, uxorem nostram sua benignitate respiciat, ipsique civitatem Nampzla cum territorio adiacenti nec non quadringentarum marcarum redditus, nomine et vice nostri, assignet; que bona seu redditus eidem nostre coniugi pro sustentacione ipsius duximus assignandos, tenendos et possidendos temporibus vite sue, secundum cosuetudinem et morem bonorum, que vocantur Lypchedinge. Volumus et rogamus, ut omnia onera debitorum nostrorum ipse dux Glogovie, heres noster, in se suscipiat eaque persolvat, in quibus nos rite constiterit obligatos, secundum creditam sibi fidem. Mandamus atque precipimus utrisque heredibus nostris: si quas possessiones et bona mobilia aut immobilia nos constiterit violenter quippiam (sic) abstulisse, eadem sine mora et difficultate restituant, ut primum de hoc eisdem fuerit facta fides. Terram vero Glazensem regi Bohemorum mandamus restitui, ita tamen, ut ipse rex heredes nostros, et specialiter successorem nostrum in Slesia, contra quoslibet invasores in suis iuribus protegat. Civitatem vero Brunow cum adiacente districtu, abbati de Brunow mandamus restitui, ad quem de iure dicitur pertinere. Et ut seminantes terrena, celestia metamus, mandamus atque precipimus ipsi duci Glogovie fratri nostro, ut in loco nativitatis nostre, in antiqua videlicet area patris nostri, monasterium sanctimonialium fundet atque constituet in honore Virginis gloriose. In quo quidem cenobio collocentur moniales et virgines, centum numero, Cisterciensem Ordinem profitentes, adiunctis eisdem viginti fratribus qui familiares dicuntur, sicud optinet Ordinis consuetudo, exceptis conversis qui ibidem fuerint oportuni. Predicte vero moniales taliter sint incluse, quod nunquam eis egredi liceat extra septa. Ad sustentacionem autem monialium predictarum, mandamus, eisdem per heredem nostrum, predictum ducem Glogovie, assignari mille marcarum redditus in hiis villis, videlicet Knegenicz et Senicz, Panthenow, nec non omnia bona que dominus Bernardus Misnensis ecclesie maior prepositus, noster cancellarius, ad vite sue tempora a nobis tenuit et possedit; que omnia ad ipsum cenobium post mortem prepositi supradicti volumus deputari, videlicet villam Malewicz prope Bregam, Iordansmol, Olesna, Heydenrichdorph, Tomnicz in territorio Nympczensi, preterea villam Wulebruke prope Rychenbach. Deputamus nichilominus eidem monasterio censum camerarum nostrarum in Wratislavia, nec non villas que vocantur rathaicales

circa civitatem nostram Olesnicz constitutas, videlicet Iencowicz, Dambrowe, Rathay, Corslicz, Smarsowe. Et si per assignacionem villarum superius expressarum non possent ad plenum mille marcarum redditus integrari, volumus et mandamus, ut predictus dux Glogovie, heres noster, defectum ipsorum reddituum suppleat atque redintegret secundum creditam sibi fidem. Petimus et iubemus, ut eidem monasterio assignentur allodia quatuor, quorum quodlibet contineat sex aratra. Mandamus atque precipimus, ut eidem monasterio sit annexum, secundum Ordinem Cisterciensem, hospitale. Volumus insuper et mandamus, ut predicte ville et bona que sepefato monasterio assignavimus, plenam et omnimodam habeant libertatem, ita quod exactionibus, angariis et perangariis quibuslibet sint exempta. Preterea volumus, ut idem claustrum iudicium tam in causis maioribus obtineat quam in parvis. Ipsi insuper fratri nostro commendamus ecclesiam sancte Crucis, mandantes atque rogantes, ut eandem ecclesiam in suis possessionibus atque iuribus tueatur. Volumus eciam, ut canonicis sancte Crucis pro cottidianis distribucionibus assignentur annis singulis sexaginta marce et sexaginta maldrate, quas ipsis in predictis villis rathaicalibus duximus assignandas, non obstante, quod easdem villas supradicto monasterio monialium mandavimus primitus assignari: volumus enim, ut in ipsis villis eatenus defalcetur eidem monasterio monialium, quatenus contingit distribuciones cottidianas ecclesie sancte Crucis. Et quia in remissionem peccatorum nostrorum signari voluimus signaculo sancte crucis, in redempcionem voti nostri assignavimus mille marcas argenti in subsidium Terre sancte, quas per ducem Glogovie fratrem nostrum pariter et heredem mandamus exsolvi. Volumus insuper et iubemus, ut dux Polonie, noster heres per terras Cracovie, ad ecclesiam sancti Wenzeslai in Cracovia pro novo monasterio construendo distribuat centum marcas auri. Preterea ornatum, libros et res quascumque Cracoviensis et Tinciensis ecclesie restitui volumus per quoslibet detentores. Assignamus eciam quingentas marcas argenti ad opus ecclesie sancte Crucis. Libertates et beneficia collata ecclesiis in nostro dominio constitutis, prout in literis specialibus continetur, per nostros heredes volumus et mandamus ob Dei reverenciam et nostre salutis amorem inviolabiliter observari, rogantes, ut famulis camere nostre heres noster sepedictus dux Glogoviensis ducentas marcas distribuat secundum merita cuiuscumque. Petimus insuper et eligimus sepulturam in fundacione nostra quam fecimus ob reverenciam sancte Crucis; processu vero temporis, dum volente Domino monasterium predictarum dominarum monialium fundatum fuerit et constructum, ut extumbentur ossa nostra et in eodem monasterio sepeliantur, ibidem communem resurreccionem prestolantia mortuorum. Preterea volumus, ut per moniales in Thussnewicz de fundacione neptis nostre, bone memorie Constancie regine Bohemie, claustrum nostrum ut prediximus instauretur. Rogamus suppliciter venerabilem patrem dominum nostrum Wratislaviensem episcopum, ut hanc nostram ultimam voluntatem pro sue dignitatis officio dirigat, roboret, exequatur; ita quod, si dicti heredes nostri in huius disposicionis execucione sibi commissa, remissi, desides aut negligentes apparerent, ipsius domini episcopi potestate ordinaria compellantur ad hoc testamentum perfecte et legaliter exsequendum. Hoc igitur testamentum et nostram ultimam voluntatem, in fidelium et baronum nostrorum presencia ordinatum, a nostris heredibus volumus inviolabiliter observari; quia, si quis arbitrii nostri contemptor hoc infringeret, successione nostra se noscat indignum. Acta sunt hec in Wratislavia in camera nostra, presente domino Bernhardo preposito Misnensi cancellario nostro, Petro preposito sancte Crucis, Iohanne decano sancte Crucis, baroni-

busque nostris: Symone Gallico, Nankero, Henrico de Wysemburck, Polzcone, Schamborio, Pacozlao, Gunthero de Biberstein, Lodowico prothonotario Slesie, Bogussio de Pogrell, et aliis nostris quam pluribus fidedignis. Datum per manum Gisilheri notarii anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, in vigilia sancti Iohannis Baptiste. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum presentibus dignum duximus appendendum.

Terra Croznensis, *de Krośno.* Nampzla, *dziś Namslau.* Glazensis, *de Glatz.* Brunow, *dziś Braunau w Czechach.* Brega, *dziś Brieg.* Nympczensis, *de Nimptsch.* Rychenbach, *Reichenbach.* Olesnicz, *dziś Oels.* Tinciensis, *de Tyniec.* Thussnewicz, *dziś Tischnowitz.*

Nr. 646.

Iohannes Poznaniens. episcopus 1290 Iun. 30—Iul. 5, Poznanie; ecclesiam in Mieszków consecrat, et decimas de duabus villis eidem donat.

Poznań. Archiv. Consistorii. A. C. anni 1543—1545.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Cura constringimur officii pastoralis, ut ecclesiarum nobis commissarum mere mentis studio vigiliter intendamus; tunc autem earum profectibus intendimus, si ministros ipsarum, ne propter defectum necessariorum egere compellantur, affectu benivolo assurgamus. Hinc est quod nos Iohannes, miseracione divina Poznaniensis episcopus, ob reverenciam Domini nostri Ihesu Christi ecclesiam in Myeskovo consecravimus in honorem Omnium Sanctorum, adiicientes predicte ecclesie de consensu nostri Capituli perpetuo decimas infrascriptas pro sustentacione sacerdotis ibidem, videlicet Byelyeywo et novellam villam Iwani militis et filiorum eius, que Volycza nuncupatur vulgariter. In cuius rei testimonium, presenti scripto nostrum et nostri Capituli sigilla duximus apponenda. Datum Poznanie presentibus dominis: Vincencio preposito, Gregorio decano, Alberto scolastico, Henrico archidiacono, Iohanne cantore, Thoma custode, Iohanne archidiacono Gneznensi et aliis canonicis nostre ecclesie Poznaniensis, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, infra octavas Petri et Pauli apostolorum.

Myeskovo, *Mieszków.* Byelyeywo, *Bielejewo.* Volycza, *Wolica.*

Nr. 647.

Premizlius dux Polonie etc. 1290 Aug. 24, Cracovie; Alberto decano Cracoviensi 100 marcas argenti de media parte proventuum zuppae Cracoviensis confert.

Fr. Piekosiński, Kodeks Katedry Krakowsk. I, Nr. 91. (Z pergaminu orygin., u którego od przywieszonéj niegdyś pieczęci pozostało pasmo jedwabiu żółtego i zielonego).

In nomine Domini amen. Quod generosa principum maiestas facit et ordinat sanctiendo, permanet inconcussum, si a scripto testium et testimonio litterarum

perhenne recipit munimentum. Proinde tam presens etas noverit quam futura, quia nos Premizlius Dei gratia dux Polonie et Cracovie, attendentes diligencius per nobilem et discretum virum dominum Albertum decanum Cracoviensem servicia nobis et nostris terris impensa fideliter et frequenter, aliasque sue fidelitatis devocio nobis affuerit cum effectu: ob remuneracionem tantorum eius obsequiorum nobis hactenus impensorum, cum ipso de grato consensu pariter et assensu, benivolo favore ac unanimi voluntate omnium Cracoviensium baronum facientes hanc gratiam specialem, eidem domino Alberto decano damus, conferimus et donamus pure, simpliciter, libere ac irrevocabiliter centum marcas boni fusi argenti de media parte suppe tocius Cracoviensis, que media pars seu porcio nos contingit, semper annis singulis integre absque diminucione aliqua persolvendas, dantes ei liberam facultatem, eandem gratiam seu centum marcas predictas vendendi, donandi, permutandi, et quocumque modo cuicumque placuerit alienandi. Preterea damus sibi plenam et perfectam potestatem, ius et auctoritatem nostram in ipsum transferentes, ut supparios et quoslibet impeditores solucionis earumdem marcarum valeat impignerare et eciam cohercere, donec sibi earumdem denarius marcarum novissimus exsolvatur. Igitur ut hec nostra donacio, quam sepedicto domino Alberto decano facimus et donamus iure perpetuo possidendam et quicquid ei placuerit de ipsa cuicumque faciendum, robur perpetue obtineat firmitatis, nec a quoquam in posterum valeat violari, ad ipsius evidenciam cerciorem et evidens testimonium, prehabito domino Alberto decano hanc litteram contulimus nostri sigilli munimine roboratam. Actum publice Cracovie anno Domini M.CC.LXXXX, Indictione IIII, IX Kalendas Septembris, presentibus hiis: comite Zegotha castellano Cracoviensi, domino Procopio cancellario Cracoviensi, domino Andrea cancellario Poznaniensi et Kalissiensi, comite Nycolao palatino Cracoviensi, comite Nycolao palatino Kalyssiensi, comite Beroldo castellano Kalyssiensi et aliis quam plurimis.

Nr. 648.

Secundus Premisl dux Polonie etc. 1290 Sept. 6, Cracovie; dat Gerardo civi Cracoviensi civitatem Domus s. Sepulchri, dictam Miechów, de iure Polonico in ius Theutonicum transferendam.

Nakielski. Miechovia, pag. 214.

In nomine Domini amen. Quod magnifica principum decrevit auctoritas, ratum debet atque stabile permanere. Nos itaque secundus Premisl Dei gracia dux Polonie et Cracovie presentibus profitemur, quod cupientibus nobis statum terre nostre Cracoviensis in condicionem transferre meliorem, civitatem Mechov iure sitam Polonico, de consensu et voluntate domini Petri eiusdem loci prepositi, domini Henrici custodis, Boguphali prioris et aliorum fratrum eiusdem domus, Gerardo civi nostro Cracoviensi dedimus et contulimus iure Theutonico collocandam secundum ius et consuetudinem Novi fori. Ratione igitur locacionis, idem Gerardus cum suis posteris decem mansos liberos, sextam curiam in civitate liberam, et sextum ortum circa civitatem similiter liberum, tercium denarium de iudicio liberum de causis quibuslibet condemnatis (sic), scamna pannum et sutorum libera, stubas balneares quotquot habuerit necessarias similiter liberas, molendinum liberum, cuius medietas tamen ad

predictam domum Miechoviensem cum omnibus utilitatibus pertinebit, mactatorium quod vulgariter kutelhoff vocatur liberum, in perpetuum possidebit. De omnibus quoque maccellis carnium que in dicta civitate fuerint locata, prefate domui Miechoviensi viginti lapides sepi annis singulis persolvantur. Mercatorium eciam in quo panni venduntur, et apotecas institorum, dicto advocato et suis posteris concedimus in predicta civitate libere construendas. Concedimus eciam dicto Gervardo facultatem plenam querendi et iudicandi maleficos iuxta sui criminis qualitatem; et arduas causas qualescunque de hominibus palatinorum et castellanorum et aliorum baronum, in civitate seu territorio predicto exortas, idem advocatus iudicet, rescisis omnibus calumniis, que possent ex parte potentum (sic) suboriri in his causis. Adiicimus eciam, ut si metallum novum emerserit, ipse advocatus sibi et monatano (sic) potestatem habeat occupandi, nostro tamen salvo iure et omnimoda porcione. Et ut homines ad dictam civitatem ardencius confluant et veniant ad manendum, damus ac concedimus dicte civitatis incolis, a data presencium, de agris cultis sex annorum, de incultis quoque decem annorum plenam et omnimodam libertatem, qua durante, ab omnibus solucionibus, exactionibus, serviciis et collectis, angariis et preangariis, et ab omnibus condicionibus Polonici iuris, stan, a podwoda, a podvozove, a podworove, a vacca, a bove, ab ove, a ciffo mellis, a castri citacione, a castellanis, a palatinis et eorum iudicibus et officialibus, et ab omnibus aliis gravaminibus predicte civitatis inhabitatores immunes permaneant et exempti. Volumus eciam, ut si advocatus vel civis civitatis predicte, per castellanos, per palatinos seu ipsorum iudices vel alios officiales qualescunque in iudicium fuerint evocati, omni iure alio abscisso, in iure tantum Theutonico respondebunt. Preterea statuimus, ut dicte civitatis cives nullas nobis expediciones faciant, nisi secundum formam et consuetudinem nostre civitatis Cracoviensis. Expleta quoque libertate, ea tantum servicia eiusdem civitatis nobis cives facere tenebuntur, que aliarum civitatum cives, iure Theutonico in terra nostra Cracoviensi locatarum, facere consueverunt. Adiicientes sepe dicto Gerardo suisque posteris sexcentos magnos mansos ad predicte civitatis territorium pertinentes, ut plenam habeant potestatem eos iure Theutonico collocandi, pro se et suis posteris in omnibus dictis mansis iure sibi scultecie plenius reservato. Universas eciam et singulas condiciones, quas sepe dictus advocatus a suis dominis: preposito, priore et custode ac aliis fratribus domus Miechoviensis obtinuerit, ratas et firmas et inviolabiles volumus observari. Et ut predicte civitatis cives ab hostium incursibus securius se valeant conservare, fossatis, muris, plancis seu munitionibus quibuscunque dictam civitatem concedimus communiri. Volumus eciam, ut dicte civitatis advocatus et cives ceterique villani in territorio ibidem iure Theutonico locati, per nullum camerarium nec officialem ad nostram citentur presenciam, nisi per nostram litteram, nostro annulo sigillatam. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presentes litteras scribi iussimus sigilli nostri munimine roboratas. Actum Cracovie anno dominice Incarnacionis M.CC.XC presentibus infrascriptis testibus ad hoc rogatis: comite Zegota castellano nostro Cracoviensi, comite Nicolao palatino Cracoviensi, comite Zegota pincerna Cracoviensi, comite Semyano (sic) dapifero Cracoviensi, comite Floriano venatore Clobucensi et comite Floriano thesaurario Cracoviensi. Datum per manus domini Bussilerii (sic), notarii curie nostre Cracoviensis, octavo Idus Septembris.

Mechov, *Miechów*. Clobucensis, *de Kłobucko*.

Nr. 649.

Premislius secundus dux Polonie Maioris etc. 1290 Sept. 8, Cracovie; Gerardo et Henrico dictis Borus, civibus Cracoviensibus, proventus przystaw nuncupatos confert.

Fr. Piekosiński. Kodeks Małopolski. Nr. 118. (Z kopji).

In nomine Domini amen. Cum a primi lapsu parentis cuncta sita sint in lubrico, nec quicquam sit procul a scripto quod aliquam perpetuitatis sibi spondere posset firmitatem, nos Premislius secundus, Dei gracia dux Polonie Maioris et Cracovie, ad omnium tam presencium quam futurorum noticiam pervenire volentes tam precone nostro Swentkone fecimus clamante promulgari, quam eciam vivaci literarum attestacione perhennari, quod fidelibus nostris ac nostris charissimis, Gerardo videlicet et Henrico Borusom, civibus Cracoviensibus, quorum fidem multiformem et fidelium serviciorum continuacionem, quam nobis et nostris antecessoribus multipliciter impenderunt suis rebus liberaliter et personis, quam plurimis didicimus experimentis laudabilibus, in retribucionem serviciorum volentes nostros fideles et servitores universos in beneficiis semper crescere et honore, munifice damus, tradimus et conferimus proventus et soluciones eas que vulgariter przistaw nuncupantur ipsis et eorum posteris, iure hereditario quiete, ritte et inviolabiliter possidendas in perpetuum et habendas, salvis porcionibus baronum et honorum (sic) curie nostre, utpote castellani Cracoviensis et eius qui dicitur woyszky, nec non parte prepositi beati Floriani, quorum porciones et partes proventuum universas non minuere, sed pocius ampliacionibus uberrimis liberalitate principali volumus adaugere. Verum, quia levitas condicionis humane, que tam principibus quam principum assessoribus inevitabilis proh dolor adiacet mutatrix, quam sepius servicia fidelium preterita et libertates munificencie principum retroactas, invidie suggestionibus cooperantibus ad hoc, falce insaciabilis avaricie consuevit desquamare, cupientes donacionem nostre magnificencie penes supradictos servitores nostros, G. et H. ac ipsorum posteros ita radicari, ne alicuius invidie ligonibus ab ipsis succidi queat aut evelli, racione cercioris evidencie presens scriptum nostri sigilli communimine nec non attestatione subscriptorum duximus communiri. Actum Cracovie anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, sexto Ydus Septembris, presentibus hiis: comite Segota castellano Cracoviensi, comite Beniamin iudice de Gnezna, comite Berwoldo castellano Kalisiensi, domino Andrea cancellario curie nostre datore huius privilegii et facti ordinatore, comite Stogneo venatore Kalissiensi nec non fratre suo comite Roscone.

Nr. 650.

Secundus Premislius dux Polonie etc. 1290 s. d., Cracovie; concedit omnibus villis monasterii de Tyniec ampla privilegia.

Kętrzyński, Kodeks dyplomat. klasztoru Tynieckiego Nr. 38. (Z pergam. orygin. z grubem pasmem nici jedwabn., czerwon., z którego znikła, podług transsumptu z r. 1408, pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXV). *Dyplomat uznany przez wydawcę za podrobiony).*

In nomine Domini amen. Nos secundus Premislius Dei gracia dux Polonie, Cracovie et Sandomirie notum facimus universis presens scriptum inspecturis, quod ob amorem Dei sancteque virginis Marie nec non apostolorum Petri et Pauli, qui in Tincia patrocinantur, damus et concedimus omnimodam libertatem super omnes villas Polonicas vel Teutonicas, absolventes eas seu incolas earum ab omnibus expedicionibus preter insultum paganorum, ab omnibus exaccionibus et solucionibus, videlicet a vacca, a ove, a stan, a povozove et sep; et ut ville dicti cenobii, que sunt multum desolate, denuo reformentur, prohibemus omnibus nostris baronibus, castellanis, palatinis, iudicibus et officialibus, quod non debeant homines dicti cenobii, sive sint ascripticii vel liberi, exceptis hereditariis questionibus, citare vel iudicare; si vero citati fuerint, non tenebuntur respondere. Et si ad nostre curie cognicionem iudicii et examen aliqua causa deducta fuerit, sicut est sboy, chøzba, glova, zaglovna, zestgriwen et trista, nullus omnino officialium vel suparum (sic) recipiet solucionem, nisi abbas vel aliquis per ipsum constitutus. In cuius rey testimonium, presentem paginam scribi fecimus, sigilli nostri munimine roboroatam (sic). Datum Cracovie anno Domini M.CC nonagesimo, presentibus corum (sic) nomina subsecuntur: dominus Procopius cancelarius, comes Nicolaus palatinus Calisiensis, comes Martinus castellanus de Malogosc, magister Miroslaus, comes Nicolaus tesaurarius, comes Boglo, dominus Petrus, per cuius manum transivit.

Tincia, *Tyniec.* Malogosc, *Małogoszcz.*

Nr. 651.

Premislius dux Polonie et Cracovie 1290 Sept. 12, Cracovie; decimam de media parte proventuum zuppae Cracoviensis, Paulo episcopo Cracoviensi eiusque successoribus confert.

Fr. Piekosiński. Kodeks Katedry Krakowsk. I, Nr. 92. (Z pergaminu orygin. opatrzonego pieczęcią Przemysława księcia; (pieczęć XXV), *wiszącą na pasmie jedwabiu żółtego i pąsowego).*

In nomine Domini amen. Quoniam lex Domini immaculata et irreprehensibilis, de omnibus licite acquisitis decimas tanquam tributum Deo fore precipit exsolvendas, quarum fraudatores aut violenti detentores veluti homicide in illo novissimo examine districto Dei iudicio dampnabuntur, nos Premislius Dei gratia dux Polonie et Craco-

[illegible] progeni-
[illegible] subsidiis
[illegible] totum fa-
[illegible] fideli-
[illegible] nostris
[illegible] episcopum
[illegible] totam de
[illegible] contingit,
[illegible] pure, libere,
[illegible] absque ulla
[illegible] pacifice et
[illegible] damus
[illegible] absit appa-
[illegible] etiam ipsi
[illegible] eiusdem
[illegible] Paulo hanc
[illegible] de
[illegible] sibi faci-
[illegible] pariter et
[illegible] no-
[illegible] XXXX.
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible] Cracovia:
[illegible] Cracoviensi
[illegible]

[illegible]

[illegible] quia vi-
[illegible] ipsamque
[illegible] reverenciam et honorem beatorum

Wencezlai et Stanyzlai pontificis, gloriosorum martirum, specialiter prosequentes, nichilominus eciam ob remuneracionem obsequiorum, que nobis venerabilis in Christo pater dominus Paulus eiusdem Dei gratia ecclesie antistes impendit multipliciter et frequenter, damus, conferimus, et titulo perpetue donacionis pure, libere et irrevocabiliter tradimus decimam totam, integre absque ulla diminucione, de tota media parte tocius suppe Cracoviensis, que media pars seu porcio nos contingit, ipsi domino Paulo episcopo et omnibus eius successoribus, causa ecclesie memorate possidendam pacifice ac tenendam et percipiendam certis terminis, annis singulis, nunc et in evum. Volumus enim et promittimus tam pro nobis quam pro nostris successoribus, dictam nostram donacionem, quam facimus de grato favore, benivolo assensu pariter et consensu ac unanimi voluntate omnium baronum Cracoviensium pro salute nostra et nostrorum progenitorum, semper ratam et firmam habere et tenere, et non contrafacere nec venire de iure, ingenio, causa aliqua sive facto, nec eam aliqua ingratitudine revocare. Volumus eciam quod, si supparii vel quicumque alii dictam decimam quocumque modo impediverint, liceat episcopo et suis successoribus tanquam nobis eos impignerare, et nichilominus tamdiu per censuram ecclesiasticam cohercere, donec eiusdem decime novissimus denarius presolvatur (sic). Dignum est enim, ut quemadmodum manet eternaliter honor Dei, sic, quod pro honore Dei et salvacione impenditur animarum, permaneat stabile in eternum. Quicumque autem hanc nostram donacionem infringere attemptaverit vel ei ausu temerario contraire, cum iniquis in districto examine recipiat porcionem. Ratam vero habentes, ratificantes et conservantes eandem donacionem, et hic utriusque hominis gaudeant sospitate, et in futuro felicitate continua perfruantur. In horum ergo omnium evidenciam cerciorem et evidens testimonium, ut robur perpetue habeant firmitatis, hanc literam sepedicto domino episcopo contulimus, nostri sigilli munimine roboratam. Actum publice Cracovie anno Domini M.CC.LXXXX, Indictione III, pridie Idus Septembris, presentibus hiis: comite Zegotha castellano Cracowiensi, comite Nycolao palatino Cracowiensi, comite Nicolao palatino Kalyssiensi, domino Andrea cancellario Kalyssiensi, Warcislao iudice Cracowiensi, Iohanne tribuno Cracowiensi, et aliis quam multis.

Nr. 653.

Premisl secundus dux Polonie et Cracovie 1290 Sept. 14, in Poznan; confirmat litteras, quas dederant monasterio Paradyż: **Bolezlavus dux Gneznensis et Premislo dux Poznaniens. 1278 Ian. 6, in Pobodis,** et insuper villam Mochy monasterio de Wieleń, praedicti filiae, confert.

Pergam. orygin. Nici jedwabne, wyblakłe, z których pieczęć znikła.

Poznań. Königl. Staats Arch. Priment 1.

In nomine Domini amen. Bone rei dare consultum, et presentis vite meretur habere subsidium, et eterne remuneracionis premium dinoscitur optinere. Nos itaque Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie et Cracovie, ad universorum tam presencium quam futurorum noticiam cupimus pervenire, quod litteras serenissimorum principum, dominorum Boleslay ducis Gnesnensis et Primislonis ducis Poznaniensis, pre-

decessorum nostrorum felicis recordacionis, non cancellatas, non abolitas, non rasas nec in aliqua sui parte suspectas, sed prorsus omni suspicione carentes, sub sanis et integris predictorum dominorum sigillis appendentibus vidimus et perspeximus; quarum quidem litterarum tenor de verbo ad verbum erat iste: *(Sequitur diploma Nr. 473.)*

Et quia secundum veridicam Salvatoris nostri relacionem: Nullus in futuro ad ipsius veri Agni eternum intrabit convivium commensalis, nisi is, qui in presenti dé virtutibus texuerit et pietatis operibus vestem sibi consuerit nupcialem: nos Premisl secundus, dux Polonie et Cracovie, karitativam pietatem habentes ad religiosos viros fratres Cysterciensis Ordinis, claustro Velen vulgariter nuncupato et fratribus ibidem degentibus, inspecta paupertate et devocione fratrum eorundem, donacionem comitis Benyamin et confirmacionem illustrium principum, dominorum Boleslay ducis Gnesnensis et Premislonis ducis Poznaniensis, principatus sui auctoritate et sigillorum suorum munimine, super hereditatibus premissis quiete et pacifice per claustrum Velen perpetuis temporibus possidendis, sub omnibus suis libertatibus et graciis confirmatas, ipsas per nos ratas et gratas habentes, presentis scripti patrocinio confirmamus, ratificamus, incorporamus et invisceramus; specialiter addicientes, quod sepefatum claustrum Velen, sepedictas hereditates et cetera omnia et singula bona, que per empcionem aut elemosinarum largicionem, aut principum, baronum vel aliorum Christi fidelium tradicionem comparaverit seu adipisci quovis modo potuerit, in toto dominio nostri principatus sub omnibus libertatibus, immunitatibus et graciis prenotatis perpetue possideat et quiete. Preterea, ad honorem redemptoris nostri Ihesu Christi simulque genitricis eius gloriose virginis Marie ob reverenciam, pro salute animarum progenitorum nostrorum et nostre, memorato claustro Velen hereditatem nostram Moch vulgariter nuncupatam, situatam in districtu Premantensi, cum omnibus suis utilitatibus, agris cultis pariter et incultis, silvis, nemoribus et rubetis, mellificiis, pratis, pascuis, aquis, paludibus, stangnis, lacis, molendinis, et generaliter cum omnibus pertinenciis prout in suis metis et terminis circumferencialiter est distincta, damus, conferimus et donamus ac proprietatis tytulo irrevocabiliter adunamus, pleno iure et dominio quiete ac pacifice perpetuis annis et seculis possidendam, tenendam et in ușus beneplacitos convertendam, prout dominis.. abbati,.. priori ceterisque fratribus eiusdem monasterii Velen videbitur conveniencius et utilius expedire. Volentes, ut eadem hereditas Moch ab omnibus exaccionibus, serviciis et solucionibus, angariis et perangariis, quocunque nomine censeantur, libere sit exempta, gaudens et utens libertaté ea, qua alia monasteria ecclesiastica solent perfrui et gaudere. Ut igitur donacio et confirmacio predecessorum nostrorum et nostra, per nostros successores inviolabilis permaneat, presentes dedimus, nostri sigilli munimine roboratas presentibus hys testibus: domino Philippo archidiacono Gnesnensi, domino Tylone de Santhoch, comite Gnevomiro iudice Poznaniensi, comite Boguslao subcamerario Poznaniensi, comite Crisano procuratore Poznaniensi. Datum in Poznan anno Domini M.CC. nonagesimo, in Exaltacione sancte Crucis, per manus Iasconis notarii curie nostre.

Velen, *Wieleń pod m. Wschowa, klasztor Cystersów zwany poniżéj* Lacus Mariae, *przeniesiony póżniéj do miasta Przemęt.* Moch, *Mochy.* Premantensis, *de Przemęt.* Santhoch, *Santok.*

Nr. 654.

Iacobus archiepiscopus Gneznens. 1290 Oct. 14, in Synodo Gneznensi; edit quaedam Statuta, quorum fragmenta tantum supersunt.

Transsumpt potwierdzony przez: Iaroslaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1357 Ian. 10, in Kalis.

Helcel. Starodawne prawa Polsk. pomniki; I, p. 387.

Fragmentum primum. De iniuriis clericis illatis. Quod si episcopum capi contigerit, vulnerari vel occidi, generale interdictum in tota provincia observetur; in alio prelato vel canonico cathedralis ecclesie si predicta fuerint perpetrata, in tota diocesi generaliter cessabitur a divinis; si autem circa plebanum vel aliam personam ecclesiasticam, religiosam vel secularem, similia fuerint attemptata, in toto archipresbiteratu; si vero ipsum archipresbyterum predictas iniurias pati contigerit, in toto archidiaconatu cessabitur a divinis. Si res ipsorum capi contigerit et ad locum aliquem deduci, locus in quo rapiuntur et in quo detinentur, debeat subiacere ipso facto ecclesiastico interdicto.

Fragmentum secundum. De anno gracie. Propter salutem animarum prelatorum et beneficiatorum quorumcunque, ac propter consolacionem amicorum et servitorum eorundem, per mortem ipsorum desolatorum, (statuimus,) ut cum quis de clero beneficiatus decederet, fructus primi anni, pro debitis ipsius, servitoribus et amicis eiusdem, et aliis piis causis et exequiis, per illius anni circulum faciendis per eum quem ad hoc executorem eligeret; aut si intestatus decederet, si cathedralis, collegiate, aut conventualis ecclesiarum prelatus canonicusque esset, per dyocesanum; si vero ruralis ecclesie rector vel alius quicunque clericus existeret, per decanum: sub testimonio archidiaconi pro salute ipsius anime converti debeant, deductis proventibus unde vicarius valeat in ecclesia sustentari; annum Domini a Circumcisione eiusdem inchoando.

Nr. 655.

Iacobus secundus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1290 Oct. 21, apud Gneznam; confert monasterio de Byszewo decimas suae ecclesiae in villis territorii de Nakło, monasterio adiacentibus; pro his vero, decimas ecclesiae de Dobrowo recipit.

Pergamina dwa orygin. równobrzmiące, przy każdym przywieszono dwie pieczęcie. Perg. Nr. 16 zachował pierwszą pieczęć Kapituły Gnieźnieńsk., przywieszoną na niciach jedwabnych, czerwonych i żółtych, (pieczęć XXIV); *druga znikła. Perg. Nr. 17 zachował pierwszą pieczęć podługowatą, wyobrażającą biskupa na tronie, błogosławiącego; napis:* S. Iacobi Dei gra. Sce. Gnezn. Ecce. Archiepi.

Poznań. Königl. Staats Arch. Koronowo 16 i 17.

In nomine Domini amen. Gesta seu ordinationes hominum propter decursum temporis a mortalium plerumque tolluntur memoria, si non fuerint ad perpetuam rei memoriam litterarum apicibus commendata. Hinc est quod nos Iacobus secundus, miseratione divina sancte ecclesie Gneznensis archiepiscopus, notum esse volumus

cunctis Christi fidelibus presentibus et futuris, quod ex debito pastoralis officii considerantes necessitatem religiosorum virorum, Bertoldi abbatis ac sui conventus fratrum cenobii de Bysovia Ordinis Cysterciensis, Cuiaviensis diocesis, prospicientes eciam loci eiusdem solitudinem, quod nullis ibi valeant fidelium elemosinis adiuvari nisi in certis proventibus succurratur eisdem, paterna clemencia ipsos sustentare volentes, cum gloria sit episcopi pauperum providere opibus, de communi consensu et voluntate Capituli nostri Gneznensis, debita deliberacione premissa et maturo tractatu prehabito, ut eo liberius ac sincerius domino Deo eiusque Genitrici famulentur, hanc cum eis fecimus ordinacionem et contractum decimas commutando. Conferimus igitur et damus dicto abbati ac ipsius conventui decimas nostras in territorio castri de Nakel, monasterio eorum adiacentes, in hiis villis et districtibus earum: Wirchucino, utroque Lansco, Wiskidno, Wanwelno, Tuscovo, Sanzecno, Senno, Dambovo et Sadki, pleue, sicut nunc sunt in terminis et in gadibus suis vel in posterum esse possunt, de agris cultis et incultis ac de novalibus earum in rubetis et in silvis, iure perpetuo posidendas absque excepcione aliqua singularium sorcium aut specialium vocabulorum, sive eciam ville de suis locis transponantur, seu dividantur. Pro hiis autem, recepimus ab eodem abbate et eius conventu ecclesiam eorum in Dobrov cum omnibus pertinenciis suis, quam ipsi ut alia loca Ordini suo dicata legittime possidebant habentes in ea ab antiquo mansionem et gubernacionem ac residenciam corporalem, et cum omnibus decimis ad eam pertinentibus, ipso scilicet Dobrov, Quatkovo, Glovi, Cosemino, Ianissew utroque, Kolnizca, Dzadovo, Briczevo, Vola, Rsuchovo, Chelm, Crobevo, Dambe, Ostrozno, Komorovo, Karsovo, Krevo, Bissecre, Slavencino et Lescno, de culto et inculto, de possessis aut desertis sicut nunc sunt aut in futurum existere possunt, perhenniter possidendam: volentes in hiis indempnitati ecclesie nostre cavere et eorum consulere egestati. In cuius rei testimonium et stabile robur, presentem paginam super hiis conscriptam, sigillis nostro et Capituli nostri sepedicto abbati et suo conventui dedimus communitam. Acta sunt hec apud Gneznam anno Domini M.CC. nonagesimo, Indictione tercia, in die sanctarum XI milium Virginum, presentibus et consencientibus hiis dominis et fratribus nostris: Wlostiborio Gneznensi, Iohanne Lanciciensi prepositis, Gozlao Gneznense, Mileyo Wratislaviense decanis, Philippo Gneznense, Iohanne Lanciciensi archidiaconis, Gabriele Gneznense, Nycolao Lanciciense cantoribus, Philippo Gneznense, Ioseph Lanciciense scolasticis, et aliis quam pluribus fide dignis canonicis Gneznensibus.

Bysovia, *Byszewo, klasztor Cystersów, późniéj przeniesiony do m. Koronowo.* Cuiaviensis diocesis, *t. j. de Włocławek.* Nakel, *Nakło.* Wirchucino, *Wierzchucin.* Utrumque Lansco, *t. j. Łącko małe i wielkie.* Wyskidno, Wamwelno, *dziś tak samo.* Tuscovo, *Tuszkowo.* Sanzecno, *Samsieczno.* Senno, *Sienno.* Dambovo, *Dębowo.* Sadki, *Sadki.* Dobrov, *Dobrowo.* Quatkovo, *Kwiatkowo.* Glovi, *Głowy.* Cosemino, *Koźmin.* Ianissew utrumque, *Janiszewo i Wola Janiszewska.* Kolnizca, *Kołnica.* Dzadovo, *Dziadowice.* Briczevo, *Bryszewo.* Vola, *Wola Rużycka.* Rsuchovo, *Rzuchów.* Chelm, *Chełmno.* Crobevo, *może Grabina.* Dambe, *Dąbie.* Ostrozno, *czyli* Ostrofno, *dziś Ostrów.* Komorovo, *osada znikta.* Karsovo, *Karszew.* Krevo, *Krzewo.* Bissecre, *Biesiekiery.* Slavencino, *Sławęcin.* Lescno, *Leszno.*

Nr. 656.

Bertholdus abbas cenobii de Byssovia 1290 Oct. 21, apud Gnezdnam; commutat ecclesiam in Dobrowo et decimas ad eam pertinentes pro decimis villarum mensae archiepiscopalis Gneznensis, in castellania de Nakło sitarum.

Dwa pergam. orygin. równobrzmiące, do których dwie pieczęcie przywieszono. U Nr. 22 z pierwszéj pozostał ułamek bez wycisku na sznurku jedwabn. żółt. i niebiesk., z drugiéj pozostały nici jedwabne, czerwone. U Nr. 23, pozostały próżne dziurki.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 50 et 51. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae, I, 73.

In nomine Domini amen. Acta et ordinaciones hominum, propter presentis vite transitum a successorum ac posterorum ipsorum plerumque tolluntur memoria sive noticia, si non fuerint pro eternacione et testimonio, litterarum apicibus commendata. Eapropter nos frater Bertholdus abbas cenobii de Byssovia Cysterciensis Ordinis, Cuyaviensis dyocesis, tenore presentis pagine notum esse volumus universis presentibus ac futuris, quod de consilio et consensu conventus nostri nec non abbatis de Lubens nostri superioris, Wratizlaviensis dyocesis, cum venerabili patre domino Iacobo secundo, sancte Gnezdnensis ecclesie archiepiscopo, ordinacionem et contractum inivimus infrascriptum. Videlicet quod accepimus ab ipso decimas, ad mensam ipsius pertinentes in territorio castri de Nakel, in hiis villis ac districtibus earum: Wirchucino, utroque Lanczsco, Wiskidno, Wanvelno, Tuscovo, Sanseczno, Senno, Dambovo et Sadki, plene, sicut nunc sunt in terminis et gadibus suis et in posterum esse possunt, de agris cultis et incultis ac novalibus earum in rubetis et silvis, iure perpetuo possidendas, absque excepcione aliqua singularium sorcium aut specialium vocabulorum, sive eciam ville de suis transponantur locis, seu dividantur, vel aliis vocabulis nuncupentur. Dantes eidem venerabili patri, in harum decimarum recompensam, ecclesiam nostram in Dobrow cum omnibus pertinenciis suis, quam ipso mediante adepti sumus ab abbate et conventu de Suleow in ordinacione facta inter nos conventumque nostrum ex una parte, ac abbatem de Suleow conventumque eius ex parte altera, cum cederemus eis de domo Suleow et Bissoviam acceptaremus, habentes in ipsa ecclesia mansionem sicut ipsi ab antiquo habuerant, et gubernacionem ac residenciam corporalem. Damus autem eam et cum omnibus decimis ad eam pertinentibus in hiis villis: ipso scilicet Dobrow, Quatkow, Glovi, Kozemino, Ianisevo utroque, Kolniza, Dzadovo, Bruzevo, Rsuchovo, Helm, Crobevo, Dambe, Ostrozno, Komorovo, Karsovo, Krevo, Byssecre, Slavencino, Lesczno et Vola, de culto et inculto, de possessis ac desertis sicut nunc sunt aut erunt in futurum, perhenniter possidendam. Si qua vero persona Ordinis nostri, nomine Ordinis dictas decimas a prefato venerabili patre voluerit evincere, nos tenore presencium obligamus ad defensionem, seu restitucionem si evicte fuerint earum, quas recepimus ab eodem. Damus insuper decimam ad dictam Dobrow ecclesiam spectantem in Grabevo que nunc est deserta, quam prescriptis decimis neglexímus annotare. In cuius rei testimonium, presentem litteram sigillo nostro et domini abbatis de Lubens prememorati, domino archiepiscopo prelibato dedimus communitam. Acta sunt hec apud Gnezdnam anno Domini M.CC.XC, Indictione tercia, in die sanctarum Undecim millium Virginum, presentibus: Wlostiborio Gnezdnense, Iohanne Lancziciense

prepositis, Gozlao Gnezdnensi, Myleio Wratizlaviensi decanis, Philippo Gnezdnensi et Iohanne Lanczsiciensi archidyaconis.

Byssovia, *Byszewo.* Lubens, *Lubiąż, z niemiecka Leubus.* Nakel, *Nakło.* Wirchucino, *Wierzchucin.* Utrumque Lanczsco, *Łącko wielkie i Łącko małe.* Wyskidno, Wąwelno, Tuszkowo, Samsieczno, Sienno, Dębowo, Sadki, Dobrow, Sulejow, *dziś tak samo.* Quatkow, *Kwiatków.* Glovi, *Głowy.* Kozemino, *Koźmin.* Ianisevo utrumque, *Janiszewo i Wola Janiszewska.* Kolniza, *Kołnica.* Dzadovo, *Dziadowice.* Bruzevo, *Brudzew.* Rsuchovo, *Rzuchów.* Helm, *Chełmno.* Crobevo, *może Grabina.* Dambe, *Dąbie.* Ostrozno, *może zam. Ostrów.* Komorovo, *osada znikła.* Karsovo, *Karszew.* Krevo, *Krzewo.* Byssecre, *Biesiekiery.* Slavencin, Leszno, *dziś tak samo.* Vola, *Wola Rużostowa.* Grabevo, *nie odgadnione, może Grabina.*

Nr. 657.

Mistciuvius dux Pomoranie 1290 Octob. 23, in Gnezna; comiti Nicolao palatino Kalisiensi villas Łubnia et Dąbrowa confert.

Pergam. orygin. z dwiema pieczęciami. Pierwsza okrągła, na sznurku jedwabn. fioletow. Msciwoja księcia, przedstawia męża zbrojnego, w długiéj po kolana szacie, z płaskim hełmem na głowie, stojącego pod szczytem wspartym dwoma słupami; na lewéj zawieszona mała, trójkątna tarcz, prawa wsparta na oszczepie; napis: S. Dni. Miescwgii... Pomoranie. *Druga Przemysława księcia,* (pieczęć XXVI).

Königsberg. Königl. Staats Arch. Schiebl. 49, Nr. 37.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que geruntur in tempore simul labuntur cum tempore nisi litterarum seu testium munimine fuerint perhennata, nos igitur Mistciuvius Dei gracia dux Pomoranie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod salubri usi consilio filioli nostri dilecti, incliti principis ducis Polonie et Cracovie Premislonis, nec non baronum nostrorum, comiti Nicolao palatino Kalisiensi et Gneznensi ob fidelia ipsius servicia hereditates Damianova Dambrova et Lubna vulgariter nuncupatas, in terra nostra Pomoranie sitas, contulimus sibi et suis successoribus iure hereditario cum omnibus fructibus, pertinenciis universis et utilitatibus, que nunc ibi sunt et processu temporis poterunt exoriri, in perpetuum possidendas, promittentes bona fide pro nobis et nostris posteris, dictam donacionem inviolabiliter observare nec ipsam unquam revocare. Scribi vero fecimus eos, qui geste rei sua presencia interfuerunt, comitem videlicet Svencam palatinum de Slupsk, comitem Paulum palatinum de Svece, comitem Uneslaum subcamerarium de Gdansk, comitem Iohannem dictum Nosolam subpincernam de Gdansk, comitem Zegotam castellanum Cracoviensem. Ut autem prefata nostra donacio, tam rite et racionabiliter celebrata, perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostro et illustris principis, ducis Polonie et Cracovie Premislonis, sigillis fecimus sigillari. Actum et datum in Gnezna in die beati Severini episcopi et confessoris, anno gracie Domini M.CC. nonagesimo, per manus Iasconis notarii curie Polonie ducis et Cracovie.

Damianova Dambrova, *Dąbrowa.* Lubna, *Łubnia.* Slupsk, *Słupsk, z niemiecka Stolpe.* Svece, *Swiecie.*

Nr. 658.

Miscyvius dux Pomeranie 1290 Oct. 23, in Gnezna; comiti Nicolao palatino Kalisiensi villas Łubnia, Dąbrowa et Kiszewy cum quibusdam villis et lacubus adiacentibus confert.

Pergam. orygin. Na sznurze jedwabn. czerwon. przywieszona pieczęć Misciwoja księcia; (cnfr. Nr. poprzedzający).

Königsberg. Königl. Staats Arch. Schiebl. 49, Nr. 38.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que geruntur in tempore simul labuntur cum tempore, idcirco necesse est, ut res digna memorie scripto debeat comendari, quo canescens antiquitas crebrius valeat innovari. Nos igitur Miscyvius Dei gracia dux Pomeranie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod attendentes fidelia grataque servicia, que fidelis comes Nicolaus palatinus Kalisiensis nobis inpendit multimode et in futurum Deo dante est inpendere paratus, volentes ipsum ad nostra beneplacita reddere promciorem, de consensu et voluntate dilecti filioli nostri Premislonis ducis Polonie et Cracovie villas nostras que ad nos racione dominii pertinebant, Lubnam videlicet et Damianovam Dambroam, eidem contulimus et suis omnibus heredibus in perpetuum possidendas cum omnibus earum utilitatibus, pertinenciis et attinenciis universis, cum agris cultis et incultis, nemoribus, silvis, mellificiis et aquis, venacionibus et piscacionibus, piscinis et molendinis et lacubus qui in Damianova Dambrova et districtu ipsius sunt, quorum nomina duximus exprimenda: Prevlocno, Virchuge, Chocle, Verzanza, Bresno, Strupino, Rugno, Kelpino. Confirmamus eciam prefato comiti Nicolao et successoribus ipsius villam que Kiseva nuncupatur, perpetuo et irrefragabiliter optinendam cum lacubus ipsius qui sunt: Cranc, Cozelno, Ćyrvone, Drosce, Prusinech et alter Prusinech, Dluge, Slupino et aliud Slupino, Chebst, Vevronite, Mlosino, Klelubne, Virchuge, Varsime, et cum omnibus aliis utilitatibus que in presenti in dictis villis sunt et in futurum poterunt exoriri, redimentes ipsas et incolas dictarum villarum ab omnibus exactionibus et solucionibus que nostro dominio et nostris officialibus dignoscuntur pertinere, ab angariis et perangariis, castelaniis et servitutibus universis. Ut autem nostra donacio et confirmacio perpetuo inviolabiliter perseveret, presentem paginam nostro et prefati principis Premislonis filioli nostri munimine sigillorum fecimus roborari presentibus his testibus: comite Svenca palatino de Gdansk, comite Paulo palatino de Sveche, comite Nicolao palatino de Trsev, comite Zegotha castellano Cracoviensi, comite Beniamin castellano Gneznensi et iudice ibidem, comite *(2 lit. des.)* entomirio dapifero Gneznensi. Datum in Gnezna in die Severi et Severini per manus Iasconis notarii curie ducis Polonie, anno gracie Domini M.CC. nonagesimo.

Lubna, *Łubnia.* Damianova Dambrova, *Dąbrowa.* Lacus Prevlocno, Virchuge, *nie odgadnione.* Chocle, *może Cicholewo.* Verzanza, *nie odgadnione.* Bresno, *Brzeźno.* Strupino, *z niemiecka Strippen.* Rugno, *Rajków.* Kelpino, *Kiełpin.* Kiseva, *Kiszewy.* Lacus Cranc, Cozelno *etc., nazwiska rozlicznych jezior, pomiędzy któremi leżą Kiszewy.* Sveche, *Swiecie.* Trsev, *Tczew.*

Nr. 659.

Mscug dux Pomoranie 1290 s. d., in Gnezna; vendit ecclesiae Gneznensi villas Gruczno et Kozielec.

Transsumpt potwierdzony przez: Ludolfus Kunig Ordinis fratrum Hospitalis b. Marie domus Theutonice magister general. 1344 Nov. 22, in Kyrsburg.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 115. — T. Działyński, Lites ac res gestae, I, pag. 68.

In nomine Domini amen. Ne res gestas dignas memoria laudabili transcursus temporum aboleat, confirmat illas solempnis tytulus litterarum. Hinc est igitur, quod nos Mscug Dei gracia dux Pomoranie notum esse volumus universis presentibus et posteris presentem litteram inspecturis, quod de consensu illustris principis karissimi filioli nostri domini Premislii secundi, Dei gracia ducis Polonie et Cracovie, venerabili patri domino Iacobo secundo, Dei gracia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, et per eum suis successoribus et ipsi Gneznensi ecclesie vendidimus, contulimus et tradidimus pro trecentis marcis argenti Thorunensis monete duas villas et hereditates nostras in castellania nostra de Svece, Groczno videlicet cum iure patronatus et cum toto suo districtu, et Kozlec cum vinea et pomeriis, similiter cum toto suo districtu, et cum omnibus suis adiacenciis, pertinenciis et utilitatibus in terris et aquis, venacionibus et piscacionibus cum retibus, clausuris, et quocunque nomine censeantur; cum silvis, nemoribus, planis, mericis, insulis, humuletis, pratis, et omnibus generaliter utilitatibus, que sunt infra dictarum villarum terminos vel esse poterint in futurum. Dantes incolis ipsarum villarum, vel si que infra earundem villarum terminos fuerint in futurum, plenam et omnimodam libertatem ab omnibus angariis et perangariis, solucionibus et exaccionibus et servitutibus ordinariis et extraordinariis, novis et veteribus, quocunque nomine censeantur; eximentes ipsas ab omnibus expedicionibus, preter dum expedicio pro defensione terre facta fuerit, quando instans exercitus processerit contra terram. Et quod ad edificacionem vel reparacionem castrorum omnium, preter id sub quo degunt et se vel sua bona necessitatis tempore debuerint conservare, dum tota castellania eiusdem castri ad reparacionem vel ad edificacionem compulsa fuerit, pro eorum porcione minime teneantur. Liberantes eciam ipsas ab omni nostra iurisdiccione et omnium iudicum seu officialium nostrorum, quibuscunque nominibus denotentur, iurisdicioni seu iudicio dominorum suorum tantummodo relinquentes; et generaliter, in remissionem nostrorum peccaminum et progenitorum nostrorum, dicte Gneznensi ecclesie ius dominii nostri, quod in dictis villis habuimus, cedentes et dantes in totum, et omnia supradicta iure dominii perpetuo possidenda. In cuius rei testimonium, presens scriptum sigillis, nostro et dicti domini ducis filioli nostri karissimi domini Premisslii, Dei gracia ducis Polonie et Cracovie, fecimus roborari. Actum in Gnezna anno Domini M.CC.XC, Indiccione tercia, presentibus: Nycolao Calisiensi, Svanca Slupensi, Paulo Svecensi et Nicolao de Trscew palatinis; Bodzata Lendensi, Sbyluto de Nakel castellanis, et aliis baronibus terre Polonie et Pomeranie pluribus fide dignis.

Svece, *Swiecie.* Groczno, *Gruczno.* Kozlec, *Kozielec.* Slupensis, *de Słupsk, dziś z niem. Stolpe.* Trscew, *Tczew.* Lendensis, *de Ląd.* Nakel, *Nakło.*

Nr. 660.

Premisl secundus dux Maioris Polonie et Cracovie 1290 Oct. 29—Nov. 2, in Gnezdna; confirmat quasdam donationes, Iacobo archiepiscopo Gneznensi a Boleslao quondam duce Cracoviae, Conrado et Boleslao ducibus Mazoviae, factam. (Cnfr. Nr. 580).

Pergam. orygin. w znacznéj części przeżarty; na pasmie nici jedwabnych czerw. przywieszony ułamek pieczęci Przemysława księcia; (pieczęć XXVI).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 52.

In nomine Domini amen. Licet cursus rerum temporalium floridus et sincerus evidenter noticie subiaceat singulorum, consuevit nichilominus processu temporis sequacium ignorancia perturbari; necesse est ergo, actiones legitimas scripti continencia posterorum noticie commendare. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Maioris Polonie et Cracovie, notum esse volumus universis presentibus et futuris ad quorum noticiam devenerit presens scriptum, quod cum illustris princeps felicis recordacionis dominus Bolesslaus condam dux Cracovie *(18 lit. desunt)* patri domino Iacobo sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo *(4 lit. des.)* in minera *(22 lit. des.)* Prus ante Cracoviam sitam contulisset, vi.. *(5 lit. des.)* d.. *(31 lit. des.)* .. adus Mazoviensis, Bolesslaus *(46 lit. des.)*.. unensis Dei *(9 lit. des.)* hered.. *(49 lit. des.)* heredes aliam *(10 lit. des.)* dicte *(51 lit. des.)* civitate Cracoviensi condam Iacobi *(6 lit. des.)* pro commutacione *(25 lit. des.)* ibidem per fossatum civitatis erat destructa *(5 lit. des.)* accedentes ipsorum *(19 lit. des.)*.. a contulisset iure hereditario in perpetuum possidendam: nos nolentes tam pia facta dictorum principum immutare, ymmo cupientes eorum esse ydoneus imitator, pro salute nostra et ob reverenciam beati Adalberti hereditatem et domum prefatam dicto venerabili patri, et per ipsum Gneznensi ecclesie, donaciones prescriptas ratas et gratas habentes, presencium serie iure hereditario in perpetuum confirmamus. Actum in Gnezdna anno Domini M.CC.XC. infra octavam Symonis et Iude apostolorum, presentibus comitibus: Nicolao palatino Kalisiensi, Bogusslao castellano de Usce, Mirosslao castellano, Nicolao subcamerario nostro, et dominis Philippo Gneznensi et Andrea Kalisiensi archidiaconis, et aliis pluribus fidedignis. In cuius rei testimonium, presentes litteras fieri fecimus et nostri sigilli munimine roborari.

Prus ante Cracoviam, *osada znikła.* Usce, *Ujście.*

Nr. 661.

Premisl secundus dux Polonie et Cracovie 1290 Nov. 11, in Pizdry; permittit villam s. Sepulchri dictam Cantrino (?) iure Theutonico locare.

Nakielski, Miechovia pag. 216.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negotia literarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Premisl

secundus, Dei gratia dux Polonie et Cracovie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod cultum divini numinis magis ampliare cupientes per nostrum dominium, villam sancti Sepulcri dominici nomine Cantrino ad instanciam et peticionem rectoris eiusdem ecclesie permisimus et admisimus iure Theutonico locare, eo iure videlicet, quo omnes ville et civitates in dominio nostro dinoscuntur locate; ita quod eadem villa ab omni exactione et solucione Polonica sit penitus immunis, nec quitquam iuris sibi nostri officiales vendicent in eadem pretextu cuiuslibet officii. In cuius rei testimonium, presentes conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari presentibus hiis testibus: domino Philippo archidiacono Gneznensi, comite Nicolao subcamerario Gneznensi, Petro Sciborovich procuratore nostro. Datum in Pizdry in die beati Martini episcopi et confessoris, anno gracie Domini M.CC.XC, per manus Iasconis notarii curie nostre. Insuper eciam prefate ville et incolis ipsius damus infra spacium decem annorum libertacionem (sic), ab instanti festo beati Martini.

Cantrino, *nie odgadnione.*

Nr. 662.

Premisl secundus dux Polonie et Cracovie 1290 Nov. 15, in Dlusco; ratam habet locationem civitatis Słupca iure Theutonico, a Iohanne episcopo Poznaniensi factam.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 132. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Polon. 73.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que geruntur in tempore, simul labuntur cum tempore nisi litterarum seu testium munimine fuerint perhennata, nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie et Cracovie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod cupientes ut bona ecclesie Poznaniensis, cuius nos Dei nutu patroni sumus, in melius reformentur, ordinacionem, quam venerabilis pater dominus Iohannes eiusdem gracia Poznaniensis episcopus provide fecit locando civitatem in bonis ecclesie Poznaniensis, que civitas Slupcza Polonice nominatur, gratam habentes, presentibus confirmamus et omne ius Theutonicum in ea promittimus observare; volentes ut omnes, tam merçatores quam alii ibidem ad forum venientes, plenam habeant libertatem, et omnes hospites, mercatores seu terrigene, per ipsam civitatem Slupczam liberum habeant arbitrium transeundi, nec in via per nostrum dominium ab aliquo molestentur. Ne vero super hiis in posterum dubitetur, vel aliquis infringat hoc factum, presentem litteram conscribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Datum in Dlusco XVII Kalendas Decembris, anno Domini M.CC. nonagesimo, presentibus baronibus: Thomislao palatino, Petrcone castellano Poznaniensibus, Dirzicraio castellano et Thilone preposito de Santok, et aliis quam pluribus fidedignis. Ego Iasco notarius ducis prefati hiis omnibus interfui, et de mandato ipsius propria manu subscripsi.

Slupcza, *Słupca.* Dlusco, *Dłusk.* Santok, *Santok.*

Nr. 663.

Henricus dux Slesie etc. 1290 s. d. et l.; dimittit 15 mansos villae Przyczyna civibus de Wschowa pro decem mansis, de quibus censum sibi solvere tenentur.

Pergam. orygin. Na skrawku pergamin. przywieszona pieczęć przedstawia w ułamku osobę w szacie długiéj po kolana, pomiędzy dwiema wieżami stojącą. Prawica wsparta na oszczepie, na lewicy tarcz trójkątna z wyobrażeniem Orła rozpostartego, bez korony. Na lewéj wieży osoba podająca jakoby księciu płaski hełm przystrojony.

Warszawa. Archiwum Główne. — Stronczyński, Wzory, Nr. 19.

In nomine Domini amen. Quod decrevit maiestas principum, firmum et stabile debet permanere. Noverint igitur tam presentes quam posteri ad quorum audienciam presens scriptum deferetur, quod nos Henricus Dei gratia dux Slesie et dominus Glogoviensis publice profitentes intendere cupientes civium nostrorum profectui et utilitati, eisdem hanc graciam ad preces eorum inclinati duximus largiendum, quod quindecim mansos Francikos ville que vulgariter Predsin nuncupatur, qui mansi pertinent in Frowenstat civitatem, ob nimiam sterilitatem eorundem dimisimus pro decem mansis, quemlibet eorum pro octo virgis estimando. De quibus nobis tempore suo, secundum graciam quam ipsis duximus conferendam, in censu ceterisque solucionibus se promptos nobis taliter ut dictum est persolvere conformabunt. In cuius rei firmitudinem, presentes nostras conscribi et sigilli nostri impressione communiri iussimus et signari. Acta sunt autem hec his presentibus: domino Theodrico castellano Glogoviensi, domino Henczkone de Wizemburk, Sibano de Der, domino Sulkone, domino Voelframo de Panwicz. Datum per manus Iohannis notarii nostri anno Domini M.CC. nonagesimo.

Predsin, *Przyczyna.* Frowenstat, *Wschowa.*

Nr. 664.

Premisl dux Polonie 1291 Ian. 5, in Kalis; confirmat venditionem trium mansorum in villa Warangowicz, quos Marsalcus et Paulus, servitores sui, ecclesiae Gneznensi resignaverant.

Pergam. orygin. W dolnym, założonym brzegu pasmo nici jedwabn. czarn. przewleczone przez dwa wcięcia poprzeczne. Pieczęci nie masz.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 53.

In nomine Domini amen. In caducis humane fragilitatis disposicionibus, labentis fluxum memorie instrumentorum fides et testium conciliat, ac excludit materiam iurgiorum. Hinc est quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod Marsalcus Andree de Opol cum Paulo fratre suo, servitores nostri: quibus de nostre claritudinis munificencia pro ipsorum fidelibus serviciis tres mansos in villa nostra Warangowicz iacentes, qui fuerunt hominum nostrorum Pauli, Falconis, Kiliani, et Swidve Marconis filii, donavimus iure

hereditario perpetuo possidendos: de nostro favorabili assensu et licencia speciali dedit, vendidit et tradidit pure et libere venerabili in Christo patri domino Iacobo, vocacione divina archiepiscopo Gnezdnensis ecclesie, nomine ipsius ecclesie dictos tres mansos sive sortes in prefata villa nostra Warangowicz uterque ipsorum suo nomine et ambo simul pro quadraginta quatuor marcis argenti communis, iure hereditario in perpetuum possidendos, renuncians uterque ipsorum pro se et eorum heredibus omni iuri et accioni, quod vel que sibi in posterum quacunque ex causa aliqualiter conpetere videretur. Nos igitur dictam donacionem, tradicionem seu vendicionem, in nostre serenitatis conspectu taliter celebratam, firmam, ratam et gratam habentes, tenore presentium tanquam racionabilem et legitimam confirmamus, volentes dictas tres sortes gaudere eodem privilegio, quo cetera bona et possessiones Gnezdnensis ecclesie perfruuntur. In cuius nostre confirmacionis, et dictorum Marsalci et Pauli fratrum vendicionis et tradicionis facte dicto domino archiepiscopo nomine sue Gnezdnensis ecclesie, noticiam et memoriam sempiternam, et ne cuiquam super hoc in posterum aliquis dubietatis scrupulus generetur, sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Datum in Kalis anno Domini M.CC.LXXXXI, Nonas Ianuarii, Indiccione quarta, presentibus: comite Segota castellano Cracoviensi, comite Dominico Glowni filio Petri de Hoyna, magistro Miroslao preposito sancti Pauli in Kalis, domino Nicolao preposito Rudensi, domino Tilone preposito de Santok et domino Petro notario curie nostre, et aliis fidedignis.

Opol, *nie odgadnione.* Warangowicz, *albo dziś Wardężyn p. m. Rychwał, lub też Warężyn p. m. Siewierz w Ziemi Krakowskiéj.* Hoyna, *albo Chojno p. m. Miejska Górka, lub też Chojno p. m. Iwanowice.* Rudensis, *de Ruda.* Santok, *Santok.*

Nr. 665.

Secundus Pramuzel dux Polonie et Cracovie 1291 Ian. 6, in Kalis; confert civitati Kalisz, pro ipsius reformatione, censum suî venditorii pannorum et utilitates de omnibus cameris.

Pergam. orygin. Gruby sznur z nici jedwabn. wiśniow. i żółtych. Pieczęci nie masz. Warszawa. Biblioteka prywatna, Dyplomata.

In nomine Domini amen. Ab humana labuntur facilius memoria, que nec voce testium nec sigillatis apicibus eternantur. Igitur nos secundus Pramuzel dux Polonie et Cracovie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod intuentes grata et fidelia servicia tocius universitatis civium Kalisiensium, que nobis in presenti gratanter et fideliter ostenderunt et in futurum nostris successoribus sunt ostensuri, bona deliberacione habita et salubri, nostrorum baronum usi consilio, ipsis et eorum subsequentibus nostri venditorii in medio foro Kalisiensi constructi, ubi panni venduntur, omnem censum, et utilitates de omnibus cameris nunc ibi existentibus et in posterum provenientibus, de nostra non ficta voluntate damus, conferimus et donamus iure hereditario in perpetuum possidendas; ita tamen, quod eundem censum et easdem utilitates pro reformacione eiusdem civitatis Kalisiensis et non alibi convertantur. Ut autem nostra racionabilis donacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine

roboramus presentibus hiis testibus: comite Nycolao palatino Kalisiensi, comite Ubizlao subcamerario Kalisiensi, Tilone preposito de Zanthoch. Datum in Kalis in Epyphania Domini, anno Domini MCC nonagesimo primo, per manus Iesconis notarii curie nostre, Indictione quarta.

Zanthoch, *Santok*.

Nr. 666.

Iacobus secundus archiepiscopus Gneznens. 1291 Ian. 25, in Uneyow; protestatur, se, si a monasterio de Byszewo omnes pertinentias ad ecclesiam de Dobrowo spectantes obtinere posset, eidem monasterio de duabus decimis provisurum.

Pergam. orygin. Na skrawku pergamin. przywieszona pieczęć podłużna, wyobraża biskupa na tronie, błogosławiącego; z napisu: S. Iacobi Dei... Gnezn... Arch...

Poznań. Königl. Staats Archiv. Koronowo 18.

In nomine Domini amen. Nos Iacobus secundus, Dei gracia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, notum facimus universis presentibus et futuris, quod cum de consensu nostri Capituli cum domino abbate de Bissovia Cisterciensis Ordinis, Cuyaviensis dyocesis, commutacionem et contractum super decimis fecissemus, assignantes eidem decimas nostras in territorio castri de Nakel et recipientes ab ipso ecclesiam ipsius de Dobrow cum omnibus pertinenciis, utilitatibus et decimis, protestamur: quod si omnes pertinencias ad dictam de Dobrow ecclesiam pertinentes, id est proprietates hereditatum, videlicet ipsum Dobrow, Quatkovo, Dzadovo, Rsuchovo et Leschno, potuerimus obtinere, volumus eidem abbati et domui sue pro eisdem de duabus decimis providere, prout ipsi et nobis viderimus expedire. Si vero predictas hereditates non poterimus obtinere, nichilominus commutacio et contractus super decimis habitus, prout in privilegiis super hoc confectis plenius continetur, debet inviolabilis permanere; in cuius rei testimonium presens scriptum nostro sigillo fecimus communiri. Datum in Uneyow anno Domini M.CC.XC.I, in die beati Pauli Conversionis.

Bissovia, *Byszewo*. Cuyaviensis dyocesis, *t. j. Włocławek*. Nakel, *Nakło*. Dobrow, Kwiatkowo, *dziś tak samo*. Dzadovo, *Dziadowice*. Rzuchow, Leszno, Uniejów, *dziś tak samo*.

Nr. 668.

Nicolaus Pp. IV 1291 Iun. 9, apud Urbem veterem; concedit Conventibus sororum sub cura fratrum Ordinis Praedicatorum viventibus, ut a contribuendo in exactionibus vel collectis aliquibus, a legatis apostolicae Sedis impositis, sint liberi.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn., żółt. i czerwon. przywieszona bulla: Nicolaus Pp. IIII.

Poznań. Königl. Staats Arch. Allgem. Geistl. 6.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus, priorissis et Conventibus sororum inclusarum monasteriorum Ordinis sancti Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum Ordinis Predicatorum viventium, salutem et apostolicam benedictionem. Quanto studiosius devota mente ac humilis contemplationis divine vacatis obsequiis, tanto libentius vestre pacis procuramus comodum et quietis. Attendentes igitur, quod licet quam plurima monasteria vestri Ordinis varias possessiones obtineant, idem tamen Ordo in paupertate fundatur, vosque voluntarie pauperes, Christo pauperi deservitis, vestris supplicationibus inclinati: ut vos seu vestrum alique ad exhibendum procurationes aliquas legatis vel nuntiis apostolice Sedis, sive ad prestandum subventionem quamcunque vel ad contribuendum in exactionibus vel collectis seu subsidiis aliquibus, per litteras dicte Sedis aut legatorum vel nuntiorum ipsorum, seu rectorum terrarum vel regionum, quascunque impetratas vel e iam impetrandas minime taneamini nec ad id cogi possitis, etiamsi in huiusmodi Sedis eiusdem contineatur litteris, quod ad quevis exempta vel non exempta loca et monasteria se extendant, et aliqua eis cuiuscumque tenoris existat ipsius Sedis indulgentia non obsistat, nisi forsan littere ipse dicte Sedis de indulto huiusmodi et Ordine vestro plenam et expressam fecerint mentionem: auctoritate vobis presentium indulgemus. Nos enim decernimus irritas et inanes interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si que in vos vel aliquam vestrum aut aliquod monasteriorum vestrorum, seu quoscunque alios occasione vestri, premissorum pretextu contra huiusmodi concessionis nostre tenorem per quemcunque de cetero contingerit promulgari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum apud Urbem veterem V Idus Iunii, pontificatus nostri anno quarto.

Nr. 669.

Nicolaus Pp. IV 1291 Iun. 17, apud Urbem veterem; mandat Ordini Theutonicorum, archiepiscopum Gneznensem contra oppressores defendat.

Pergam. orygin. w wielu miejscach przeżarty. Na sznurku konopn. przywieszona bulla: Nicolaus Pp. IIII.

Königsberg. Königl. Staats Arch.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis . . magistro et fratribus Domus sancte Marie Theutonicorum in Prussia . . . . ecclesias

et personas ecclesiasticas eo vobis fiducialius commendamus, quo erga ipsas zelum habere vos . . . . per quem Deo gratum prestatis obsequium et hominibus vos redditis gratiosos. Cum igitur . . . . archiepiscopus Gneznensis, sicut ipse nostris auribus intimavit, multiplicata in partibus illis superborum . . . . lignorum, multas a nonnullis patiatur iniurias et pressuras, a quibus vix sine vestro se posse . . . . universitatem vestram rogamus et hortamur attente, quatinus provide attendentes quod . . . . gemina laude dignum, qui oppresis subveniens cohibet oppressores, predictum archiepiscopum et . . . . manutenere viribus ac defendere studeatis. Ita quod exinde vobis retributionis eterne premium . . . . veniat actio gratiarum. Datum apud Urbem veterem XV Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno quarto.

Nr. 670.

Primusil dux Polonie 1291 s. d. et l.; monasteria de Oliwa et de Żarnowiec sub suam protectionem suscipit, et possessionem omnium ipsorum hereditatum confirmat.

Pergam. orygin. Dwa sznury jedwabne, czerwone i żółte, od dwóch pieczęci. Königsberg. Königl. Staats Arch.

In nomine Domini amen. Nos Primusil Dei gracia dux Polonie, universis presens scriptum audituris vel visuris in perpetuum. Ne ea que aguntur nostris temporibus, cum lapsu temporis a memoria hominum defluant malignanciumque calumpnia in posterum depraventur, utile ac necessarium esse dinoscitur, ut fidedignorum hominum et scripture testimonio perhennentur. Noverint igitur presentes et posteri universi, quod nos ad laudem et honorem omnipotentis Dei et gloriose matris eius virginis Marie augmentandum, monasterium quod Oliva dicitur Cisterciensis Ordinis, situm in Pomerania, cum fratribus inibi Deo servientibus sub alas nostre protectionis suscipimus, confirmantes eis eorumque successoribus omnes hereditates, villas seu possessiones, quas idem monasterium ex donacione vel confirmacione illustris principis domini Mysciwgii dilecti patrui nostri, ducis Pomeranie, ac progenitorum suorum longo tempore iusto titulo pacifice possederunt et possident in presenti. In quibus subscriptas hereditates propriis nominibus dignum duximus exprimendas: inprimis ipsum claustrum Olivam cum grangia adiacente, villas Prsimore, Podole, Gransow, Sterchow, Cincimiz, Prusencino et grangiam Bargnewiz. Insuper villas ipsis pro terra Gemewe in restaurum (sic) datas, quarum nomina sunt hec: Bissekir, Choyno et parvum Choyno, Slomno, Banino, Czegnino, Nivadove, Thuchume cum omni stagno adiacente parvo et magno, quod Warsna dicitur, in omni litore, excepta parte que spectat ad villam domini episcopi, Begarewicz, Smolino, Quassin, Wissoka, Brudvino, Sopot; dimidiam quoque partem terre Oxivie cum omnibus terminis et utilitatibus suis et libera piscacione in mari rumnam, cuius termini protenduntur versus Radam ad quercum circa viam publicam signatam, et sic descendunt ad locum ubi Runa et Rada confluunt; grangiam Starin cum villa eiusdem nominis et Messin grangiam, eciam Radastowe, Raikowe, Scowarnikowe, Hostriza, Plawanowe cum molendino in Raduna, Wassino et Zirinsna, molendina quoque in Stricze constructa et

in posterum construenda, locum eciam molendini circa villam Vriseze cum terminis suis, et prefatum fluvium Stricze cum utroque litore a lacu Colpin, unde scaturit, descendendo usque in Wizlam; et ab illo loco per totam Wizlam usque in mare liberam piscacionem capiendi rumbos vel esoces vel cuiuscumque generis pisces, quibuslibet retibus vel instrumentis. A portu vero Wizle versus occidentem, totum litus maris cum omni utilitate et libertate usque ad utrumque litus rivuli qui Swelina nuncupatur; preterea unam navem liberam in salso et in recenti mari ad capiendum allec, rumbos, vel alios quoscumque pisces. Insuper decimam noctem de clausura nostra in Rada, absque omni contradictione nostrorum ibidem officialium, pisces libere perpetuo percipiendi, prefatis fratribus de Oliva et eorum successoribus cum omnibus bonis supradictis libertate perpetua confirmamus pariter et donamus. Claustrum eciam dominarum Cysterciensis Ordinis nomine Sarnowicz, quod pertinet in Olivam, sub nostram protectionem suscipimus, confirmantes ipsis possessiones et villas subscriptas: Wircusino, Liubecow, Carcussino, Udargow et Swecin; totum quoque stagnum quod Pesnicza nominatur, et fluvium eiusdem nominis in utroque litore cum clausura piscium et pratis circumiacentibus usque ad mare et liberam piscacionem ibidem; unam quoque navem liberam allec vel rumbos aut ceteros pisces libere capiendi. Universas itaque et singulas possessiones et villas prenominatas cum omnibus terminis et graniciis et libertatibus suis, sicut in privilegiis prefati domini Misciwgii et aliorum progenitorum suorum expressius continentur, et cum omnibus utilitatibus que nunc in ipsis sunt vel haberi quomodolibet poterunt in futuro in molendinis, tabernis, pratis, piscacionibus, aurifodinis, argentifodinis et salinis vel cuiuscumque fuerit utilitas eris, cum omni iudicio maiori et minori, capitali videlicet et manuali, sepedictis fratribus de Oliva et eorum in evum successoribus libertate perpetua confirmamus. In huius igitur confirmacionis perhennem memoriam, presentem paginam sigillo nostro et sigillo domini Mysciwgii ducis Pomeranie, qui huic ordinacioni presencialiter interfuit, cum subscripcione testium fecimus roborari. Testes sunt: Tomizlaus palatinus Poznaniensis, Nicholaus palatinus Kalisiensis, Petrus castellanus de Poznan, Beniamyn castellanus et iudex de Gnezna, Sbiluta castellanus de Nakel, Buguzlaus castellanus de Usze subcamerarius de Poznan, et alii quam plures fide digni. Datum anno Domini MCCXCI, Concurrente VII, Indictione quarta.

Oliva, *Oliwa. Następnie wymienione wsie, niegdyś do klasztoru Oliwskiego należące, dziś po części pod niemieckiemi nazwami ukryte, leżą pomiędzy miastami Wejherowo, Gdańsk i Kartuzy.* Terra Gemeve, *t. j. de Gniew.* Stagna Warsna, *jezioro p. w. Warzno, nad którem wieś Tuchów.* Terra Oxivia, *dziś Oxhöft.* Rada, *rz. wpływająca do Baltyku, nad którą m. Wejherowo i wieś Reda.* Runa, *dziś rz. Biała.* Raduna, *dziś rz. Radaune.* Stricze, *rz. wypływająca z jeziora p. w. Wysokie Kiełpiny.* Wizla, *Wisła rz.* Rivulus Swelina, *pewnie dziś Kielau strum.* Sarnowicz, *Żarnowiec. Wsie następnie wyliczone, leżą pomiędzy miastami Leba, Wejherowo i Puck.* Stagnum et fluv. Pesnicza, *nad którem stał klasztor Żarnowiec.* Nakel, *Nakło.* Usze, *Ujście.*

Nr. 671.

Nicolaus Pp. IV 1291 Iun. 27, apud Urbem veterem; confirmat donationem villae Piątkowo, a Premisl duce Poloniae conventui sanctimonialium Ordinis sancti Benedicti Poznaniae factam.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabnych, czerwonych i żółtych przywieszona bulla: Nicolaus Pp. IIII.

Poznań. Königl. Staats Arch. Pos. S. Catharin. 1.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus priorisse et conventui monasterii Poznaniensis, per priorissam soliti gubernari, Ordinis sancti Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum Ordinis Predicatorum viventibus, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod carissimus in Christo filius, nobilis vir Premisl dux Polonie Maioris, cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare, villam Puntchove, ducentos mansos et duos lacus, cum domibus, agris, pascuis, pratis, piscariis et annuis redditibus, et omnibus aliis iuribus tunc in predictis villa, mansibus et lacubus, domibus, agris, pascuis, pratis, piscariis ac redditibus ad ipsum pertinentibus, vobis et dicto monasterio pia et provida liberalitate donavit, prout in litteris inde confectis, eiusdem ducis sigillo munitis, plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris iustis postulationibus inclinati, quod super hys pie ac provide factum est ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hec attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum apud Urbem veterem V Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno quarto.

Puntchove, *Piątkowo.*

Nr. 672.

Premisl secundus dux Polonie 1291 Aug. 1, in Pisdri; confert Henrico civi de Pyzdry villam Wrąbczyn, iure Theutonico locandam.

Wilanów. Biblioteka. Rejestr Rewizorów do Wielkopolski, fol. 121 v.

In nomine Domini amen. Dum vivit litera vivit et accio commissa litere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod prospicientes nos per experienciam ius Polonicale in dominio nostro nichil nobis vel parum affere utilitatis, volentes villam nostram iure Polonico locatam nomine Wronchino in meliorem et utiliorem conferre

condicionem, ipsam contulimus Henrico, civi nostro de Pisdri, iure Theutonico locari secundum ius civitatis Pisdrensis, ita quod racione sue locacionis prefatus Henricus et sui successores et heredes optinebunt sextum mansum liberum, thabernam, piscinam (sic), molendinum, et cameram liberam sutorum. Donamus eciam silvas et paludes, que extirpari non possunt nec habiles sunt ad agriculturam, pro pascuis peccorum et scropharum; et quidquid de pratis est in districtu eiusdem ville, adiungimus eidem Henrico et successoribus ipsius cum omnibus utilitatibus et attinentiis. Et si apes, que in silva sunt eiusdem ville, perire contingat per melioracionem et locacionem, prefatum Henricum et heredes ipsius propterea non inculpabimus aliquo modo. Ut autem melius locari possit dicta villa, damus duodecem annorum libertatem ab omni exactione et solucione a festo sancti Martini proxime venturi; qua elapsa, singulis annis persolvent nobis incole dicte ville de singulis mansis sex mensuras silliginis, totidem avene, et fertonem denariorum, secundum quod erunt in Pisdri. Liberum eciam arbitrium habeat Henricus cum heredibus suis ibidem ecclesiam construere, et eidem pro decore mansum unum liberum assignare. Preterea dictam villam Wronchino adiungimus ville nostre que Sal nuncupatur, quod utraque unum districtum habeat et limitacionem. Insuper prenominatus Henricus et sui heredes liberum habeant arbitrium in districtu dicte hereditatis lepores venandi et perdices. Ut autem hec nostra donacio inviolabilis perpetuo perseveret, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus communiri. Actum in Pisdri in die Vincula beati Petri, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, datum per manus Iasconis notarii curie nostre.

Wronchino, *Wrąbczyn.* Sal, *nie odgadnione; pokazuje się wszakże z odnośnych dokumentów, że w powyżéj oznaczonéj okolicy, t. j. miasteczka Zagurów, wyrabianie soli było w dawnych wiekach pospolitem; cnfr. Nra. 20 i 192.* Pisdri, *Pyzdry.*

Nr. 673.

Premisl secundus dux Polonie et Pomeranie 1291 Aug. 18, in Dlusco; villis monasterii de Ląd exemptionem a viciniis de Lądek, Biała et Sławsk adiudicat.

Kopja współczesna na pergaminie, u którego pozostał pasek pergamin. od przywieszonéj pieczęci. U oryginału była przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXVI.)

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae, I, Nr. 76. — Poznań. Königl. Staats Arch. Inscription. Poznaniens. a. 1546 fol. 20.

In nomine Domini amen. Multis malis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum seu testium serie roboramus. Idcirco nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie et Pomeranie, universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris volumus esse manifestum, quod venerabilis pater abbas Gerardus monasterii Lendensis, Ordinis Cysterciensis, in nostra baronorumque (sic) presencia constitutus, viciniarum de Coschol, Belscho et Slavscho querimoniarum tumultibus vexatus super eo, quod asserebant villas prefate domus debere secum stare in contri-

bucione opole, videlicet vacca et bove, antiqua libertate libertate (sic) suorum privilegiorum monstrata, se suosque homines ab omnibus exemit inpeticionibus nostro iudice Dirsycraio iudicante abbatem esse iustum, ceteris baronibus acclamantibus et viciniarum dictorum (sic) querelas vera sentencia perpetuo silencio claudentibus, nostro favore et iudicii iusto tenore prenominati abbatis villas, ab earundem viciniarum solucione exemptas et libertati adiudicatas, perpetue dimiserunt. Et quoniam varie altercaciones prenominato monasterio crebrius oboriuntur super iuribus Polonicalibus, veteri more non bene expressis, decrevimus illius molestie in posterum sincera sollicitudine providere, presentibus exprimendo iura, a quibus sunt absolute ville cum hominibus dicte domus a nostris predecessoribus ducibus Polonie, a quibus nichilominus eos absolvimus, scilicet a powos, a prewot, a strosa, a dan, a naraz quod aper dicitur, potvorove id est a melle et annona, targove, mostne, a castrorum edificio seu poncium quorumlibet, a recepcione seu custodia vel conductu castorariorum, a custodia vel solucione herodiorum quod socol dicitur, a vicinia quod opole wlgariter nuncupatur, a vacca videlicet et bove, a recepcione venatorum et subvenatorum qualiumcumque, ita ut de villis dicte domus nullam iurisdiccionem usurpent sibi quod vocatur Polonice stan, ab omni exaccione seu collectione, a vecturis et expedicionibus, nec non ab omnibus iuribus in Polonia constitutis, quibuscumque nominibus censeantur. Insuper, cum in antiquis privilegiis fratrum sit luculenter exaratum domus Lendensis, quod venatores fratrum abbatum possint sequi venatores ducum per universam Poloniam, nos addimus et confirmamus, ut abbatibus dicte domus per omnes hereditates suas in silvis et nemoribus venaciones prout ipsis placuerit liceat exercere. Et ne humana versucia spirituali simplicitati valeat derogare, potestatem conferimus sepe dicte domus abbatibus, homines suos ascripticios a se fugientes, ubicumque locorum illos deprehenderint, capiendi, incarcerandi et in servicium perpetuum redigendi. Nulli ergo castellanorum aut iudicum scitandi sive iudicandi in prefatis hominibus vel villis eorum ius aliquod reservamus. Ne autem super huiusmodi processu in posterum dubitetur, abbati suisque fratribus super hoc dari iussimus litteram, nostri sigilli munimine roboratam. Datum autem in Dlusco presentibus baronibus nostris comitibus: Benyamin et Nicholao palatinis Polonie, Berwoldo castellano et Dirsycraio iudice Kalisiensibus, et me Petro dicto Scecliza notario qui hanc cedulam manu mea conscripsi, nec non aliis quam pluribus fide dignis, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, XV Kalendas Septembris, Indictione nona.

Sigillum huius privilegii est rotundum, habens in se effigiem hominis stantis inter duas turres, tenens (sic) vexillum in manu dextra et clipeum in sinistra, et draconem sub pedibus, cum tali supscripcione: Sigillum Premislonis secundi Dei gracia ducis Polonie.

Lendensis, *de Ląd.* Coschol, *t. j. kościół św. Mikołaja, miejsce, na którem później założono miasteczko Lądek.* Belscho, *dziś Bielawy.* Slavscho, *Sławsk.* Dlusco, *Dłusk.*

Nr. 674.

Secundus Premisl dux Polonie 1291 Sept. 1, in Kalis; confert civitati Kalisz duodecim mansos pro pascuis, simul et priorem donationem eorundem, a Boleslao duce Poloniae factam, confirmat.

Pergam. orygin. W dolnym, założonym brzegu 2 wcięcia poprzeczne od przywieszenia pieczęci.

Kalisz. Archiw. Rządowe. Diplomata.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que per assercionem principum in publica deveniunt munimenta perpetuam obtinent firmitatem, ideo nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum volumus devenire publice presentis tenore privilegii profitentes, quod cupientes melioracionem et reformacionem nostre civitatis que Kalis vulgari nomine nominatur, damus duodecim mansos omnibus qui se in civitatem pretaxatam receperint vel sint recepturi, ipsi civitati adiacentes, sine quibus nostra civitas prelibata non bene perduraretur; et hoc facimus nomine et racione pascuorum. Iacent autem hi mansi a magna via iacente (sic) de Kalis in nostram civitatem que Stavissin nuncupatur. Quos mansos, etiam cum residua parte manente ibidem, preter omnem solucionem libere et pacifice possidebunt. Et ut donacio nostra et patrui nostri, bone memorie ducis Boleslai, predictorum mansorum indubitabilis perseveret, secundum quod in ipsius privilegio super primam donacionem eorundem mansorum plenius fuit expressum, cuius carencia prefatis nostris civibus accidit dum pars nostre civitatis pluries memorate per suggestionem et instigationem diaboli in cinerem et favillam est redacta, ipsam de consolita nostra benignitate confirmamus. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presens scriptum conscribi fecimus et iussimus sigilli nostri munimine roborari. Datum et actum in Kalis in die beati Egidii, anno gracie Domini MCC nonagesimo primo, per notarium curie nostre dominum Iaschonem, presentibus hiis testibus infra scriptis, videlicet comite Sandivoio castellano de Ruda et subcamerario Gneznensi, comite Albrachto filio Iankonis quondam palatino Kallisiensi, domino preposito de Santok nomine Thilone, domino Iaschone scriptore curie nostre, comite Nicholao subdapifero Gneznensi, domino Victore procuratore Kalisiensi.

Stavissin, *Stawiszyn.* Ruda, *Ruda.* Santok, *Santok.*

Nr. 675.

Nicolaus Pp. (IV) 1291 Septemb. 22, apud Urbem veterem; confirmat donationes et libertates coenobio de Ołobok a Vladislao Odonis, duce Kalissiensi, anno 1213 Octob. 20, in Kalisz, concessas. (Cnfr. Nr. 81).

Pergam. orygin. Dwie dziurki od przywieszenia bulli.

Poznań. Königl. Staats Arch. Ołobok 2.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus . . abbatisse et conventui monasterii de Olobok Cisterciensis Ordinis, Gneznensis diocesis,

salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod nobilis vir Vladislaus quondam Odonis, dux Kalissiensis, cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare: locum Oloboc et partem aque que Prosna vulgariter nuncupatur, a loco qui dicitur Zadovicz usque ad locum in quo Barich de Prosna procedit, cum castoribus; forum quoque liberum in Barich cum tabernis ibidem consistentibus et omni iurisdictione ad dictum ducem tunc ibi spectante, Ticadlovo, Zidovo, Pole, Vrostle, Stav et Radzlai iuxta Kaliscovic villas, prout spectabant ad ipsum, cum domibus, agris, pascuis, pratis, piscariis, venationibus, redditibus et omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis vobis et dicto monasterio pia liberalitate donavit, sicut in patentibus litteris inde confectis, ipsius ducis sigillo munitis, plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, donationem huiusmodi, sicut pie ac provide facta est et in alterius preiudicium non redundat, ratam et gratam habentes, illam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum apud Urbem veterem X Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno quarto.

Oloboc, *Ołobok.* Aqua Prosna, *Prosna rz.* Zadovicz, *Zadowice.* Barich, *rzeczka Baryczka.* Barich, *osada znikła.* Ticadlovo, *Tykadłów.* Zidovo, *Żydowo.* Pole, Vrostle, *osady znikłe.* Stav, *Staw.* Villae Radzlai iuxta Kaliscovic, *Kaliszkowice Ołobockie.* Kaliscovic, *Kaliszkowice Kaliskie.*

Nr. 676.

Nicolaus Pp. IV 1291..., apud Urbem veterem; confirmat omnes immunitates, a praedecessoribus suis, nec non et libertates, a principibus et aliis fidelibus coenobio de Ołobok indultas et concessas.

Pergam. orygin. Pismo bardzo zatarte. Nici jedwabne, żółte i czerwone, bulli nie masz.

Poznań. Königl. Staats Arch. Ołobok 3.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus . . abbatisse et Conventui monasterii de Olobok Cisterciensis Ordinis, Gneznensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecte in Christo filie, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates, a predecessoribus nostris Romanis pontificibus sive per privilegia seu alias indulgentias vobis et monasterio predicto concessas, nec non libertates et exceptiones secularium exactionum, a regibus et principibus vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis et monasterio vestro indultas, sicut eas iuste ac pacifice obtinetis, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti

patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum apud Urbem veterem *(13 lit. des.)*... usti, pontificatus nostri anno quarto.

Olobok, *Ołobok.*

Nr. 677.

Premisl secundus dux Polonie 1291 Oct. 16, in Poznania; ratificat venditionem hereditatis Drobnin quam filii Petri comiti Bogumilo resignaverant, eamque, amplissimis libertatibus munitam, iure Theutonico locare concedit.

Pergam. orygin. W dolnym brzegu dwa wcięcia poprzeczne od przywieszenia pieczęci.

Trzemeszno. Privilegia Conventus Canon. Regular. Lateran.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia constituti filii quondam Petri, videlicet Magnus, Vincencius, Woycech et Falus, hereditatem propriam, Drobnino vulgariter nuncupatam, que ad ipsos iure patrimonii pertinebat, comiti Bogumilo filio Iohannis libere vendiderunt et resignaverunt, omni iuri quod in dicta hereditate habuerunt pro se et suis successoribus perpetuo renunciantes. Nos vero considerantes huiusmodi vendicionem rite et racionabiliter celebratam, ipsam ratificavimus et approbavimus perpetuo valituram. Ob fidelia vero servicia que nobis idem comes Bogumilus exibuit, exibet in presenti et semper exibere est paratus, exemimus et absolvimus prenominatam villam Drobnino ab omni exactione et qualibet solucione, videlicet a naraz, a povoz, a stroza, a podvorove, a bove et vacca, ab opole et castri citacione; ita quod incole dicte ville nonnisi coram nobis, nostro anulo vel sigillo provocati, conquerentibus respondebunt; et si inter ipsos, pecatis exigentibus, homicidium fieri contigerit, nullus alius, sed prefatus Bogumilus et sui heredes penam percipiant capitalem, cui eciam et suis heredibus et successoribus confirmamus vendicionem ville prenotate. Preterea omni iure Polonico, videlicet baculo, fero, duello, super aquam mittendam, prefatus Bogumilus et eius successores libere utantur. Licitum sit eidem Bogumilo et heredibus eius, in districtu hereditatis pretaxate cervvos et capriolos venari. In quorum omnium testimonium, presentes conscribi iussimus et sigilli nostri munimine roborari presentibus his testibus, comitibus Sendyvoio pincerna Poznaniensi, Sendyvoius castellanus de Drosin, domino Martino abbate de Lubin. Datum in Poznania in die beati Galli, anno Domini M.CC. nonagesimo primo, per manus Iasconis notarii curie nostre.

Drobnino, *Drobnin.* Drosin, *Drożyn.* Lubin, *Lubin.*

[illegible] Polonia constituta [illegible] omnium, ut est [illegible] capitis perplexione, [illegible] predictis fratribus [illegible] nulli castellanorum aut [illegible] aliquod reservantes. Et ut [illegible] Marie semper virginis robur perpetue [illegible] munimine roboramus. Huius rei [illegible] Bernoldus castellanus Kalisiensis,

Abraham thezaurarius Gneznensis. Acta sunt hec anno Domini MCC nonagesimo primo in Gnezna, in die Virginum Undecim milium.

Lenda, *Ląd.* Glovevo, *Głowiew.* Slavsco, *Sławsk.* Chociczha, *Chocicza.* Copaino, *Kopojno.* Gorcino, *Górczyn.*

Nr. 679.

Frat. Bernhardus dictus de Evirsten preceptor Domorum milicie Templi etc. 1291 Nov. 13, Poznania; protestatur, se omnia bona, in terra Czaplinek quondam a duce Premisl Domui sui Ordinis collata, a Iohanne episcopo Poznaniensi Theutonicali iure collocanda recepisse, conditione tamen decimas ecclesiae Poznaniensi solvendi.

Poznań. Archiv. Capituli, Lib. privil. B, Nr. 164. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Polon. 74.

In nomine Domini amen. Acciones quas mundus ordinat delet successus temporum, nisi perhennacione scripturarum et voce testium recipiant robur et firmamentum. Hinc est quod nos frater Bernhardus dictus de Evirsten, humilis preceptor Domorum milicie Templi per Poloniam, Sclaviam, Novam terram et magister curie Quarczanis, una cum fratribus nostris presentibus protestamur et universis Christi fidelibus cupimus esse notum ad quos presens pagina fuerit devoluta, quod nos omnia bona nostra, in terra quam habemus circa et ultra stangnum sive lacum quod Draviczka vocatur sita, que terra nunc a nobis Tempelborch nuncupatur, quam illustris princeps dominus Premisl dux Kalisiensis Domui nostre contulit in subsidium Terre sancte Iherosolimitane pro anime sue suorumque predecessorum remedio salutari, a venerabili patre et domino Iohanne, miseracione divina Poznaniensis ecclesie episcopo, et a sua ecclesia seu Capitulo recepimus Theutonicali iure in suo episcopatu collocanda, tali condicione mediante, ut post locacionem uniuscuiusque ville elapsis annis duodecim, a quolibet manso unum solidum Brandeborgensium denariorum, et non plus, nomine decime singulis annis in festo beati Martini iam dicto domino Iohanni episcopo sueque ecclesie seu Capitulo solvere debeamus; eo excepto, quod de agris quos colimus propriis laboribus et expensis, nullas penitus decimas persolvere debeamus. In cuius rei testimonium, presentem paginam eidem domino Iohanni episcopo sueque ecclesie seu Capitulo dedimus, nostri sigilli munimine roboratam. Datum Poznania anno Domini M.CC.XC primo, presentibus fratribus nostris: domino Henrico fratre dicto de Bletkendorph, fratre Fredrico dicto Nigro, fratre Alberto magistro curie in Crona, qui eciam presentem paginam cum appensione sui sigilli communivit. Actum Idus Novembris.

Nova terra, *Neumark.* Quarczan, *dziś z niemiecka Quartschen.* Draviczka lacus, *dziś z niemiecka Drazig See.* Tempelborch, *Czaplinek.* Crona, *późniéj Arneskrone, dziś Deutsch Krone, zamiast Wałcz.*

Nr. 680.

Premisl secundus dux Polonie 1292 Febr. 10, in Dlusco; hereditatem servitoris sui Iacobi, dictam Dzierzysław, amplissimis dotat privilegiis, simulque concedit, ut iure Theutonico locari valeat.

Pergam. orygin.; w środkowem załamaniu przeżarta podłużna dziura. Gruby sznur nici lnian. niebiesk.; pieczęci nie masz.

Biblioteka X. X. Czartoryskich. Diplomata, Vol. II, Nr. 3.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine renovamus. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod intuentes fidelia grataque obsequia servitoris nostri Iacobi filii Dyrsislay, villam ipsius Dyrsislave vulgariter nuncupatam exemimus et absolvimus ab omni exactione et Polonica solucione, videlicet a naraz, a prevod, a povoz, a stroza, a podvorove, ab opole et a lasca opolna, a cifo mellis, a bove et vacca, a porco et castri citacione: et si quispiam incolas prefate ville citare voluerit, hoc (sic) nonnisi nostro anulo vel sigillo ad nostram presenciam evocabit. Et si inter ipsos, peccatis exigentibus, homicidium fieri contigerit, nullus alius, set sepe dictus Iacobus et sui successores penam percipiant capitalem. Preterea volumus, ut pretaxatus Iacobus et eius posteri in villa prenominata omnibus iuribus, ut p.. *(6 litt. des.)* duello, super aquam mittendam et furta similiter percipiant perpetrata, et alias omnes utilitates que in dicta villa in presenciarum sunt in aqua et terra, et que processu temporis poterunt exoriri. Et ut ampliori beneficio nostre gracie habundet Iacobus et eius universi successores, prelibatam villam Dyrsislave iure permisimus Theutonico locare, eo iure, quo omnes ville Theutonicales in dominio nostro dignoscuntur locari, et quod scultetus eiusdem ville omnes causas parvas et magnas sine nostro assessore iudicare debebit. Et si quas exactiones in terra nostra inposuerimus, volumus quod similes Iacobus et eius posteri in sua ponant hereditate et percipiant ex integro, cum omni iure Theutonico, decapitacione et omnimoda membrorum mutilacione. Et ut omnia suprascripta robur perpetue optineant firmitatis, presentes conscribi fecimus, sigilli nostri munimine roborantes presentibus his testibus: comite Nicolao palatino Kalisiensi, domino Andrea cancellario Polonie, comite Roscone venatore Kalisiensi. Datum in Dlusco in die Scolastice virginis, anno Domini M.CC. nonagesimo secundo, per manus Iasconis notarii curie nostre.

Dyrsislave, *Dzierzysław*. Dlusco, *Dłusk*.

Nr. 681.

Iacobus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1292 Febr. 20, apud Opatoviam; mandato apostolico conservator coenobii de Ołobok constitutus, magistrum Nicolaum cantorem Poznaniensem et praepositum Kalisiensem ad praedictum officium subdelegat.

Poznań. Königl. Staats Arch. Ołobok, Acta non foliata.

Iacobus divina miseracione sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, honorabili et discreto viro magistro Nicolao cantori Poznaniensi ac preposito Kalisiensi salutem et sinceram in Domino liberalitatem. Noveritís, nos recepisse litteras et mandata apostolica, quod religiosis personis, domine abbatisse de Olobok et dominabus ibidem Ordinis Cisterciensis, contra invasores violentos et manifestos bonorum ipsius monasterii, conservacionis officio et oportuni favoris auxilio assistere debeamus, quodque decimas, universas possessiones, redditus et omnia bona eiusdem monasterii contestata vel deperdita, ad ius et proprietatem ipsius monasterii curaremus legittime revocari. Et quia nos, sepius elongatos, predicta domina abbatissa cum suis sororibus commode non possunt requirere, vobis, qui eisdem viciniores esse cognoscimini, de cuius quoque zelo et circumspeccione fiduciam gerimus pleniorem, vices nostras quoad predicta omnia subdelegamus et committimus per presentes, vobis in virtute sancte obediencie precipiendo mandantes, quatenus eidem domine abbatisse et monasterio sepedictis, auctoritate apostolica et nostro commisso, officiales nostri, iuxta formam in litteris contentam apostolicis, quas vobis mittimus cum presentibus, oportuno defensionis auxilio efficaciter assistatis: ita quod predicta domina abbatissa cum suis sororibus de defectu iusticie querulari et ad nos recurrere non debeant, vestramque ex hoc obedienciam valeamus non immerito commendare. Nos autem litteras vestras, quas rite duxeritis promulgandas, ratas et firmas habentes, faciemus inviolabiliter observari. Datum apud Opatoviam anno Domini M.CC.XCII, X Kalendas Marcii.

Olobok, *Ołobok.* Opatovia, *Opatówek.*

Nr. 682.

Premisl secundus dux Polonie 1292 Mai. 6, in Poznania; vendit villas Zarmino et Nochowo scultetis Zachariae et Wilhelmo fratribus, iure Theutonico locandas.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscription. Costens. a. 1563, fol. 177.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurimus, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod reformacioni et melioracioni terre nostre nec non villarum nostrarum saluberiter intendentes, ipsas in meliorem transferre du-

Datum in Poznan infra festum Pentecostes, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo.

Ysych, *Jerzyce.*

Nr. 684.

Premisl dux Polonie 1292 Mai. 26—31, in Poznania; absolvit Petrum scultetum de Jerzyce ab impetitione Rinoldi sculteti civitatis Poznań, et villam eius quibusdam munit privilegiis.

Transsumpt potwierdzony przez: Wladislaus rex Polonie etc. 1444 Apr. 18, Bude, *umieszczony w pergaminie oryginaln., wydan. przez:* Iurati iuris Maydeburgensis 1523 Iul. 14, Cracovie, *przy którym pieczęć tegoż urzędu jest zawieszona.*

Poznań. Archiw. miejskie, Diploma Nr. 7.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia constitutus Petrus scultetus noster de Ysicze, cum sculteto civitatis nostre Poznaniensis, nomine Rinoldo, iudicio contenderunt super eo, quod idem scultetus Poznaniensis dicebat, scultetum de Ysicze non debere iudicium magnum habere in villa nostra Ysicze ter in anno, et debere respondere coram ipso et comparere; que omnia Petrus scultetus de Ysicze negabat et diffitebatur sufficienter. Igitur auditis utriusque partis et allegacionibus intellectis, ex vero iudicio sentenciam contulimus diffinitivam, prefatum Petrum et successores ipsius ab impeticione sculteti Poznaniensis Rinoldi et ipsius successoribus (sic) absolventes, et sibi perpetuum silencium imponentes; ita quod idem Petrus et successores eius, nonnisi coram nobis, nostro sigillo vel annulo nostro provocati, de se conquerulantibus tenebuntur respondere, vel coram nostro advocato, qui nostros duos denarios de quolibet iudicio tollet. Preterea ad maiorem rei memoriam notificamus, quod eadem villa nostra Ysicze singulis annis in festo beati Martini octo marcas argenti nobis pro censu solvere tenetur et plebano divi Adalberti septem marcas, ecclesie beati Nicolai unam marcam, sculteto Poznaniensi duas marcas. Vicarius vero in vigilia Nativitatis Domini de sancto Adalberto, villanos visitare tenetur de Ysicze, ubi percipere debet, quod ab inicio ibidem vicarii percipere consueverunt. Insuper scultetus dicte ville in eadem villa quatuor mansos liberos et liberum molendinum cum suis successoribus et heredibus habebit. Omnes vero causas, parvas et magnas, nostro cum advocato qui nostrum perceperit denarium, idem scultetus et sui successores iudicare debent. In piscina vero, que inferius Nyestachovvo iacet, prenominatus scultetus noster et ipsius successores liberum habent arbitrium piscandi. Quitquit vero ultra quadraginta mansos existit in dicta villa de agricultura, sculteto nostro et suis successoribus contulimus iure hereditario in perpetuum possidendum. Et ut omnia supradicta robur perpetue obtineant firmitatis, presentes scribere statuimus, sigilli munimine roborantes. Datum in Poznania infra festum Pentchecosten, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, per manus Iaschonis notarii curie nostre, presentibus hiis testibus: comitibus

Petrcone castellano Poznaniensi, Boguslao subcamerario Poznaniensi, et Sandivogio castellano de Bnyn, et Ffallone castellano de Czarnkov.

Ysicze, *Jerzyce.* Nyestachovvo, *osada znikła, przyległa wsi Sołacz.* Bnyn, *Bnin.* Czarnkov, *Czarnków.*

Nr. 685.

Premisl secundus dux Polonie 1292 Sept. 29, in Kalis; ratam habet commutationem hereditatis Woislai filii Goslai, dictae Niałek, cum hereditatibus Wislai filii Gerlachonis, dictis Wrąbczyn et Bieganin, ante quinque annos factam.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn. czerwon. przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXVI).

Warszawa. Biblioteka prywatna, Diplomata. — Poznań, Königl. Staats Arch. Ląd, Lib. privil. B, Nr. 22.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentis etatis hominibus quam future, quod in nostra nostrorumque baronum presencia constituti comes Wisslaus filius quondam Gerlochonis parte ex una, et Woysslaus filius Goslay parte ex altera, inter se talem super hereditatibus propriis celebravere commutacionem: quod prefatus Wisslaus, suscipiens hereditatem Woysslay supra nominati nominatam vulgariter Nalcho, duas hereditates proprias, Wroncino quam cum Pribislao filio Luthognevi commutaverat, et Beganino donavit et resignavit racione commutacionis, perpetuo iure hereditario possidendas. Nos vero considerantes huiusmodi commutaciones rite et racionabiliter celebratas, ipsas approbantes et ratificantes decrevimus, omni obstaculo postposito, perpetuo valituras. De plenitudine vero nostre potestatis predictas villas Wroncino et Beganino absolvimus et exemimus ab omni exactione Polonica, et facimus liberas quemadmodum ab antiquo fuerunt, videlicet a naraz, a povoz, a prevod, a stroza, a podvorove, a bove, a vacca, ab opole, a castri citacione. Et si inter incolas dictarum villarum homicidium fuerit perpetratum, predictus Woyslaus et sua posteritas penam percipient capitalem. Si vero homicidium fuerit inter incolam ipsius et extraneum, penam nichilominus homicidii percipiet post incolam per se (sic). Qui incole dictarum villarum non nisi coram nobis citabuntur, littera, nostro sigillo aut anulo, et ibidem de se conquerentibus tenebuntur respondere. In cuius rei testimonium, presentes Iasconem notarium nostrum conscribi iussimus, sigilli nostri munimine roborantes presentibus his testibus: comitibus Petrcone castellano Poznaniensi, Sblutone (sic) castellano de Nakel, Vito pincerna Gneznensi. Datum in Kalis in die beati Michaelis, cum ad expedicionem processimus in Syracz ad regem Bohemie, et tunc eadem permutacio est innovata et confirmata, que fuit acta et celebrata ante spacium quinque annorum. Anno gracie Domini M.CC. nonagesimo secundo.

Nalcho, *Niałek.* Wroncino, *Wronczyn.* Beganino, *Bieganin.* Nakel, *Nakło.* Syracz, *Sieradz.*

Nr. 686.

Premisl secundus dux Polonie 1292 s. d., in Kalis; absolvit universos homines, terram suam ratione mansionis per Ołobok intrantes, et mercatores de Kalisz eandem viam transeuntes, a solutione thelonei.

Pergam. orygin. Pasmo nici jedwabn., żółt.; pieczęci nie masz.

Warszawa. Biblioteka prywatna, Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae I, Nr. 81.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentis etatis hominibus quam future, quod pia consideracione intendentes profectui et melioracioni terre nostre et civitatis Kalisiensis, ut in facultatibus propriis ampliata, consueta nobis servicia facilius valeat inpertiri, universos homines terram nostram racione mansionis intrantes per Oloboch, et cives nostros Kalisienses cum mercibus ipsorum per viam eandem transeuntes, a theloney absolvimus solucione; donantes eisdem civibus nostris, ex plenitudine gracie nostre, censum de cameris duabus, sitis in eadem civitate Kalisiensi pro pannis tondendis, in subsidium civitati perpetuo possidendum. In cuius rei testimonium, presentes conscribere iussimus, sigilli nostri munimine roborantes presentibus his testibus: comitibus Alberto castellano de Cbansin, Sendyvoio subcamerario Kalisiensi, domino Thilone preposito de Santok. Ego Iasco notarius domini mei ducis supra nominati his eciam interfui, et de mandato ipsius propria manu subscripsi. Actum et datum in Kalis, anno gracie Domini M.CC. nonagesimo secundo.

Oloboch, *Ołobok.* Cbansin, *Zbąszyń.* Santok, *Santok.*

Nr. 687.

Premisl secundus dux Polonie 1292 Oct. 21, in Tremesna; confirmat privilegium quod dederat monasterio de Trzemeszno pater suus: **Premisl dux Polonie 1251 Apr. 25, in Poznan;** et monasterium praefatum a solutione collectae, quae poradlne appellatur, absolvit.

Pergam. orygin. Brzegi obcięte, dwie dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci. Trzemeszno. Priv. Conv. Can. Reg. Lateran.

In nomine Domini amen. Universis presentes litteras inspecturis, Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, salutem et perpetuam noticiam subscriptorum. Etsi, de nostre benignitatis clemencia, iusta subditorum nostrorum favorabiliter exaudire precamina nostram digne deceat maiestatem, illorum tamen peticionibus condescendere dignius et decencius reputavimus, quos vite laudabilis et religionis insignit honestas, et per quos laudum nobis aput homines accrescunt preconia et aput Dominum premia promerémus. Per hoc igitur privilegium noscat tam presens etas

quam futura successura posteritas futurorum, quod vir providus et henestus, frater Stephanus prepositus domus de Tremesna, nobis quoddam privilegium prefati monasterii, a felicis memorie duce Premislone, quondam patre nostro, super confirmacionem aliorum privilegiorum, a nostris progenitoribus eidem monasterio concessorum, ostendit et suppliciter exoravit, ut nos idem privilegium ratificare et confirmare de nostre benignitatis gracia dignaremur. Erat autem privilegium ipsum non abolitum, non abrasum, non concellatum nec in aliqua parte sui viciatum, sed in prima sui figura consistens; et tenor sive continencia eius talis est: (*Sequitur diploma Nr. 292.*)

Nos igitur tam iustis peticionibus dicti prepositi benignius annuentes atque cupientes voluntatem progenitorum nostrorum firmam et inviolabilem permanere, dictum privilegium Iasconem notarium nostrum fecimus innovare, et graciam in ipso contentam, secundum quod dicto monasterio dictus pater noster fecerat, ratam et firmam habemus et vigere volumus vigore perpetue firmitatis. De plenitudine vero nostre benignitatis, vestigiis predecessorum nostrorum pie inherentes universas villas dicte domus Tremessensis absolvimus perpetuo a solucione collecte, que poradlne appellatur. In huius rei testimonium, presentes conscribi iussimus et sigilli nostri munimine roborari presentibus his testibus: comite Boguslao subcamerario Poznaniensi, et domino Philippo archidyacono ecclesie Gneznensis, ac comite Falone castellano de Carncov. Datum in Tremesna in die Undecim milia Virginum, anno gracie Domini M.CC. nonagesimo secundo.

Tremesna, *Trzemeszno*. Carncov, *Czarnków*.

Nr. 688.

Eufrosina ducissa Kuiavie etc. 1292 Oct. 27, in Lanchicia; dat ecclesiae Gneznensi villam Ujma mała.

Dwa pergam. orygin. równobrzmiące. U Nru. 54 przywieszona na sznurku nici jedwab., czerwon. okrągła pieczęć, przedstawia Najśw. Pannę z Dzieciątkiem, zwróconą w lewo, ponad niemi miesiąc z gwiazdą. Przed niemi postać niewieścia klęczy z złożonemi rękami. Napis: S. Eufrosine ducisse Cuiavie. *Nr. 55 zachował tylko sznurek.*

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 54 et 55.

In nomine Domini amen. Ne caduce disposiciones fragilitatis humane cum defluxu temporis a memoria dilabantur, sapientum decrevit maturitas, ipsas scripturarum et testium fide dignorum presidio perhennare. Hinc est quod nos Eufrosina Dei gracia ducissa Kuiavie, Lanchicie et Syradie, relicta illustris principis ducis Kazimiri dictarum terrarum quondam domini et heredis, ex hoc exilio ad patriam aspirantes, zeli et devocionis fervore succensa quos (sic) ad ecclesias Gneznensem videlicet et Lanchiciensem fiducialiter optinemus salutis nostre optentu, et bonorum omnium que in eisdem ecclesiis per suos ministros divine maiestatis clemencia operari dignabitur particeps effici toto desiderantes affectu, sana mente sanoque consilio villam nostram que Ugma minor dicitur, sitam in ducatu Kuiavie, nulli alteri obnoxiam, quam magnificus princeps dux Pomoranie dominus Mstiugius nobis contulit hereditarie, iure perpetuo a predicta Gneznensi ecclesia per commutacionem optentam pro quadam villa sita in Pomorania, Gardna nomine, quod quidem nomen a lacu eiusdem nomi-

nis super quem est posita optinuit in hunc diem, cum pleno iure et dominio damus, conferimus et largimur liberaliter dicte Gneznensi ecclesie, plene, pure et simpliciter pro nostre salutis augmento, cum omnibus fructibus, utilitatibus ad ipsam villam spectantibus, iure hereditario perpetuo possidendam. Ut autem hec nostra donacio, rata, firma et stabilis perseveret, nec a quoquam valeat in posterum violari, presentes litteras confici fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum in Lanchicia sub anno Domini M.CC.LXXXXII, VI Kalendas Novembris, presentibus nobilibus viris et discretis: Alexio castellano, Secech iudice Lanchiciensibus, Iacobo preposito Wisliciensi, Nicolao cantore Lanchiciensi, et Niculone canonico Uneieviensi aliisque pluribus fidedignis.

Ugma minor, *Ujma mała.* Gardna, *dziś z niemiecka Garde.* Lacus eiusdem nominis, *Gardesche See na pobrzeżu Bałtyku.* Uneieviensis, *de Uniejów.*

Nr. 689.

Przemisl secundus dux Maior. Polonie 1292 Oct. 28, in Poznan; dat villam Skorzewo et partem villae Młodasko Capitulo Poznaniensi, receptamque pro eisdem villam Krosno, se comiti Nicolao palatino Kalisiensi contulisse protestatur.

Pergam. orygin. Nici czerwonego jedwabiu przez trzy wcięcia poprzeczne przewleczone, pieczęci nie masz.

Poznań. Königl. Staats Arch. Posen, Dom. Capit. 1.

In nomine Domini amen. Ne noverca memorie oblivio suis votis locum habeat, providit racio temporibus gestis quibuslibet solempniter celebratis in testimonium sequacibus, per certa subvenire remedia scripturarum. Hinc est quod nos Przemisl secundus, Dei gracia dux Maioris Polonie, volentes ut ea, que temporibus nostris et per nos aguntur, perpetue robur optineant firmitatis, notum esse volumus tam presentibus quam futuris presentis littere seriem inspecturis, cum venerabili patre nostro domino Iohanne miseracione divina episcopo et fratribus suis Capitulo Poznaniensi, talem villarum fecisse commutacionem. Dedimus siquidem eidem domino episcopo et fratribus suis Capitulo Poznaniensi villam nostram, nulli alteri quam ducatui nostro pertinentem, Scosevo vulgariter dictam, et partem alterius ville que Mloda dicitur, sicut nunc sunt limitibus consignate, cum omni iure et utilitate, lacubus et libertate quam omnes ville Poznaniensis ecclesie antiquitus possesse habuerunt et habent, videlicet a citacione castri, iudicis, seu cuiuslibet officialis nostri, ab opole, a stacionibus, collectis et aliis iuribus ducalibus, ab angariis et perangariis et servitutibus universis, quibuscunque nominibus vocitentur. Recipientes ab ipso domino episcopo et eius Capitulo racione huiusmodi permutacionis villam ecclesie ipsorum Crosna dictam, sitam super fluvium Mosinam, similiter cum omni iure et utilitate, qua recepta, ipsam comiti Nicolao palatino Kalissiensi sub protestacione domini episcopi et Capituli eius Poznaniensis tradidimus et donavimus, iure hereditario in perpetuum possidendam. Ut autem hec permutacio et donacio inviolabilis perpetuo perseveret, presentes conscribi iussimus, sigilli nostri munimine roborantes presentibus his testibus: comitibus Petrcone castellano, Gnevomiro iudice Poznaniensibus, comite Bervoldo castellano Kalisiensi, comite Beniamin castellano et iudice Gneznensi,

comite Bozatha castellano de Lenda. Datum in Poznan in die sanctorum apostolorum Symonis et Iude, anno Domini M.CC. nonagesimo secundo, per manus Iasconis notarii curie nostre.

Scosevo, *Skorzewo.* Mloda, *może Młodasko.* Crosna, *Krośno.* Fluv. Mosina, *odpływ rz. Obra do rz. Warta, nad którym leży m. Mosina.* Lenda, *Ląd.*

Nr. 690.

Sixtus et Wirbentha heredes de Clesczew 1292 Nov. 11, in Koberzno; vendunt scultetiam in hereditate Kleszczew, quam iure Theutonico locare decernunt, Martino et Venceslao fratribus.

Poznań. Königl. Staats Arch. Lib. civium a. 1561, fol. 650.

In nomine Domini amen. Ne res gestas aboleat processus temporum, confirmat illas solemnis titulus litterarum. Agnoscant igitur universi tam presentes quam futuri presentem paginam inspecturi, quod nos Sixtus et Wirbentha, heredes de Clesczew, duobus fratribus, Martino videlicet et Venceslao nostris fidelibus servitoribus, sculteciam in dicta hereditate nostra Klesczew vendidimus pro triginta marcis argenti usualis. In qua hereditate mensurati sunt quadraginta mansi et tercius dimidius mansus, quos mansos ipsi locare et populare debent iure Theuthonico, scilicet Novi fori, ex quibus mansis, racione locacionis, pro ipsis et eorum posteris sextum et septimum mansum, liberum a censu et decima et ab omni solucione, pacifice et quiete in perpetuum retinebunt. Insuper cupientes ipsos prosequi maiori nostra benevolencia et favore, perspectis serviciis ipsorum que nobis semper fideliter ostenderunt, addimus eis et eorum successoribus unum mansum, quem ita libere habituri sicut et ceteros mansos perpetuo possidebunt. Nos vero ad utilitatem curie nostre de mansis sepedictis excipimus tres mansos, quos permittimus nostros colere aratores. Colonis autem, quos locaverint super reliquos mansos, septem annis plenam dedimus libertatem; qua expirante, memorati coloni nobis et nostris posteris, semper in festo beati Martini confessoris atque pontificis et duobus diebus sequentibus, de quolibet manso pro censu et decimali solucione fertonem argenti usualis et unam maldratam triplicis frumenti, videlicet quatuor mensuras tritici, quatuor siliginis et quatuor avene, singulis annis solvere tenebuntur. Currum eciam unum sine expensis ad expedicionem cum duobus equis, dum per nos et nostros posteros requisiti fuerint, nobis ac nostris posteris mittere teneantur. Pro glandinibus et aliis pascuis, in gayo nostro et circumquaque gayum iacentibus et provenientibus, superius memorati coloni omnibus annis nobis et nostris liberis de quolibet manso ad solvendam mensuram avene esse debeant obligati. Contulimus preterea dictis scultetis et eorum successoribus, racione scultecie, tercium denarium de proventibus iudiciorum et iuramentorum, dantes eis omnimodam facultatem, omnes causas, parvas et magnas, que in dicta villa seu hereditate emerserint, sicut sunt furta, homicidia, et alia queque plurima, iudicandi. Interserimus autem, quod ter in anno debeat esse magnum iudicium, ad quod iudicium personaliter veniemus, aut nuncium nostrum mittemus, quem tunc temporis eligemus ad mittendum. Cui nuncio nostro, aut nobis, villani sepius

memorati duobus diebus quibus fuerit iudicium dabunt expensas, sculteti vero uno die dare expensas aut fertonem argenti usualis tenebuntur; similiter et villani, si voluerint, pro expensis dare poterunt fertonem argenti. Damus eciam dictis scultetis nostris et eorum heredibus pistoream liberam et tabernam, macellum carnificum liberum et sutoriam liberam in villa superius memorata. Et habeant liberum arbitrium edificandi et construendi stagnum et molendinum super aquam, dictam Chranstina, cum utilitate piscium, si qui fuerint in eodem stagno. Conferimus eciam eis dimidium pratum, quod iacet prope metas hereditatis venerabilis patris domini episcopi Poznaniensis, dicte Tanborz. Item volumus, ut libere utantur pascuis nostris in gayo et preter gayum, sicut et nos. Addidimus quam ob rem, si tempore procedente dictam scultetiam unum habere contigerit, de nostra bona voluntate et permissione non ficta, omni illo qui mansos prefate scultetie tenebit, quod in pascuis et in aliis omnibus eadem qua sculteti gaudebit libertate. Damus eciam eis et ipsorum heredibus plenam libertatem dictam sculteciam vendendi, donandi et commutandi, seu quocunque alio modo a se alienandi, quando ipsis videbitur expedire. Item damus eis et eorum successoribus octo hortos liberos, qui zagrodi vulgariter nuncupantur. Ut autem hec nostra vendicio, prefatis scultetis Martino et Venceslao et eorum successoribus per nos rite facta, robur perpetue obtineat firmitatis, presentem paginam eis dari fecimus, sigillorum nostrorum munimine consignatam. Acta sunt hec in villa dicta Koberzno presentibus hiis testibus, videlicet comite Petro Thanycz, comite Sandivogio herede de Raysco, comite Alberto filio quondam comitis Bartholomei, Victore filio quondam comitis Pauli, et Hermano sculteto nostro de Blyzanow. Datum ibidem in Koberzno in die beati Martini confessoris atque pontificis, anno gracie Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo.

Clesczew, *Kleszczew.* Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szląsku.* Aqua dicta Chranstina, *dziś mały strumyczek bez nazwiska.* Tanborz, *Taniborz.* Koberzno, *Kobierno.* Raysco, *Rajsko.* Blyzanow, *Blizanów.*

Nr. 691.

Secundus Premisl dux Polonie 1292 Dec. 21, in Conino; protestatur, tironem quendam dictum Clamping vendidisse duos mansos liberos in villa Tykadłów, quorum incolis multa privilegia largitur, cuidam Francisco.

Kalisz. Archiwum Rządowe. Inscription. Castrens. Kalissiens. a. 1546, Lib. 9, fol. 235. (Z transsumptu oryginalnego, potwierdzonego przez: Sigismundus rex Polonie etc. 1544 Dec. 9, Cracovie, *i pieczęcią tegoż króla opatrzonego).*

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum munimine roboramus. Igitur nos secundus Premisl Dei gratia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostram nostrorumque baronum presentiam veniens tiro, dictus Clamping, suos duos mansos liberos, quos a nobis habuit in villa nostra wlgariter dicta Thikadlowo, vendidit pro octo marcis usualis monete et resignavit Francisco atque suis legitimis successoribus, iure hereditario perpetuo possidendos, dans ei omnem potestatem vendendi, commutandi atque donandi prout sibi melius videbi-

tur expedire, itaque videlicet, quod durante tempore nullus predictum Franciscum vel suos successores ullo iudicio seu calumnia in prefatis mansis valeat perturbare. Nos vero, cupientes dictum Franciscum pro suis fidelibus serviciis remunerare, liberamus supradictos mansos et incolas habitantes in eis a iudicio Theutonicali, astancia et castri citatione, ita quod nec aliquis iudex cum eis quitpiam habeat in iudicacione, et nisi annulo nostro citati, ad presenciam nostram respondere tenebuntur. Liberamus etiam seu absolvimus sepedictos mansos, seu incolas eorum, ab omnibus solucionibus Polonicalibus seu Theuthonicis, exactionibus et collectis, angariis ac perangariis, nominibus quibuscunque censeantur, et ab omnibus solucionibus sint immunes, que ad nostri ducatus usum provenire dinoscuntur. Ut autem hec nostre gracie protestacio atque donatio graciosa, similiterque ipsorum ordinacio, firma atque stabilis perpetuo permaneat, presentem paginam scribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari cum testibus subnotatis: comite Bozatha castellano Lendensi, comite Ubislao pincerna Calisiensi, domino Gabriele cantore Gneznensi, comite Bronisio venatore Lendensi, comite Ozia thezaurario Lendensi. Acta sunt hec in die beati Thome apostoli, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo. Datum in Conino per manus Petrini notarii curie nostre.

Thikadlowo, *Tykadłów*. Lendensis, *de Ląd.* Conino, *Konin.*

Nr. 692.

Premislius secundus dux Maioris Polonie etc. 1293 Ian. 7—12, in Kalis; dat ecclesiae Gneznensi in recompensatione damnorum, quae occasione guerrarum super dominio terrarum Cracoviae et Sandomiriae fuerat passa, quasdam summas pecuniae in suppa ducatus Cracoviensis locatas, seseque defensorem eiusdem ecclesiae declarat.

Pergam. orygin. Na sznurze jedwabn., czerwon. przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXVI).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 56. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 76.

In nomine Domini amen. Ne res gestas aboleat transcursus temporum, confirmare solet eas solempnis titulus litterarum. Hinc est igitur quod nos Premislius secundus, Dei gracia dux Maioris Polonie et heres Cracovie, tenore presencium notum esse volumus universis presentibus et futuris, quod cum ecclesia Gneznensis metropolitana et mater nostra, occasione guerrarum ortarum super dominio terrarum Cracovie et Sandomirie dampna plurima et iniurias perceperit, nos ipsam filiali prosequentes affectu conservareque volentes indempnem, ymmo antecessorum nostrorum vestigiis insequentes, ipsam tanquam caput aliarum ecclesiarum Polonie magnificare ac honorare ut condecet cupientes, trecentas marcas argenti in suppa ducatus eiusdem, annis singulis, temporibus quibus suppa solvi consuevit aut quibus tenetur, venerabili in Christo patri domino Iacobo sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo et ecclesie Gneznensi promittimus, et exnunc, quantum in nobis est et quantum nobis de iure competit vel competerit in futurum, ob honorem Dei et beate Marie virginis

beatique Adalberti, iure hereditario damus et conferrimus perpetuo possidendas, ad hoc sibi supparios qui pro tempore fuerint obligantes. Promittimus nichilominus eidem venerabili patri ducentas marcas argenti puri de eadem suppa, preter numerum dictarum trecentarum marcarum, primis duobus annis, centum videlicet in dictorum annorum quolibet assignare. Promittimus insuper eidem venerabili patri, iura Gneznensis ecclesie que eidem de iure communi conpetunt vel ex privilegiis quibuscunque, et consuetudines laudabiles antiquitus observatas manutenere et illibata indisscussaque firmiter observare, et bona ecclesie Gneznensis a violenciis et iniuriis pro viribus defensare. Actum anno Domini M.CC.XC. tercio, infra octavam Ephifanie in Kalis, presentibus Nicolao palatino, Andrea cancellario, Bervoldo castellano, Rokene venatore Kalisiensibus, et domino Philippo Gneznensi achidiacono, et Iohanne notario nostro.

Nr. 693.

Premisl secundus dux Polonie 1293 Febr. 10, in Posnania; ratam habet donationem villae Tarnowo, a Philippo archidiacono Gneznensi, Sandivogio subcamerario Kalisiensi, Nicolao palatino de Tczew et Michaele subpincerna Kalisiensi, filiis quondam Iankonis, ecclesiae Poznaniensi factam.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny, zielony; pieczęci nie masz.
Poznań. Archiv. Capituli. II, 1.

In nomine Domini amen. Cum labilis sit etas mortalium, et de gestis ipsorum quamvis racionabilibus sueverit calupnia suboriri, necesse est, ut ea que inter mortales aguntur, litterali memorie comendentur, que veritatis est indicium ac certitudinis argumentum. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, cupientes digna negocia, nostro precipue testimonio delata, debita gaudere firmitate, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia constituti, discretus vir dominus Philippus archidyaconus Gneznensis, Sandivoius subcamerarius Kalissiensis, Nycolaus palatinus de Trcsev et Michael subpincerna Kalissiensis milites nostri, filii quondam Ianconis, villas hereditario sibi iure debitas, videlicet Tarnovo utrumque, unum patris ipsorum comitis Ianconis et aliud quondam comitis Arcanboldi patrui ipsorum, diligenti deliberatione prehabita, ecclesie Poznaniensi, presente venerabili patre nostro domino Iohanne episcopo eiusdem ecclesie, in ipsius persona ob salutem suam et animarum parentum suorum unanimiter et sincero animo contulerunt cum omni iure et utilitate, que inibi sunt in presenti et haberi poterint in futurum, et hec a nobis ratificari et confirmari humiliter postularunt. Nos vero ipsorum iustis desideriis annuentes et huiusmodi elemosine ac meriti participes fieri cupientes, hanc donacionem gratam et ratam habentes nostro privilegio confirmamus, et libertatem incolis earumdem villarum liberaliter condonamus, volentes, ut eodem iure, consuetudine et honore dicte ville perpetuo perfruantur, quo iure, consuetudine et honore singule ville ecclesie Poznaniensis fruuntur ab antiquo pacifice et quiete. Ne vero super his in posterum posset dubitari, presentes conscribi iussimus et sigilli nostri munimine roborari. Acta sunt hec in Posnania quarto Idus Februarii, anno dominice Incarnationis millesimo ducentesimo nonagesimo tercio. Testes autem sunt hy qui geste rei sua

presencia interfuerunt: comes Thomislaus palatinus Poznaniensis, comes Petrco castellanus Poznaniensis, comes Zementha de Velaves, dominus Thilo prepositus de Santok. Ego Iasco notarius domini mei ducis prenominati his eciam interfui, et de mandato ipsius presens privilegium propria manu conscripsi.

Trcsev, *Tczew.* Tarnowo, Wielawieś, Santok, *dziś tak samo.*

Nr. 694.

Premisl secundus dux Polonie 1293 Apr. 19, in ecclesia Poznaniensi; villam Kobylniki et oppidum Środka ecclesiae Poznaniensi ea conditione confert, ut ante suum et coniugis suae sepulcra horis canonicis luminaria alantur.

Pergam. orygin., częściowo przetlały. Sznurek jedwabny, czerwony przez 3 dziurki przewleczony; pieczęci nie masz.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 3.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, si non litterarum memorie fuerint commendata. Igitur nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, volentes ut ea que nostris temporibus et per nos aguntur, robur perpetue optineant firmitatis, ad noticiam presencium et futurorum volumus pervenire, quod ob amorem ecclesie Poznaniensis quem ad ipsam semper habuimus et habemus, et propter nostram salutem ac nostrorum parentum remedium animarum, villam nostro ducatui pertinentem que Cobilnichy vulgariter nuncupatur, sitam prope Tarnovo, de consilio et voluntate baronum nostrorum damus, tradimus et conferimus ipsi ecclesie Poznaniensi in persona venerabilis patris nostri domini Iohannis, episcopi eiusdem ecclesie, cum omni iure, utilitate ac libertate ea, quam omnes ville antique ecclesie predicte habent et a nostris parentibus habuerunt, addicientes ad hec locum aput ecclesiam sancte Margarethe, qui Srodca dicitur in vulgari, in quo idem dominus episcopus et sui successores liberam habeant facultatem locandi Theutonicos sive Polonos. Et hii qui ibi locati fuerint, habeant tabernas et opperarios calciamentorum quodcunque ipsis videbitur expedire, unum macellum carnificum et unum pistrinum; et si fuerint pannifices, pannos integros in nostra vendant civitate. Manentes vero ibidem, omni a nobis et nostris successoribus gaudeant libertate. Predictus vero dominus episcopus, nostra devocione quam ad ecclesiam Poznaniensem habemus inspecta, promisit et se ac suos successores cum consensu sui Capituli obligavit, semper in horis canonicis omnibus ad nostrum et coniugis nostre defuncte sepulcra habere candelam ardentem et in nocte lumen de sepo vel oleo, que nunquam defficient nec cessabunt. Et ut ista firma perpetuo perseverent, presentem litteram conscribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Acta sunt hec in ecclesia Poznaniensi XIII Kalendas May, anno gracie Domini M.CC nonagesimo tercio, presentibus his baronibus nostris: comitibus Nycolao palatino Kalisiensi, Petrcone castellano Poznaniensi, Thomislao castellano et iudice Gnesnensi, Dyrsicraio iudice Kalisiensi, Boguslao castellano de Usche et subcamerario Poznaniensi, Pacoslao filio Scedricy. Ego Iasco notarius domini mei ducis prenominati hiis eciam interfui, et de mandato ipsius presens privilegium conscripsi et propria manu sigillavi.

Cobilnichy, *Kobylniki.* Tarnowo, Środka, *dziś tak samo.* Usche, *Ujście.*

Nr. 695.

Secundus Premizl dux Polonie Maioris 1293 Apr. 23, in Gnezdna; concedit monasterio Ląd, ut hereditatem Jaroszyn, plurimis a se immunitatibus dotatam, iure Theutonico locare valeat.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny, czerwony przez 3 wcięcia poprzeczne przewleczony; pieczęci nie masz.

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae, I, Nr. 83.

In nomine Domini amen. Omnis actio temporalis memoria indigens ne pravorum hominum suggestionibus depravetur, utile visum est, ut scripture testimonio roboretur, et iusticia debitum sorciatur effectum. Noverint igitur universi presentem paginam visuri, quod nos secundus Premizl, Dei gracia dux Polonie Maioris, cupientes que ad cultum divini nominis spectant nostris temporibus pocius augeri quam diminui, et ea prout possumus liberius confovere, quapropter nos progenitorum nostrorum devocionem quam semper habuerunt erga domum Lendensem pio prosequentes affectu, contulimus reverendo patri domino Gerardo abbati domus eiusdem et suis fratribus interpellantibus, auctoritatem locandi in hereditate quė Iarossino dicitur villam cum Teutonicis et liberis Polonis, pleno iure Teutonicorum. Verum, quia donum Deo collatum legibus principum subiacere non debet, volumus predictam villam liberam et exemptam esse a povoz, a prevod, a strosa, a dan, a naraz, a podvorove, a targove, a mostne, a castrorum edificio sive poncium quorumlibet, a recepcione subvenatoris seu custodis, vel conductu castorariorum, a vicinia quod opole wlgariter nuncupatur, a custodia vel solucione erodiorum quod socol nuncupatur, et ab omni exactione seu colleccione quod povolove dicitur, a vecturis et expedicionibus, vel omnibus iuribus in Polonia constitutis, quibuscumque censeantur nominibus; hoc solo excepto: cum aliquis contra dominum *(sic)* nostrum insultum fecerit, quod coloni sepedicte ville una nobiscum tenebuntur defensare. Iudiciorum nichilominus omnium, ut est de contentione, percussione, membrorum mutilacione, sive eciam capitis perplectione, ut maiorem circa Dominum in tremendo iudicio fiduciam habeamus, predictis fratribus per suum iudicem exsequenda (*sic*) liberam auctoritatem concedimus; nulli ergo castellanorum aut iudicum sive citandi sive iudicandi in ipsa villa ius aliquod reservantes. In huius rei testimonium, presentem paginam nostri sigilli munimine roboramus presentibus hys: comite Bozeta castellano Lendensi, comite Iohanne castellano Sremense, comite Bogmilo venatore Gnezdnensi, comite Lasch subdapifero domine ducisse, et aliis quam pluribus fide dignis. Datum in Gnezdna Adalberti martyris, anno Domini MCC nonagesimo tercio, per Iaschonem notarium nostrum.

Lendensis, *de Ląd.* Sremensis, *de Śrem.* Iarossino, *Jaroszyn.*

Nr. 696.

Iacobus archiepiscopus s. Gneznens. ecclesie 1293 Apr. 25, s. l.; confert monasterio Ląd decimas in villis quibusdam, ipsi monasterio proximioribus; pro quibus hereditates Gosławice et Zabartow cum decimis in quibusdam villis remotioribus accipit.

Poznań. Königl. Staats Arch. Ląd, Lib. privil. B, Nr. 39. — Damalewicz, Series archiepiscoporum Gnezn. pag. 170. (Z licznemi opuszczeniami i omyłkami).

In nomine Domini amen. Quoniam oblivionis inercia nonnunquam fluxu temporis facta rite et de maturo consilio celebrata subtrahit a memoria posterorum, nos Iacobus divina miseracione archiepiscopus sancte Gneznensis ecclesie notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod attendentes ad nos ex debito pastoralis officii pertinere, ut piis locis et religiosis personis, qui se, abdicantes seculo, Domino devoverunt, taliter providere ac ipsorum statui consulere debeamus, quod pacis suffulti presidio divino cultui eo commodius valeant inherere, considerantes quoque decimas domus Landensis, Ordinis Cisterciensis, in Twardowo Theutonicalis et Polonicali, in Wardeszino, in Skarbencice, a domo seu monasterio Landensi plurimum elongatas, in tantum quod in eisdem fratres domus predicte fructum facere non poterant ut volebant, non volentes et pium iusta petentibus obdurare auditum, receptis ab eis prescriptarum villarum decimis et ipsis mense nostre archiepiscopali usibus applicatis, predictis domino Gerardo abbati et monasterio Landensi decimas nostras, sive ad mensam nostram spectantes, in villis ipsi monasterio adiacentibus, de fratrum nostrorum consilio et consensu duximus assignandas, videlicet in Policko, Rokitnica, Dedzice, Golkowice, Kotunia comitis Gervardi cum villula eiusdem Kluchniki vocata, cum pleno iure ipsarum hereditatum predictarum quoad decimas, tam in novalibus quam in agris iam dudum excultis, ipsis abbati et monasterio Landensi in perpetuum possidendas. Ipsi vero abbas et conventus monasterii antedicti, in supplementum suarum predictarum decimarum, nobis et ecclesie nostre Gneznensi duas villas, videlicet Goslavice et Zabardovo, prout earum metis seu limitibus ab aliis sunt distincte, cum pleniore iure et dominio et cum omnibus proventibus, attinenciis, fructibus et utilitatibus, quocunque nomine censeantur, que intra predictarum villarum limites nunc sunt aut esse poterunt in futurum, dederunt, tradiderunt et assignaverunt, iure perpetuo pacifice una cum prescriptarum villarum decimis possidendas: caventes de eviccione earundem villarum Goslavice et Zabartovo, si super ipsis nos vel ecclesia nostra per quempiam fuerit infestata, preter unam sortem in Goslavice, quam Crivosandus Andree de Riszow sibi nititur vendicare. Ut autem hec nostra ordinacio seu commutacio stabilis perseveret et robur obtineat perpetue firmitatis, presentes litteras ipsis abbati et monasterio Landensi dari fecimus, sigillorum, nostri et Capituli nostri Gneznensis, appensione munitas. Actum et datum anno Domini M.CC.XC. tercio, in die sancti Marci evangeliste, presentibus honorabilibus et discretis viris: dominis Vlostiborio preposito, Goslao decano, Gabriele cantore, Philippo archidiacono, Philippo scolastico, Alexandro custode Gneznensibus, et aliis fidedignis.

Landensis, *de Ląd.* Twardowo Theutonicalis et Polonicalis, *Twardowo.* Wardeszino, *Wardężyn.* Skarbencice, *Skarbienice.* Policko, Rokitnica, Dziedzice, Gołkowo,

Kotunia, *dziś tak samo.* Kluchniki, *nie odgadnione.* Goslavice, *Gosławice.* Zabardovo, *Zabartów.* Riszow, *Ryszewo.*

Nr. 697.

Iacobus Gneznens. archiepiscopus 1293 Apr. 26, in Gnezna; commutat villam suae ecclesiae dictam Pikarty, cum villa Nicolai filii Abrahae, vocata Złotkowy.

Pergam. orygin. W doln. założon. brzegu dwa grube pasma jedwabiu czerwon. i żółt. Z pierwszego pieczęć znikła; na drugiem pieczęć Kapituły Gnieźnieńskiéj; (pieczęć XXIV).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 57.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que aguntur in tempore cum tempore pariter elabuntur, provida veterum sanxit auctoritas, ut gesta mortalium scripture testimonio ad perhennem memoriam et futurorum noticiam transferantur. Hinc est quod nos Iacobus, Dei gracia Gneznensis archiepiscopus, una cum nostro Capitulo presentibus protestamur, quod cum Nicolao milite domini Premislii ducis Polonie, filio Abrahe, talem commutacionem fecimus villarum infrascriptarum: quod nos recepimus ab eodem Nicolao villam ipsius dictam Lutkovo vulgariter, que alio nomine Slotnici nuncupatur ex eo quod in ea ducis aurifabri resederunt, sitam in castellania Lendensi, cum omnibus utilitatibus et fructibus ipsius, et dedimus sibi villam nostram que Pikardovo nuncupatur, sitam iuxta Dobrczam, cum omnibus pratis et silva eidem adiacente ac aliis fructibus omnibus et utilitatibus ipsius, de beneplacito et consensu nostri Gneznensis Capituli supradicti sibi suisque successoribus iure hereditario in perpetuum possidendam. In cuius commutacionis robur et testimonium, presentes litteras sigillis, nostro et nostri Capituli sepedicti, fecimus communiri. Datum in Gnezna anno Domini M.CC.LXXXX tercio, in crastino sancti Marci ewangeliste, presentibus honorabilibus viris: dominis Wlostiborio preposito, Gozslao decano, Philippo archidiacono, Gabriele cantore, Philippo scolastico, Alexandro custode Gneznensibus, et aliis fidedignis.

Lutkovo sive Slotnici, *Złotkowy.* Lendensis, *de Łąd.* Pikardovo, *Pikarty.* Dobrcza, *Dobrzec.*

Nr. 698.

Secundus Premisl dux Polonie 1293 Mai. 24, in Dlusco; ratam habet permutationem villae ecclesiae Gneznensis dictae Biskupice, pro villa Sixti et Wirbentae, filiorum Wirbente, nomine Lisków.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 4 v.

In nomine Domini amen. Ne res gestas, recordacione dignas, labentis temporis fluxus aboleat et earum memoria in oblivionem defluat, per momenta scribi solent testiumque et scripturarum testimonio perhenniter roborari. Proinde nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum esse volumus universis presentibus

et futuris, quod inter venerabilem in Christo patrem dominum Iacobum Dei gracia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopum ex parte una, et inter milites nostros Sixtum et Wirbentam filios Wirbente ex altera, talis, hinc inde habitis super eo diversis tractatibus, ex consensu utrorumque unanimi voluntate ordinacio seu permutacio in nostra presencia concorditer intervenit: quod videlicet prefatus dominus archiepiscopus ipsis nostris militibus villam ecclesie sue dictam Biscupicy seu alio nomine Doluplozicy, eis adiacentem, iure perpetuo ac hereditarie cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis coram nobis liberaliter assignavit. In recompensacionem autem ville sue, aliam ab ipsis fratribus villam que dicitur Llysconicy, sitam prope Zichovich, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, videlicet agris, pratis, silvis et mellificiis, vel alias undecunque provenientibus, permutacionis nomine simul receptavit. Nos autem utilitati communi sicut tenemur prospicere cupientes, ipsam permutacionem iustam et utilem, ratam et gratam habuimus et habemus: hoc addicientes, quod incole memorati venerabilis patris domini archiepiscopi, hac in ipsa villa Liscomica libertate gaudebunt, quam omnes ville antique archiepiscopales ex predecessorum nostrorum privilegio et confirmacione Sedis apostolice diucius optinere dinoscuntur. In ipsa autem villa Doluplosicy iura pro nobis ducalia, similiter in recompensacionem, totaliter reservamus, secundum ius et consuetudinem militalem. In quorum omnium noticiam et evidenciam cerciorem, presentem litteram scribi fecimus, et in signum confirmacionis, nostri sigilli munimine confirmari presentibus hiis qui geste rei sua presencia interfuerunt: domino Philippo archidiacono Gneznensi, comitibus Sandivogio subcamerario Kalisiensi et castellano Rudensi, Ubislao pincerna Kalisiensi. Ego Iasco notarius domini mei ducis pretaxati hiis eciam interfui, et de mandato ipsius presenti pagine propria manu subscripsi. Datum in Dlusco in die sancte Trinitatis, anno gracie Domini M.CC. nonagesimo tercio.

Biscupicy als. Doluplozicy, *nie odgadnione, które Biskupice z pomiędzy wielu tego nazwiska w Wielkopolsce.* Llysconicy, *Lisków.* Zichovich, *Żychow.* Rudensis, *de Ruda.* Dlusco, *Dłusk.*

Nr. 699.

Naceslaus heres de Dobrossulow 1293 Iun. 24, in Casimir; dat Henrico villam suam Dobrosołowo, iure Theutonico locandam.

Gniezno. Archiv. Consistorii Metropol. A. C. anni 1409. (Kopia z pergam. oryginalnego, u którego na sznurku jedwabn., czerwon. przywieszona podługowata pieczęć przedstawiała godło rodu Nowina; z napisu: S. Nacislai co . . .) *Lewy brzeg księgi nadgniły.*

Noverint universi tam presentes quam futuri ad quorum noticiam presens scriptum fuerit devolutum, quod ego Naceslaus heres de Dobrossulow villam meam Dobrossulow Henrico profiteor dedisse de septimo manso et sexto iurē Theutunico locandam, ita videlicet, quod idem Henricus et sui heredes vel successores racione locacionis et iure scoltecie habebunt tercium denarium de qualibet re iudicata, michi vero duos presentabunt. Dedi eciam eidem scolteto et suis posteris unum maccellum carnium, pistrinum, fabricam et domum sutoriam construendi (*17 lit. deletae*). .

veniencia idem scoltetus et sui posteri perpetuo et libere possid.. (*17 lit. del.*) eidem scolteto in villa et bonis eisdem molendinum edificare (*17 lit. del.*). Item predicto scolteto admisi in villa mea Dobrossulow ve.. (*14 lit. del.*) lepores et alias parvas feras, et pisces qualescunque in lacu su.. (*14 lit. del.*) incolis prenominate ville Dobrossulow a census solucione et ab om.. (*14 lit. del.*).. tonibus dedi sedecim annis omnimodam libertatem. Quibus evulsis (*14 lit. del.*) ville michi et meis successoribus sex mensuras avene qua.. (*14 lit. del.*) duas tritici et fertonem usualis argenti quolibet anno de quolibet (*13 lit. del.*) solvere et prestare perpetuo tenebuntur. Preterea currum vacuum cum duobus (*13 lit. del.*) sine inposicione expensarum ad expedicionem seu colloquium mittere michi (*12 lit. del.*) meis successoribus dicti incole perpetuo sint astricti. In cuius rei testimonium, presentem litteram mei sigilli appensione mandavi communiri. Actum et datum in Casimir in die beati Iohannis Baptiste, sub anno Domini M.CC. nonagesimo tercio, presentibus hiis comitibus: Iohanne castellano de Srem, Nelas carzone venatore, Andrea, Floriano, Olsamo, Goslao advocato de Conin, et aliis quam pluribus fidedignis.

Dobrossulow, *Dobrosołowo.* Casimir, *Kaźmierz.* Srem, *Śrem.* Conin, *Konin*

Nr. 700.

Premisl secundus dux Polonie 1293 Iun. 29, in Poznan; protestatur, Nicolaum et Iohannem, filios b. m. Bozathae, ratione hereditatis Lubrza cum monasterio Paradyż concordiam fecisse.

Rogalin, Biblioteka. Paradis, Lib. privil. Nr. 51.

In nomine Domini amen. Cum propter avaricie seminarium excreverint mala multiplicia super terram, et propterea diligant homines antecessorum suorum facta, ordinaciones et contractus legitimos magis infringere quam firmare, necesse est ea que aguntur a mortalibus, ne simul cum ipsis moriantur, scripturarum caucioni tradere et annotatis testibus posterorum noticie commendare. Idcirco nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, presentis pagine exaracione notum esse volumus universis presentibus ac futuris, quod causa que vertebatur inter Nicolaum et Iohannem, filios Bozathe, ex una parte, et inter dominum Sigelbertum abbatem et conventum claustri de Goscichov quod Paradisus dicitur ex parte altera, super hereditate Lubrze nuncupata, eidem claustro contigua, quam prefatus Bozatha eisdem abbati et conventui contulit donacione libera propter Deum, recolens beneficii eorum, videlicet quod ipsi eum redemerunt de captivitate pro quadraginta marcis Theutonicalis ponderis et argenti, prout patris nostri pie memorie ducis Premislonis privilegialis stipulacio protestatur: pro bono pacis, accedente nostro consensu, mediantibus probis viris, in concordiam est perducta. Ita duntaxat, quod predicti abbas et conventus Paradisi memoratam hereditatem Lubrze quam quadraginta annis et supra iusto titulo possederunt, adhuc libere et quiete in perpetuum, sine omni retractacione prefatorum Nicolai et Iohannis filiorum Bozathe filiorumque ac cognatorum ipsorum, possideant pacifice et quiete. Et ad omnis querele et controversie precisionem, Nicolao et Iohanni filiis Bozathe prelibatis, qui coram nobis omni iuri et accioni, que eis videbatur competere de Lubrze, pro se ac suis posteris cognatisque suis filiis

Mironis, Henrico et Bozatha, patrui eorum, qui tunc presentes astiterunt et pariter cum ipsis abrenunciaverunt, et donacionem sui patris, abrenunciantes iuri et accioni prout dictum est, ratificantes confirmaverunt: abbas et conventus supradicti dederunt ducentas marcas et decem, Polonicalis ponderis et argenti, ad terminos qui per mediatores eorum sunt statuti, tali pacto, quod si unquam super huiusmodi possessione hereditatis predicte, Nicolaus et Iohannes predicti aut eorum posteri vel cognati abbatem et conventum Paradisi in aliquo perturbaverint, statim contra ipsos dominus episcopus Poznaniensis per sentenciam excommunicacionis procedere teneatur, quoadusque ab eorum molestacione desistant et de dapnis satisfaciant congruenter. Ut autem hec ordinacio, coram nobis ex consensu utriusque partis facta, inconvulsa et inviolabilis maneat in eternum nec per aliquem posterorum debeat irritari, presentem paginam pro testimonio conscribi fecimus et nostro ac domini episcopi Iohannis Poznaniensis sigillis iussimus roborari. Acta sunt hec publice in Poznan anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tercio, in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli, Indiccione sexta, mediantibus et attestantibus probis viris: domino Woycecho preposito et domino Iacobo cognomine Scorupca, canonicis Poznaniensibus, nec non militibus nostris: Nicolao palatino Kallisiensi, Woycecho castellano de Cbansim, Wisslao castellano de Mezerech et fratre eius Predpelco, et aliis quam pluribus fidedignis. Ego Iasco notarius domini mei ducis prefati his eciam interfui, et de mandato eius presens privilegium propria manu conscripsi.

Paradisus, *Paradyż*. Lubrze, *Lubrza*, *dziś z niemiecka Liebenau*. Cbansim, *Zbąszyń*. Mezerech, *Międzyrzecz*.

Nr. 701.

Secundus Premuzl dux Polonie 1293 Iun. 30, in Poznania; confert comiti Tarscin hereditatem Ostrow, multis a se immunitatibus dotatam.

Pergam. orygin. W dolnym, założonym brzegu dwa wcięcia trójkątne od przywieszenia pieczęci. Pergamin i pismo nie podobne do innych dyplomatów tegoż księcia, mianowicie nie wyszło z pod ręki Jaśka ani Mikołaja.

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata. — Kalisz, Archiw. Rządowe, transsumpt oryginalny, potwierdzony przez: Sigismundus Augustus rex Polon. etc. 1557 fer. 5ta a festo s. Agnethis, Varschoviae in conventione regni *w pergam., u którego na sznurze z nici jedwabn., zielon. i czerwon. przywieszona pieczęć Zygm. Aug. króla, przedstawia na tarczy Orła w koronie, na około którego na 10 tarczach godła Ziem królestwa; na pierwszéj godło Sforzów.*

In nomine Domini amen. Quoniam humani generis actiones sepius corrumpuntur et ad nichilum deveniunt nisi litterarum munimine sint fulcite, nos igitur secundus Premuzl Dei gracia dux Polonie notum facimus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod intuentes fidelia servicia comitis Tarscini exhibitoris presentium, qui nobis in omnibus sua servicia fideliter ostendit, sibi suisque successoribus nostram hereditatem que Ostrovo vulgariter nuncupatur, circa rivulum Prosnam iacentem, contulimus cum omnibus utilitatibus secundum quod nos habuimus libere in perpetuum possidendam, taliter quod nullus aliquid habeat ad

eandem hereditatem, sed supradictus comes, noster fidelis servitor, omnes ipsius habeat utilitates. Item vero, si aliquis vel aliqui repetere vellet eandem hereditatem, dicens eam suam esse: eum sic ab exnunc prout extunc abiudicamus, et sepedictum comitem Tarscin ad eandem confirmamus hereditatem. Absolventes eandem hereditatem ab omni solucione Polonica que ad nostrum dominium dinoscitur pertinere, videlicet a naraz, a povoz, a prevod, a podvozove (sic), a poradlne, a bove, a vacka (sic), et a citacione castri nisi nostro sigillo evocentur. Habeat eciam parvas et magnas causas iudicandi, duello et ferro. Ut autem nostra donacio tam rite peracta, nec per nos aut per nostros successores seu alicuius temeritate in posterum valeat irritari, presentem paginam nostri sigilli fecimus communiri (sic) presentibus hiis testibus: comite Nycolao palatino Kalisiensi, comite Potrec castellano Poznaniensi, comite Gnomirs (sic) iudice Poznaniensi, comite Ianus Pilgrimovic dapifero Kanlisiensi (sic). Acta sunt hec in Poznania anno Domini M.CC nonagesimo tercio, in crastino beatorum apostolorum Petri et Pauli, datum per manus Iesconis scriptoris curie nostre.

Ostrovo, *Ostrow.*

Nr. 702.

Premisl secundus dux Polonie 1293 Iun. 30—Iul. 5, in Poznan; confirmat donationem hereditatis Mascovo, a Iohanne et filio eius Iacobo, monasterio de Zemsko factam.

Pergam. orygin. Na sznurkach jedwabnych, czerwonych przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXVI).

Poznań. Königl. Staats Arch. Blesen 8.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis negocia litterarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, cupientes digna negocia, nostro precipue testimonio delata, perpetua gaudere firmitate, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia constitutus Iohannes dictus Mascove cum filio suo nomine Iacobo, deliberacione provida prius habita, ob remedium animarum suarum partem hereditatis Mascovo vulgariter nuncupate, que ipsum et filium suum racione patrimonii contingebat et hereditario iure, monasterio de Zembrsco Ordinis Cisterciensis in persona religiosi viri domini Nicolay abbatis domus eiusdem contulit et resignavit, iure hereditario perpetuo possidendam. Que pars dicte hereditatis sic suis limitibus est circumferencialiter distincta: secundum quod via ducit de Ponikva directe in rivulum, que via currit in Skrelewe, et sic rivulus dictus per medium. Et hec eadem pars hereditatis sita est ex parte ville Cruciferorum, Templevo vulgariter nominate. Nos vero considerantes huiusmodi donacionem rite et racionabiliter celebratam, participes fore cupientes dicte elemosine, ipsam aprobantes et ratificantes decrevimus robur optinere perpetue firmitatis. Et ne quispiam huic donacioni processu temporis et nostre confirmacioni obviare présumat, presentes conscribere Iasconem notarium nostrum iussimus et sigilli nostri munimine roborari. Actum et datum in Poznan infra octavas beatorum apostolorum Petri et Pauli, anno gracie Domini M.CC. nonagesimo tercio, presentibus

his testibus: comitibus Boguslao castellano de Usche et subcamerario Poznaniensi, Wlostone castellano de Drezen, et domino Thilone preposito de Santok.

Mascovo, *osada znikła.* Zembrsco, *Zemsko.* Ponikva, *dziś z niemiecka Neudorf.* Rivulus, *sc. Ponikwa rz.* Skrelewo, *z niem. Schermeisel.* Templevo, *z niem. Tempel.* Usche, *Ujście.* Drezen, *Drzeń czyli Dryżyna, dziś Drezdenko.* Santok, *Santok.*

Nr. 703.

Henricus dux Silesie et dominus Glogovie 1293 Iul. 12, Stinavie; liberat fratres monasterii Paradyż, venientes ad fora in civitates sui ducatus, ab extorsione thelonei.

Rogalin, Biblioteka. Paradis, Lib. privil. Nr. 52.

Henricus Dei gracia dux Silesie et dominus Glogovie, universis advocatis et civibus suis per ducatum suum constitutis graciam suam. Quia fratres Ordinis Cisterciensis de Paradiso, quos in nostram specialem recipimus proteccionem, a primis temporibus predecessorum nostrorum libertate pura et omnimoda impetrata eadem hactenus sunt potiti, omnes nundinas et fora civitatum nostrarum ementes quaslibet res necessarias libere frequentabant, quolibet gravamine vel extorsione thelonei non obstante easdem comparantes: nos vero, eisdem operibus charitatis intendere volentes et eisdem tramitibus incedere gestientes, universitati vestre mandamus firmiter et districte gracie nostre sub obtentu, ut quantumcunque dicti fratres ad vestra fora generalia seu specialia pervenerint, ipsos res huiusmodi emere et reducere permitti volumus, quascunque eciam pro suis usibus voluerint comparare, predictam libertatem per nostros predecessores eis concessam, per nos et per vos inviolabiliter cupientes observari. In cuius rei firmitudinem et maiorem efficaciam libertatis, presentes nostras conscribi iussimus, sigilli nostri munimine roborantes. Datum Stinavie quarto Idus Iulii, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tercio.

Paradisus, *Paradyż.* Stinavia, *Ścieniawa, z niemiecka Steinau.*

Nr. 704.

Premisl secundus dux Polonie 1293 Aug. 6, Poznanie; protestatur, Conradum, filium quondam Manczonis militis, hereditatem Rębowo Iohanni episcopo Poznaniensi in 30 marcis certa conditione pignori obligavisse.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny, czerwony przez 2 dziurki przewleczony; pieczęci nie masz.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 4.

In nomine Domini amen. Nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, presentibus protestamur, quod in nostra presencia constituti, venerabilis pater dominus Iohannes Poznaniensis episcopus et Czeczirad filius Manczonis quondam militis nostri, idem Czeczirad recognovit hereditatem suam desertam, dictam Rambovo, eidem domino episcopo pro triginta marcis argenti, quas ab ipso recepit, pignori obligasse

cum omni utilitate que ibi haberi potest et cum silva ipsam hereditatem Rambovo contingentem (sic); ita, quod cum dictus Czeczirad triginta marcas argenti eidem domino episcopo vel eius successori persolverit, prefatus Czeczirad ad suam hereditatem Rambovo sine contradictione qualibet revertatur. Ne vero super hiis possit processu temporis dubitari, presentem litteram fecimus nostri sigilli munimine roborari. Actum Poznanie octavo Idus Augusti, anno Domini M.CC. nonagesimo tercio, presentibus: comite Gnevomiro iudice nostro Poznaniensi, domino Philippo archidiacono Gnesnensi, Iascone notario nostro, et aliis quam pluribus. Datum per manus Nicholay scriptoris curie nostre.

Rambovo, *Rębowo.*

Nr. 705.

Premisl secundus dux Polonie 1293 Aug. 6, Poznanie; protestatur, Sandivogium heredem de Kolnica, filium quondam Iacobi militis, hereditatem Rogusko Iohanni episcopo Poznaniensi pro 80 marcis pignori obligavisse.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 161.

In nomine Domini amen. Nos Premisl secundus, Dei gratia dux Polonie, presentibus protestamur, quod in nostra presentia constituti, venerabilis pater dominus Iohannes Poznaniensis episcopus et Sandivogius dictus Colnicza, filius quondam Iacobi militis nostri, idem Sandivogius recongnovit, hereditatem suam Rogosco dictam eidem domino episcopo pro octoginta marcis argenti, quas ab ipso recepit, pignori obligasse cum omni utilitate que ibi haberi potest; ita, quod cum dictus Sandivogius octoginta marcas argenti eidem domino vel suo successori persolverit, prefatus Sandivogius ad suam hereditatem Rogosco sine contradictione qualibet revertatur. Ne vero super hiis dubitetur, presentem litteram fecimus nostri sigilli munimine roborari. Actum Poznanie octavo Idus Augusti, anno Domini M.CC nonagesimo tertio, presentibus: comite Gnevomiro iudice nostro Poznaniensi, domino Philippo archidiacono Gneznensi, Iascone notario nostro et aliis multis. Per manus Nicolai scriptoris curie nostre.

Colnicza, *t. j. de Kolnica.* Rogosco, *Rogusko.*

Nr. 706.

Secundus Premizl dux Polonie 1293 Aug. 11, in Poznan; protestatur, Nesul et Iohannem fratres et Petrum filiolum ipsorum, partem hereditatis Kierzno, quibusdam privilegiis a se munitam, filiolae ipsorum Katharinae et marito eius Pelegrino resignavisse.

Pergam. orygin. Pasmo nici jedwabn., fioletow., od którego pieczęć ucięto.
Poznań. Archiv. Capituli, II, 2.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que per assercionem principum in publica deveniunt munimenta perpetuam optinent firmitatem, nos igitur secundus Pre-

mizl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia venientes milites nomine Nesul, frater ipsius Iohannes, filiollus eorum Petrus, partem sue hereditatis que vulgariter nuncupatur Chirino post filiam et filiollam ipsorum nomine Katerinam, et marito ipsius Pelegrino dictam partem hereditatis dederunt, tradiderunt et favorabiliter resignaverunt, ipsis et eorum posteritati in perpetuum possidendam. Si vero aliquis ex ipsis contra istam resignacionem et donacionem insurgere voluerit, omnino inhibemus et prohibemus; sed dictus Pelegrinus et Katerina uxor ipsius et posteritas eorum dictam sortem possideant in perpetuum ex integro. Nos respicientes fidelia servicia Pelegrini et ad peticionem comitis Nycolay palatini Kalissiensis, dedimus super sortem istam omnimodam libertatem, videlicet a naraz, a povoz, a prevod, a podvorove, a bove, a vacca, ab opole, a castri citacione, et ab omnibus solucionibus qui (sic) nunc sunt aut inveniri possunt in futuro; ita quod dictus Nesul, frater ipsius Iohannes et Petrus filiollus, dictam sortem iure hereditario coram nobis et nostris baronibus in perpetuum resignaverunt. In cuius rei testimonium, presentem litteram scribi iussimus, sigilli nostri munimine duximus confirmandam. Datum in Poznan in die Tiburtii presentibus hiis testibus: comite Nycolao palatino Kalisiensi, comite Dirsicrayo iudice Kalissiensi, comite Stephano castellano de Carsec, per manus Iasconis notarii curie nostre anno Domini MCC nonagesimo tercio. Volumus etiam ut non respondeat coram aliquo, nisi anulo nostro provocatus.

Chirino, *może Kierzno.* Carsec, *Karzec.*

Nr. 707.

Wladysslaus dux Syradiens. et Cuyaviens. 1293 Aug. 20, in Bresche; commutat hereditates suas Niewodniki et Cieślin, cum hereditatibus monasterii Ląd, dictis Kłobia et Choceń.

Pergam. orygin. Dwa wcięcia poprzeczne od przywieszenia pieczęci.

Warszawa. Zbiory Rusieckich, Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae, I. Nr. 84.

In nomine Domini amen. Omnis actio legitima temporalis, memoria indigens, ne pravorum hominum sugestionibus infirmetur, utile et cautum est ut scripture testimonio roboretur. Hinc est quod nos Wladysslaus Dei gracia dux Syradiensis et Cuyaviensis ordinacionem sive commutacionem hereditatum cum viris religiosis, domino abbate Gerardo et conventu domus Lendensis fecimus: dantes eisdem hereditates nostras que Nevodnici et Cheslino wlgariter nuncupantur, cum lacu qui Goplo dicitur ad prefatam hereditatem pertinentem (sic), cum omnibus utilitatibus que nunc in eis sunt aut umquam esse poterunt, pro duabus hereditatibus ipsorum, quarum una Cloba altera vero Hocene nominatur; fideli devocione promittentes, quod si umquam quod absit a nostro dominio in preiudicium predictorum fratrum eedem hereditates quas contulimus recesserint, in nostro ducatu, ubi nobis et ipsis visum fuerit, recipiant pro suis hereditatibus condignam mansionem. Et quia hereditates quas a sepedictis fratribus per commutacionem recepimus, Clobam videlicet et Ho-

cene, ab antiquo potite sunt omnimoda libertate, potestate qua fungimur conferimus predictis hereditatibus, quas domui Lendensi assignamus in remedium animarum progenitorum nostrorum nostramque pacem ac salutem, libertatem ab omni iure Polonicali, videlicet a povos, ab omni prevod, a strosa, a dan, naraz, podvorove, targove, mostne, a castrorum edificacione seu poncium quorumlibet, a custodia et solucione herodiorum quod socol dicitur, a vicinia que opole wlgariter nuncupatur, ab omni exactione sive collectione, a vecturis et expedicionibus, ab omnibus iuribus in dominio nostro constitutis, quibuscunque censeantur nominibus. Nulli ergo castellanorum aut iudicum in prefatis hereditatibus, seu hominibus propriis sive liberis in eis commorantibus, ius aliquod reservamus. Sed cum gravis causa emerserit que coram abbate vel eius iudice convenienter diffiniri non poterit, ad presenciam nostram cum anulo nostro citari debent, remittentes abbati quidquid iure iudicii cesserit. Conferimus eciam domino abbati, ut cum universaliter a nobis in terra nostra exactio sive collecta statuetur, ipse in suis hereditatibus pro se coligat et reservet. Volomus (sic) nichilominus, ut sive per nos sive per quemcumque villa eorum que Hocene dicitur possessa fuerit, domui de Landa decimam in campis asignet illibatam. In Cloba vero pro decima recipiant dimidiam partem argenti et dimidiam partem annone censualis. Datum et actum in Bresche anno Domini MCC nonagesimo tercio, Indictione sexta, in die beati Bernardi abbatis, presentibus hiis testibus: comite Cristino palatino Cuyaviensi, domino Fulcone cancellario Cuyaviensi, Predslao castellano Wladislaviensi, comite Bronisio castellano Crusvicensi, domino Andrea procuratore, Iacobo venatore, Iacobo subiudice, et aliis quam pluribus fide dignis. Ut autem hec omnia in perpetuum rata et inconwlsa permaneant, presentem cedulam sigilli nostri apensione confirmamus.

Lendensis, *de Ląd.* Nevodnici, *niegdyś osada pod m. Kruszwica, dziś znikła.* Cheslino, *zamiast Cieślin.* Cloba, *Kłobia.* Hocene, *Choceń.* Bresche, *Brześć Kujawski.* Wladislaviensis, *de Włocławek.*

Nr. 708.

Wladysslaus dux Cuyaviens. et Syradiens. 1293 s. d., aput Bresche; villas monasterii de Trzemeszno in ducatu Cuiaviensi sitas, a iurisdictione castri Kruszwica eximit.

Pergam. orygin. Trzy dziurki od przywieszenia pieczęci.

Trzemeszno. Privileg. Conventus Canon. Regular. Lateran.

In nomine Domini amen. Sapientum decrevit auctoritas, ut acta que simul cum tempore labuntur, ne calumpniosis morsibus inpugnentur, scripture testimonio debeant perhennari. Nos igitur Wladysslaus, Dei gracia dux Cuyaviensis et Syradiensis, cupientes viros religiosos a strepitu causarum extrahere ut liberius Creatori nostro debitum exhibere possent famulatum, pro remedio anime nostre villas monasterii de Tremesna in ducatu Cuyaviensi sitas, vicelicet Quechisev, Stodoli, Wlostov, a iuridicione castri Crusviciensis in totum exhimimus, decernentes easdem villas a iuridicione castri esse liberas et exhemptas; ita quod coram castro nec comparere nec respondere teneantur, nec strosam solvere sint obnoxii vel alias soluciones, qui-

buscunque nominibus eedem soluciones censeantur. In cuius rei testimonium, presentes duximus nostro sigillo roborandas. Actum aput Bresche anno Domini MCC nonagesimo tercio, Indiccione sexta, presentibus hys testibus: Fulcone cancellario Cuyaviensi, Mathia iudice, Hebda subcamerario, Alberto thezaurario Cuyaviensibus. Datum per manus domini Fulconis cancellarii predicti, qui promotor exstitit predicte libertatis.

Quechisev, *Kwieciszewo.* Stodoli, *Stodoły.* Wlostov, *Włostowo.* Bresche, *Brześć Kujawski.*

Nr. 709.

Woyzech de Lubenow castellan. de Banscin 1293 Sept. 29, s. l.; famulo suo Theodorico quatuor mansos liberos in villa Sczaniec donat.

Rogalin. Biblioteka, Paradis, Lib. privil. Nr. 53.

In nomine Domini amen. Ab humana memoria negocia mundi facilius elabuntur, que nec scripto nec voce testium eternantur. Hinc est quod nos Woyzech de Lubenow, castellanus de Banscin, notum esse volumus omnibus quos presens scriptum contigerit intueri, quod nostro fideli famulo Theodorico contulimus quatuor mansos liberos in villa nostra Stentz, sibi suisque heredibus natis ac nascendis in perpetuum possidendos, sic, ut ipse Theodericus nobis debeat de ipsis prefatis mansis cum aliis suis bonis esse uno servicio obligatus. Datum anno Domini M.CC.XCIII in die Michaelis archangeli. Testes huius facti sunt: Nicolaus prefectus in Lubenow, Henricus Prutenus, Dirsicus iudex noster, Berteramus scultetus in Stentz, Rule balestarius, Albertus dictus Cnop, et alii multi viri fidedigni.

Lubenow, *Lubrza, z niem. Liebenau.* Banscin, *Zbąszyń.* Stentz, *Sczaniec.*

Nr. 710.

Com. Voych de Lubolov 1293 Nov. 30, s. l.; famulo suo Theodrico 14 mansos liberos in villa Kręsko et 2 in villa Sczaniec confert.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia jednéj pieczęci.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B 26. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Polon. 77.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que geruntur in tempore, ne simul labantur cum lapsu temporis poni solent in lingua testium seu testimonio litterarum, pateat igitur universis presentibus ac futuris presentem paginam inspecturis, quod nos comes Voych de Lubolov et castellanus de Bansim, considerantes fidelia ac utilia servicia nostri famuli Theodrici filii quondam Symonis, contulimus ei ac liberis eius sedecim mansos liberos, cum omnibus usibus seu proventibus iure hereditario in perpetuum possidendos. Ex hiis mansis, quatuordecim sunt in Grancze et duo in Szan-

zec. Et ex hac nostra donacione, famulus noster superius prelibatus Ths. ad expedicionem tocius terre nobis promtus erit, ita tamen,' dum fructuosa fuerint dicta bona. Et ipsa eciam de nostra omnimoda voluntate vendere vel donare libere poterit, seu liberis suis relinquere pacifice et quiete. Ut autem hec nostra donacio perpetuo perseveret, ad evidenciam pleniorem nostrum sigillum duximus apponendum presentibus hiis testibus fide dignis ac honestis: Henrico dicto Prusso, Nicolao sculteto de Lublov, Bertramo sculteto de Scanzec. Actum et datum sub anno Domini M.CC.XC.III, in die beati Andree apostoli.

Lubolov, *Lubrza, dziś z niemiecka Liebenau.* Bansim, *Zbąszyń.* Grancze, *Kręsko.* Szanzec, *Sczaniec.*

Nr. 711.

Premisl secundus dux Polonie 1293 Dec. 28, in Kalis; confirmat privilegia quae dederant coenobio de Ołobok: **Wladislaus ducis Odonis filius dux de Kalis 1213 Octob. 20, s. l.;** et **Premisl et Boleslaus fratres uterini duces Polonie 1253 Mai. 11, in Gnezna;** et antiquis nova addit.

Transsumpt orygin., potwierdzony przez: Wladislaus rex Polonie etc. 1329 Ian. 1, in Poznania.

Poznań. Königl. Staats Arch. Ołobok 5. — Warszawa, Metryka Koronna, Księga 23, fol. 270.

In nominė Domini amen. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, nos Premisl secundus, Dei gratia dux Polonie, salutem et perpetuam notitiam subscriptorum. Etsi, de nostre benignitatis clementia, iusta subditorum nostrorum favorabiliter exaudire precamina nostram digne deceat maiestatem, illorum tamen peticionibus condescendere dignius et decentius reputamus, quos vite laudabilis et religionis insignit honestas, et per quos laudum nobis apud homines accrescunt preconia, et apud Deum premia promerentur. Per hoc igitur privilegium noscat tam presėns etas quam futura, quod nobilis et honesta domina nomine Censtobronka, abbatissa domus et cenobii de Olobok, nobis quedam privilegia prefati monasterii, a felicis memorie Wladislao avo nostro et Premislone patre nostro ac Boleslao patruo nostro, ducibus Polonie, concessa ostendit. Erant autem privilegia ipsa non abolita, non abrasa, non cancellata nec in aliqua parte sui viciata, set in prima sui figura consistentia; que suppliciter exoravit, ut nos eadem privilegia ratificare et confirmare dignaremur de gratia nostre benignitatis. Tenor vero sive continencia eorum talis est: *(Sequitur diploma Nr. 81.)*

Tenor vero et continencia privilegii patris nostri et patrui est: *(Sequitur diploma Nr. 311.)*

Nos igitur, tam iustis petitionibus dicte abbatisse benignius annuentes, quam cupientes voluntatem predecessorum nostrorum firmam et inviolabilem permanere, dicta privilegia Iasconem notarium nostrum fecimus innovari, et gratiam in ipsis contentam, secundum quod dicto cenobio dictus avus noster, pater et patruus fecerat, ratam et firmam habemus, et vigore vigere volumus perpetue firmitatis. Et quoniam nonnulli militum nostrorum ausu temerario ius heredis et patronatus nituntur usur-

pare et usurpant in dicto cenobio, nos ipsorum malitiis nostra providentia obviare volentes, excludimus ipsos et eorum universos successores, quod nullum penitus ius heredis (sic) aut patronatus audeant sibi vendicare, cum idem ius hereditarium et patronatus ad nos et nostros successores inmediate et de iure dinoscatur pertinere. De plenitudine vero nostre benignitatis, exigentibus meritis sepedicte abbatisse, libertatem auximus eidem cenobio, absolventes universas villas dicti cenobii a bove et vacca, ab opole, a curru feni et capete siliginis. Homicidium vero si ortum fuerit inter incolas dictarum villarum, domina abbatissa penam percipiet capitalem; si vero inter ipsius incolam et extraneum, de suo penam percipiet capitis ex integro. Preterea sint libere a solutione mellis, quod rozmar dicitur in vulgari. In huius rei testimonium presentes conscribi fecimus, sigilli nostri munimine roborantes. Datum in Kalis in die Innocentum, anno gratie Domini MCC nonagesimo tertio, presentibus hiis testibus: comitibus Bervoldo castellano, Sandivogio subcamerario Kalisiensibus; Andrea cancellario Polonie, domino Thilone preposito de Santok, et aliis pluribus fide dignis.

Ołobok, Santok, *dziś tak samo.*

Nr. 712.

Premisl secundus dux Polonie 1278 (sic) Mart. 30, Kalis; confirmat privilegium quod dederat monasterio sancti Laurentii ante Kalisz **Mesco filius Boleslai dux Polonorum s. a. d. et l.,** et confirmato nova addit.

Transsumpt potwierdzony przez: Casimirus rex Poloniae 1467 Mai. 22, in conventu Piotrcoviensi.

Kalisz. Archiw. Rządowe. Inscription. et Relation. castrens. Kalisiens. a. 1549 lib. 11, fol. 83. — W. Kętrzyński, Cod. diplomatic. monasterii Tynecens. Nr. 29.

In nomine Domini amen. Nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum esse volumus universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, quod cum homines sancti Laurentii in districtu nostri dominii a nostris beneficis in exactionibus ducalibus impedirentur, dominus Iohannes prepositus una cum fratribus suis eiusdem ecclesie quoddam instrumentum privilegii super libertatem villarum nominate ecclesie, a duce Mescone ipsis donatum, nobis sub tali forma demonstraverunt: *(Sequitur diploma Nr. 35.)*

Nos vero prefatus dux Polonie Premisl secundus, attendentes et inherentes vestigiis predecessorum nostrorum, cupientes per opera pia et misericordiė pervenire ad regna celestia, eodem instrumento privilegii inspecto et fideliter examinato, de consensu et consilio baronum nostrorum duximus renovandum fidelissimas et benignas donaciones rerum mobilium et immobilium, et libertates eorundem et exempciones quarumlibet vexacionum secularium indultas, et a solucione nostra vel indebita, predicto monasterio misericorditer in perpetuum confirmandas. Absolvimus eciam omnes homines in prefatis villis inhabitantes, ut coram nullo iudice, castellano, palatino nec advocato civitatum debeant citati comparere, nisi coram suo preposito. Et si per aliquem predicti homines citati fuerint et non comparuerint, nichil inde luant, sed omnia iudicia coram suo preposito prosequantur. Prepositus

vero non pro alio ad nostram presenciam citabitur, nisi pro terminis hereditatum, et per litteram nostro sigillo sigillatam. A penis vero iudiciariis quibuslibet, prepositus sit liber et exemptus; in aliis autem causis quibuscunque, ad suum ordinarium pertinebit iudicandus. Contulimus eciam eidem monasterio et presentibus conferimus incolis villarum predictarum ius Theutonicum Novi fori, eo iure, quod omnes civitates et ville per districtum nostri dominii libere possident iuxta formam iuris Novi fori; ita tamen, quod ad ius Theutonicum iam expressatum, in perpetuum nullum respectum in aliquibus exaccionibus penitus habeamus. Ab expedicione vero monasterium idem et omnes incole hereditatum predictarum, in terra nostra et extra terram, quocumque evenerit, nec ad currum nec ad aliquod iuvamentum vel ad castrum edificandum erunt obligati, sed per omnia liberi et immunes. Liberamus eciam, ut a stacione equorum prefatum monasterium et prepositus cum fratribus suis sint liberi et exempti. Ut autem hec nostra pia confirmacio et donacio perpetuo inviolabilis perseveret et robur obtineat firmitatis, presentem paginam nostri sigilli munimine roboravimus. Actum et datum Kalis anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo (sic), feria quarta proxima post Letare, presentibus his testibus: comite Zegota venatore Kalisiensi, Bervoldo castellano Kalisiensi, comite Szandivogio castellano Siradiensi (sic), Chotone (sic) succamerario, Bertholdo tribuno, Zawissa vexillifero Kalisiensibus, Ubislao pincerna Kalisiensi, Sandzivogone iudice Gnesnensi, et aliis quam plurimis fide dignis. Datum per manus Tylonis notarii nostre curie.

Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szlązku; (N. b. Kopia ta albo jest niedbale sporządzoną, na coby mianowicie wskazywało mylne podanie roku i przekręcenie nazwisk: n. p. zamiast:* Szandivogio castellano Siradiensi, Chotone succamerario, *prawdopodobnie powinnoby być:* Sandivogio castellano Rudensi, Calisiensi subcamerario; *lub też, jak sądzi W. Kętrzyński, całkiem jest sfałszowanym dokumentem. W każdym razie nie zgadza się* Tilo notarius curie *z świadkami, bo ten występuje ostatni raz w tym charakterze r. 1287; cnfr. Nr. 572).*

Nr. 713.

Premisl secundus dux Polonie 1294 Apr. 16, in Poznania; ecclesiae Poznaniensi villam Parusewo restituit.

Poznań. Archiv. Capituli, Lib. privil. B, Nr. 15.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris hoc scriptum visuris, quod sortem que Paruszowo vocatur, iunctam Uscencyno ville episcopi Poznaniensis, quam ad relacionem quorundam pravorum abstuleramus: tandem cognoscentes plenius veritatem, ipsam sortem Paruszowo prefato domino episcopo et ecclesie Poznaniensi restituimus liberaliter cum omnimoda libertate perpetuo possidendam; in cuius rei testimonium, presentes litteras conscribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Actum in Poznania in Parasceve, anno gracie

Domini M.CC nonagesimo quarto, presentibus comitibus: Benyamyn palatino Poznaniensi, Nicolao palatino Kalisiensi et comite Petrkone castellano Poznaniensi.

Paruszowo, *Parusewo.* Uscencyno, *Uścięcin.*

Nr. 714.

Premisl secundus dux Polonie 1294 Mai. 27, apud Chodecz; concedit rectori ecclesiae s. Adalberti apud Kalisz, ut villam eiusdem ecclesiae, dictam Sierzchów, iure Theutonico locet.

Kalisz. Archiwum Rządowe, Inscription. castrens. Kalissiens. a. 1544, fol. 984. (Z transsumptu orygin., potwierdzonego przez: Sigismundus rex Polonie etc. 1537 Iul. 1, Cracovie.)

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia, apud nostram dominacionem emergencia, vivacium literarum et testium munimine roboramus. Inde est quod nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod comitis Ianusii filii quondam Peregrini, patroni ecclesie sancti Adalberti apud Kalis, peticionibus piis et dignis sicut debemus annuere cupientes, damus auctoritatem et concedimus rectori ecclesie dicte sancti Adalberti, qui pro tempore fuerit ibidem, in villa seu hereditate sua que Sirchowo wlgariter nuncupatur locandi ius Theutonicum eo modo, quo ville omnes in terra nostra Kalisiensi iure Theutonico sunt locate; absolventes et eximentes dictam villam seu hereditatem ab omni iure Polonico cui astricta est, et ab omnibus iudiciis, exactionibus et vexacionibus Polonicis, quocunque nomine censeantur. Ut autem hec nostra concessio liberalis, ecclesie profutura, robur obtineat perpetue firmitatis, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus communiri. Actum apud Chodecz in die Ascensionis Domini, anno millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, presentibus comite Zawissa pallatino Siradiensi, Ubislao pincerna Kalisiensi, Swentomiro castellano de Bechowo. Datum per manus Iasconis notarii curie nostre.

Ecclesia s. Adalberti apud Kalis, *stoi na Zawodziu, w bliskości starego grodziszcza.* Sirchowo, *Sierzchów.* Chodecz, *Chocz.* Bechowo, *Biechów.*

Nr. 715.

Msciwgius dux tocius Pomoranie 1294 Iun. 15, in Slupzk; confert ecclesiae Poznaniensi villam Rębowo, eiusque incolas ab omni exactione cuiuslibet servitutis absolvit.

Pergam. orygin. Pismo zupełnie odrębne, takie samo, jak w przywilejach tegoż księcia w kapitule Gnieźnieńskiéj. Dwie pieczęcie przywieszono; pierwsza na sznurku jedwabn., czerwon. okrągła, wielka, zupełnie zatarta; druga znikła; pozostał sznur z nici jedwabn., biał., czerwon. i żółtych.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Multis incommodis prudenter ocurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum memorie commendamus. Hinc est

quod nos Msciwgius, Dei gracia dux tocius Pomoranie, cupientes fieri participes et consortes omnium bonorum et oracionum que in ecclesia Poznaniensi fiunt vel fient in perpetuum Deo dante, de consilio et consensu filioli nostri P. Dei gracia illustris principis ducis Polonie hac baronum nostrorum, ipsi ecclesie Poznaniensi dedimus et damus villam in Pomorania terra nostra, que Rambovo nuncupatur, ipsi ecclesie et episcopo Poznaniensi in perpetuum possidendam. Et ut idem episcopus Poznaniensis pleniori utilitate eiusdem elemosine nostre libere perfruatur, ipsam villam et omnes homines eam inhabitantes ab omni exaccione absolvimus cuiuslibet servitutis. Ut autem ea que per nos nostris temporibus aguntur robur obtineant perpetue firmitatis, et hec donacio nostra firma et stabilis perpetuo perseveret, presentes litteras conscribi fecimus et nostro sigillo hac sigillo filioli nostri iam memorati communiri. Testes autem huius donationis sunt: comes Swenca palatinus Gdanensis, comes Laurencius castellanus Slupensis, comes Ceslaus tribunus Slupensis, comes Pomorcius subdapifer Slupensis, Minzga subcamerarius ibidem, et alii quam plures viri fide digni. Actum et datum in Slupzk in die beatorum martirum Viti et Modesti per manum Theodrici cappelani curie et notarii, anno Domini M.CC.LXXXX quarto.

Rambovo, *Rębowo.* Slupensis, *de Słupsk, z niemiecka Stolpe.*

Nr. 716.

Mstugius dux Pomoranie 1294 s. d., in Slupsk; ecclesiae Gneznensi hereditatem Dobieszewo confert, eiusque incolas pluribus libertatibus dotat.

Pergam. orygin., u którego na pasmie nici czerwon., jedwabn. przywieszona pieczęć Mściwoja księcia. (Opis p. Nr. 556).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 59. — T. Działyński, Lites ac res gestae I, p. 70.

In nomine Domini amen. Ut mutacio temporum facta mortalium non imutet, consueverunt autenticarum litterarum serie posterorum noticie commendari. Hinc est igitur quod nos Mstugius Dei gracia dux Pomoranie notum esse volumus universis presencium noticiam habituris, quod nos pia nostrorum predecessorum imitari vestigia cupientes, venerabili in Christo patri domino Iacobo secundo, Dei gracia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, ac per ipsum Gneznensi ecclesie hereditatem nostram dictam Dobessovo, sitam in districtu Slupensi, in quantum se illud extendit quod nos tenuimus deducta parte eiusdem hereditatis quam prius nostris dedimus militibus, habito maturo baronum nostrorum consilio, mente et corpore bene sani damus et conferimus cum omni dominio et iure nostro quod habuimus in eadem, et cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis que in agris, silvis, aquis, paludibus habentur vel haberi poterunt in futurum, iure hereditario inperpetuum possidendam, ipsam hereditatem et eius incolas ob reverenciam beate Marie et beati Adalberti liberantes ab omnibus iuribus ducalibus, angariis et perangariis, solucionibus et exactionibus quibuscunque et quocunque nomine censeantur: salvo iure custodie castri nostri Slupensis dum exhercitus noster terram nostram egreditur, et quod ad defensionem terre, dum exhercitus nostrorum hostium ipsam invaserit, teneantur. Liberamus insuper incolas dicte ville ab hoc, quod ad nostrum iudicium sew nostrorum

iudicum sew officialium quorumcunque et quocunque nomine vocentur, non debeant pertrahi: sed ipse dominus archiepiscopus sew sui iudices ipsos tantummodo iudicabunt; et generaliter ipsi hereditati et eius incolis in remissionem nostrorum peccaminum concedimus omnimodam libertatem. In cuius rei testimonium, presentes litteras fecimus nostri sigilli munimine roborari. Actum in Slupsk sub anno Domini M.CC. nonagesimo quarto presentibus comitibus: Svancza palatino de Gdansk, Laurencio castellano Slupensi, Witga subcamerario ibidem, Pomorzone subdapifero, Mathia subcamerario Slavensi, et domino preposito Ordinis sancti Vincencii, et aliis pluribus fidedignis.

Dobessovo, *nie odgadnione.* Slupensis, *de Słupsk, z niemiecka Stolpe.* Slavensis, *de Sławno, z niem. Schlawe.*

Nr. 717.

Mestwinus dux Pomeranie 1294 s. d. et l.; confirmat donationem villae Bruzdzewo, a Iolanta ducissa Poloniae ecclesiae Gneznensi factam, eiusque incolas libertatibus antiquarum villarum ecclesiae praedictae dotat.

Stettin. Königl. Staats Arch. Dregers Mnscrpt. IV Nr. 858.

In nomine Domini amen. Cunctorum facta mortalium et ordinationes laudabiles eorundem ab hominum noticia seiunguntur, si testium memoria et testimonio scripturarum non fuerint perhennata. Hinc est igitur quod nos Mestwinus Dei gratia dux Pomeranie notum esse volumus tenore presentium presentibus et posteris universis, quod cum nuper in Gnezna fuissemus, serenissima domina nurus nostra domina Io., relicta Boleslai quondam ducis Polonie, in nostra et aliorum baronum nostrorum presentia personaliter constituta, mente et corpore bene sana, villam suam Bruzeno wlgariter dictam, quam ex nostra donatione cum pleno nostro dominio et omni libertate omnibusque ad ipsam pertinentiis et utilitatibus et omni venatione habuerat, omni conditione semota pro remedio anime sue donavit venerabili in Cristo patri domino Iacobo, Gneznensis ecclesie archiepiscopo, et per ipsum Gneznensis ecclesie archiepiscopatui, videlicet iure perpetuo possidendam, desiderans more Iobi pellem pelle redimere, et sibi suisque progenitoribus pro cunctis bonis operibus vitam eternam et celeste gaudium vendicare. Nos igitur eiusdem domine donationem salubrem ratam et gratam habentes, de voluntate omnium baronum nostrorum et communi consensu dictam villam Bruzeno cum omnibus utilitatibus et pertinentiis ad ipsam, prout nos ipsam possedimus aliquando, et cum toto dominio quod habuerimus vel habere potuerimus in eadem, et cum omni venatione et omnimoda libertate: et quod incole eiusdem ville ad nostrum vel nostrorum officialium iudicium protrahi minime teneantur, nec alicui solutioni seu exactioni que nobis vel nostris officialibus quibuscunque conpetiit vel competere poterat in eadem, subiaceant, quocunque nomine nuncupentur: eidem Gneznensi ecclesie et archiepiscopatui iure perpetuo et hereditario confirmamus; sperantes in Domino, ex eo nobis et nostris progenitoribus retributionis eterne premia provenire: cum certo certius, nullum bonum irremuneratum sit apud Deum. Adicientes generaliter, quod incole eiusdem ville Bruzeno eodem gaudeant privilegio, quo et alie ville antique Gneznensis ecclesie, que sunt

ab omnibus iuribus ducatus nostri, angariis et perangariis, exactionibus scilicet et serviciis totaliter liberate. In cuius rei testimonium, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam. Actum et datum anno Domini M.CC.XC.IIII, presentibus hys testibus: comite Swencza Gdanensi, comite palatino Swecensi Paulo, comite Alberto de Glovciz, ac prelatis: domino Wlosciborio preposito, domino Goslao decano, domino Gabriele cantore Gneznensibus, et pluribus fide dignis.

Bruzeno, *Bruzdzewo, dziś z niemiecka Brusdau.* Swecensis, *de Swiecie.* Glovciz, *Głowczewice.*

Nr. 718.

Premisl secundus dux Polonie 1294 s. d., aput Carnin; confert comiti Miroslao filio Pretpelci, in omnibus bonis eius ius Theutonicum, cum omni iure altiori adhibendum.

Pergam. orygin. Na niciach czerwonego jedwabiu zawieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXVI). *Na stronie odwrotnéj ręką z tegoż wieku napisano:* Super omnes villas ius Theuthonicum Andree Mirosconis transeat bene.

Poznań. Własność J. Lekszyckiego.

In nomine Domini amen. Multis incomodis prudenter ocurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum et testium munimine roboramus. Inde est quod nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod consideratis gratis obsequiis et fidelibus comitis Miroslay filii Pretpelci que nobis exibuit et exhibet incessanter, volentes ipsius serviciis consolacionis munere respondere, considerantes eciam quod omnia iura alciora et inferiora in bonis habet suis a nostris et suis progenitoribus ab antiquo in iure Polonico exercendi, ut puta duellum, ferrum, mittere super aquam, suspendere et decollare sicut nostre castellanie et curia nostra tenet: ut id quod habuit in iure Polonico, in iure Theutonico obtineret, damus sibi et omnibus successoribus suis plenarium ius Theutonicum in bonis suis, villis videlicet Meczevo, Iablonovo, Iascovo, Kandemino, Gora que iacet super lacum, Bnin, Dambecz, Rogalino, Cresini, Pametkovo, Lubanka, Vigonoviczi et Sukovo, nunc locatis et possessis, et demum locandis et possidendis: videlicet quod omne ius alcius habeat in eisdem, capitis amputacionem et manus seu menbri cuiuslibet mutilacionem, et omnes causas iudicare quecunque in dictis emerserint bonis, et penas percipere inde provenientes. Preterea damus sibi et omnibus successoribus suis, quod nullus assessor noster causis iudicandis in huiusmodi bonis interesse tenebitur et debebit, vel per se vel per nuncium suum, qualescunque cause fuerint, magne sive parve, alte, mediocres vel inferiores. Et ne super hiis inposterum dubitetur, sibi presentem dari iussimus litteram, nostri sigilli munimine roboratam presentibus baronibus nostris: comitibus Sandyvoyo castellano Lendensi, Alberto castellano de Cbesim, Wlostone castellano de Drezen, Sventomiro castellano de Behow et Iaskone notario nostro. Actum et datum aput Carnin anno Domini M.CC. nonagesimo quarto, per manus Nicholay scriptoris curie nostre.

Meczevo, *Mieczewo.* Iablonovo, *w téj okolicy nie odgadnione.* Iascovo, *Jaśkowo.* Kandemino, *nie odgadnione.* Gora super lacum, *nie odgadnione, czy osada znikła nad*

jeziorem Bnińskiem, czy Gorka pod Stęszewem, czy Gora p. Pobiedziskami. Bnin, *Bnin.* Dambecz, *Dębicz.* Rogalino, *Rogalin.* Cresini, *Krzesiny.* Pametkovo, *niegdyś osada okolicy m. Bnin, dziś znikła.* Lubanka, *Luboniec.* Vigonoviczi, *osada znikła p. m. Poznań.* Sukovo, *w tych stronach nie odgadnione.* Lendensis, *de Ląd.* Cbesim, *Zbąszyń.* Drezen, *Drzeń, czyli Dryżyna, dziś Drezdenko.* Behow, *Biechów.* Carnin, *Karmin.*

Nr. 719.

Premisl secundus dux Polonie 1294 s. d., in Poznan; roborat privilegium, quod dederat monasterio de Lubin: **Premisl dux Polonie 1242 s. d., in Poznan,** simul et omnes possessiones et iura eiusdem monasterii confirmat.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabnych, wyblakłych przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXVI).

Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin 5. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Poloniae 18.

In nomine Domini amen. Quanto maior et altior est persona, tanto debet curare cautius, ut ea que gerit negotia, nullus possit processus temporis inpedire; solet enim frequenter accidere, quod humanis actibus atemptat calumpnia novercari. Noverint igitur universi filii sancte matris Ecclesie presentes et futuri ad quos presens scriptum pervenerit, quod nos Premisl secundus, Dei gratia dux Polonie, revolventes in animo pia facta patris nostri felicis memorie ducis quondam Premislonis, que fecit domui sancte Marie in Lubin et fratribus in ea manentibus Ordinis sancti Benedicti, ob salutem etiam anime nostre et ad instanciam viri providi et honesti, domini Martini abbatis, omnem libertatem et donationem, velut in privilegio a prefato duce dato, in hunc modum continentem confirmamus. *(Sequitur diploma Nr. 236).*

Hee sunt ville, quas de communi consensu et consilio baronum nostrorum supra nominato monasterio iure hereditario possidendas confirmamus. Ipsum Lubin cum omnibus sortibus circumquaque adiacentibus, Chuscovo post unum centurionem et omnes homines ad eum pertinentes, cum solutione stroza, stan, naraz, povoz cum aliis exactionibus, poradlne, super istos et alios omnes homines ecclesie. Hee sunt ville prefati centurionis: ipsa supradicta, Moscesici cum lacu ex integro, in quo nullum ius Dambiche, Motholevo, de iure piscandi habent; et alio lacu quod Malpino nuncupatur, in quo nullum ius Motholevo et Lagovo piscandi habent; Varla cum omnibus sortibus, Luschovo, Gluchovo, Chusevo, Puteovo, Revucz, Motholevo, Veschovo cum omnibus sortibus ad molendinum, Cirmino, Subovo, Popino, Choslovicz, Chosovo, Pozebsco, Zcodrochovo, Stuzica, Slub, Dobrochow, Stupovo, Slavcovo, Mechinevo, Gyrca, Marisevo, Garlochovo, Cychovo cum lacu ex integro, in quo nullum ius Dambice et Bredne de iure piscandi habent; lacus magnus cum piscatoribus, qui inter Moscesicz, Cychov et Manclino adiacet; Gorca, Peczino, Charbelino et Dluzino cum lacu dimidio Trebina et alio Cossino; Swecechovo cum omni iure Theutonico: ut videlicet in eo nullus nomine nostro, vel etiam alicuius nomine nostri castellani seu nomine alterius cuiusquam potestatis, iudiciariam sibi usurpet auctoritatem, ut sub aliquo pretextu thelonei, homicidium sive aliquam aliam sibi vendicet exactionem; sed in horum et aliorum iurium perceptione, abbas de Lubin plene gaudeat posses-

sione libertatis. Item eadem civitas cum theloneo ex integro, et si necessitate interveniente, hospitum transitus ad alium quemcunque locum, utpote in Critsco aut in Strezevich, vie Poznaniensis vel cuiuscunque alterius transferatur, theloneum ibidem dicta domus Lubiniensis semper percipiat ex integro. Radlevo, Ossow, Stanchovo, Dalevo, Virchreca, Tresceocovo, Smolici, Lusno, Malpino, Iarine, Grodovo, Zemovo cum centurione et cum hominibus et sortibus eorum circumquaque adiacentibus et prefata solutione. Insuper Starigrod cum thabernis et theloneo, etiam si necessitate occurrente transitus hospitum ad alium quemcunque locum vie Thoruniensis, seu Wratislaviensis transferatur, theloneum ibidem dictus abbas Lubiniensis percipiat ex integro. Psacovo, Opatovo, Radomicho cum dimidia piscina et dimidia parte molendini, Wanesech cum hominibus et omnibus sortibus circumadiacentibus, Gnevovo, Crivin cum theloneo et omni iure Thewtonico: ut videlicet in ea nullus nomine nostro vel etiam alicuius nomine nostri castellani, seu nomine alterius cuiusquam potestatis, iudiciariam sibi usurpet auctoritatem, ut sub aliquo pretextu thelonei, homicidium sive aliquam aliam sibi vendicet exactionem; sed in horum et aliorum iurium perceptione, abbas de Lubin plene gaudeat posessione libertatis. Sulevo, quod coram nobis nostrisque baronibus Petrus heres partem suam contulit domui sancte Marie in Lubin pro suorum redemptione peccatorum iure hereditario possidendam, ita tamen, si idem Petrus sine prole morietur. Dedimus etiam dicto abbati et suis fratribus, ut si aliquas villas suas in ius locare voluerint Thewtonicum, ut dicte ville eodem iure utantur quo et ipsorum utuntur civitates prelibate. Ut autem hec nostra donatio, innovatio et confirmatio robur perpetue optineat firmitatis, presentem paginam nostri sigilli munimine precepimus roborari. Actum et datum in Poznan anno Domini MCC nonagesimo quarto presentibus his: comite Beniamyn palatino Poznaniensi, comite Thomislao iudice et castellano Gneznensi, comite Dirsicraio castellano de Usce, comite Bozata castellano de Linda, comite Chemca castellano de Radim, domino Iascone notario nostro.

Lubin, *Lubin.* Chuscovo, *Kuszkowo.* Moscesici, *Mosciszki.* Dambiche, Motholevo, *osady znikłe.* Malpino, *Małpin.* Lagovo, *Łagowo.* Varla, *nie odgadnione.* Luschovo, *Łuszkowo.* Gluchovo, *Głuchowo.* Chusevo, *Kuszewo.* Puteovo, *może Pucołowo.* Revucz, *nie odgadnione, może Rochy.* Veschovo, *Wieszkowo.* Cirmino, *Czermin.* Subovo, *może Zębowo.* Popino, *Popowo polskie.* Choslovicz, *Kozłowo.* Chosovo, *Kosowo.* Pozebsco, *nie odgadnione.* Zcodrochovo, *Szczodrochowo.* Stuzica, *Stężyca.* Slub, *Słupia.* Dobrochow, *Dobra.* Stupovo, *Stępocin.* Slavcovo, *nie odgadnione.* Mechinevo, *Mechlin, lub Mchy.* Gyrca, *Irka.* Marisevo, *osada znikła, poprzedniéj przyległa.* Garlochovo, *Gierlachowo.* Cychovo, *Cichowo.* Bredne, Manclino, *osady znikłe.* Gorca, *Górka Lubińska.* Peczino, *w XV w.* Pechnino, *Piechanin.* Charbelino, *Charbielin.* Dluzino, *Dłużyn.* Lacus Trebina et Cossino, *jeziora p. w. Trzebidza i Boszkowo.* Swecechovo, *Święciechowa.* Critsco, *Krzycko.* Strezevich, *Strzyżewice.* Radlevo, *osada znikła pod Święciechową.* Ossow, Stankowo, Dalewo, *dziś tak samo.* Virchreca, *Wyrzeka.* Tresceocovo, *Trzecianowo lub Drzeczkowo.* Smolici, *Smolice, lub Smolno.* Lusno, *nie odgadnione.* Iarine, *Garzyn.* Grodovo, *Grodnica lub też Grodzisk.* Zemovo, *Siemowo.* Starigrod, *Starygród.* Psacovo, *Psary.* Opatovo, *Opatówko.* Radomicho, *Radomicko.* Wanesech, *Wonieść.* Gnevovo, *Gniewowo.* Crivin, *Krzywin.* Sulevo, *Sulewo.* Usce, *Ujście.* Linda, *Łąd.* Radim, *Radzim; gród stał na wyspie rz. Warta, z którego dziś wysokie grodziszcze, wały i głębokie przekopy pozostały.*

Nr. 720.

Secundus Premisl dux Polonie 1294 Iun. 30, in Pobedzisk; confirmat commutationem hereditatis Martini Crispul, armigeri, dictae Oczkowice, cum scultetia sortis hereditatis Krobia, quam praedictus Martinus et Thomka custos Poznaniensis, Thomas subcamerarius ducisse et Boguslaus plebanus de Witomyśl, filii quondam Unenthae secum fecerant.

Poznań. Archiv. Capituli. Liber privil. B, Nr. 22.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assertio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Nos igitur secundus Premisl Dei gratia dux Polonie notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presentia constituti, honorabilis vir dominus Thomca custos Poznaniensis ecclesie et fratres sui, comes Thomas subcamerarius domine ducisse et dominus Boguslaus plebanus de Withomisle, filii Unenthe quondam militis nostri, et Martinus dictus Crispul armiger noster, bonorum immobilium infrascriptorum permutationes perpetuas inierunt. Ita videlicet, quod prefati dominus Thomca custos et fratres sui assignaverunt dicto Martino scultetiam in hereditate ipsorum Crobya, que dicitur Unentina, cum eo iure quo sculteti priores possederunt, et Flemmineos sex mansos et medietatem paludis in hereditate predicta, cum ea libertate, qua superius memorati dominus Thomca cum fratribus suis hactenus possederunt; recipientes ab ipso Martino villam seu hereditatem que Oczkovicze vulgariter nuncupatur. Interserimus preterea, quod dictus Martinus, ratione scultetie sue, proventus iudiciorum per medium debeat habere; addicientes etiam, quod dictam scultetiam et mansos annotatos sine ipsorum voluntate nulli vendere teneatur, nisi cum ipsi redimere non valerent. Nos vero prefatas permutationes per ipsos ita rationabiliter factas admittimus confirmantes, perpetuo valituras. Et ne de cetero super hiis dubitetur, presentem paginam conscribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari presentibus hiis testibus: comite scilicet Drogoslao castellano de Radim, Nicolao subdapifero Kalisiensi, Iacobo cancellario domini episcopi Poznaniensis, et magistro Nicolao medico nostro. Actum et datum in Pobedzisk quarto die post diem beatorum Petri et Pauli apostolorum, anno Domini M.CC.XC. quarto, per manus domini Iasconis notarii curie nostre.

Withomisle, *Witomyśl.* Crobya Unencina *i* Krobia Sulkonis, *składały dzisiejsze miasto Krobia.* Oczkovicze, *Oczkowice.* Radim, *Radzim.* Pobedzisk, *Pobiedziska.*

Nr. 721.

Premisl secundus dux Polonie 1294 Iul. 27, in Censzim; ratam habet commutationem villae Daleborii et Andreae fratrum, dictae Gałęzewo, cum villis ecclesiae Poznaniensis, dictis Uscięcin et Parusewo.

Dwa pergaminy orygin., równobrzmiące. U każdego sznurek jedwabny, czerwony; pieczęci nie masz.

Poznań. Archiv. Capituli, II, 7 et II, 8.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, volentes ut ea que in nostra presencia sunt acta vel aguntur, perpetue obtineant robur firmitatis, notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod in nostra presencia constituti, venerabilis pater dominus Iohannes episcopus Poznaniensis et Dalebor cum fratre Andrea, talem inter se fecerunt villarum perpetuam commutacionem: videlicet quod idem dominus episcopus nomine suo et ecclesie sue recepit a Daleborio et fratre suo Andrea villam ipsorum nomine Galanzovo minus, iuxta episcopi Galanzovo, et dedit eis villam ecclesie sue nomine Uscenczino cum sorte Paruszovo, addens eis nichilominus idem dominus episcopus pro supplemento mansum unum Flammingicum in Galanzovo, ubi Bosidarius est scoltetus, vel decem marcas argenti usualis pro eodem manso libero, et Uscencino cum ea, quam ipsi in suo tenuerunt Galanzovo libertate. Nos vero ipsam commutacionem villarum, inter ipsos solempniter celebratam, gratam et ratham habentes, presencia baronum nostrorum confirmavimus et presentes litteras conscribi et nostri sigilli munimine fecimus communiri. Datum et actum in Censzim VI Kalendas Augusti anno Domini MCC nonogesimo quarto, presentibus hiis comitibus: Sandywoyo castellano Rudensi et subcamerario Kalisiensi, Vlostone castellano de Dirczen, Szegota Gnesnensi venatore, et aliis multis nostre curie militibus et capellanis fide dingnis.

Galanzovo, *Gałęzewo.* Uscenczino, *Uscięcin.* Paruszovo, *Parusewo.* Censzim, *Ciążyń.* Rudensis, *de Ruda.* Dirczen, *Drzeń, późniéj Dryżyn, dziś Drezdenko.*

Nr. 722.

Premisl secundus dux Polonie 1294 Aug. 10, in Kalis; quosdam invasores possessionum ecclesiae Gneznensis, civitati Kalisz vicinarum, bonis privat, eademque dictae ecclesiae ascribit.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 112.

In nomine Domini amen. Quia summum in rebus bonum est iusticiam colere et sua unicuique iura servare, non sinere quod potestatis est fieri, sed quod equum est custodire, nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, tenore presencium notum esse volumus universis presentibus et futuris, quod cupientes predecessorum nostrorum vestigiis inherere, et matrem nostram, Ecclesiam sanctam Dei, ut devoti filii caritatis brachiis amplexari et ut veri patroni ab inimicorum insidiis defensare: considerantes et gravi animo ferentes, quod Simeon et Petrko fratres filii Petrkonis, Nico-

laus et Michael fratres de Drscenicza, Kunath et Iasko dicti Trnycz, Iasko et Bernartus filii Pulconis de Sencza, Dzethko cum fratre suo Iuliano dicti Zazpicze de Osesyn, Ryfinus scoltetus de Saczino, Bracossius ibidem, Pelkota filius scolteti de Wynarz, Ffalibog et Wenceslaus de Potkocow, Adam dictus Zkarga heredes de Orbanich, Kunek, Iasek et Nicolaus Cristani de Kalis cives, Nicolaus dictus Dudel de Konyatovich, Barsecz de Mazlow, Gerardus de Olevyn, Iohannes dictus Gromadzycz ibidem, et Adam scoltetus de Czena, bona Gneznensis ecclesie nostre metropolitane hostiliter invadentes publice cum exercitibus sub vexillo nequiter spoliarunt: non solum bona mobilia et sese movencia, ut equos, iumenta, boves, vaccas, oves, capras et scrophas simul rapiendo, verum eciam homines capiendo, feminas maritatas et virgines, quod horrendum est dicere, proch dolor turpitudinibus profanando, et alicubi eadem bona nec non utensilia que non poterant asportare igne cremando, ymmo domos venerabilis patris I. secundi, Dei gracia eiusdem ecclesie archiepiscopi, frangendo, hostia violando, bona que in eis fuerunt asportando, ymmo quidem ex eis hominem predicti venerabilis patris in Opathow datis gravibus vulneribus occidendo: nos atrocitatem seu ferocem ymmo immanitatem non valentes surdis auribus et conniventibus oculis pertransire, ymo, quia publice rei interest ne crimina remaneant impunita, nolentes eorum maliciam dimittere impunitam nec viam aliorum maliciis aperire, vocatis eis peremptorie ad nostram audienciam, sed nolentibus tanquam de sua diffidentibus iusticia apparere, habito sapientum baronumque consilio unanimi et de consensu et voluntate eorum, cum hoc adeo notorium sit quod nulla tergiversacione valeat celari: tanquam hostes nostros et Ecclesie ac reipublice, ymmo tanquam reos lese crimine maiestatis, bonis suis mobilibus et immobilibus sentencialiter duximus iusticia exigente privandos, eorum bona, videlicet Glowczino, Dobezanky, Wylkanovo, Wydrino, Walkovo, Trzeniczam, Dosesyn, partem Borsczonis in Maslovich, partem Gerardi in Olevyn, partem Iohannis in Gromadzycz, partem Iohannis et Bernarti in Sencza, scolteciam Rifini in Sacino, laneos Braccossii ibidem, Ade scolteciam in Czena, molendina Kunogii ante Kalis super Proznam, hereditatem Ade dicti Skarga que aput Greh dicitur in vulgari, domos Kunogii, Nicolai, Iasconis in Kalis, pro prefatis iniuriis et dampnis iam dicte ecclesie Gneznensi tenore presencium perpetuo ascribentes, et promittentes ea et alia bona ecclesie ab eorum amicis et eis eisque adherentibus defensare, eosque tanquam fures et predones una cum prefato venerabili patre nostro per nos et quoslibet terrigenas nostros persequi pro viribus temporibus vite nostre, quatenus Ecclesia hec et alia bona pacifice valeat possidere. In cuius rei testimonium, presentes eidem venerabili patri nostro dari mandavimus, nostri sigilli robore communitas. Actum et datum in Kalis in die sancti Laurencii martiris, anno Domini M.CC.XC. quarto, presentibus honorabilibus viris, dominis Wlostiborio preposito, Philippo archidiacono, Philippo scolastico, Nicolao canonico Gneznensi, nec non domino Andrea cancellario Polonie, et baronibus nostris: Petrkone castellano Poznaniensi, Bervoldo castellano Kalisiensi, Alberto castellano de Cbansin, Roscone venatore Kalisiensi, Stogneo fratre suo, Ubisłao pincerna Kalisiensi, Sandivogio subcamerario Kalisiensi, aliisque pluribus fidedignis. Datum per manus domini Iacobi nostri notarii.

Drscenicza, *Trzcińsko.* Trnycz, *de Trzciniec.* Sencza, *Sieniec.* Zazpicz, *t. j. de Zaspy (Miłkowskie).* Osesyn, *Orzeżyn.* Saczino, *Saczyn.* Wynarz, *Winiary.* Potkocow, *Podkoce.* Orbanich, *Urbaniec.* Dudel, *t. j. de Dudki.* Konyatovich, *Ko-*

natow. Mazlow, *Masłowiec.* Olevyn, *Olewin.* Gromadzycz, *de Gromadzice.* Czena, *Cienia.* Opathow, *Opatówek.* Glowczino, *Głowczyn.* Dobezanky, *nie odgadnione.* Wylkanovo, *Wilkowizna.* Wydrino, *Wydrzyn.* Walkovo, *Walków.* Dosesyn, *zam. de Orzeżyn.* Greh, *nie odgadnione.* Cbansin, *zam. Zbąszyń.*

Nr. 723.

Premisl secundus dux Polonie 1294 Aug. 10, in Kalis; hortulanos in antiqua civitate Kalisz iure Theutonico locat.

Kalisz. Archiw. Rządowe, Relation. castrens. Kalisiens. a. 1707, lib. 66, fol. 231.

In nomine Iesu Christi. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum et testium munimine roboramus. Inde est quod nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod cum nostris hortulanis in antiqua civitate Kalis commorantibus et ibidem habitationem habentibus agere misericorditer cupientes, cum ea moderacione ipsis misericordie nostre beneficia impartimur, videlicet quod pro omni solucione censuali, a qualibet exaccione quomodolibet emergenti, quilibet hortulanus instituens hortum integrum,; qui debet continere, prout mos existit Theutonicus, sex ramos in latitudine et triginta in longitudine, solvet nobis singulis annis perpetuo quatuor scotos in festo beati Martini: duos scotos in Nativitate Domini, et duos in festo beati Iohannis Babtiste. Ut autem incole predictorum hortorum munificencie nostre beneficia sibi senciant profutura, damus et concedimus ipsis ius Theutonicum, eximendo ipsos ab omni iure Polonico et vexacione qualibet Polonica, sive sit poradlne sive quoquo nomine alio designetur; ita quod iure Theutonico libere gaudeant, et in iudiciis et causis ipsorum non teneantur coram aliquo homine respondere vel quomodolibet litigare, nisi coram nostro vladario, per ipsum ad iudicium, prout mos est Theutonicus, racionabiliter advocati. Et si ipsis contingat homicidium perpetrare, vel in bonis ipsorum per quemcumque perpetrari, has causas et omnia quecunque inter ipsos orientur idem noster vladarius determinabit. Ne vero super his in posterum dubitetur, presentem paginam conscribi fecimus, et ut perpetue firmitatis robur obtineat, sigilli nostri munimine roborari mandavimus. Actum in Kalis in die beati Laurentii martyris gloriosi, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, presentibus hiis testibus: domino Philippo archidiacono Gneznensi, comite Sandivogio subcamerario Kalisiensi, Nicolao nostro procuratore. Datum per manus Iacobi capellani (sic) nostri.

Antiqua civitas Kalis, *leżała, gdzie dziś osada Zawodzie.*

Nr. 724.

Secundus Premisl dux Polonie Maioris 1294 s. d., in Swece; confirmat omnes donationes et libertates, quas Msciugius dux Pomeranorum ecclesiae s. Iohannis Baptistae in Swormagac contulerat.

Pergam. orygin., bardzo podziurawiony, bez pieczęci. (Dopełniono podług: Dreger's Mnscrpt. IV, Nr. 855, *w archiwie Szczecińskiem*).

Königsberg. Königl. Staats Arch. Schiebl. 58, Nr. 28.

In nomine Dei eterni amen. Omnium habere memoriam sive noticiam non humanitati, set pocius, secundum legittimas sancciones, attribuitur Deitati, ideo veneranda decrevit antiquitas, ut ea que a presentibus racionabiliter ordinantur, futurorum noticiam ne excedant, testium subscripcionibus et sigillorum impressionibus roborentur. Proinde noverint universi presentes et posteri hanc paginam inspecturi, quod nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie Maioris omnes donaciones seu libertates, quas illustris princeps Msciwgius eadem gracia dux Pomeranorum, patruus noster dilectus, ecclesie sancti Iohannis Baptiste in Sworinagac ac fratribus ibidem Deo famulantibus in villis ipsorum, in lacubus, in fluviis, in borris, in pratis, et in aliis utilitatibus omnibus contulit, tradidit et donavit, et prout in suis privilegiis ostendere possunt, litteris presentibus confirmamus. Et ne in posterum qualiscunque calumpnia oriri possit vel talem donacionem infringere, presentem paginam nostri sigilli munimine contulimus roboratam. Huius confirmacionis testes sunt: Swenza palatinus Gdanensis, Paulus palatinus Swecensis, Voyceh castellanus in Cbansin, Kels castellanus in Santok, Boguslaus castellanus in Usce, Iacobus castellanus in Rogozna, Graba subtesaurarius, et alii quamplures viri fidedigni. Actum et datum in Swece per manum domini Hermani notarii curie, anno Domini M.CC.LXXXX quarto.

Sworinagac, *z niemiecka Schwornigatz.* Swecensis, *de Swiecie.* Cbansin, *Zbąszyń.* Santok, *Santok.* Usce, *Ujście.* Rogozna, *Rogoźno.*

Nr. 725.

Primiszil dux Polonie 1297 (sic) Oct. 9, in Gdancek; confirmat omnes donationes et privilegia, monasterio de Pelplin a Samborio et Mestwino, quondam ducibus Pomeranorum, concessa, pro sua vero parte silvam Belski las dictam eidem confert.

Pergam. orygin. Na pasmie nici jedwabn., czerwon. i żółt. przywieszona pieczęć Przemysława księcia, (pieczęć XXVI), *z 10 ułamków woskiem pozlepiana; pismo i pergamin nie okazują nic podejrzanego.*

Königsberg. Königl. Staats Archiv.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Nos Primiszil Dei gracia dux Polonie omnibus presentem paginam inspecturis in perpetuum. Cum ea que nostris racionabiliter sunt gesta temporibus, litteris ac testibus discrecione previa caucius roboramus, quibuslibet periculis inopinatis et versucis (sic) hominum malignorum consul-

tius obviamus. Hinc est quod ob honorem Dei et gloriose virginis Marie, quorum beneficio sumus in hoc mundo diviciis et gloria sublimati, ipsorum devotis famulis, videlicet conventus et fratrum in Novo Doberan paci et quieti providere volentes, omnia bona et hereditates seu gracias, que dominus Samburius beate memorie quondam dux Pomeranie ipsis contulit et dilectus noster patruus Mystwinus dux Pomeranorum nichilominus confirmavit eisdem, et ea bona et hereditates, que de mera liberalitate sua idem dominus Mystwinus ipsis postmodum superaddidit pro remedio anime sue ac progenitorum eius, cum omni iure terminisque et attinenciis ac utilitatibus, quocunque nomine censeantur, quibus ea tenuerunt actenus ab ipsis, nos quoque confirmamus eisdem. Privilegia dicti monasterii, que a prefatis principibus super bonis, possessionibus, utilitatibus et iuribus habent, quia ipsa, cum nobis per abbatem exhibita fuissent, nostris litteratis, videlicet clericis et notariis, inter quos fuere periti dominus Stephanus archidiaconus Gnesnensis et magister Nycolaus medicus, mandavimus ut diligenter examinarent: et quia ea laudaverunt et approbaverunt, nos omnia et singula in ipsis contenta grata habentes et rata, de benignitate solita approbamus. Et ut bonorum spiritualium, que in dicto monasterio fiunt, participes efficiamur, dictis monachis ac monasterio silvam nostram Belskiles dictam pro dimidio locandam conferimus, iure proprietatis sicut alia bona cum omnibus condicionibus possidendam: ita ut quicquid utilitatis in dicta silva per eos procuratum fuerit, sive ville locentur seu alii fructus quicunque provenerint, ad nos dimidia pars pertinebit. Habebunt eciam dictam silvam totam, ut dictum est, pro dimidio usque ad fluvium Ianam, non obstante quod ibi resident nostri venatores seu silve custodes, qui cum locanda fuerit, cedere debebunt. In cuius rei robur et perpetuam evidenciam, presentes dicto dedimus monasterio, nostri sigilli munimine communitas. Huius itaque rei testes sunt: dominus Stephanus archidiaconus et Nicolaus phisicus; milites vero: dominus Buchzlaus castellanus de Uzech, Albertus castellanus de Bencin, Keiteke castellanus de Zantoch, Svantomyr castellanus de Bechowe, Borch miles, Iacobus castellanus de Rogezen, Swenzo palatinus de Gdancek, Paulus palatinus de Zwetz, et quam plurimi alii fide digni. Acta sunt hec anno Domini M.CC.XCVII (sic), Indictione VII^a^. Datum in Gdançek in beati Dyonisii episcopi et martiris gloriosi die.

Novum Doberan, *nazwa klasztoru Cystersów w Pelplin.* Silva Belskiles, *nie odgadniony.* Fluv. Iana, *rz. Jania, płynąca od wsi Jania do rz. Wierzyca, wpadającéj do rz. Wisła p. m. Gniew.* Uzech, *Ujście.* Bencin, *Zbąszyń.* Zantoch, *Santok.* Bechowe, *Biechów.* Rogezen, *Rogoźno.* Zwetz, *Świecie.*

Nr. 726.

Secundus Premisl dux Maioris Polonie 1294 Oct. 14, in Danzich; confirmat omnes libertates, quas b. m. Mestwinus dux Pomoraniae civitati Elbląg concesserat.

Pergam. orygin. Na pasmie nici jedwabn., biał. i czarn. przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXVI).

Elbing. Staedtisches Archiv. Diploma Nr. 16a. — Dogiel, Cod. diplom. Polon. IV, pag. 35.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Nos igitur secun-

dus Premisl Dei gracia dux Maioris Polonie notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod dilectus patruus noster magnificus princeps dominus Mestwinus, Dei gracia dux Pomoranie, inspectis fidelibus serviciis civium de Elbingo que sibi sepissime fideliter inpenderunt et adhuc inpendere non obmittunt, contulit eisdem civibus omnimodam libertatem tam in aquis quam in aliis partibus suis que spectant ad dominium ipsius, videlicet terram suam intrandi, transeundi, mercesque suas vendendi et emendi ibidem quascunque voluerint, et nichilominus ad provincias suas, unde veniunt, redeundi sine omni exactione thelonei et solutione. Addiciens autem ipsis burgensibus de ipsius mera liberalitate, ne aliquis hominum ipsius ipsos burgenses, si aliquis ipsorum a latere sui dominii tempestate agitante quod absit naufragium pateretur, gravare presumat in corpore sive rebus aliis quibuscunque, nec eciam aliquam summam pecunie audeat extorqueri in tali periculo a burgensibus supradictis. Insuper voluntatis ipsius est et inhibet, ut nullus omnino suorum successorum seu officialium suorum racionabilem donacionem, per ipsum factam, infringere audeat vel ei ausu temerario contraire. Preterea, nos memoratos superius cives de Elbingo cupientes omni nostra prosequi gratia qua possumus et favore iam annotatis, libertatis donacionem, quam ipsis inclitus princeps dominus Mestwinus patruus noster dux Pomoranorum ut supra habetur contulit, habito maturo baronum nostrorum consilio presentibus confirmamus, volentes inviolabiliter tempore procedenti per nos et nostros posteros dictam libertatis plenitudinem observari. In cuius rei testimonium, presens scriptum nostri sigilli munimine fecimus roborari presentibus hiis testibus, videlicet domino Rudgero abbate de Olyva, domino Henrico abbate de Polpelin, fratre Gerardo de Cholbach, fratre Cunrado Rost dicto fratre Ordinis Domus Theutonice, domino Paulo palatino Swecensi, domino Swentza palatino Gdanensi, domino Andrea castellano Gdanensi, domino Stanislao castellano Swecensi, domino Albertho castellano de Bencin, domino Boguslao castellano de Usce et subcamerario Poznaniensi, domino Kelczone castellano de Santok, et domino Swentomiro castellano de Bechow et aliis quam pluribus fide dignis. Actum et datum in Danzich in die beati Kalixti Pape et martyris anno Domini M.CC. nonagesimo quarto, per manus domini Hervini capellani curie nostre.

Elbingum, *Elbląg*. Olyva, *Oliwa*. Polpelin, *Pelplin*. Cholbach, *Kolbacz*. Swecensis, *de Świecie*. Bencin, *Zbąszyń*. Usce, *Ujście*. Santok, *Santok*. Bechow, *Biechów*. Danzich, *Gdańsk*.

Nr. 727.

Iacobus secundus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1294 Oct. 21, in Uneyow; dat cum consensu sui Capituli Trebezlao filio Wislai villam Bukownica, iure de Środa locandam.

Pergam. orygin. Pismo miejscami zatarte; z dwóch przywieszonych pieczęci pozostały sznurki jedwabne, żółte.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 58.

In nomine Domini amen. Ne decursu vel longinquitate temporis gestorum memoria obscuretur, consueverunt authoritate scripturarum posterorum notitie comen-

dari. Hinc est quod nos Iacobus secundus, divina miseracione sancte Gnezdnensis ecclesie archiepiscopus, notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris ad quorum noticiam pervenerit presens scriptum, quod de communi voluntate et consensu fratrum nostrorum, Gnezdnensis videlicet Capituli, Trebezlao filio Wisslay hereditatem ecclesie nostre dictam Bukownicza, sitam in castellania Kalissiensi, iure novo, quod est confectum in Sroda scilicet vel unde ius illud noscitur processisse, dedimus ad locandum; dantes sibi et suis legittimis successoribus nomine scoltecie sex mansos liberos, molendinum, thabernam et tercium denarium cuiuslibet iudicati, ipsis perpetuo possidenda. Damus insuper colonis quos ibidem locaverit decem annis omnimodam libertatem: excepto, quod tempore libertatis predicte, decimam manipularem de antiquis agris nobis solvere tenebuntur; elapsa vero libertate eadem, de quolibet manso nomine decime usitatas tres mensuras tritici, tres mensuras siliginis, sex mensuras avene, et fertonem usualis argenti annis singulis nobis solvere iuxta consuetudinem civitatis predicte, ad domum nostram propinquiorem predicta omnia deducentes. Damus eciam eidem terciam partem mellis, quod veniet nobis de borra ibidem que in araturam redigi non poterit: excepta parte mellificii, que eidem assignabitur de communi consensu. Denique, quod si nos predictam villam intrare contigerit, coloni ibidem ad viciniorem villam nostram nos educere tenebuntur. Et quoniam iura predicte civitatis Sroda sunt nobis incognita, protestamur, quod in prescriptis et aliis omnibus que suorum commodum respiciunt dominorum, ad iura predicta volumus nos tenere. Actum et datum in Uneyow in festo Undecim millium Virginum anno Domini M.CC.XC. quarto, presentibus honorabilibus viris dominis: Iosepho scolastico, Iohanne cantore Lanciciensi, Gregorio et Petro canonicis Gneznensibus, Spitkone Cracoviensi canonico nostro thezaurario, et comite Stanislao de Viasd ac aliis fide dignis.

Bukownicza, *Bukownica.* Środa, *t. j. na Szlązku, z niemiecka Neumarkt.* Uneyow, *Uniejów.* Viasd, *Ujazd.*

Nr. 728.

Comes Nycolaus Gnesnens. et Kalisiens. palatinus 1294 Dec. 27, s. l.; vendit Mercloni hereditatem Gałęzewo, iure Theutonico locandam.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny, czerwony przez 2 wcięcia przewleczony; pieczęci nie masz.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 5.

In nomine Domini amen. Evanescunt simul cum tempore que geruntur in tempore, nisi recipiant a voce testium aut a scripti memoria firmamentum. Notum ergo sit universis presentibus et futuris hanc litteram inspecturis, quod nos comes Nycolaus Gnesnensis et Kalisiensis palatinus, hereditatem nostram, Galanzovo vulgariter nuncupatam, Mercloni vendidimus iure Theutonico pro septimo manso collocandam, scolteciam sibi suisque posteris iure hereditario possidendam. Racione igitur locacionis, sex annis sibi dedimus libertatem. Expirata itaque libertate, a quolibet manso unam maldratam triplicis frumenti: quatuor mensuras tritici, quatuor siliginis et quatuor avene nobis exsolvere tenebitur singulis annis. Addimus insuper thabernam, macellum carnificum et pistorum in villa memorata. In cuius rei testimonium, pre-

sentem sibi paginam contulimus, nostri sigilli munimine roboratam. Testes sunt: comes Myroslaus castellanus de Bnyn, dominus Wylhelmus frater Ordinis Predicatorum. Acta sunt hec anno Domini M.CC. nonagesimo quarto in die sancti Iohannis apostoli et ewangeliste. Datum per manus Eberhardi scriptoris curie nostre.

Galanzovo, *Gałęzewo*. Bnyn, *Bnin*.

Nr. 729.

Sandziwogius subcamerarius Kalisiens. 1294 s. d. et l.; confert Rachgwino villico villas suas Saczyn et Sojakow, iure Theutonico locandas.

Transsumpt potwierdzony przez: Consules civitatis Kalisiens. 1434 Oct. 12, in Kalis, *w pergam. orygin., u którego z przywieszonéj pieczęci pozostał sznurek jedwabny, czerwony.*

Warszawa. Biblioteka prywatna. Diplomata.

In nomine Domini amen. Acta que geruntur nostris temporibus, eternari solent memoria literarum. Hinc est quod nos Sandziwogius subcamerarius Kalisiensis notum esse volumus tam presentibus quam futuris omnibus presentem literam inspecturis, quod nos vendidimus villas nostras Saczino et Soyacowo, usque ad locum illum qui Gostina nuncupatur, Rachgwino villico iure Theutunico ad locandum, eo videlicet iure, quo ville circa Nowum Forum in suis legibus pociuntur. Et locacio dicte ville continere debet mansos quadraginta; et si plures ibidem fieri possunt, villicus dictus supradicto iure fruatur. Racione vero sue locacionis, villicus et sua posteritas percipient sextum et septimum mansum liberum, et tercium denarium de qualibet re iudicata, et thabernam liberam, et macellum carnium, sutoris et pistoris, et molendinum quod spectat ad villam que Saczino nuncupatur liberum. Et aliud molendinum inferius si fieri potest, liberum sine nostro impedimento, et omnia prata sine mensura que circa Koprziwniczam sunt locata. Et borram nostram liberam concedimus dicte ville quoad pascua et ad incidendum edificia (sic) et omnia alia necessaria, preter arbores illas, que pro melleficiis ad nostros usus conservari possunt. Et in piscinis que spectant ad molendina villici nominati, liberam sibi conferimus et sue posteritati piscium capturam, et pro nobis idem (sic) conservamus. Hec notata villicus Rachgwinus et sua posteritas iure hereditario libere et pacifice possidebit. Et ville dicte damus octo annis libertatem. Exspirata vero libertate, in quolibet festo beati Martini solvent nobis incole in eadem villa commorantes de quolibet manso non libero duas mensuras tritici, sex siliginis et quatuor avene, et fertonem argenti usualis. Ut autem hec ordinacio firma presentibus et futuris temporibus perseveret, in huius rei testimonium presentem literam nostri sigilli munimine fecimus communiri presentibus hiis: comite Ubislao pincerna Kalisiensi, Henrico advocato de Kalis, Henrico sculteto de Thincia, Hermanno sculteto de Dobrcza, anno Domini millesimo CC.XC quarto, per manus Wilhelmi rectoris ecclesie in Gosticin.

Saczino, *Saczyn*. Soyacowo, *osada znikła*. Locus Gostina, *nie odgadnione*. Nowum Forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szlązku*. Koprziwnicza, *Koprzywnica, lewy przypływ strumienia Stawka, wpadającego do rz. Prosna pod m. Kalisz*. Thincia, *Tyniec*. Dobrcza, *Dobrzec*. Gosticin, *Gostyczyn*.

Nr. 730.

Premisl secundus dux Polonie et Pomeranie 1295 s. d., Poznanie; admittit commutationem partis villae Lubiechowo Bartholomaei et Nicolai, filiorum Manczonis, cum villa ecclesiae Poznaniensis, dicta Crupczino.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny, żółty, z którego pieczęć znikła.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 9.

In nomine Domini amen. Multis incomodis prudenter ocurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine roboramus. Hinc est quod nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie et Pomeranie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia constituti venerabilis pater dominus Iohannes Poznaniensis episcopus ex una parte, et Bartholomeus et Nicholaus fratres et filii Manczonis ex altera, comutacionem terrarum fecerant prout inferius annotatur. Dederunt siquidem milites superius nominati partem Lubecovo, prout per nostrum ministerialem missum per subcamerarium nostrum est suis limitibus consignata, domino episcopo Poznaniensi nomine ecclesie sue, et receperunt ab eo villam sive hereditatem Crupczino dictam vulgariter et triginta marcas argenti usualis, quas se confessi sunt integraliter recepisse. Nos autem votis utriusque partis prout convenit annuentes, dictam superius permutacionem admisimus nostras super hoc dantes litteras, nostri sigilli munimine roboratas presentibus hiis testibus: comitibus Kelczone castellano de Cbansim, Alberto subcamerario et Borcone Vyslay. Actum et datum Poznanie anno Domini M.CC. nonagesimo quinto, Indiccione octava, per manus Nicholay scriptoris curie nostre.

Lubecovo, *Lubiechowo.* Crupczino, *nie odgadnione, może dziś Kruczyn.* Cbansim, *Zbąszyń.*

Nr. 731.

Premisl secundus dux Polonie et Pomeranie 1295 s. d., Poznanie; annuit commutationi villae ecclesiae Poznaniens., dictae Crupczino, pro parte villae Bartholomaei et Nicolai, filiorum Manczonis, dictae Lubiechowo.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 72.

In nomine Domini amen. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie et Pomeranie, volentes ea, que in nostra aguntur presencia, perpetua firmitate gaudere, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra presencia constituti venerabilis pater dominus Iohannes episcopus et Bartholomeus et Nicolaus Manczonis, fratres, permutacionem terrarum inter se fecerunt ita, quod venerabilis pater dominus Iohannes episcopus dedit Bartholomeo et Nicolao supradictis Crupczino cum ea libertate, cum qua Poznaniensis ecclesia possidebat, et recepit ab ipsis partem Lubecovo ipsorum, sicut iam limitibus est divisum; et in melioracionem terre dictorum Bartholomei et fratris sui, domi-

nus episcopus triginta marcas usualis argenti dedit eis, quas triginta marcas confessi sunt coram nobis integraliter recepisse. Nos vero eorum commutacioni annuentes, super hoc presentes eis dari iussimus litteras, nostri sigilli munimine roboratas presentibus hys testibus: comitibus Kelczone castellano de Chansim, Alberto subcamerario Poznaniensi, Iaroslao subiudice Poznaniensi. Actum et datum Poznanie, anno Domini M. ducentesimo nonagesimo quinto, per manus Nicolai scriptoris curie nostre.

Crupczino, *nie odgadnione, może dziś Kruczyn.* Lubecovo, *Lubiechowo.* Chansim, *Zbąszyń.*

Nr. 732.

Premislius secundus dux Polonie et Pomoranie 1295 Apr. 6, in castro Swecensi; ratam habet sententiam Boguslai iudicis Gneznens. et Kalisiens., qua villa Sobkow ecclesiae de Włocławek contra inpetitionem filiorum Michaelis ceterorumque fuit adiudicata.

Włocławek. Archiv. Capituli. Lib. privil. f. 134 v. — T. Działyński. Lites ac res gestae etc. I, pag. 92.

In nomine Domini amen. Cum labilis sit etas hominum, necesse est ut ea que inter mortales aguntur et disponuntur, litterali memorie commendentur, que veritatis est indicium et certitudinis argumentum. Nos igitur Premislius secundus, Dei gracia dux Polonie et Pomoranie, notum facimus universis presentibus et futuris, quod cum inter venerabilem patrem dominum Wislaum Wladislaviensis ecclesie episcopum ex parte una, et Nicolaum, Georgium et Rudolfum, filios Michaelis, generosque ipsorum, videlicet Andream subcamerarium de Gersel (sic) et Albertum dictum Bisyc ex altera, esset exorta materia questionis super villa Sopcow vulgariter nuncupata, intentantibus predictis militibus in nostra et nostrorum baronum presencia adversus predictum dominum episcopum accionem super villa nominata superius, ex parte prefati domini episcopi multa fuerunt proposita, que ipsorum actionem omnimode pertingebant. Cumque fuissent hinc et inde multa proposita, nos una cum nostris baronibus auditis racionibus et allegacionibus parcium ac plenarie intellectis, quia proposita ex parte prefati domini episcopi invenimus esse vera, et instrumentis felicis memorie domini Mscivii ducis quondam Pomoranie, patrui nostri, non cancellatis, non abolitis, nec in aliqua sui parte viciatis, sufficienter approbata: comiti Boguslao iudici Gnezdnensi et Kaliziensi dedimus in mandatis, ut inter ipsos litigantes diffinitivam sentenciam promulgaret. Et ipse auctoritate nostra et nostri presencia pro domino episcopo memorato sentenciam protulit, possessionem et proprietatem ville predicte Sobcowo domino episcopo sueque ecclesie adiudicavit sentencionaliter in perpetuum pacifice possidendam, suis adversariis superius nominatis eorumque posteris super villa predicta perpetuum silencium imponendo. Nos vero sentenciam ipsam, rite, iuste, racionabiliter promulgatam, ratam habentes, nostris litteris presentibus duximus confirmandam. Ne autem super hoc in posterum aliquod dubium oriatur, presens instrumentum nostri sigilli munimine fecimus communiri. Testes autem huius rei sunt hii comites: Beniamin palatinus Poznaniensis, Svencza palatinus Gdanensis, Nicolaus palatinus et Adam castellanus Gnezdnenses, Stanislaus castellanus Svecensis, domi-

nus Stephanus archidiaconus Pomoranie, Paulus subcamerarius, Preclaus subpincerna Svecensis, Uneslaus subcamerarius Gdanensis, Iulianus pincerna Dersoviensis, dominus Paulus canonicus Plocensis et plebanus de Chelmicz, et alii quam plurimi clerici et layci fide digni. Actum et datum in castro Swecensi quarta feria proxima post diem dominice Resurrectionis, anno gracie Domini MCCXCV, per manus Iasconis curie nostre notarii.

Wladislaviensis, *de Włocławek.* Gersel, *w Lites* Gersendo, *mylnie zam.* Derscev, *czyli Tczew.* Bisyc, *w Lites* Sisyc, *pewnie de Byszew pod m. Świecie.* Sopcow, *Sobków, z niem. Subkau. Zam.* Beniamin, *w Lib. privil.* Dewanini, *a w Lites* terrarum. *Zam.* Svencza, *w Lites* Vixenta. *Zam.* S. castellan. Svecensis, *w Lites mylnie* Tharsoviensis. Chelmicz, *w Lites* Celense, *Chełmża, lub Chełmice.*

Nr. 733.

Premisl secundus dux Polonie et Pomoranie 1295 Mai. 12, aput Kalis; confirmat donationem hereditatis Zajączki, a comite Stoygnevo, castellano de Ruda, coenobio de Ołobok factam.

Pergam. orygin. Na sznurze jedwabnym, czerwon. przywieszona pieczęć Przemysława księcia zatarta; (pieczęć XXVI).

Poznań. Königl. Staats Arch. Ołobok 4.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negotia litterarum et testium munimine roboramus. Hinc est quod nos Premisl secundus, Dei gratia dux Polonie et Pomoranie, universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis facimus manifestum, quod comes Stoygnevus castellanus Rudensis ob remedium animarum, sue, parentum et propinquorum suorum, hereditatem Sagenckovo vulgariter nuncupatam, a duce Polonie Boleslao recolende memorie patruo nostro karissimo deservitam, honorabili domine Censtobrone abbatisse de Olobok et suo conventui iure hereditario perpetuo possidendam cum omnibus hiis libertatibus, cum quibus eandem possedit comes Stoygnevus superius nominatus, liberam scilicet a povoz, a prevod, a naraz, a strosa, a podvorove, a bove, a vacca, ab opole, a poradlne et a castri citatione: ita quod si incole dictarum villarum essent ad iudicium evocandi, non coram alio sed coram nobis comparebunt, nostro anulo vel nuncio provocati. Nos vero petitionibus dilecti nostri baronis comitis Stoygnevi et sue pie et rationabili donationi plenarie annuentes, eam cum plena deliberatione et maturo consilio confirmamus perpetuo valituram. Ne autem super hiis in posterum valeat dubitari, dicte domine abbatisse et conventui suo super hoc presentes dedimus litteras, nostri sigilli munimine roboratas sub testimonio comitum: Boguslay iudicis, Ubislay pincerne, Roskonis venatoris, Sandivoy subcamerarii Kalisiensium, anno Domini M.CC nonagesimo quinto, Indictione octava, per manus Nicholay scriptoris curie nostre. Actum et datum anno et Indictione superius nominatis aput Kalis, in die Ascensionis Domini.

Rudensis, *de Ruda.* Sagenckovo, *Zajączki.* Olobok, *Ołobok.*

Nr. 734.

Bonifatius Pp. VIII 1295 Mai. 30, Anagnie; mandat quibusdam praelatis ecclesiae de Włocławek, ut causam inter episcopum de Chełmno et Iacobum archiepiscopum Gneznensem ratione iuris metropolitici vertentem, decidant.

Braunsberg. Archiv. dioces. Culmens. Copiarium d. a. 1382. (*Transsumpt potwierdzony przez:* Ottobonus de Placentia etc. 1295 Aug. 1, Anagnie). — *Długosz. Histor. Polonica, Lib. octavus; s. a. d. et l.*

Bonifatius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis decano et preposito ac scolastico ecclesie Vlatislaviensis salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noster I. archiepiscopus Gneznensis petitione monstravit, quod venerabilis frater noster episcopus Culmensis, eius suffraganeus, de provincia Gneznensi se non esse pretendens, ab ipsius archiepiscopi iurisdictione in hiis que ad legem metropoliticam pertinent se abstrahere nititur, sibique tanquam metropolitano subesse indebite contradicit. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis causam, et apellatione remota fine debito decidatis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, apellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Proinde auctoritate presencium extra Vlatislaviensem et Culmensem civitates et dyoceses ad iudicium evocetur, nec procedatur in aliquo contra eum. Quod si non omnes hiis exsequendis perveneritis interesse, duo vestrum nichilominus exequantur. Datum Anagnie III Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno I.

Vlatislaviensis, *de Włocławek.* Culmensis, *de Chełmno.*

Nr. 735.

Premisl secundus dux Polonie et Pomoranie 1295 Iun. 1, aput Kalis; confirmat adiudicationem sortium hereditatum Smogorzewo et Strzyżewo, ecclesiae Gneznensi contra petitionem Adae Skarga factam.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 90.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum et testium munimine roboramus. Hinc est quod nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie et Pomoranie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia constituti, venerabilis pater dominus Iacobus sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus ex una parte et Adam dictus Skarga ex altera, super sortibus Smogorevo et Strzezevo, ville dicte Godessevo adiacentibus, diucius litigarunt; tandem post longas altercaciones partibus superius nominatis in nostra nostrorumque baronum presencia constitutis, comes Boguslaus iudex noster Kalisiensis cum debita maturitate et recto consilio sortes Smogorevo et Strezevo adiudicavit domino archiepiscopo, nomine ecclesie sue tenendas perpetuo, Ade dicto Skarga et suis successo-

ribus super dictis sortibus perpetuum silencium imponendo. Nos vero, huiusmodi adiudicacionem volentes gaudere perpetue robore firmitatis, super hoc dicto domino archiepiscopo nomine ecclesie sue presentes dari iussimus litteras, nostri sigilli munimine roboratas presentibus comitibus et dominis: Beniamin palatino Poznaniensi, Bervoldo castellano Kalisiensi, Andrea cancellario nostro. Actum et datum aput Kalis anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, Indiccione octava, quarta feria post diem Trinitatis, per manus Nicolai scriptoris curie nostre.

Smogorevo, *osada znikła.* Strzezevo, *Strzyżewo.* Godessevo, *Godzisze.*

Nr. 736.

Premisl secundus dux Maioris Polonie 1295 s. d., in Gnezna;

renovat litteras suas sub antiquo sigillo datas, quibus monasterio sanctae Clarae in Gniezno villam Obora et alias, plurimis privilegiis munitas, contulerat.

Transsumpt potwierdzony przez: Elisabeth senior regina Hungarie et Polonie 1372 Iun. 15, Gnezne.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscript. Poznaniens. a. 1546, fol. 17. — Warszawa. Archiw. Główne Ks. M. 25, fol. 269 v.

* In nomine Domini amen. Religiosam vitam eligentibus aut gerere volentibus, favorabili et benigno nobilitatis convenit adesse presidio, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur quod absit sacre religionis infringat. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Maioris Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam posteris presentem paginam inspecturis, quod ob honorem Dei et sancte matris Ecclesie, ac condigne petitionis intuitu serenissime domine Iolanthe, quondam incliti principis felicis recordationis domini Boleslai ducis Polonie, dilecti patrui nostri, villas nostras Oboram, Woszniky, Schirzinki, Wynary cum Laszcze et lacubus vulgariter nuncupatis: Dluge, Belsko, Melno, in districtu Gneznensi sittas, damus et conferimus monasterio sancte Clare in civitate Gneznensi per nos constructo, cum hominibus ministerialibus ibidem existentibus et omnibus utilitatibus seu proventibus qui nunc ibidem sunt vel in posterum fieri poterunt, et cum area ubi idem monasterium est fundatum, cuius termini usque ad fluvium ex utraque parte monasterii protenduntur, in quo eadem domina, recepto habitu religionis Ordinis Fratrum Minorum, elegit et proposuit vitam ducere religiosam. Que omnia supradicta eidem monasterio iure hereditario in perpetuum possidenda conferimus et donamus libere, pacifice et quiete, absolventes predictas villas ab omnibus exaccionibus solucionibusque, que sic vulgariter nuncupantur: narzaz, povoz, stroza, podvorowe, poradlne, bos et vacca, opole, edificacio castri vel aliarum municionum, et ab omnibus aliis gravaminibus quibuscunque nominibus censeantur, que nunc sunt vel in posterum poterunt exoriri. Nec aliquem currum ad expedicionem mittere teneantur. Volumus preterea, ut homines predictarum villarum per nullum penitus citentur vel iudicentur pro qualibet causa seu eciam homicidio, nisi per suum iudicem qui per idem monasterium fuerit constitutus, et quitquid pene ex causis derivabitur, totum cedat monasterio memorato. Concedimus insuper monasterio supradicto plenam facultatem predictas villas iure Theutonico locandi, vel, secundum quod in

posterum videbitur expedire, ad usus proprios convertendi. Ut autem hec nostra donacio firma et perpetua perseveret, nec a nostris successoribus valeat immutari, presentem paginam confici fecimus et conscribi.

Et licet dudum alia super huiusmodi donacione publica conscripta fuerint instrumenta nostroque antiquo sigillo communita, testibus dicte donacionis in eisdem annotatis, ad maioris nichilominus robur firmitatis, presentibus nostrum novum sigillum duximus appendendum. Actum in Gnezna anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, Indictione octava, presentibus hiis comitibus: Nicolao palatino Kalisiensi, Pothrkone castellano Poznaniensi, Sandivogio castellano Landensi, Sandivogio subcamerario Kalisiensi, Nicolao scriptore nostre curie, qui de mandato nostro hec omnia conscripsit et eciam sigillavit.

Obora, Woźniki, Zierniki, Winiary, *dziś tak samo.* Laszcze, *niegdyś osada ostatniéj przyległa, dziś znikła.* Lacus Dluge, *Długie jezioro, nad którem leży wieś Winiary.* Lacus Belsko, *późniéj Białe jezioro, dziś Święte, nad którem stoi kościół św. Krzyża, najpierw nadany Bożogrobcom.* Lacus Melno, *nie wiadomo, które z pasma jezior, w którem leżą oba poprzednie.* Fluvius iuxta monasterium, *dziś tylko głęboki parów, zaledwie sączący wodę.* Landensis, *de Ląd.*

Nr. 737.

Primislavius secundus rex Polonie et dux Pomeranorum 1295 Iul. 30, in Stolp Pomeranie; monasterio de Bukow villam Małkow contra petitionem Zimeri Domaradowicz eiusque proximiorum adiudicat, ac privilegia praedicti monasterii confirmat.

Stettin. Königl. Staats Arch. Matric. Bucoviens. p. 62. — Dreger, Mnscrpt. IV, Nr. 877.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Primislavius secundus, Dei gratia rex Polonie et dux Pomeranorum, universis Cristi fidelibus presentem literam visuris seu audituris in perpetuum. Quoniam generatio preterit et generatio advenit, nichilque in humana conditione stabile consistit quod propter mortalitatem hominum et labilem memoriam eorundem in oblivionem non deveniat, ideo discretorum consilio salubre remedium est inventum, ut ea que ab humanis actibus aguntur, scriptis autenticis ad perpetuum confirmentur, quatenus exinde habeatur cognitio veritatis, si super his que acta sunt, suboriri contingat aliquid questionis. Noscat igitur natio presentium et felix successio futurorum, quod quidem Zimerus Dummeradevicz et filius suus Venslaus Dummeradevicz filiusque fratris sui Thesegur proposuerunt querimoniam in Slaven coram nobis, quod abbas de Bucovia ceterique fratres sui villam Malchowe, que iure hereditario eos contingeret, iniuste possiderent. Nos vero responsionibus abbatis auditis et fratrum, et iustitiam eis ad privilegia discutientes, predictam villam Malchowe dicto Zimero Dummeradevicz et filio suo Venslao filiisque fratris sui abiudicavimus, ipsis super hac querimonia perpetuum silentium imponentes, et domino abbati et conventui de maturo consilio baronum et discretorum nostrorum et approbata iustitia adiudicavimus iure perpetuo libere possidendam. Pre-

terea, pro devitanda posterorum litis occasione, omnes possessiones et donationes quas patruus noster dominus Mestwinus suis privilegiis confirmavit, cum omni iure et gratia, cum omni fructu et libertate privilegiorum suorum nec non et ipsa privilegia grata et rata habentes, cum omnibus in eis contentis ecclesie Bucowiensi et fratribus, tam presentibus quam futuris, ad honorem Dei et beate Marie virginis sine contradictionis obstaculo condonando approbamus, et approbando in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti perpetuo approbamus et confirmamus. Huius autem donationis et confirmationis nostre testes sunt: dominus Swenso palatinus, dominus Bugislavus iudex, dominus Philippus archidiaconus Gnesinensis, dominus Nicolaus palatinus, dominus Matheus subcamerarius Slavenensis, et alii literati et illiterati quam plurimi fidedigni. Ne qua igitur imposterum suboriri possit calumpnia, que donationem, ordinationem et confirmationem nostram audeat infirmare, presentem paginam ipsis porreximus, sigilli nostri munimine roboratam. Datum in Stolp Pomeranie per manus notarii nostri domini Swanteslai, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, tertio Kalendas Augusti, Concurrente quinto, Indictione octava.

Slaven, *Sławno, dziś z niem. Schlawe.* Bucovia, *Bukow.* Malchowe, *Małkow, z niem. Malchow.* Stolp, *Słupsk, z niem. Stolpe.*

Nr. 738.

Ottobonus de Placencia etc. domini Pape capellanus etc. 1295 Aug. 1, Anagnie; protestatur, fratrem Petrum de Polonia procuratoribus archiepiscopi Gneznensis et episcopi de Chełmno quosdam iudices deputavisse, apud Włocławek de causa inter ipsos vertente tractaturos, simulque breve apostolicum transsumi facit, quod ediderat: **Bonifatius Pp. VIII 1295 Mai. 30, Anagnie.**

Transsumpt potwierdzony przez: Vislaus Wladislaviens. episcopus s. a. d. et l., *w pergam. orygin., u którego przywieszona pieczęć połamana.*

Braunsberg. Archiv. diocesan. Culmense. Copiarium d. a. 1382.

Nos Vislaus Dei gracia Wladislaviensis ecclesie episcopus vidimus litteras in hec verba:

Omnibus presentes litteras inspecturis Ottobonus de Placencia decanus ecclesie Suessionensis, domini Pape capellanus et subdyaconus ac ipsius litterarum contradictarum auditor, salutem in Domino. Noveritis, quod cum inter magistros Guilielmum de sancto Geminiano, procuratorem venerabilis patris I. archiepiscopi Gneznensis, pro ipso in Romana curia impetrantem ex parte una, et Iacobum de Neapoli, procuratorem venerabilis patris episcopi Culmensis, pro ipso contradicentem ex altera, aliquamdiu super convencione loci et iudicum foret in nostra presencia litigatum, tandem, cum prefati procuratores inter se non possent de iudicibus et loco aliquatenus concordare, nos vero de utriusque partis procuratorum assensu discretum et venerabilem virum fratrem Petrum de Polonia domini Pape penitenciarium elegimus, ut eisdem partibus iudices et locum duceret assignandos, qui frater Petrus, prehabita deliberacione solempni, discretos viros decanum et prepositum ac scolasticum ecclesie Wladislaviensis medios et communes iudices duxit eisdem partibus deputandos,

ita tamen, quod iidem iudices aput Wlad. civitatem, quam pro loco eisdem partibus deputavit, debeant convenire, ibidem de causa et negocio infra scriptis iuxta rescriptum apostolicum tractaturi, quod ad ipsos dirigitur sub hac forma: (*Sequitur diploma Nr. 734*).

In cuius convencionis testimonium, presentes litteras fieri fecimus et audiencie contradictarum sigillo muniri. Datum Anagnie Kalendis Augusti, pontificatus domini Bonifacii Pape octavi anno primo.

In cuius rei testimonium, nostrum sigillum presentibus duximus apponendum.

Wladislaviensis, *de Włocławek*. Culmensis, *de Chełmno*.

Nr. 739.

Premislius secundus rex Polonie et dux Pomoranie 1295 Aug. 9, in castro Gdanzk; suscipit monasteria de Oliwa et de Żarnowiec sub suam protectionem, possessionem bonorum eorundem confirmat, et incolas multis privilegiis dotat.

Pergam. orygin., u którego na sznurze z nici jedwabn., czerwon. przywieszona dwustronna pieczęć Przemysława króla; (pieczęcie XXVII *i* XXVIII).

Königsberg. Königl. Staats Arch. Schiebl. LV, Nr. 68.

In nomine Domini amen. Quoniam generatio preterit et generatio advenit, nichilque in humana conditione stabile subsistit quod propter mortalitatem hominum et labilem memoriam eorumdem in oblivionem non deveniat, ideo discretorum virorum consilio salubre remedium est inventum, ut ea que ab humanis actibus aguntur, scriptis autenticis ad perpetuum confirmentur, ut exinde habeatur cognitio veritatis, si super hiis que acta sunt, suboriri contingat aliquid questionis. Igitur nos Premislius secundus, Dei gracia rex Polonie et dux Pomoranie, ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum volumus devenire, quod nos ad laudem et honorem omnipotentis Dei et gloriose matris eius virginis Marie augmentandum, monasterium quod Oliva dicitur Cisterciensis Ordinis, situm in Pomorania, cum fratribus inibi Deo servientibus sub alas nostre protectionis suscipimus, confirmantes eis eorumque successoribus omnes hereditates, villas seu possessiones, quas idem monasterium ex donatione vel confirmatione illustris principis domini Mysciwgii dilecti patrui nostri, ducis Pomoranie, ac progenitorum suorum longo tempore iusto titulo pacifice possederunt et possident in presenti. In quibus subscriptas hereditates propriis nominibus dignum duximus exprimendas. In primis ipsum claustrum Olivam cum grangia adiacente, villas Prsimoze, Podole, Gransow, Sterchow, Cincimiz, Prusencino et grangiam Bargnewiz. Insuper villas ipsis pro terra Gemewe in restaurum datas, quarum nomina sunt hec: Bissekir, Choyno et parvum Choyno, Slomno, Banino, Czegnino, Nivadove, Thuchumme cum omni stagno adiacente parvo et magno quot Warsna dicitur, in omni littore, excepta sola parte que spectat ad villam domini episcopi, Begarewiez, Smolino, Quassin, Wissoka, Brudvino, Sopot. Dimidiam quoque partem terre Oxivie cum omnibus terminis et utilitatibus suis et libera piscatione ibidem in parvo mari, Rummam, cuius termini protenduntur versus Radam ad quercum circa viam publicam signatam, et sic descendunt ad locum ubi Rumna et Rada confluunt.

Grangiam Starin cum villa eiusdem nominis et Messin. Grangiam eciam Ratstowe, Raicowe, Brust. Dimidium Bresno cum media parte stagni per terminos ibidem distinctos usque in Bebrovamstrugam, et eundem rivulum cum utroque littore usque in Verissam, et prata iuxta eandem Verissam. Scowarnichow, Hostritza, Plavanowe cum molendino in Raduna. Wasino et Zirinina, molendina quoque in Strize constructa et in posterum construenda. Locum eciam molendini circa villam Vrieze cum terminis suis, et prefatum fluvium Strize cum utroque littore a lacu Colpin unde scaturit descendendo usque in Wizlam, et ab illo loco per totam Wizlam usque in mare liberam piscationem capiendi rumbos vel esoces vel cuiuscunque generis pisces, quibuslibet retibus vel instrumentis. A portu vero Wizle versus occidentem, totum littus maris cum omni utilitate et libertate usque ad utrumque littus rivuli qui Swelina nuncupatur. Preterea unam navem liberam in salso et unam in recenti mari, ad capiendum allec, rumbos, vel alios quoscunque pisces. Insuper decimam noctem de clausura nostra in Rada, absque omni contradictione nostrorum ibidem officialium pisces libere percipiendi, prefatis fratribus de Oliva et eorum successoribus cum omnibus bonis supradictis libertate perpetua confirmamus pariter et donamus. Claustrum eciam dominarum Cysterciensis Ordinis nomine Sarnowitz, quod pertinet in Olivam, sub nostram protectionem suscipimus, confirmantes ipsis possessiones et villas subscriptas: Wircussino, Liubecow, Cartussino, Udargow et Swecin. Totum quoque stagnum quod Pesnitza nominatur, et fluvium eiusdem nominis in utroque littore cum libera clausura piscium et pratis circumiacentibus usque in mare et liberam piscationem ibidem, unam quoque navem liberam allec vel rumbos aut ceteroş pisces libere capiendi, predictis monialibus de Sarnowitz assignamus. Hominibus eciam abbatis prope mare residentibus, quoslibet pisces libere in terminis ipsorum, sicut abbati conplacuerit, licet piscari. Extra terminos vero ipsorum, non nisi secundum communem nostre terre consuetudinem piscabuntur. Preterea, ut prefata domus Oliva, locus sepulture principum Pomoranie specialis, ut dignum est privilegio gaudeat libertatis, omnes colonos et servientes res et naves ipsorum, in omni dominio nostro a solutione thelonei decernimus fore exemptos; et omnia bona prenominata cum omnibus attinenciis suis in agris, pratis, pascuis, silvis, piscationibus, molendinis, tabernis, venationibus, castoribus, mellificiis, et quibuslibet aliis utilitatibus que nunc in ipsis sunt vel haberi quoquomodo poterunt in futuro, in aurifodinis, argentifodinis, seu quecunque fuerit utilitas metalli sive eris ac eciam salis, cum omni proprietate ac iuris integritate, iudicio maiori et minori, capitali videlicet et manuali, prefatis fratribus de Oliva et eorum successoribus perpetua libertate conferimus et donamus: hoc sane adicientes, ut si que homicidia, furta, vel alia quecunque enormia forefacta in hereditatibus seu terminis prescripte abbacie patrata fuerint, nullius nisi abbatis iudicio iudicentur, et pena que pro hiis solvenda fuerit, monasterii usibus totaliter deputetur. Inhibemus insuper, ne coloni eorum urbes edificare, custodire vel reparare cogantur; sed liberi sint ab omni exactione et solutione Polonica seu Theutonica, que nunc est vel processu temporis poterit suboriri: ab opole, a prevod, a solutione bovis et vacce, ab urna mellis, a naraz, a povoz, ab exactione que poradlne dicitur, et ab omnibus prorsus aliis exactionibus vel gravaminibus, quibuscunque nominibus censeantur. Omnes quoque libertates et iura, a domino Mysciwgio pie memorie dilecto patruo nostro et a domino Swantopolco patre suo et ab aliis progenitoribus eorundem ipsis collatas, prefato monasterio et fratribus de Oliva pie et liberaliter perpetuo confirmamus. Ut ergo hec omnia rata et inconvulsa permaneant, regalis

sigilli nostri inpressione et testium subscriptione presentem paginam roboramus. Testes sunt: dominus Swentza palatinus Gdanensis, dominus Philippus archidiaconus Poznaniensis, Boguslaus iudex, Nycolaus palatinus Dersoviensis, Laurencius castellanus in Stolp, Stanislaus castellanus in Sweze, Unislaus subcamerarius in Gdanzk, et alii quam plures fide digni. Datum in castro nostro Gdanzk vigilia beati Laurencii martiris, anno Domini millesimo CC. nonagesimo quinto, Indictione octava, Concurrente quinto, Epacta tertia.

Oliva, *Oliwa. Miejscowości poniżéj wymienione, których nazwiska dziś po części pod niemieckiemi przezwiskami ukryte, leżą pomiędzy miastami Wejherowo, Kartuzy i Gdańsk, a zalegają wybrzeże Baltyku od Gdańska aż do ujścia rz. Biała.* Terra Gemewe, *okolica m. Gniew.* Stagnum Warsna, *jezioro, nad którem leży w. Tuchów.* Sopot, *Copoty.* Terra Oxivie, *okolica w. Oxhöft.* Rumma, *albo jest znikła dziś osada nad rzeczką tegoż nazwiska, lub też tylko nieznane dziś nazwisko ryby; (cnfr. Nr. 670).* Rada, *rz. wpadająca do Baltyku, nad którą leżą m. Wejherowo i w. Reda.* Rumna, *dziś rz. Biała.* Bresno, *Brześno.* Verissa, *Wierzyca rz., z niem. Ferse Fl., lewy przypływ rz. Wisła.* Raduna, *z niem. Radaune Fl., lewy przypływ rz. Wisła.* Strize, *rzeczka wypływająca z jeziora, nad którem leży w. Wysokie Kiełpiny.* Rivulus Swelina, *z niem. Kielau Fl.* Sarnowitz, *Żarnowiec. Wsie następnie wyliczone, leżą pomiędzy m. Leba, Wejherowo i Puck.* Stagnum Pesnitza, *jezioro, nad którem leży klasztor Żarnowiec na pobrz. Baltyku.* Dersoviensis, *de Tczew.* Stolp, *Słupsk na Pomorzu.* Sweze, *Świecie.*

Nr. 740.

Premislaus secundus rex Polonorum et dux Pomoranie 1295 Aug. 15, in Svece; confirmat omnes possessiones et libertates, concessas monasterio de Żukow a Mistiwogio I, Swentopelcone et Mistiwogio II, ducibus quondam Pomoraniae, et antiqua novis privilegiis augmentat.

Danzig. Staedtisches Archiv. Diplomata, Scr. 45, C 1. (Kopja na arkuszu papieru, pisana ręką XVIII wieku.)

In nomine Domini amen. Quoniam generacio preterit et generacio advenit, nichilque in humana conditione stabile persistit quod propter mortalitatem hominum et labilem memoriam eorundem in oblivionem non deveniat, ideo discretorum virorum consilio salubre remedium est inventum, ut ea que ab humanis actibus aguntur, scriptis autenticis ad perpetuum confirmentur, ut exinde habeatur cognitio veritatis, si super his que acta sunt, suboriri contingat aliquid questionis. Igitur nos Premislaus secundus, Dei gracia rex Polonorum et dux Pomoranie, notum esse volumus universis, quod nos considerantes salubrem et dignam donacionem domini Mistugii et Svantopelci, nec non incliti principis domini Mistugii quondam ducis Pomoranie, patrui nostri charissimi, ad honorem Dei et sancte Marie domui Zukowiensi et sanctimonialibus ibidem Deo famulantibus Ordinis Premonstratensis, Wladislaviensis diocesis, confirmamus et confirmando approbamus, quod omnes villas locatas et quotquot potuerit in futurum locari infra metas ab antiquo ipsis villis assignatas, cum omnibus utilitatibus que habebantur et in futurum potuerint haberi, in terra vel super terram, in agris cultis et incultis, in rivulis, lacubus, stagnis, paludibus, molendinis,

silvis, nemoribus, mellificiis, venacionibus et aliis omnibus utilitatibus et proventibus, cum omni iuridiccione atque districtu spiritualium et temporalium que habuerunt in ipsis villis vel habere potuerint, in perpetuum libere possidendas. Quarum villarum sunt hec nomina: Zucow, Mislicino, Golubino, Barclino, Zulislawe, ipsum locum claustri cum utroque littore et rivulo Raduna vulgariter nuncupato, Rambecowo, Snimirowo, Oxiva cum villis, et hec sunt nomina earum: Obluze, Pogorze, Grambelino, Sbichowo, Nasinchyno, Remicowo, Kedrino, Kosakowo, Sbichowo, Pirvosyno, Moscino, Kochowo, Gogolino, Sebandowo, Barchocino; duas villas in Swece, Grabowo et Karsewo; in Slupsco, Prewos, et Cecanowo, Beleczkowo, Landochowo, Luzino, Zamblewo, Ramboszewo et Wazino: quas villas ab omni solucione et servitute ducali, vel quitquit iuris in illis villis habebant, liberas reddiderunt. Contulerunt eciam predicti principes terciam partem thelonei in Gdanzk de omnibus, que ibidem recipiebantur et in futurum recipientur. Decem insuper naves cum hominibus ipsorum contulerunt liberas cum stacione Oxivensi, Noisca vulgariter nuncupata, preter homines Samborii et Ratiborii et preter homines ipsius claustri. Reddiderunt eciam clausuram sturionum que vocatur Olsica, et quadraginta marcas denariorum de tabernis, et decem urnas mellis in Scorevo et Lenievo, et quinque lacus: Karsno, Brodno, Brodnica, magnum lacum Brudno et lacum Garche: quas donaciones et collaciones similiter confirmamus et approbamus, absolventes omnes incolas predictarum villarum domus Zucoviensis ab omni iugo servitutis, et a conductu ducali quod podvod nuncupatur, a custodia vel edificacione castrorum; excepto, quod solum castrum Gdanzk cum aliis nostris hominibus cum necesse fuerit edificabunt. Absolvimus eciam ipsos incolas ab omni expedicione, nisi quando exercitus quod absit terram incurrere voluerit, similiter cum nostris hominibus defendere tenebuntur. Volumus eciam, ut nullus palatinorum, castellanorum seu iudicum, homines sepe dicte domus audeat iudicare vel citare; sed iudicia maiora sive minora, vel qualiacunque fuerint exorta, provisor dicte domus de Zucow iudicabit et recipiet penam iudicatam. Si autem incola prefate domus cum alio causam moverit, medietatem cause iudicate post ipsum recipiat provisor domus Zucoviensis. Admittimus eciam, cum poradlne vel qualiscunque solucio fuerit in nostra terra, de villis percipiat plenarie provisor domus Zucoviensis. Contulerunt eciam dicte domui pro commutacione clausure de Olsica, clausuram salmonum et rivum iuxta Belgard, qui vulgariter Leba nuncupatur, a lacu magno Lebsco nomine, usque ad salsum mare per medium; hoc cum omnibus utilitatibus que in presenti habentur et in futurum qualicunque arte poterint haberi, predicte domui et ipsius inhabitatoribus plena et mera libertate confirmamus. Insuper contulit eisdem sanctimonialibus et ipsarum provisoribus inclitus princeps dominus Mistwgius patruus noster carissimus, quondam dux Pomoranie felicis memorie, ecclesiam sancti Petri in villa que Chmelno dicitur, cum omnibus utilitatibus, tam spiritualibus quam temporalibus ad ipsam ecclesiam pertinentibus, tam in villis quam aliis proventibus, et ipsam domum Zucoviensem misit in possessionem ipsius ecclesie in Chmelno. Dedit eciam sepedicte ecclesie de Zucow omnes suos lacus et pisces ad ipsum castrum de Chmelna pertinentes, cum omnibus utilitatibus quas ibidem habuit vel habere potuit, in perpetuum possidendas; quam donacionem et collacionem predicto monasterio approbamus. Concedimus eciam ad maiorem utilitatem et profectum sepedicte domus, ut omnes hereditates prenominatas ipsius domus provisores eo iure Theutonico locare possint, quo sibi suisque subsecutoribus videbitur expedire. Ut autem hec nostra confirmacio et libertatis donacio in perpetuum inviolabilis perseveret nec a quopiam

in posterum valeat attemptari, sibi presentem litteram scribi fecimus et sigilli nost munimine roborari presentibus hiis testibus: Philippo archidiacono Gneznensi, Bogu slao iudice Gneznensi, Nicolao palatino Dersoviensi, Stanislao castellano Svecens Gothardo dapifero Svecensi, Paulo subcamerario Svecensi. Actum et datum ann Domini M.CC. nonagesimo quinto in Svece, in die Assumpcionis beate Marie virgini regni nostri anno primo.

Zukowiensis, *de Żukow, z niemiecka Zuckau.* Wladislaviensis, *de Włocławe Wsie następnie wymienione, n. p.* Mislicino, *z niemiecka Mischau*, Golubino, *z niemieck Gollubien, leżą w okolicy m. Kartuzy.* Riv. Raduna, *rz. Raduna wpadająca do rze Wisła p. m. Gdańsk.* Oxiva, *z niem. Oxhöft nad morz. Baltyckiem, na północ Gdańsk. Miejscowości następnie wymienione leżą w okolicy Oxhöft i Kartuz.* Swec *Świecie.* Slupsco, *Słupsk, z niem. Stolpe.* Scorevo, *Skorzewo pod m. Kartuzy.* L nievo, *Liniewo p. m. Skarszew. Następnie wymienione jeziora leżą na zachód od Kartuzy,* Brodnica, *pod wsią Brodnica*, Garche, *pod w. Garcz.* Belgard, *Białogró* Leba, *rz. Leba.* Lacus Lebsco, *wielkie jezioro blisko ujścia rz. Leba do Bałtyk* Chmelno, *Chmielno.* Dersoviensis, *de Tczew.*

Nr. 741.

Swenso palatinus Gedanens. etc. et ceteri iudices 1295 Aug. 16–21, in castro Slawen Pomeranie; protestantur, Zimerum Domaradowicz et c gnatos eius ab impetitione dimidietatis villae Małkow in favorem monasterii de B kow destitisse.

Stettin. Königl. Staats Arch. Matricula Bucoviens. pag. 42. — Dreger, Mscr IV, Nr. 876.

Universis Cristi fidelibus presentem literam visuris seu audituris, Swenso p latinus Gedanensis et Stolpensis Pomeranie, Matthias subcamerarius in Slaven Paulus subdapifer ibidem, salutem in Domino sempiternam. Quia pium est et C stiane religioni consentaneum esse dinoscitur veritati testimonium perhibere, univer presentibus et futuris presentem literam visuris seu audituris publice protestam quod Zimerus Dummeradeviz, Venslaus filius suus, et filii fratrum suorum, Tesseg et Busezech et Kunike, super dominum abbatem de Bucovia et fratres suos prop suerunt querimoniam in Slawen coram domino Primislao rege Polonie et duce P meranie, villam Malchow impetentes minus iuste: nam predicte ville dimidietatem d minus abbas ab eis emerat pro quindecim marcis denariorum et duobus bubus cu consensu domini nostri quondam ducis Pomeranie rationabiliter atque iuste, et dict dominus noster Mestvinus ipsis, dictam villam Malchow domino abbati integralit resignantibus, pro alia dimidietate (aliam) villam redonavit. Dictus autem rex, a ditis responsionibus domini abbatis et fratrum et visa iustitia eis apprivilegiata, d mino abbati et fratribus villam Malchow integraliter adiudicavit et illis abiudicav super hac querimonia perpetuum silentium imponendo. Predicti vero, scilicet Ve slaus filius Zimeri Dummeradevitz, et Tessegur, Busezech et Konike, his non content unam dimidietatem venditam fatebantur, domino abbati et fratribus pro alia dimidi tate importunas minas incendii et rapine inferentes. Sepedictus vero dominus abb

cum fratribus timore futuri periculi compulsus, pro alia dimidietate, non ab eis empta sed a domino Mestvino data, viginti quinque marcas denariorum Colbergensium dedit ipsis cum duobus bubus, emptionem faciens iterato. E contra predictus Zimerus Dummeradevitz et filius suus Vencislaus et filii fratrum Zimeri, scilicet Thessegur et Busezech et Konike, cum omni cognatione sua sepedicte ville Malchowe utramque dimidietatem cum omni iure suo, in Slawen coram nobis domino abbati et fratribus resignarunt, astantibus quam plurimis fide dignis qui huius rei testes sunt, videlicet dominus abbas Wichardus qui huiusmodi resignationem suscepit, frater Ecbertus supprior, frater Iohannes cantor, monachi de Bucovia; frater Iohannes commendator in Slawen et sacerdos, Volseke signifer, et Woianus tribunus in Slawen, Gresmarus de Pankonin, Woizlavus filius Mathie subcamerarii. Datum et actum in castro Slawen Pomeranie anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, infra octavam Assumptionis sancte Marie. Ne autem predicta compositio inter predictos et ville Malchowe resignatio, coram nobis tam rite et rationabiliter facta, in recidive contentionis scrupulum relabatur, sed perpetuo perseveret, presentem literam sigillorum nostrorum munemine facimus roborari.

Stolpensis, *de Słupsk.* Slaven, *Sławno n. Wiperą.* Bucovia, *Bukow.* Malchow, *Malkow.* Colbergensis, *de Kołobrzeg.* Pankonin, *z niem. Pannekow.*

Nr. 742.

Bonifatius Pp. VIII 1296 Ian. 5, Rome apud s. Petrum; mandat episcopo de Chełmno, ut bona a monasterio Ląd alienata eidem restitui curet.

Pergam. orygin., w którego dolnym, założonym brzegu dwie dziurki od przywieszonéj niegdyś bulli.

Włocławek. Własność X. Stanisława Chodyńskiego.

Bonifatius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Culmensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii Lyndensis Cisterciensis Ordinis, Gnesnensis diocesis, precibus inclinati, presentium tibi auctoritate nostra mandamus, quatinus ea que de bonis eiusdem monasterii alienata inveneris illicite vel distracta, ad ius et proprietatem ipsius monasterii legitime revocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere: proviso, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim auctoritate presentium ad iudicium evocetur, nec procedatur in aliquo contra eum. Datum Rome apud sanctum Petrum Nonas Ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

Culmensis, *de Chełmno.* Lyndensis, *de Ląd.*

Nr. 743.

Premisl rex Polonie et dux Pomeranie 1296 Ian. 25, in Poznan; claustrum sororum Ordinis Praedicatorum Poznaniae fundat, plurimis possessionibus, reditibus et libertatibus dotat, collationes a terrigenis ei factas confirmat, et ipsum in suam curam et regimen assumit.

Transsumpt potwierdzony przez: Venceslaus Bohemie et Polonie rex 1304 Mart. 14, Prage.

Poznań. Königl. Staats Arch. Posen. S. Catharin. 28.

In nomine Domini amen. Que geruntur in tempore simul evanescunt cum tempore, nisi per litteras et voces testium sumant robur perpetuum et stabile firmamentum. Hinc est quod nos Premisl, superna disponente clemencia rex Polonie et dux Pomeranie, intendentes terrena pro celestibus commutare, saluti anime nostre insuper providere cupientes, assumpsimus ex animo claustrum sororum sacri Ordinis fratrum Predicatorum in Poznaniensi civitate fundare, dotare, fundatumque et dotatum in nostram curam et regimen assumere, presentibus testantes, nos eiusdem esse patronum. Notum igitur facimus presentibus et futuris presens privilegium inspecturis, quod ad locandum eiusdem claustri solida fundamenta, parochiam ecclesie sancte Marie Magdalene in ipsa civitate Poznan predicta damus, et conferimus eisdem sororibus in eadem ecclesia ius patronatus perpetuum, quod ad nos ex nostris antecessoribus ex tempore cuius non extat memoria pertinet et pertinebat, cum omnibus condicionibus debitis illi ecclesie, que ad ius pertinent patronatus. Et ut hec eadem nostra fundacio ipsis sororibus ad maius commodum valeat provenire, damus eidem claustro potestatem faciendi aqueductum per civitatem ipsam usque ad ipsum claustrum, a nostro scilicet molendino quod est in civitate predicta, ita videlicet, ut nullus hoc ipsum debeat impedire. Et ut nobis apud Deum maior accrescat cumulus meritorum, eidem claustro ac sororibus damus atque donamus duas hereditates, videlicet Pentchowo et Rudniche, in perpetuum possidendas cum omnibus iuribus et utilitatibus, que de presenti sunt et de futuro poterunt reperiri, nec non et cum pertinenciis singulis, que ad hereditates predictas possunt reduci. Ad firmius insuper fundamentum ipsius claustri, confirmamus donacionem seu collacionem factam ipsi claustro, videlicet domini Vincencii cancellarii nostri ac fratrum eiusdem, Nicolai palatini et Miroslai, pro anima Bozate fratris sui, videlicet Donatowo et Grzimizlave hereditates; nec non donacionem domini comitis Nicolai palatini Kalissiensis, factam specialiter ipsis sororibus de propriis bonis: Roscimno et Balokose et Sokolniche hereditates cum lacubus, pratis et aliis quibuslibet utilitatibus, que in eisdem hereditatibus nunc sunt et in posterum reperientur. Confirmamus insuper domini Iohannis hereditatem scolastici ecclesie Poznaniensis, quam donavit, dedit et tradidit cum filiastra sua eidem claustro, que hereditas Popowo nuncupatur. Dantes omnibus et singulis superius nominatis hereditatibus plenariam libertatem, et absolventes incolas earundem a stroza, a naraz, a podvorove, a prevod, a povoz, a citacione castrensi, a poradlne, et ab aliis omnibus gravaminibus seu exactionibus secundum iura Polonicalia ex antiquo servata; addicientes ad hoc ipsum et dantes eisdem hereditatibus hanc libertatem, quod ipsas in quocunque iure sibi magis utili, sive Theutonico sive alio, possint locare. De speciali insuper gracia donamus sive damus, quod predicta-

rum villarum incole seu coloni nullius adstent iudicio, preter iudicem, qui a predicto claustro fuerit constitutus. Omne autem iudicatum sive pena quarumlibet solucionum, tam pro homicidiis quam pro quibuslibet aliis culpis, volumus quod ad utilitatem eiusdem monasterii convertatur; quod si aliquis homicidium in terminis predictarum perpetraverit, vel ubicunque alias inhabitatorem earundem quocunque modo leserit vel occiderit, volumus quod pena pecuniaria integre pertineat ad idem claustrum. In augmentum insuper remissionis nostrorum peccaminum, tali prerogativa nostri privilegii et gracia ipsum claustrum ac homines eiusdem graciosius communimus, videlicet ut predictarum villarum inhabitantes et coloni, nec ad expedicionem nec ad municionem civitatum seu castrorum edificacionem aut fossatorum fossionem in perpetuum teneantur. Confirmamus preterea donacionem factam predicti comitis Nicolai palatini Kalisiensis, videlicet quod molendinum quod ante civitatem Poznaniensem situm est, et quod idem contulit claustro memorato cum orto qui eidem molendino adiacet, nec non et alios duos ortos quos sorores claustri predicti propria pecunia redimerunt, et quorum unus ante dictam civitatem Poznaniensem situs est alter vero in villa que dicitur Vinar, totum hoc presenti privilegio roboramus; dantes eisdem plenam libertatem, ut nulli hominum collectam vel exactionem vel quamcunque aliam solucionem perpetuo solvere teneantur, sed hec omnia et singula de molendino et ortis pretactis superius, ad predictum claustrum libere pertinebunt. Acta sunt hec in Poznan anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, regni nostri anno primo, in Conversione sancti Pauli apostoli, presentibus hiis testibus: comite Benyamin palatino Poznaniensi, Nicolao palatino Kalisiensi, comite Petrcone castellano Poznaniensi, comite Kelchone et fratre eius Dobrogostio. In cuius eciam nostre donacionis et confirmacionis testimonium, hoc nostrum privilegium sigilli nostri appensione duximus roborandum.

Pentchowo, *Piątkowo.* Rudniche, *dziś Rudnica.* Donatowo, *Donatowo.* Grzimizlave, *Grzymisław.* Roscimno, *w XV wieku Roscigniewice, dziś Roszczki.* Balokose, *Białokosz.* Sokolniche, *Sokolniki.* Popowo, *Popowo.* Vinar, *Winiary.*

Nr. 744.

Premisl secundus rex Polonie et dux Pomeranie 1296 Febr. 3, apud Pisdri; monasterio de Lubin iurisdictionem et iura, quibus ipse utitur, concedit; incolis vero villarum eiusdem amplissima privilegia largitur.

Dwa transsumpta oryginalne równobrzmiące, potwierdzone w pergaminach orygin. przez: Sigismundus rex Polonie etc. 1530 Iul. 22, Cracovie. *Pieczęć przywieszona na sznurach jedwabn., czerwon. i żółt. przedstawia tarcz kwadrowaną w Orła i Pogoń.* *Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin, Nr. 51, Nr. 52.*

In nomine Domini amen. Multis incomodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Premisl secundus, Dei gracia rex Polonie et dux Pomeranie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem inspecturis paginam, quod merita pie devocionis et conversacionis reverendi viri domini Martini abbatis monasterii de Lubyn et sui conventus Ordinis sancti Benedicti speciali gracia et favore prosequentes, iuxta debitum

regalis nostre dignitatis eorum dispendiis et profectibus grata benivolencia et providencia occuremus, et ob amorem Dei et beate virginis Marie, pro remedio anime nostre ac omnium parentum, predecessorum et posterorum ac successorum nostrorum, ut eo ferventius pro nobis omnibus orarent, et missam pro peccatis et aliam pro defunctis in qualibet ebdomada decantarent, ad instanciam dicti abbatis et sui conventus, larga regali largicione sibi et suo conventui ac suis successoribus pro utilitate ipsorum et monasterii omnem iurisdicionem et omne ius quo nos utimur, omnimodamque ac perfectam damus ac conferimus presentibus libertatem omnibus hominibus ipsorum, tam liberis quam obnoxiis in omnibus villis eorum et civitatibus, ab omnibus exactionibus, prestacionibus, servitutibus et vexacionibus iuris Polonicalis; nec non a cittacione castrorum vel cuiuslibet iudicis, sive pedanei vel generalis, per nos in Polonia constituti: excepta sigilli nostri cittacione, ad quam coram nobis vel prefate ecclesie abbate cittati, tantummodo villani astabunt memorati, querulantibus responsuri. Qui abbas circa nos sedens, eosdem homines iudicabit, et penam, si qua ceciderit, pro se ac suo monasterio recipiet ex integro. Damus eciam dicto monasterio, abbati et suis fratribus hanc libertatem, ut, si casu interveniente inter homines ipsorum, tam liberos quam ascripticios, homicidium perpetratum fuerit, solucio homicidii in abbatis totaliter cedat potestatem. Si vero homines prefati abbatis extraneum, aut extranei suum liberum aut obnoxium occiderint, tunc abbas et suus conventus pro libero dimidiam penam, et pro obnoxio totam percipiat capitalem. Dedimus eciam eisdem ad utilitatem omnem venacionem, tam parvam quam magnam, videlicet castorum, ursorum, aprorum, silvesticorum (sic) bubulcorum, cervorum, et super omne genus singularum ferarum quocunque nomine censeantur, libere ac pacifice perpetuo possidendam. Si vero quis villanorum ipsius in bonis eiusdem abbatis et sui monasterii feram aliquam occiderit abbate ignorante, nullus prorsus castellanorum nostrorum seu procuratorum se de causa aut pena intromittat; sed abbas et sui sequaces penam que nos tangit, in eis percipiat ex integro. Comodis eciam eorum in hoc occurremus, dantes eis et monasterio ipsorum hanc iudiciariam potestatem perpetuo possidere: latrones et spoliatores, qui eos et ipsorum homines molestant, depredant et anihilant, iudicare, decollare, et penam que sedmcessant nuncupatur in eisdem recipere, fures suspendere, sacrilegos rotare, falsarios comburere, manibus, pede vel manu mutilare, duellum de gladio et duellum de baculo, examen ferri ardentis, et examen aque frigide et ferventis. Si autem homines dicti claustri et abbatis in spolio vel furto detenti fuerint, non obstante aliquo iure civili seu Polonicali sive quorumlibet iudicum vel castellanorum abbas dicti monasterii eosdem suos homines iudicet, et penam totam percipiat in eisdem. Starigrod cum tabernis et theloneo specialiter confirmamus. Eciam, si necessitate occurente transitus hospitum ad alium quemcunque locum vie Thorunensis seu Wratislaviensis transferatur, theloneum abbas Lubinensis ibidem percipiat ex integro. Woneszcz eciam cum lacu ex integro, in quo nullum ius Grizina et Ossek de iure piscandi habent. Et hec omnia et singula bona eorum, habita et habenda, presencium tenore confirmamus, nostris ac perpetuis temporibus duratura. Ut autem hec donacio nostra et confirmacio robur obtineat perpetue firmitatis, presentem literam sibi dari fecimus, nostri sigilli regalis munimine roboratam. Actum et datum apud Pisdri, Purificacionis sancte Marie die sequenti, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, presentibus hys honorabilibus viris: venerabili patre domino Iohanne Herbicz episcopo Poznaniensi, comite Beniamin pallatino Posnaniensi, comite Thomislao iudice et castellano Gne-

znensi, comite Dyrsicraio de Usczye, comite Bozata castellano de Lyada, domino Iascone notario nostro, et aliis quam plurimis fide dignis.

Lubyn, *Lubin*. Starigrod, *Starygród*. Woneszcz, *Wonieść*. Grizina, *Gryżyna*. Ossek, *Osiek*. Pisdri, *Pyzdry*. Usczye, *Ujście*. Lyada, *Ląd*.

Nr. 745.

Wladislaus dux Polonie etc. 1296 Mart. 10, in Crivin; cum Henrico duce Silesiae pacem ratione successionis in regno Poloniae init, et Maiorem Poloniam dividit.

Pergam. orygin., u którego przywieszona pieczęć przedstawia godło Ziemi Kujawskiéj; z napisu: ... ladislai ... Du ... Cuiav ... Siradi ...

Breslau. Königl. Staats Arch. Glogau Nr. 9. — Worbs, Neues Archiv f. d. Geschichte Schlesiens u. d. Lausizen II, p. 124. (*Przepełnione błędami*).

In nomine Domini amen. Nos Wladislaus, Dei gratia dux Polonie, Pomoranie, Cuiavie, Lancicie ac Syradie, notum facimus universis ad quorum audientiam contextus presentium defferetur, quod licet post decessum pie recordationis serenissimi principis Premislonis, bone memorie regis Polonie et ducis Pomoranie, omnes barones et nobiles terre concorditer nos celebrata electione solempni dominum eorum prefecerint, tamen: perspicua consideratione speculantes, quod magnifico principi domino Henrico duci Slesie et domino Glogovie, nostro sororio karissimo, super eadem terra Polonie bonum ius competeret ex eo, quod predicto domino regi in linea consanguinitatis propinquus esset, et ex eo, quod idem rex, antequam carnis debitum exolveret, totam terram Polonie sub instrumentorum ipsius robore sibi dederat et liberaliter resignarat: ne aliqua ex hoc in predicta terra controversia oriretur prefato domino Henrico duci Glogovie, mediante utriusque partis baronum consilio veram pacem inivimus et concordie unionem, terram Polonie totam secum dividentes. Donantes et tradentes sibi terram nostram usque ad fluvium qui Obra dicitur, incipiendo ab eo loco ubi idem fluvimus (sic) oritur, usque ad fluvium Wartam, ubi terminatur, et deinde per fluvium Wartam usque ad fluvium Nothes nuncupatum, ubi mete Polonorum terminantur, cuius etiam mete et termini a superiori parte eiusdem aque usque ad magnam silvam circa villam Yrbitz se extendunt. Et si qui sunt in eadem terra, quam sibi contulimus, se cum suis firmitatibus predicto duci Glogovie opponentes, hos cum nostro et ipsius wallabimus exercitu, inde non recessuri, donec ipse firmitates sue fuerint subiecte ditioni. De speciali etiam permissione concedimus dicto amico nostro districtum de Cbansin evincere et redimere a relicta regis Polonie, quem optinet ratione donationis propter nuptias. Damus etiam sororio nostro predicto duci Glogovie medietatem terre Clobucensis possidendam, reliquam vero partem mediam eiusdem terre damus duci Boleslao Opoliensi ob amorem nostri sororii sepe dicti, cum sit cum ipso concorditer unus homo. In evidentiam vero amplioris amicitie et dilectionis, filium prelibati principis Henrici, nomine Henricum, in nostrum adoptavimus filium, gubernandum et fovendum. Cui quidem sic adoptato damus et conferimus totam terram Pozniensem perpetuo possidendam hereditario iure, sicut

ipsam sepe dictus rex Polonie possedit, dum a patruo suo bone memorie Boleslao fuit divisus et separatus. Cum vero iidem Henricus adfilius (sic) Henrici ad eos annos pervenerit, quod terram Pozniensem gubernare poterit, a nostra gubernatione absolutus de dicta terra faciat et disponat pro sue libito voluntatis. Si vero peccatis exigentibus eundem Henricum rebus humanis eximi contigerit, alii filii predicti Henrici ducis Glogovie dictam terram Pozniensem, prout superius est expressum, pacifice possideant et quiete. Supperioribus et hoc duximus inserendum, quod si nos sine liberis mori contigerit, filium predictum Henricum et ceteros filios eius ad obtinendam totam terram Polonie subrogamus et constituimus legittimos successores et heredes. Insuper promittimus sepe dictum amicum nostrum iuvare et eidem assistere contra quemlibet hominem, cuiuscunque conditionis existat seu status, nostre potentie ope, opere, consilio et favore; nec insidiari eidem in vita sua, rebus, honoribus, castris, possessionibus et munitionibus quibuslibet: immo potius iuvare et deffensare contra omnes venientes ex adverso. Preterea fures, proscripticios et universos maleficos et nocivos terre ipsius non servabimus aliquo modo, sed ipsos persequi volumus et vite ipsorum insidiari secundum exigentiam iuris. Ut autem facilius et libentius recreari valeamus mutuis aspectibus, assecuramus his scriptis amicum nostrum karissimum, ut terras nostras, domos, munitiones, castra et oppida, absque omni formidine vite, personarum et rerum valeat intrare, quandocumque et quociescunque eidem conveniens videbitur et expedire. Et ut omnia suprascripta rata et inviolabiliter perpetuo perseverent, presentes conscribi iussimus et sigillis, nostro et venerabilis patris nostri domini episcopi Pozniensis ac baronum nostrorum infrascriptorum, fecimus sigillari, qui omnes una nobiscum et pro nobis pro omnibus et singulis supra scriptis firmiter repromiserunt. Quorum nomina sunt: comes Nicolaus palatinus Calisiensis, comes dominus episcopus Pozniensis, comes Petrico castellanus Pozniensis, comes Beniamin palatinus Pozniensis, comes Sbyluth castellanus de Gnezna, comes Boguslaus iudex Calisiensis, Troianus wenator, Borislaus castellanus de Zanze, Kelco castellanus de Cbansin, Iohannes Bogumili, Florianus pincerna, Iohannes castellanus de Srem, Petricus Milesic, Iohannes Peregrini, Petricus Symanus (sic) de Dambno, Swentomirus castellanus de Bechow. Actum et datum in Crivin sabbato proximo ante Iudica, anno gratie Domini M.CC nonagesimo sexto.

Fluv. Obra, *Obra rz.* Fluv. Nothes, *Noteć rz.* Yrbitz, *z niemiecka Ehrbardorf p. m. Wieleń.* Cbansin, *Zbąszyń.* Terra Clobucensis, *de Kłobucko, czyli południowa część Ziemi Wieluńskiéj.* Opoliensis, *de Opole, z niem. Oppeln.* Zanze, *Książ.* Dambno, *Dębno.* Bechow, *Biechow.* Crivin, *Krzywin.*

Nr. 746.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1296 Mai. 2, Poznanie; comiti Nicolao palatino Pomoraniae villas Gosciejewo et Olszyna, plurimis libertatibus dotatas, confert.

T. Działyński. Lites ac res gestae I, pag. 61.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripture presidio vel testium aminiculo fuerint insignita. Nos igitur Wladislaus, Dei gracia

dux regni Polonie et dominus Pomoranie et Cuyavie, Lanzicie et Syradie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod attendentes fidelia grataque obsequia, que fidelis noster comes Nicolaus palatinus de Pomorania filius Iankonis nobis exhibuit multiformiter et in futurum dante Domino nobis impendere est paratus, volentes ipsum ad omne obsequium reddere prompciorem, villas que Gostogewo et Olsewa Straka nuncupantur, cum omnibus utilitatibus et proventibus que nunc ibidem sunt aut fieri poterunt in futuro, prout prefate ville in suis metis et terminis sunt distincte, prefato comiti Nicolao dedimus et contulimus iure hereditario sibi suisque posteris in perpetuum possidendas. Liberantes et absolventes incolas in predictis villis sedentes ab omnibus solucionibus Polonicalibus que nostro dominio dinoscuntur pertinere, videlicet a naraz, a povoz, a prewod, a poradlne, a ponevolne (sic), ab opole, a stroza, a bove, a porco, a vacca, ab ove. Item a palatino, a castri citatione et ab eorum iurisdiccione, sepedicti incole penitus sint absoluti, scilicet quod non comparebunt coram eis citati nec respondebunt, set tantummodo coram nobis, dum per litteras nostras fuerint evocati, tunc comparebunt et respondebunt. Adhuc volumus, quod sepedictus Nicolaus et sua posteritas habeat liberum arbitrium easdem villas transferendi in ius Teutonicum cum omni iure Novi fori, secundum quod omnes ville militum in terra Polonie sunt locate. Et ut hec nostra donacio robur obtineat perpetue firmitatis, presentem paginam conscribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari presentibus hiis testibus: comite Benyamin palatino Poznaniensi, comite Alberto dicto Ganska herede de Stwolna, Dominico scriptore curie nostre. Datum et actum Poznanie anno Domini MCCXCVI, in vigilia Ascensionis Domini.

Gostogewo, *Gościejewo.* Olsewa Straka, *zam. Olszyna.* Novum forum, *Środa na Szląkku, z niem. Neumarkt.* Stwolna, *Stwolna.*

Nr. 747.

Comes Gerwardus dominus et heres in Cosuth 1296 Mai. 19, s. l.;
Cristiano sculteto molendinum in villa Koszuty confert.

Pergam. orygin. Na skrawku pergamin. przywieszony ułamek pieczęci okazuje łacińską literę T, *u której koniec lewego ramienia wraz z brzegiem pieczęci odłamany; z napisu pozostało* ... ard. (*Może pierwowzór godła rodu Kornicz*).

Warszawa. Zbiory Rusieckich, Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae, I, Nr. 85.

In nomine Domini amen. Quoniam humane conditionis fragilis propago, a statu huius vite velut aqua defluens, omnis actionis detrimentum patitur quam non studuerit fide digna subscripcione testium roborare, nos comes Gerwardus dominus et heres in Cosuth universis Christi fidelibus presentibus et futuris volumus esse notum, quod nos Cristiano sculteto nostro ac suis heredibus contulimus molendinum nostrum, quod situm est in villa nostra Cosuth super rivulum qui Virbez dicitur, iure hereditario possidendum; ita quod singulis annis in festo beati Martini dabunt duos lapides cere in remedium anime nostre ac parentum nostrorum monasterio Lendensi, censu perpetuo perdurante, nulli ultra quicquam de prefato molendino servientes, sed

ab omni servicio exempti, ipsum libere possidebunt. Si vero contigerit, quod idem molendinum sit venumdandum, venient heredes ad dominum abbatem monasterii memorati, colloquentes ei super venditione huius molendini; cui si placuerit emere precio quo convenerit cum eis, pre ceteris obtinebit. Quicumque autem possessor huius molendini fuerit, tenebitur nobis molere gratis diebus versantibus vite nostre. Contulimus etiam dicto Cristiano ambo littora nostri stagni, in quibus poterit edificare et operari, prout sibi ac suis posteris videbitur expedire. Nichilominus pro utilitate ac necessitate sua, plantandi ortum ipsi contulimus libertatem, in nostro stagno piscandi facultatem tribuentes; verum tamen piscacionis usum cum reti parwlo prosequantur. Et ut idem molendinum in omnibus liberum sit et expeditum, dedimus eidem Cristiano ac suis posteris viam accedendi ad prefatum molendinum ubi sibi melius et aptius viderint competere, nullo penitus prohibente. Ut autem hec ordinacio, quam fecimus ob salutem anime nostre, inviolabilis perseveret, obtinuimus a reverendo patre domino Iohanne episcopo Poznaniensi, ut sigillo suo presentia confirmando, huius rei testis venerabilis habeatur una cum discreto viro Gerhardo abbate Lendensi, domino Hermanno seniore ibidem, domino Waltero plebano de Slupza, et aliis quam pluribus fide dignis. Datum et actum anno Domini M.CC.XCVI, Potentiane virginis venerande. Ut autem sciantur ista, a nobis tamquam a vero herede ordinata, presentem cedulam sigilli nostri munimine fecimus communiri.

Cosuth, *Koszuty.* Virbez rivulus, *dziś Wierzbiec str.* Lendensis, *de Ląd.* Slupza, *Słupca.*

Nr. 748.

Wladizlaus regni Polonie etc. dux 1296 Iun. 6, ante Cosczan; confirmat venditionem sortis Grodzisk, monasterio Paradyż a comite Petro de Glińsk resignatae.

Pergam. orygin. W dolnym, obciętym brzegu dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B. 27.

In nomine Domini amen. Quod magnifica principum decrevit auctoritas, ratum debet atque stabile permanere. Proinde nos Wladizlaus, Dei gracia regni Polonie et terrarum Pomoranie, Cuyavie, Lanchicie ac Syradie dux, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra et nostrorum baronum presencia constitutus comes Petrus de Glinsk protestatus est, se vendidisse domino abbati et conventui de Paradizo, quod claustrum in vulgari dicitur Goscychov, sortem unam dictam Grodicz que ad partem suam cessit, sitam in eadem hereditate Glinsk, pro centum et quinquaginta marcis argenti, fratribus ipsius ibidem astantibus et consencientibus, videlicet Thoma, Stephano et Dirzicragio, cum omnibus utilitatibus et proventibus ad dictam sortem pertinentibus, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, rubetis, silvis, lacubus, et aliis, qui nunc sunt vel esse poterunt in futurum. Predictus vero Petrus cum prenominatis suis fratribus omni iuri hereditario coram nobis renunciaverunt spontanei, non cohacti; ita quod nec eis nec ipsorum successoribus aliqua accio contra ipsum abbatem seu conventum de Paradizo

remaneret in futurum, nec in dicta sorte Grodycz requirenda sepedicti heredes ius aliquod haberent. Nos vero predictam emptionem ratam gratamque gerentes, domino abbati et conventui de Paradizo eandem sortem dictam Grodycz perpetuo et perpetualiter presenti privilegio confirmamus, et sigilli nostri munimine roboramus presentibus hiis testibus: domino abbate de Lubin, domino Iohanne cancellario Cuyaviensi per cuius manum presens privilegium est porrectum, comite Potrcone castellano, comite Gnevomiro iudice Poznaniensibus, et aliis quam plurimis fide dignis. Datum ante Cosczan in die beati Vincencii martyris, anno Domini M.CC. nonagesimo sexto.

Glinsk, *z niemiecka Leimnitz.* Paradizus, *Paradyż.* Sors Grodicz, *z niem. Gräditz.* Lubin, *Lubin.* Cosczan, *Kościan.*

Nr. 749.

Wladislaus regni Polonie etc. dux 1296 Iun. 6, ante Coczan; comiti Gnewomiro iudici Poznaniensi villam Tomyśl confert.

Pergam. orygin. W dolnym, założonym brzegu sznurek jedwabny, czerwony, przez 3 dziurki przewleczony, z którego pieczęć znikła.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 11.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripture presidio vel testium aminiculo fuerint insignita. Nos igitur Wladislaus, Dei gracia regni Polonie et terrarum Pomoranie, Cuyavie, Lancicie ac Syradie dux, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod intuentes fidelia servicia nobilis viri comitis Gnewomiri iudicis Poznaniensis, que nobis multipliciter exhibuit et adhuc exhibere est paratus, damus, tradimus et conferimus villam nostram Thomisle vulgariter dictam, sitam super fluvium Obram, sibi suisque veris heredibus et legitimis successoribus iure hereditario perpetuo possidendam cum omnibus utilitatibus, proventibus et pertinenciis, videlicet silvis, nemoribus, rubetis, mellificiis, pratis, aquis decurrentibus, taberna, molendinis, et cum aliis omnibus proventibus, que nunc sunt vel esse poterunt in futurum. Damus insuper predicto Gnewomiro et eius posteris, eandem hereditatem omni alienacionis tytulo ipsam alienare, commutare, vendere et donare, pro ipsius beneplacito voluntatis. Et ut hec nostra donacio robur obtineat perpetue firmitatis, presentes conscribi fecimus, nostri sigilli munimine roboratas presentibus hiis testibus: domino Iohanne cancellario Cuyaviensi per cuius manum est privylegium hoc porrectum, comite Sbygneo castellano Syradiensi, comite Alberto dicto Ganska herede de Stwolna, comite Petro dicto Stosevicz, comite Paulo dicto Baruth, Stanislao scriptore curie nostre, et aliis quam plurimis fide dignis. Datum et actum ante Coczan in die beati Vincencii martyris, anno Domini M.CC. nonogesimo sexto.

Thomisle, *Tomyśl.* Obra fluv., *Obra rz.*; *tu się rozumie rzeczka Dojca, do Obry wpadająca.* Stwolna, *Stwolna.* Coczan, *Kościan.*

Nr. 750.

Bervoldus castellanus Kalisiens. 1296 Iul. 1, Poznanie; recognoscit, se decimas de novalibus villae suae Siedlemin, de gratia Iohannis episcopi Poznaniensis, tantum ad tempus vitae suae recepisse.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 136.

In nomine Domini amen. Noverint universi ad quorum notitiam presens scriptum pervenerit, quod ego Bervoldus castellanus Kalisiensis, de speciali gratia venerabilis in Christo patris domini Io. episcopi Poznaniensis decimas de novalibus, que nunc sunt vel in posterum fuerint in villa mea que Sedlemyno dicitur, me recongnosco recepisse quamdiu vixero possidendas, que post dies vite mee ad mensam episcopi sine qualibet contradictione revertentur. In cuius rei testimonium, presentem litteram nostro sigillo fecimus roborari. Datum Poznanie in octava beati Iohannis Baptiste, anno Domini M. ducentesimo nonagesimo sexto.

Sedlemyno, *Siedlemin.*

Nr. 751.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1296 Aug. 6—11, Poznanie; ratam habet donationem villae Sokolniki, quondam a Premislio rege Poloniae comiti Nicolao palatino Pomoraniae factam.

T. Działyński. Lites ac res gestae. I, pag. 62.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que frequenter legitime acta sunt, longinquitate temporis interveniente que mater est oblivionis, a multis multociens in dubium revocantur, nos igitur Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie et dominus Pomoranie, Cuyavie, Lanzicie et Syradie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod cognoscentes veraciter ex proborum hominum iusta protestacione, quod amicus noster felicis recordacionis Premislius secundus, rex Polonie, attendens fidelia grataque obsequia comitis Nicolai palatini de Pomorania, filii Iankonis, contulit ei villam que Sokolniky vulgariter nuncupatur, sibi suisque veris heredibus et legitimis successoribus iure hereditario perpetuo possidendam: nos prefatam donacionem superius dicti amici nostri carissimi ratam gratamque habentes, prefato comiti Nicolao et suis veris heredibus et legitimis successoribus eandem presenti privilegio confirmamus. Et ut hec nostra confirmacio, sic per nos legitime facta, robur obtineat perpetue firmitatis, presentem paginam conscribi fecimus, et sigilli nostri munimine roborari presentibus hiis testibus infrascriptis ad hoc rogatis: comite Barwoldo castelano Caliziensi, comite Boguslao iudice Gnesdnensi, Dominico scriptore curie nostre. Datum et actum Poznanie anno Domini MCCXCVI, infra octavas Dominici confessoris.

Sokolniky, *Sokolniki.*

Nr. 752.

Nycolaus palatinus Kalisiens. 1296 Sept. 16, Poznanie; commutat hereditatem Głowczyn cum villa ecclesiae Poznaniensis, dicta Marlewo.

Pergam. orygin. Przez 3 dziurki wykrojone w dolnym brzegu, przewleczony sznurek jedwabny, zielony, z którego pieczęć znikła.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 10.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurritur, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine roborantur. Nos igitur Nycolaus palatinus Kalisiensis notum facimus universis, talem ordinationem et commutacionem villarum fecisse cum venerabili patre domino Iohanne Poznaniensi episcopo et Capitulo suo. Dedimus siquidem prefato domino episcopo et ecclesie Poznaniensi hereditatem sive villam nostram que Glowcino vulgariter nuncupatur, recipientes ab ipsis, domino episcopo et Capitulo suo, villam eorum que Marlewo dicitur, ipsas villas nobis et ipsis perpetuo possidendas. Actum Poznanie anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, XVI Kalendas Octobris. In cuius rei testimonium, presenti littere nostrum sigillum duximus apponendum.

Glowcino, *Głowczyn.* Marlewo, *Marlewo.*

Nr. 753.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1296 Oct. 6, Pyzder; confirmat donationem villae Broniki, a comite Ozia, thezaurario Lendensi, monasterio Ląd factam.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabnych, wyblakłych, przywieszona pieczęć Władysława księcia przedstawia godło Ziemi Kujawskiéj. Napis: S. Wladislai . . . . vie et Siradie.

Warszawa. Biblioteka prywatna. Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae I, Nr. 87.

In nomine Domini amen. Quod fide sincera perpenditur, roborari debet sollempni tytulo litterarum. Nos igitur Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie et dominus Pomoranie, Cuyavie, Lantixie (sic) ac Syradie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod comes Ozias tezaurarius Lendensis coram nostra baronumque nostrorum constitutus presentia, pro remedio anime suė et in remissionem suorum peccaminum contulit villam de consensu fratrum suorum unanimi, que Bronkowo vulgariter nuncupatur, monasterio de Lenda et fratribus ibidem Deo deservientibus iure hereditario, in perpetuum possidendam cum omnibus utilitatibus et proventibus ad predictam villam spectantibus. Et quia predictus Ozias coram nobis et nostris baronibus spontaneus, non coactus, dictam hereditatem predicto monasterio de Lenda et fratribus ibidem tradidit et donavit ita, quod deinceps prefatus Ozias et fratres ipsius, et legittimi eorum successores, ad

prefatam hereditatem nil habeant questionis: volentes autem ut fratres monasterii de Lenda gaudeant de speciali nostra gracia et favore, damus in villa superius prenotata plenum ius Teuthonicum cum omni libertate, secundum quod alie ville sepedicti monasterii iure Teuthonico fore dinoscuntur locate; liberantes dictam villam et incolas ibidem ab omnibus solucionibus Polonicalibus, que nostro dominio dinoscuntur pertinere, et generaliter ab omni alia inquietacione, que ius Teuthonicum consuevit perturbare. Ut igitur donacio comitis Ozie, sic legitime coram nobis facta, et nostre libertatis concessio firma, per nos et successores nostros in perpetuum observetur, presens instrumentum in testimonium predictis fratribus de Lenda dedimus, nostri sigilli robore communitum. Actum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, presentibus infrascriptis testibus ad hoc rogatis: domino Iohanne cancellario Cuyaviensi, comite Berwoldo castellano Kalisiensi, domino Philippo archidiacono Gnezdnensi, comite Sandyvogio subcamerario Kalisiensi. Datum Pyzder in octava beati Mychaelis archangeli.

Lendensis, *de Ląd.* Bronkowo, *Broniki.* Pyzder, *Pyzdry.*

Nr. 754.

Iohannes Poznaniensis episcopus 1296 Oct. 16, Poznanie; ad petitionem comitis Nicolai, palatini Kalisiensis, collegiatam saecularium clericorum in Głuszyna instituit.

Transsumpt potwierdzony przez: Andreas episcopus Poznaniens. 1298 Apr. 13, Poznanie.

Poznań. Archiv. Capituli. Liber privil. B, Nr. 106.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Cum pie desiderium voluntatis et laudabile (sic) diffinitionis intentio sacerdotalibus sit sepe studiis adiuvanda, idcirco nos Iohannes miseratione divina Poznaniensis episcopus, pie petitioni karissimi in Christo filii nostri, nobilis viri comitis Nicolai palatini Kalisiensis, eo promtiori succurrentes affectu, quo divini numinis cultum uberius cupimus ampliari, habito super eo pluries Capituli nostri consilio et diligenti tractatu omnique circa hoc iuris solempnitate servata, de unanimi et concordi eiusdem Capituli nostri consensu, de ecclesia parrochiali Gluschinensi locum conventualem seu collegiatum secularium clericorum fecimus, instituimus et creamus: ita videlicet, quod in eodem collegio tres debent esse canonici distinctas prebendas habentes, prelatum insuper debent habere prepositum, cui quantum ad correctionem choralem subesse debebunt, penes quem etiam prepositum iam predicti collegii, totius parrochie cura remaneat animarum; volentes, ut dictum collegium seu conventualis ecclesia eisdem privilegiis et iuribus gaudeat et fruatur, quibus omnes gaudent et de iure gaudere debent ecclesie conventuales. Et inibi nullus iurisdictionem, correctionem vel visitationem habeat, nisi nos et nostri successores, ad hoc domini Henrici archidiaconi nostri expresso et libero accedente consensu et renuntiante (sic) omni iuri suo et iurisdictioni, que in ibidem (sic) ad ipsum pertinent iure archidiaconatus, de consuetudine vel de iure. Et quia multiplicato numero personarum, dignum est etiam redditus ecclesie augmentari, salvis antiquis decimis, videlicet Gluschina, nova villa dicta Koszeglovi et Kalek,

eidem ecclesie Gluschinensi decimas addicimus, videlicet in Virek, in Marlevo, in Kamenevicz per sortem Varszinovo, in Lang, in Chranstovo et in Gora. Viros vero providos de prebendis infrascriptos presentialiter nostro annulo investimus: dominum Theodricum de prima, dominum Iohannem de secunda, dominum Vislaum iuniorem de tertia; dominum vero Vislaum seniorem, virum discretum, prepositura eiusdem ecclesie presentialiter nostro anulo investimus. Redditus vero prepositure sunt hii: hereditas dimidium Virek cum decima, quindecim iumenta, quatuor boves, due vacce, quinquaginta oves, quindecim scrophe, decimam per villam Gluschinam ex integro, decime libere per totam parrochiam prout decet curatum. Item libere decime de aratro comitis Nicolai et suorum successorum dabuntur eidem preposito, prout ab antiquo dari in Gluschinam consueverunt. Et columbatio parrochialis eidem preposito et suis successoribus cedet ex integro. Oblationes vero de ecclesia et spolia de mortariis, cum canonicis aut ipsorum vicariis per dimidium dividentur. Solutio etiam et pensio thabernarum in districtu Gluschinensi, dicto preposito ex integro persolvatur. Redditus vero prebende domini Theodrici et suorum successorum hii sunt: de Kamenevicz hereditas quod (sic) Varzinovo nominatur cum decima, et decima in Lang et Chranstovo et de aratris comitis ibidem, et similiter quindecim iumenta, quatuor boves et due vacce, quinquaginta oves, quindecim scrophe; quam deserviet aut per se aut suum vicarium dyaconem (sic). Redditus vero domini Iohannis et successorum suorum hii sunt: hereditas de Marlevo cum decima, item decime de Gora et de aratris comitis ibidem, et similiter quindecim iumenta, quatuor boves et due vacce, quinquaginta oves, quindecim scrophe; quam deserviet per se vel suum vicarium subdyaconum. Redditus autem prebende domini Vislai iunioris et successorum eius hii sunt: hereditas dimidium Virek cum decima, et decime ex integro in nova villa que Koszeglovy dicitur, et in Kalek et de araturis comitis ibidem, et similiter quindecim iumenta, quatuor boves et due vacce, quinquaginta oves, quindecim scrophe, quam per se aut suum vicarium subdyaconum deserviet cottidie. Libertatem insuper habeant prepositus et canonici in venationibus leporum in districtu Gluschinensi et villarum eiusdem comitis, que adiacent sub sono campane. Insuper capturas piscium in piscinis et in aquis fluentibus in Gluschina, prout sunt superius et inferius propriis limitibus consignate. In huius nostre institutionis, donationis, ordinationis, creationis, collationis consensus nostri Capituli et archidiaconi evidentiam pleniorem, presens scriptum eiusdem comitis Nicolai palatini Kalisiensis, nostro, nostrique Capituli et domini archidiaconi Henrici nostri sigillorum munimine fecimus communiri. Actum et datum Poznanie per manus Gerlibi scriptoris nostri XVII Kalendas Novembris, anno Domini M.CC. nonagesimo sexto, presentibus fratribus nostris et dominis: Alberto preposito, magistro Gregorio decano, Iohanne scolastico, Henrico archidiacono, Thoma custode, Michaele, Iacobo, magistro Paulo, Nicolao canonico et cancellario nostro, Friczkone, Salomone, Adam, Valtero, Sdislao, Henrico, Nicolao, et aliis canonicis quam plurimis, in nostro Capitulo constitutis.

Gluschinensis, *de Głuszyna.* Koszeglovi, *Koziegłowy.* Kalek, *dziś Kaleje.* Virek, *dziś Wiorek.* Marlevo, *Marlewo.* Kamenevicz, *dziś Kamionki.* Lang, *Łęg.* Chranstovo, *Chrząstowo.* Gora, *Góra.*

Nr. 755.

Iohannes Poznaniens. episcopus 1296 Oct. 17, Poznanie; villam ecclesiae Poznaniensis, dictam Morownica, iure Theutonico locandam Daloni servitori suo tradit.

Pergam. orygin. Na sznurkach jedwabn., żółt., przywieszono dwie pieczęcie; pierwsza znikła; druga podługowata, zniszczona, okazuje część osoby, w kapłańskie szaty ubranéj; z napisu ... Sig ...

Poznań. Archiv. Capituli. II, 12.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Nos Iohannes, miseracione divina Poznaniensis episcopus, cupientes bona ecclesie nostre in melius reformare, dedimus villam ecclesie, dictam Morofniczam, de consilio et voluntate fratrum nostrorum Capituli Poznaniensis Daloni nostro servitori pro septimo libero manso Flammingico, ad quatuor annos libertatis a festo beati Martini nunc venturo, Theutonico iure locandam et perpetuo possidendam sibi suisque posteris sub hac forma, quod evulsa libertate iam dicta, incole ville predicte nobis et nostris successoribus censum solvent, cum domino Vlostone nostro canonico cuius est decima et eiusdem successoribus dividendum, maldratam annone, quatuor videlicet mensuras tritici, quatuor siliginis et quatuor avene, et fertonem argenti usualis, prout argentum curret in partibus circa Premant. Idem vero scoltetus et ipsius posteri, septimum mansum cum molendino in villa ibidem constructo, et thabernam, fabricam, pistrinum, suthoriam et macellum libere possidebunt. De iudiciis autem episcopo Poznaniensi duo denarii, et scolteto tercius de re qualibet iudicata cedet. Terram vero prorsus inarabilem, que in mensuram mansorum venire non poterit, eidem scolteto nostro pro suis utilitatibus condonamus. Concedimus insuper sibi venacionem leporum et perdicum ville predicte in districtu. In cuius rei testimonium, presentibus nostrum nostrique Capituli sigilla duximus apponenda. Actum et datum Poznanie per manus Gerlibi notharii curie nostre XVI Kalendas Novembris, anno Domini MCC nonogesimo sexto, presentibus dominis fratribus nostris: Alberto preposito, magistro Gregorio decano, Iohanne scolastico, Henrico archidiacono, Thomca custode, Thilone nostro canonico et preposito Santocensi, Iacobo, magistro Paulo, Iacobo, Friczkone, Adam, Salomone, Sdislao, Nycolao, Valtero, Fredrico, Stephano, et aliis quam plurimis in nostro Poznaniensi Capitulo constitutis canonicis fide dignis.

Morofnicza, *Morownica.* Santocensis, *de Santok.*

Nr. 756.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1296 Oct. 27, Kalis; confirmat donationem villarum Mrozin, Dąbrowo, Kiszewy et Lubnia, Nicolao palatino Kalisiensi quondam a Mistivio duce Pomoraniae et Premislio rege Poloniae factam.

Pergam. orygin. W dolnym brzegu przewleczony przez 3 dziurki sznurek jedwabny, czerwony; pieczęć znikła. Na brzegu notatka: Presens littera, quia periculosa, bene masticetur antequam hic de loco sumatur.

Königsberg. Königl. Staats Arch. Schiebl. 58, Nr. 10.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripture presidio vel testium aminiculo fuerint insignita. Nos igitur Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie et dominus Pomoranie, Cuyavie, Lancycie ac Syradie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod inspectis fidelibus servitiis comitis Nycolay palatini Kalisiensis, que nobis exhibuit multiformiter et in futurum dante Domino nobis impendere est paratus, volentes ipsum ad omne obsequendum reddere prompciorem, donacionem domini Mystwini felicis recordacionis ducis Pomoranie, et domini Premisli secundi, regis Polonie, super villas in terra Pomoranie situatas, videlicet Mresino, Kyseva, Dambrowa, Lubna, cum omni iure, secundum quod a principibus superius prenotatis tenuit et possedit, confirmamus, revocantes omnia pryvilegia et donaciones, in quascunque personas per nos aut per predecessores nostros factas, ipsis pro villis supradictis perpetuum silencium imponentes. Et ut hec nostra confirmacio, sic per nos legitime facta, robur obtineat perpetue firmitatis, nec per aliquem per processum temporis infringatur, presentem paginam conscribi fecimus, nostri sigilli munimine roboratam presentibus hys testibus: comite Zavisio palatino Syradiensi, comite Berwoldo castellano Kalisiensi, comite Sbylutone castellano Gnezdnensi, comite Boguslao iudice Gnezdnensi, comite Allexio castellano Rudensi, Dominico scriptore curie nostre. Datum et actum Kalis anno Domini millesimo ducentesimo nonogesimo sexto, in vigilia Symonis et Iude apostolorum.

Mresino, *Mrozin, z niemiecka Mrose.* Kyseva, *Kiszewy.* Dambrowa, *w Nr. 657 i 658* Damianova Dambrova, *Dąbrowa.* Lubna, *Lubnia.* Rudensis, *de Ruda.*

Nr. 757.

Iohannes Poznaniens. episcopus 1296 Nov. 28, Poznanie; scultetiam in civitate Słupca, iure Novi fori locandam et plurimis privilegiis dotatam, Hermanno civi de Stawiszyn vendit.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 131.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negotia litterarum memorie commendamus. Noverint igitur universi tam presentes quam futuri, presens scriptum visuri, quod nos Iohannes, miseratione divina

Poznaniensis episcopus, volentes ut ea que nostris temporibus et per nos aguntur, perpetue robur obtineant firmitatis, notum esse volumus, quod empta scultetia civitatis nostre Slupcza a Nicolao filio Oblini tunc sculteto ibidem et ei in totum persoluta, ad eandem scoltetiam nostram vocavimus Hermannum civem de Stavischino et eam sibi suisque posteris vendidimus possidendam, et dictam civitatem nostram Slupczam locandam iure Novi fori, prout Pisdrensis civitas est locata. Ita quod ipse Hermannus et ipsius posteri habebunt de Slupcza, de Vszelevo, de Bednarzevo et de Iankovo sextum mansum liberum Flammingicum, de ipso Iancovo pratis pro nobis reservatis tamdiu, donec tota illa sorte Iankovo extirpata, transeundo aratrum eadem prata valeat exarare. Capellano ibidem duos mansos liberos nomine dotis condonantes; de aliis vero singulis mansis annuatim nobis solventur quatuor mensure tritici, quatuor siliginis et quatuor avene et ferto argenti usualis: et annone solventur in mensura, qua solvitur in Chotuna. Et mensuras missales ibidem solvent etiam capellano. Volumus etiam, ut cives nostri ibidem, tam divites quam pauperes, in terris et silvis civitatis pascant animalia et lingna incidant absque cuiuslibet nocumento. Addicientes insuper eisdem nostris civibus terram cum palude ex illa parte rivuli, a sinistris eundo de Slupcza per viam que ducit in villam Gervardi militis, pro pascuis animalium civitatis. Denique, nulla villa nostra infra miliare de civitate nostra Slupcza iure Theutonico locata vel locanda, habere presumat thabernam, fabricam, pistrinum, sutoricam (sic) vel macellum: nisi faber residentibus in eadem villa, et non aliis villis, reparet secures et bipennes, vomeres et ferramenta aratrorum, et sutor nisi antiqua reparet calciamenta. Item, omnes ville nostre Theutonicales, iure Theutonico locate vel locande in districtu nostro Czanszim, civitatem nostram Slupczam adire pro capitalibus sententiis teneantur, et sententias quas apud se invenire non possunt, ibi requirant. Sexta area erit sculteti et suorum posterorum; et nobis cedent duo denarii, et sculteto tertius de re qualibet iudicata. Et quodquot orti fuerint extra mensuram mansorum, nobis quinque et ei sextus solvetur. Permittimus etiam scultetum in suis mansis liberis ortos facere pro ipsius utilitate; dantes ei balneum liberum et omnes utilitates, quas scultetus Pisdrensis habet nomine scultetie sue tam in foro annuali quam in aliis, et venationes leporum et perdicum. Maccella vero sibi solventia scoltetus tot habeat, quotquot necessaria fuerint civitati: pro nobis quatuor carnium reservatis, que pro nobis prius conducantur. Et hec de voluntate fratrum nostrorum Capituli Poznaniensis fecimus et consensu; in cuius rei testimonium, presentem litteram conscribi et nostro nostrique Capituli sigillorum munimine fecimus communiri. Datum Poznanie per manus Gerlibi scriptoris curie nostre, anno Domini M.CC. nonagesimo sexto, IIII Kalendas Decembris, presentibus dominis fratribus nostris: Alberto preposito, magistro Gregorio decano, Iohanne scolastico, Henrico archidiacono, Antonio cantore, Thomca custode, magistro Paulo, Michaele, Adam, Iacobo canonico et cancellario nostro, Friczcone, Henrico, Salomone, Fredrico, Valtero, Sdislao, Nicolao, et aliis multis canonicis Capituli nostri fide dignis.

Slupcza, *Słupca.* Stavischino, *Stawiszyn.* Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szląsku.* Vszelewo, Bednarzewo, Iankowo, *osady znikłe.* Chotuna, *Kotunia.* Villa Gervardi, *dziś Giwartowo.* Czanszim, *Ciążyń.*

Nr. 758.

Wladislaus dux Cuyavie etc. 1296 Dec. 28, in Gneczdena; universis civibus de Lübeck securitatem transeundi per sua dominia concedit, eosdemque in suam tutelam recipit.

Cod. diplomatic. Lubecens. Erster Theil Nr. 655. (Z pergam. orygin., u którego przywieszona pieczęć przedstawia godło Ziemi Kujawskiéj.)

Noverint universi quorum audiencie presens scriptum defertur, quod nos Wladislaus, Dei gratia dux Cuyavie, Lancycie ac Syradie, damus et conferimus universis civibus de Lubca omnimodam securitatem per dominia nostra transeundi, ipsos in nostram tuthelam et securitatem recipientes, mandantes universis per districtum dominii nostri constitutis, ut prefatos cives seu eorum nuncios cum curribus transeuntes, nullis molestiis perturbare presumant. Quod si quis nostris mandatis in hac parte contrarius inventus fuerit, nostram se proinde noverit indignacionem incursurum. Promittimus insuper fide data, dictos cives et eorum nuncios favore benigno prosequi, et eisdem omnibus auxiliis pariter et consiliis in omnibus adesse. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presentes conscribi fecimus, nostri sigilli munimine roboratas. Actum coram hiis testibus: comite Swetopolcone palatino Lanciciensi, domino Iohanne cancellario Cuyaviensi, domino Alberto dicto Gaska, et aliis quam pluribus fidedignis. Datum in Gneczdena in die beatorum Innocencium, anno Domini myllesimo ducentesimo nonagesimo sexto.

Lubca, *Lübeck.* Gneczdena, *Gniezno.*

Nr. 759.

Vladislaus dux regni Polonie etc. 1297 Ian. 1, Pizdri; protestatur, monasterium de Łekno obtinuisse iudicialiter hereditates Bukowie et Bukowiec, quas modo commutationis a filiis Petri de Redgoszcz, Petricone et Vincentio, pro villis Kluczewo et Białośliwie receperat.

Wągrowiec. Archiv. monasterii. Protocollum tertium, pag. 11.

Noverint universi tam presentes quam futuri presentem paginam inspecturi ad quorum audientiam presens scriptum defertur, quod nos Vladislaus, Dei gratia dux regni Polonie et dominus Pomeranie, Cuyavie, Lancicie ac Siradie, in his scriptis publice protestamur, quod dominus Iohannes abbas de Lukna coram nobis et baronibus nostris constitutus cum Petricone et fratre ipsius Vincentio, filiis Petri de Radgoszcz, pro hereditatibus videlicet Bukow et Bukowecz iudicio contenderunt: quas hereditates a predictis militibus per commutationem villarum domus de Lukna, Kluczewo et Bialosliwe, predictus abbas recepit: tandem quia prefatus abbas de vero iudicio nostro baronumque nostrorum, domini Andree cancellarii Polonie et comitis Petrkonis castellani Poznaniensis, hereditates Bukow et Bukowecz superius prenotatas obtinuit (?) monasterium de Lukna iure hereditario, cum omnibus utilitatibus et proventibus ad predictas villas spectantibus perpetuo possidendas. In cuius rei testimonium et evi-

dentiam etiam pleniorem, presentes conscribi fecimus, nostri sigilli munimine roboratas. Actum anno Domini M.CC.XC.VII et datum Pizdri in octava Natalis Domini nostri.

Lukna, *Łekno.* Radgoszcz, *Redgoszcz.* Bukow, *Bukowie duże.* Bukowecz, *Bukowie małe.* Kluczewo, *nie odgadnione.* Bialosliwe, *Białośliwie.*

Nr. 760.

Wladislaus dux regni Polonie 1297 Ian. 18, Kalis; concedit civibus de Kalisz pro reformatione civitatis, census venditorii et omnium camerarum in urbe existentium, omniaque privilegia, a rege Premislio et Boleslao duce quondam Poloniae data, confirmat.

Perg. orygin. W dolnym, założonym brzegu dwie dziurki od przywiesz. pieczęci. Warszawa. Biblioteka prywatna. Diplomata.

In nomine Domini amen. Ab humana labuntur facilius memoria, que nec voce testium nec sigillatis apicibus eternantur. Igitur nos Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, Pomoranie, Cuyavie, Lancicie ac Syradiensis, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod intuentes grata et fidelia servicia tocius universitatis civium Kalisiensium, que nobis in presenti constanter et fideliter ostenderunt et in futurum nostris successoribus sunt ostensuri, bona deliberacione habita et salubri nostrorum baronum usi consilio, ipsis et eorum subsequentibus nostri venditorii in medio foro Kalisiensi constructi, ubi panni venduntur, omnem censum et utilitates de omnibus cameris, nunc ibi existentibus et in posterum provenientibus, de nostra non ficta voluntate damus, conferimus et donamus iure hereditario in perpetuum possidendas: ita tamen, quod eundem censum et easdem utilitates pro reformacione eiusdem civitatis Kalisiensis et non alibi convertantur (sic). Omnia vero privilegia dicte civitatis, que receperunt ab illustri domino rege Polonie felicis memorie domino Premislio ac duce Pomoranie, et ab inclito principe domino Boleslao duce eiusdem terre Polonie dilecto socero nostro pie recordacionis, confirmamus, rata facimus atque firma, videlicet censum salis, censum de cameris pannorum, censum de cameris institorum, et duodecim mansos pro pascuis, secundum quod in privilegiis eorum continentur. Et omnia iura antecessorum nostrorum que sunt eis donata, inviolabiliter ac stabiliter volumus observare, ut per hoc civitas nostra melius reformetur. Ut autem hec nostra confirmacio privilegiorum antecessorum nostrorum ex integro robur firmitatis optineat, nec ab aliquibus successu temporis valeat irritari, presentem litteram nostri sigilli munimine duximus roborandam presentibus hys testibus: comite Nycolao palatino Kalisiensi, domino Andrea cancellario tocius Polonie, comite Alberto dicto Ganska, comite Petro castellano de Novo Mir, comite Lexicone castellano de Velun, domino Sventoslao notario Polonie et canonico Gnezdnensi. Actum et datum Kalis in die beate Prisce virginis, anno Domini MCC nonagesimo septimo.

Novum Mir, *miejscowość nie odgadniona.* Velun, *Wieluń.*

Nr. 761.

Vladisslaus dominus regni Polonie etc. 1297 Febr. 22, in Kalis; ratam habet donationem hereditatis Łęg, a comite Dobeslao, filio Creslai de Kościelec, monasterio Ląd factam.

Rzyszczew. Muczkow. Codex diplom. Poloniae. II, Nr. 163. (Z pergaminu oryg., którego pieczęć połamana.)

In nomine Domini amen. Quoniam facta mortalium oblivionem inducunt, vel morte intercepta, sicut experiencia docuit, solent adnullari si non fuerint legitimo virorum ac proborum testimonio roborata; eapropter nos Vladisslaus, Dei gracia dominus regni Polonie, Pomoranie, Lancycie, Cuyavie et Syradie, universorum presencium et futurorum memorie declaramus, quod comes Dobeslaus filius Creslai de Lapidea ecclesia in nostra ac nostrorum baronum presencia constitutus, pro remedio anime sue ac predecessorum suorum et successorum et in remissionem omnium suorum peccaminum, hereditatem suam Lange wlgariter nuncupatam, que sibi ex paterna successione conpetebat, in terra Cuyaviensi sitam, monasterio de Lenda et fratribus ibidem Deo deservientibus, iure hereditario in perpetuum possidendam cum omnibus utilitatibus ac proventibus, videlicet agris, pratis, silvis, venacionibus, mellificiis, lacubus, et super Wyslam ac aliis aquis piscacionibus et molendinis, et omnibus que nunc sunt vel in futurum haberi possunt utilitatibus, ad eandem hereditatem infra gades ipsius iure spectantibus, sana mente, propria sponte et absque ulla coactione memorato monasterio de Lenda et fratribus ibidem contulit, tradidit et donavit; ita quod deinceps idem Dobeslaus aut sui successores, super eadem hereditate in posterum nil habeant questionis. Nos vero ob remedium anime nostre et affectionem quam circa eundem Ordinem gerimus dictam domum augere cupientes, absolvimus ipsam ab omnibus palatinis, castellanis et ipsorum iudicibus: ut nec ab ipsis citari, nec coram ipsis stare seu respondere teneantur, sed tantum coram nobis, dum ad nostram presenciam per nostram literam citati fuerint conparebunt, suo tantum iure responsuri: et ab omnibus dominii nostri iuribus et exaccionibus universis, nobis de iure vel de facto spectantibus, et cum omnibus incolis, sive propriis sive liberis, in eadem hereditate commorantibus, quos penitus absolvimus, videlicet a povoz, a naraz, ab opole, a custodia cervi et castrorum vel poncium edificacione, et omnium aliorum Polonicalium officiorum, quibuscumque, sive novis sive antiquis, nominibus censeantur. Item dominus abbas omnes causas, tam magnas quam leves, vel fratres sui, vel quos ipsi iudices ad hoc specialiter deputaverint, iudicabunt. De iudicatis vero rebus et omnium iudiciorum proventibus, nullus omnino aliquam penarum porcionem presumat accipere; sed quidquid inde provenerit, integraliter arbitrio fratrum cedere protestamur. Ut autem donacio comitis Dobeslai sic legitime coram nobis facta et nostre libertatis concessio, firma per nos et successores nostros perhenniter observetur, presens instrumentum in testimonium predicte domui de Lenda et fratribus dedimus, sigilli nostri robore communitum. Actum in Kalis et datum in Cathedra beati Petri sub anno Incarnacionis Domini MCC nonogesimo septimo, Indictione decima, presentibus hys testibus: comite Zavisio palatino Syradiensi, domino Iohanne cancellario Cuyaviensi, comite Ubeslao pincerna Kalisiensi, comite Miroslavo

filio Predpêlconis, comite Sandywoyo subcamerario Kalisiensi, ac aliis quam pluribus fide dignis.

Lapidea ecclesia, *Kościelec.* Lange, *Łęg.* Lenda, *Ląd.*

Nr. 762.

Iohannes secundus Poznaniens. episcopus 1297 Apr. 18, Poznanie; villam ecclesiae Poznaniensis dictam Lubnica, Iaszkoni et Wlostkoni iure Theutonico locandam tradit.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. D, Nr. 84.

In nomine Domini amên. Quoniam ea que in tempore aguntur, labente tempore a memoria hominum evanescunt nisi testibus vel scriptura authentica fuerint perhennata, idcirco nos Iohannes secundus, miseracione divina Poznaniensis episcopus, cupientes bona ecclesie nostre in melius reformare, villam eiusdem ecclesie nostre dictam Lubnicza dedimus Iaschconi et Wlostkoni, Theutonico iure pro septimo libero manso Flamingico, ad quinque annos libertatis a festo beati Martini nunc venturo, locandam et perpetuo ipsis eorumque posteris possidendam, sub hac forma, quod primo anno libertatis solventur nobis seu nostris successoribus nomine decime quatuor marce, secundo vero, tercio, quarto et quinto, solventur quolibet anno similiter nomine decime quinque marce. Evulsa vero libertate iam dicta, incole ville predicte solvent nobis singulis annis in festo beati Martini de quolibet manso duas mensuras tritici, quinque siliginis et quinque avene, et fertonem argenti usualis; ac eundem censum in Sumbsko deducere tenebuntur, excepto uno manso, de quo non solvent cum eos ecclesiam habere contingerit in eadem villa, quem rectori ecclesie reservamus. Medium eciam mansum villanis pro pascuis condonamus. Insuper damus eiusdem ville villanis libertatem in silva nostra Vielychowo incidendi ligna pro eorum commodo et utilitate. Idem vero Iaschco et Wlostek habebunt nomine scultecie ipsorumque posteri tabernam, fabricam, pistrinum, sutoriam et macellum, et quod libere possunt venari lepores in eadem hereditate, sine tamen nocumento segetum villanorum. De iudiciis autem nobis vel nostris successoribus cedent duo denarii, et eis tercius, de re qualibet iudicata. Et hoc de voluntate et consilio fratrum nostrorum Capituli Poznaniensis fecimus et consensu. Ne vero super his ab aliquibus in posterum dubietatis scrupulus oriatur et ad huius rei evidenciam pleniorem, presentem eis litteram conscribi et nostro nostrique Capituli sigillorum munimine fecimus communiri. Datum Poznanie XIIII Kalendas May, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, per manus Gerlibi curie nostre notarii, presentibus dominis fratribus Capituli nostri: Andrea preposito, magistro Gregorio decano, Iohanne scolastico, Henrico archidiacono, Anthonio cantore, Tomka custode, magistro Paulo, Iacobo canonico ecclesie nostre et curie nostre cancellario, Friczkone nostro canonico et rectore ecclesie sancte Marie Magdalene in Poznan, Wlostone, Henrico, Salomone, Prediwoyo, Martino, Goslao nostro canonico et procuratore, Andrea, Gerkone, Frederico et Valtero, et aliis multis canonicis Capituli nostri, viris providis et honestis.

Lubnicza, *Lubnica.* Sumbsko, *Zemsko.* Vielychowo, *Wielichowo.*

Nr. 763.

Wladislaus dux regni Polonie 1297 Mai. 8, Kalis; concedit libertatem infra 12 annos in medietate hereditatis Smieszków, quam Victor procurator de Kalisz Ottoni filio Malomiri de Bralin vendiderat.

Pergam. orygin., w którego dolnym, założonym brzegu pasmo nici jedwabn., karmazyn. i żółt. przez dwa wcięcia poprzeczne przewleczone, ostrém narzędziem przycięte. W środku pergaminu miejsce przeżarte.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 61.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripture presidio vel testium aminiculo fuerint insignita. Nos igitur Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie et dominus Pomoranie, Cuyavie, Lancycie ac Syradie, ad notitiam universorum tam presencium quam futurorum pervenire volumus presentis tenore privilegii publice protestantes, quod dominus Victor procurator quondam Kalisiensis una cum filiis suis in nostra nostrorumque baronum presencia constitutus, medietatem (sic) partem hereditatis que ei de iure cessit, dicte Smeskovo, Otthoni filio Malomiri de Bralyno vendidit pro viginti quatuor marcis, sibi suisque veris heredibus et legitimis successoribus iure hereditario in perpetuum possidendam cum omnibus utilitatibus et proventibus, ad predictam hereditatem spectantibus, prout est in suis metis distincta; ita quod prefatus Victor et sua posteritas contra predictum Otthonem vel ipsius successores nullum ius in requirenda superius dicta hereditate habebunt, set idem Ottho cum sua posteritate perpetuo et perpetualiter liberum arbitrium habeat, iam dictam hereditatem vendendi, donandi, commutandi et quocunque modo alienandi. Volentes ut prefatus Ottho propter ipsius fidelia servicia gaudeat de speciali nostra gracia, damus ei infra spacium duodecim annorum omnimodam libertatem super eandem hereditatem, videlicet a naraz, a povoz, a prevod, a poradlne, a stroza, ab opole, et generaliter ab omnibus solucionibus que nostro dominio dinoscuntur pertinere; nec non a castellano et castri citacione, quod non comparebunt nec respondebunt: sed tantummodo coram nobis, dum per literas nostras fuerint evocati, tunc comparebunt et respondebunt. Et ut predicta vendicio et empcio et liberalitatis nostre concessio robur obtineant perpetue firmitatis, presentes conscribi fecimus, nostri sigilli munimine roboratas presentibus hiis testibus: domino Fulcone cancellario Syradiensi, comite Ubyslao pyncerna, comite Roskone venatore Kalisiensibus, comite Ianusio dapifero Lendensi, comite Iohanne tribuno Kalisiensi. Actum anno Domini M.CC. nonagesimo septimo, et datum Kalis in die beati Stanislay episcopi et martiris.

Smeskovo, *Śmieszków.* Bralyno, *Bralin.* Lendensis, *de Ląd.*

Nr. 764.

Iohannes de Lossow Rudolphus de Liwendal capitanei in Meseritz 1297 Mai. 20, in Paradiso; protestantur, Nicolaum et Woyzlawum, fratres germanos, hereditatem ipsorum Wysoka monasterio Paradyż certa conditione inpignorasse.

Rogalin, Biblioteka. Paradis, Lib. privil. Nr. 56.

Nos Iohannes de Lossow, Rudolphus de Liwendal, capitanei in Meseritz, ex parte inclitorum principum domini Ottonis et domini Alberti, marchionum de Brandeborch, notum facimus universis ad quos pervenerit presens scriptum, quod duo germani, Nicolaus et Woyzlaw, hereditatem ipsorum Clauswalde pro quinquaginta taleris Brandeburgensibus novorum denariorum a proximo festo Pentecostes ad unum annum inpignorarunt fratribus Paradisi. De hac pecunia quadraginta taleri dabuntur ante terminum memoratum. Et si dicti Nicolaus et Woyzlaw non possunt redimere sua bona, decem residua talerorum dabuntur in festo Pentecostes, et tunc dictam hereditatem fratres de Paradiso cum omnibus attinentiis atque iure, nullo contradicente perpetuo possidebunt libere ac quiete. Si vero infra hunc terminum redimere voluerint, bene poterunt. Si autem hoc placuerit, quod cedere voluerint infra hunc terminum, datis decem taleris, fratribus ad possidendum hereditario resignabunt. Interim dicti Nicolaus et Woyzlaw una cum fratribus omnem fructum provenientem de his bonis eque inter se dividere tenebuntur. Nullus eciam ad redimendum pro maiori precio, fraudulenter vel subtiliter se intromittat in hec bona. Si non possunt redimere coram principe qui regnabit vel qui fratribus placuerit, resignabunt et limitando metas iustas ostendent. Insuper dominus Iacobus Craft plebanus de Repin, Iohannes, Th. de Stokow, fidem dantes pro his omnibus promiserunt. Acta sunt hec in Paradiso anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, decimotercio Kalendas Iuny.

Lossow, *Lossow.* Meseritz, *Międzyrzecz.* Clauswalde, *z niem. zam. Wysoka.* Paradisus, *Paradyż.* Repin, *Reppen.* Stokow, *zapewnie mylnie zam. Storkowo, może też zam. Stok p. miastem Lubrza (Liebenau).*

Nr. 765.

Boleslaus dux Masovie et Cyrnensis 1297 Iun. 17, in Zochazof; promittit, se servaturum omnes libertates, villis ecclesiae Poznaniensis in terra de Czersk ab antecessoribus suis concessas.

Pergam. orygin. Sznurek nici jedwabn., wypłowiałych, przewleczony przez dwie dziurki w dolnym, założonym brzegu wykrojone; pieczęć znikła.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 13a. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Polon. 78.

In nomine Domini amen. Cum per successum temporis oblivio gestorum excludat memoriam, quibus etiam frequenter scrupulus calumpnie novercatur, necessarium est, actiones legitimas que memoria indigent, per scripti continenciam ad no-

ticiam transmitti posterorum. Igitur nos Boleslaus, Dei gracia dux Masovie et Cyrnensis, cupientes pie Matris pio filio Ihesu Christo debite servitutis obsequia persolvere et donorum ab ipso non esse immemores acceptorum, ac saluti nostre et fratris nostri felicis recordacionis domini Conradi, quondam ducis Masovie et Cyrnensis, filiorumque nostrorum devocius providere, ob remedium anime nostre et omnium parentum nostrorum, omnes libertates ab antecessoribus nostris et a nobis hactenus concessas vel forte in futuro concedendas in villis venerabilis patris domini Iohannis, episcopi Posnaniensis, et Capituli sui eiusdem ecclesie in terra Cyrnensi sub nostra potestate et nostro dominio existentibus, videlicet Coslovo, Biscupici, Stibicovo, Vrocisovo, Recovici, Biscupici cum area que Koscelisco dicitur sub castro Cyrnensi, Kiselsco, Chrunino, Sobine, Smonevici et Biscupici, promittimus firmiter observare. Absolventes incolas ipsarum villarum perpetuo ab omnibus solucionibus, serviciis, exactionibus et oppressionibus realibus, predialibus et personalibus, scilicet povoz, stroza, stan, poradlne, naraz, crova, ofza, targove, a citacione castri, moneta, et ab omnibus angariis et perangariis, sive de novo emergant sive fuerint ab antiquo, quibusvis nominibus censeantur vel in posterum censebuntur; nec non ab omnibus iuribus, iuridicionibus, iudiciis palatinorum, castellanorum et omnium iudicum atque officialium quorumcunque facimus et reddimus immunes, perpetuo liberos et exemptos: ut non liceat nec licebit villas predictas ad tribunal alicuius citatorie conveniri, nisi ad nostram tantum presenciam; nec aliter nisi nostro sigillo fuerint evocati, dumtaxat tamen in gravibus et enormibus causis seu forefactis, coram nobis respondere predicte (sic) incole tenebuntur. Ad prewod vero militale iuxta consuetudinem militum terre nostre, et ad edificacionem castrorum nostrorum solummodo tenebuntur; hoc adiecto, quod predictarum villarum incole dictum prewod in proxima villa, cuiuscunque fuerit, sub periculo non recipiencium deponere teneantur. Ad hec volumus, ut iisdem in omnibus et singulis libertatibus et utilitatibus gaudeat villa archidiaconi Cyrnensis dicta Rokithno, prout superius est expressum. Damus et concedimus prefato patri Io. et ecclesie Posnaniensi in prenominatis villis venaciones capreolorum atque cervorum, omnibus aliis feris magnis pretermissis, quorum venaciones penitus prohibemus. In cuius rei testimonium, presentes fieri iussimus et nostri sigilli munimine communiri. Acta sunt hec anno Domini M.CC. nonagesimo septimo, Indictione decima, quintodecimo Calendas Iulii. Datum in Zochazof per manus domini Hermani subcancellarii nostri, presentibus baronibus nostris: Imislao castellano Wisnensi, Iohanne pincerna, Nemiro castellano Cyrnensi, Iacobo iudice Masoviensi, Grotcone iudice Cyrnensi, Climenta venatore, et aliis quam plurimis fide dignis.

Cyrnensis, *de Czersk.* Coslovo, *Kozłów.* Biscupici, *Biskupice p. miastem Sochaczew.* Stibicovo, *Zbikowo.* Vrocisovo, *Wrociszow.* Recovici, *Rękawica.* Biscupici cum area Koscelisco, *osada znikła.* Kiselsco, *nie odgadnione.* Chrunino, *pewnie Krubin.* Sobine, *Sobienie biskupie.* Smonevici, *Szymanowice.* Biscupici, *Biskupice p. miast. Warka.* Rokithno, *Rokitno.* Zochazof, *Sochaczew.* Wisnensis, *de Wizna.*

Nr. 766.

Boleslaus dux Mazovie et Cyrnensis 1297 Iun. 17, in Zochazof; ecclesiae Poznaniensi villas Rębowo, Dąbrowa, Barcik, Iamno et Gramzeno donat, incolis quoque earum amplissimas libertates largitur.

Pergam. orygin. Na jedwabiu wyblakłym przywieszona pieczęć, wyobraża osobę w aureoli, siedzącą w prawo i błogosławiącą klęczącego przeciw sobie męża zbrojnego, który znów prawą ręką kładzie sobie na głowę spiczasty hełm, a lewą wspiera się na trójkątnéj tarczy. Za rycerzem występuje przód konia. Napis: S. Boleslai . . . Mazovie.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 13b. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplomatic. Poloniae. I, Nr. 86. — Raczyński, Cod. diplomatic. Major. Polon. 98.

In nomine Domini amen. Cum oblivio per successum temporis gestorum excludat memoriam, quibus eciam frequenter scrupulus calumpnie novercatur, necessarium est, actiones legitimas que memoria indigent, per scripti continenciam ad noticiam transmitti posterorum. Igitur nos Boleslaus, Dei gracia dux Mazovie et Cyrnensis, saluti nostre et fratris nostri felicis recordacionis domini Conradi, quondam ducis Mazovie et Cyrnensis, filiorumque nostrorum cupientes devocius providere, ob remedium anime nostre et omnium parentum nostrorum venerabili in Christo patri domino Iohanni, miseracione divina Poznaniensi episcopo, et ecclesie Poznaniensi donamus in perpetuum villas seu hereditates, nulli alteri nisi nobis et nostro dominio subnixas, sibi et suis successoribus inconcusso iure ac hereditario possidendas, videlicet Rambovo, Dambrova, Barcicovic, Iamno, Gramzeno, silvas Toravez et Pocekars adiacentes hereditati Chrumino vulgariter nuncupate, cum ipsarum utilitatibus, omnibus libertatibus et exempcionibus. Et dictarum villarum incolas absolvimus perpetuo ab omnibus solucionibus, serviciis, exactionibus realibus, predialibus et personalibus, scilicet povoz, stroza, stan, poradlne, naraz, crova, ofza, targove, a citacione castri, moneta, et ab omnibus angariis et perangariis, sive de novo emergant sive fuerint ab antiquo, quibuscunque nominibus censeantur vel in posterum censebuntur; nec non ab omnibus iuribus, iuridicionibus, iudiciis palatinorum et castellanorum et omnium iudicum officialiumque quorumcunque facimus et reddimus immunes, perpetuo liberos et exemptos: ut non liceat nec licebit villas predictas ad tribunal alicuius citatorie conveniri, nisi ad nostram tantum presenciam; nec aliter nisi sigillo nostro fuerint evocati, dumtaxat tamen in gravibus et enormibus causis seu forefactis, coram nobis respondere predicte (sic) incole tenebuntur. Ad prewod vero militale iuxta consuetudinem militum terre nostre, et ad edificacionem castrorum nostrorum solummodo tenebuntur; hoc adiecto, quod predictarum villarum incole ipsum prewod in proxima villa, cuiuscunque fuerit, sub periculo non recipientium deponere teneantur. Ad hec volumus, ut iisdem in omnibus et singulis libertatibus gaudeat villa archidiaconi Cyrnensis dicta Rokithno, prout superius est expressum. Damus etiam et concedimus prefato patri Io. et ecclesie Poznaniensi in prenominatis villis venaciones capreolorum atque cervorum, omnibus aliis feris magnis pretermissis, quorum venationes penitus prohibemus. In cuius rei testimonium, presentes fieri iussimus et nostri sigilli munimine communiri. Hec acta sunt anno Domini M.CC. nonagesimo septimo, Indictione decima, quintodecimo Calendas Iuly. Datum in Zochazof per manus domini Hermanni subcancellarii nostri presentibus baronibus nostris: Imi-

slao castellano Wisnènsi, Iacobo iudice Masoviensi, Grotone iudice Cyrnènsi, Nemiro castellano Cyrnensi, Iohanne pincerna, Climenta venatore, et aliis quam plurimis fide dignis.

Cyrnensis, *de Czersk.* Rambovo, *Rębowo.* Dambrova, *Dąbrowa.* Barcicovic, *Barcik.* Iamno, *Jamno.* Gramzeno, *nie odgadnione, może Czermno.* Chrumino, *Krumin.* Rokithno, *Rokitno.* Zochazof, *Sochaczew.* Wisnensis, *de Wizna.*

Nr. 767.

Vladislaus dux regni Polonie etc. 1297 Dec. 6, in Poznan; confirmat sororibus Ordinis beati Dominici donationem ecclesiae b. Mariae Magdalenae Posnaniae cum proventibus eiusdem, quam b. m. Premisl secundus, rex Poloniae, eisdem pro claustro aedificando fecerat.

Pergam. orygin. W dolnym, założonym brzegu dwa wcięcia poprzeczne, przez nie przewleczone nici jedwabne.

Poznań. Königl. Staats Arch. Posen, S. Catharin. 2.

In nomine Domini amen. Quod sincera fide perpenditur, roborari debet sollempni tytulo litterarum. Nos igitur Vladislaus, Dei gracia dux regni Polonie et dominus Pomoranie, Cuyavie, Lancicie ac Siradie, ad universorum noticiam tam presencium quam futurorum cupimus pervenire, quod Premisl secundus, rex Polonie felicis recordacionis, cui in regno Polonie et ducatu successimus, ob remedium anime sue et in remissionem suorum peccaminum contulit ecclesiam beate Marie Magdalene sitam in civitate Poznaniensi, cum area iuxta eandem ecclesiam pro claustro edificando quantacunque fuerit necessaria, sororibus Ordinis beati Dominici, fratrum videlicet Predicatorum, cum omnibus proventibus ad predictam ecclesiam spectantibus in perpetuum possidendam. Quam donacionem, sic per predictum regem legitime factam, ratam et firmam habentes, presenti privilegio confirmamus et predictam ecclesiam, cuius ius ad nos pertinet patronatus, cum area iam prefata supradictis sororibus assignamus perpetuo conferentes. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presentes conscribi fecimus, nostri sigilli munimine roboratas. Actum anno Domini M.CC. nonagesimo septimo, datum in Poznan in die beati Nicholay confessoris atque pontificis per manus Dominici notarii curie nostre, presentibus hys testibus: Petrcone palatino Poznaniensi, Nicholao palatino Kalisiensi, castellano Gneznensi Kelchone, Miroslao castellano Bninensi, et aliis quam pluribus fide dignis.

Bninensis, *de Bnin.*

Nr. 768.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1297 Dec. 20, in Bresce; ecclesiae Poznaniensi aream iuxta Fratres Praedicatores Poznaniae sitam donat et quibusdam privilegiis munit.

Pergam. orygin. Przez 2 dziurki, wcięte w dolnym brzegu, przewleczony sznurek jedwabny, niebieski, z którego pieczęć znikła.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 14.

In nomine Domini amen. Prothoplasti rubigine humana contaminata condicio sic cellule memorialis officio eclipsatur, quod, successu temporis novercante, diu gestorum non valeat recordari; quinimo, tanquam in speculo native ymaginis speculator ab eo secedens, qualis fuerit, minime recordatur: sic profecto, quod temporaliter agitur, continuo ab humana labitur noticia, si non fuerit scripture testimonio roboratum. Hinc est quod nos Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie ac dominus Cuyavie, Siradie et Pomoranie, volentes saluti nostre et predecessorum nostrorum omnium providere, wenerabili in Christo patri domino Andree, divina miseracione Poznaniensi episcopo, et ipsius ecclesie Poznaniensi, quam favore prosequimur speciali, damus aream nostram quam habemus in civitate Poznaniensi, sitam iuxta fratres Predicatores, sibi suisque successoribus perpetuo possidendam cum ea libertate, qua ipsam nos et antecessores nostri tenuerunt; volentes, ut ipsa ab omni solucione et exaccione, nostram civitatem Poznaniensem contingente, libera et penitus sit immunis: hoc excepto, quod ad muri custodiam sicut ceteri civium teneantur. Custos vero seu curiator curie que in area constructa fuerit pretaxata, non coram advocato civitatis nostre, sed coram nobis tenebitur respondere, si pro aliqua obligacione vel maleficio fuerit evocatus. Ne vero super hiis in posterum dubitetur, presentem litteram conscribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Actum et datum in Bresce anno Domini M.CC. nonogesimo septimo, in vigilia beati Thome apostoli, presentibus hiis testibus: comite Bronissio palatino Cuyavie, Mathya iudice Cuyavie, Preczslao castellano de Bresce, domino Iohanne preposito Plocensi, et aliis quam pluribus fide dignis.

Bresce, *Brześć Kujawski.*

Nr. 769.

Wladislaus dominus regni Polonie etc. 1298 Jan. 13, in Dansk; confirmat omnia privilegia, civibus de Elbląg a Mestwino quondam duce Pomoraniae et Premislio quondam rege Poloniae concessa.

Pergam. orygin. Na pasmie nici jedwabnych, czerwon. i zielon. przywieszona pieczęć wyobraża godło Ziemi Kujawskiéj; napis: S. Wladislai Dei Gra. Ducis Cuiavie et Siradie.

Elbing. Staedtisches Archiv. Diploma Nr. 17. — Dogiel, Codex diplom. Polon. IV, pag. 36.

In nomine Domini amen. Quoniam facta mortalium oblivionem inducunt, vel morte intercepta, sicut expergencia docuit, solent adnullari si non fuerint legittimo

virorum ac proborum testimonio roborata, eapropter nos Wladislaus, Dei gracias (sic) dominus regni Polonie, dux Pomoranie, Lancicie, Cuyavie et Syradie, notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod magnifici principes, scilicet Mestvynus Dei gracia dux Pomoranie et eadem Dei gracia Primisl rex Polonie et dominus eiusdem Pomoranie, inspectis fidelibus serviciis civium de Elbingo que eis sepissime impenderunt, contulerunt eisdem civibus de Elbingo omnimodam libertatem tam in aquis, quam in aliis partibus que spectant ad eorum dominium, videlicet terras eorum intrandi, transeundi, mercesque vendendi et emendi ibidem quascunque voluerint, et nichilominus partes quas velint, sine omni exaccione thelonei et solucione redeundi. Insuper adicientes de ipsorum mera liberalitate, si predicti (sic) cives ad latus dictorum dominorum, hoc est ad littus Pomoranie, tempestate agitante quod absit naufragando pervenire contingerit (sic), nullus omnino fidelis subditus memoratos cives gravare presumat in corpore sive in rebus, sive in aliis quibuscunque, nec eciam aliquam summam pecunie audeat extorqueri (sic) in tali periculo. Deinde voluntatis eciam ipsorum est, ut nullus omnino successorum eorum seu officialium ipsorum, racionabilem donacionem per ipsos factam infringere audeat vel ausu temerario contraire. Preterea nos Wladislaus, Dei gracia dominus nunc regni Polonie etc., memoratos cives de Elbingo cupientes omni nostra prosequi gracia qua possumus et favore, iam annotatam libertatis donacionem, quam incliti principes feliscis (sic) memorie antecessores nostri superius memoratis civibus de Elbinge contulerunt, habito concilio (sic) nostrorum baronum maturo, presentibus confirmamus, volentes per nos et nostros posteros inviolabiliter observari, sigillorum nostrorum munimine roborantes. Actum in Dansk et datum in octava Epyfanie Domini presentibus hiis testibus: fratre Rudingero domino abbate de Oliva, fratre Henrico domino abbate de Polpelin, et pan Svenz castellano de Stolp, pan Adam castellano de Sveicz (sic), comite Mathia iudice, comite Kelchone castellano Gnezenensi, comite Alberto dicto Gaska de Vstwolna, domino Rudgero vicecancellario Cuyaviensi qui tenet sigillum domini, domino Tesslao subcancellario Pomoranie, sub anno Incarnacionis Domini M.CC. nonagesimo VIII.

Elbingum, *Elbląg.* Oliva, *Oliwa.* Polpelin, *Pelplin.* Stolp, *Słupsk, z niemiecka Stolpe.* Sveicz, *Świecie.* Vstwolna, *Stwolno.*

Nr. 770.

Andreas episcopus Poznaniens. 1298 Ian. 31, in Capitulo Poznaniensi; archidiaconatum Poznaniensem in tres archidiaconatus dividit et administrationem eorum ordinat.

Pergam. orygin., u którego dwie pieczęcie przywieszono; pierwsza znikła, pozostał sznurek niciany, biały; druga podługowata, przywieszona na sznurku jedwabn., zielon., zupełnie zatarta.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 15. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Polon. 79.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Sollicitudinis et officii interesse dinoscitur pastoralis, ut summa animi vigilancia et consideracione perspicaci, illa que

in sinistro choro post custodem. Maiori pro tytulo ecclesiam de Gczecz cum eiusdem ecclesie redditibus assingnantes, temporibus et locis congruentibus assingnaturi tytulos medio et minori. Et hec omnia salvo iure Sedis apostolice statuimus et eciam ordinamus. Verum, ne illa que nostris aguntur temporibus, mutabilitas pertransiens aut vetustas deterat, neve ex hoc calumpniis in posterum materia subministretur, litteram hanc puplicam (sic) conscribi et sigillo nostro nostrique Capituli fecimus communiri. Actum et datum in Capitulo Poznaniensi II Kalendas Februarii, anno gracie Domini MCC nonogesimo octavo, Indiccione undecima, presentibus dominis fratribus et canonicis nostris: Iohanne preposito, magistro Gregorio decano, Henrico scolastico, Thomca custode, Iacobo nostro canonico et cancellario, magistro Paulo, Friczkone, Iacobo, Henrico, Vlostone, Michaele, Salomone, Predvoyo, Nycolao, Borislao, Sdislao, Heyncza, Gercone, Fredrico, Petro, Stephano, et aliis multis Capituli nostri Poznaniensis canonicis fidedingnis.

Mossina, *Mosina.* Locza, *Łódź.* Modrze, *Modrze.* Granovo, *Granowo.* Droszim, *Drożyn.* Slup, *Słupia.* Neproszevo, *Niepruszewo.* Kasimirs, *Kaźmierz.* Szamantuli, *Szamotuły.* Obriczko, *Obrzycko.* Censzim, *Ciążyń.* Dirczen, *Drzeń, dziś Drezdenko.* Notes fluv., *rz. Noteć.* Xensze, *Książ.* Srem, *Śrem.* Brodnicza, *Brodnica.* Borovo, *Borowo.* Gluchovo, *Głuchowo.* Fluv. Obra, *rz. Obra.* Padlagora, *z niemiecka Padilgar.* Visoczko, *Wysocko.* Vronki, *Wronki.* Othorovo, *Otorowo.* Vilczina, *Wilczyn.* Czeradz, *Czeradz kościelny.* Buk, *Buk.* Ptaskovo, *Ptaszkowo.* Lanki, *Łęka.* Lubucensis, *de Lubusz, z niem. Lebus.* Gczecz, *Giecz.*

Nr. 771.

Wladizlaus dux regni Polonie etc. 1298 Febr. 6, s. l.; commutationem villarum monasterii de Łekno, dictarum Smolino et Zelibore, in Wladislaviensem ecclesiam factam, ratam habet.

Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae II, Nr. 166. (*Z pergaminu orygin., którego pieczęć znikła*).

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Wladizlaus, Dei gracia dux regni Polonie et dominus Pomoranie, Cuyavie, Lanchicie atque Syradie, permutacionem, quam dominus Iohannes abbas et conventus monasterii de Luckna, Ordinis Cysterciensis, super villis sui claustri Smolino et Zelibore fecisse in Wladizlaviensem ecclesiam dinoscuntur, ratam et gratam habemus, eamque nostro consensu legittimo approbamus. In cuius ratihabicionis evidenciam pleniorem, presentem paginam nostro sigillo duximus roborandam. Datum anno Domini MCC nonagesimo VIII, in crastino sancte Agathe virginis gloriose.

Luckna, *Łekno.* Smolino, *Smolin?* Zelibore, *nie odgadnione.*

Nr. 772.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1298 Febr. 26, Poznanie; monasterium de Obra in suam protectionem recipit et villis ipsius plurimas libertates largitur.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 22, 32.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentem litteram inspecturi, quod nos Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie et dominus Pomeranie, Cuyavie, Lancycie ac Syradie, ob salutem nostre anime ac eciam nostrorum progenitorum recipimus fratres et totum conventum domus de Obra, ac eciam bona ipsorum mobilia et immobilia, ad nostram proteccionem et tutelam; mandantes singulariter omnibus et universaliter singulis, ut predictos fratres et dominum abbatem et bona ipsorum nullis molestiis aut gravaminibus perturbare presumant. Qui vero secus obtemperare presumpserit, nostram proinde offensam extunc se senciat incurrisse. Damus insuper eidem domino abbati super omnes ipsius domus villas omnimodam libertatem ab omnibus nostris solucionibus et exaccionibus Polonicalibus, videlicet a poradlne, a prewod, a powoz, a stroza, a bove, a vacca, a porco, et generaliter ab omnibus angariis et perangariis volumus esse absolutos, prout et a nostris antecessoribus eandem habuerunt libertatem; et insuper a castellano, a palatino et ipsorum officialibus in totum et in perpetuum liberamus; ita quod ad ipsorum presenciam nec citari nec respondere incole dicte domus de Obra teneantur: nisi, si necesse fuerit, per nostram literam citabuntur, et in nostra presencia respondebunt. Ut autem predicta omnia robur obtineant perpetue firmitatis, presentes scribi iussimus, nostri sigilli munimine roboratas presentibus hiis testibus: comite Nicolao palatino Kalisiensi, comite Petricone palatino Poznaniensi, comite Alberto castellano Landensi, et aliis quam plurimis fide dignis. Actum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, datum Poznanie quarta feria proxima post dominicam Invocavit me.

Fol. 32 odpisano dokument równobrzmiący, z wyjątkiem początku, gdzie jest: quod nos Wladislaus Dei gracia rex Polonie, dominus Cracovie, Cuyavie, Lancicie et Siradie . . . *i końca, gdzie jest:* presentibus his testibus: comite Martino palatino Kalisiensi, comite Slawota castellano Kalisiensi, domino Ywano cantore Gneznensi, domino Iohanne cancellario Chuyaviensi et canonico Cracoviensi. *(Vacuum)* anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quarto, Vincula Petri apostoli, per manus Petri canonici Cracoviensis et nostre curie vicecancellarii.

Obra, *Obra.* Landensis, *de Ląd.*

Nr. 773.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1298 Febr. 27, Poznan; liberat cives de Poznań, cum mercimoniis terras dominii sui transeuntes, a solutione helonei.

Lwów. Biblioteka Baworowskich. Lib. privilegior. civitat. Poznań, f. 16 v.

In nomine Domini amen. Quod magnificencia (sic) principum decrevit facere auctoritas, ratum debet atque stabile permanere. Idcirco nos Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie et dominus Pomeranie, Cuyavie, Lanticie ac Syradie, notum facimus universis presentibus et futuris presentem paginam inspecturis, quod nostrorum baronum consilio habito, statum nostre civitatis Poznaniensis, que in magna sua parte per gwerras est viciata, cupimus in melius reformare. Honorabilium nostrorum civium ibi degencium precibus attendentes, omnes cives nostros in iam dicta civitate nostra manentes et ipsorum pueros ac legittimos successores, perpetuo per universorum dominiorum nostrorum districtum, ad quascumque partes se transtulerint pro suis mercimoniis peragendis, ab omni solucione et exaccione thelonei absolvimus; ita ut nullus de nostris aut nostrorum terrigenarum thelonearіis ipsos in perpetuum presumat ullomodo molestare ab eisdem theloneum exigendo. Si quis vero presumptuosus inventus fuerit et nostris factis racionabilibus contrarius, qui ausu temerario ipsos presumeret perturbare, ablata restituet et nostram se senciat indignacionem incurrisse. In cuius libertatis evidenciam pleniorem, presentes scribi iussimus, nostri sigilli munimine roboratas presentibus hys testibus: comite Nicolao palatino Kalisiensi, comite Petrkone palatino Poznaniensi, comite Bogufalo iudice Gnesnensi, comite Alberto castellano Landensi, et aliis fide dignis. Actum anno Domini millesimo CC nonagesimo octavo, datum Poznan quinta feria proxima post dominicam qua cantatur Invocavit me Dominus.

Nr. 774.

Vladislaus dux regni Polonie etc. 1298 s. d., Poznanie; confirmat privilegium, quod dederat coenobio de Owinska: **Premisl dux Polonie 1252 Apr. 26, Gnezne.**

Poznań. Towarzystwo Przyjac. Nauk. Owinska, privil. Nr. 5.

In nomine Domini amen. Nos Vladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, Cuyavie, Syradie et Pomeranie, volentes ut ea que a nostris predecessoribus sunt legittime, presertim ob anime remedium ordinata, firma debeant perpetuo permanere, presentibus profitemur, quod in nostra nostrorumque baronum presencia constituta venerabilis domina Dobrosca, abbatissa de Owensko, quoddam privilegium exhibuit inferius annotatum, petens ut in eo contenta rata habere vellemus et nostro speciali privilegio confirmare. Nos vero ipsius ac conventus sui iustis precibus inclinati, diligenti premissa examinacione, cum idem privilegium non cancellatum, non abolitum inve-

nissemus, nec in parte aliqua viciatum, illud transcribi fecimus. Cuius tenor sequitur in hec verba: (*Sequitur diploma Nr. 303*).

Nos ergo cupientes nostrorum predecessorum vestigiis inherere, et per ipsos divino cultui et in prefato monasterio Deo famulantibus virginibus deputata non minuere sed augere, omnia et singula supradicta rata habentes, ut perpetuo firma permaneant presentibus confirmamus, si quid excepcionis contra eandem donacionem cuique possit competere penitus amoventes, et si quid minus validum in ea foret, penitus roborantes. Acta sunt hec Poznanie anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, presentibus venerabili patre domino Andrea Poznaniensi episcopo, Petrcone palatino Poznaniensi, Nicolao palatino Kalisiensi, Bronissio palatino Cuyavie, Sandivogio castellano Poznaniensi, Kelcone castellano Gneznensi, Bogussio iudice Gneznensi, Iacobo cancellario domini Poznaniensis episcopi, et aliis quam pluribus. Ut autem hec nostra ratihabicio et confirmacio firma et inviolabilis perseveret, presentem litteram sigillorum, nostri et prefati domini episcopi, munimine duximus roborandum.

Owensko, *Owińska.*

Nr. 775.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1298 s. d. et l.; confirmat privilegium, quod dederant civitati Poznań: **Premisl et Boleslaus, fratres uterini, duces Polonie 1253 s. d., in Poznania.**

Transsumpt, który sporządził ad mandatum domini regis: Petrus de Sczekociny regni Polonie vicecancellarius 1443 Iun. 12, Budae, *w pergaminie oryginalnym, przy którym pozostały sznury jedwabne, fioletowe, od przywieszenia zniklej dziś pieczęci.*

Poznań. Königl. Staats Arch. Posen, Gründungs-Urkunde.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que in tempore aguntur, labente tempore a memoria hominum evanescunt nisi testimonio vel scriptura autentica fuerint perhennata, nos igitur Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie et Pomeranie, Cuyavie, Lancicie ac Syradie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod vidimus et diligenter investigamus tenorem privilegii civitatis nostre Poznaniensis antecessorum nostrorum in hunc modum: (*Sequitur diploma Nr. 321.*)

Nos vero predicta omnia rata grataque gerentes, presenti privilegio superius scriptum confirmamus et hec volumus. Ut fideles nostri cives Poznanienses gaudeant de speciali nostra gracia et favore, contulimus civitati et civibus eiusdem civitatis has utilitates, videlicet: quod quicquid in eiusdem civitatis ambitu nunc et in posterum edificari vel excogitari poterit, supradicta civitas perpetuo possideat pacifice et quiete; in theatro, quod in Theutonico Cameraus nuncupatur, et appotecas institorum, sutorum et pellificum, et macella carnificum et pistorum et vini cellaria, ipsa civitas in perpetuum valeat obtinere. In cuius testimonium, presentes conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari presentibus his testibus: comite Petrkone palatino Poznaniensi, comite Nicolao palatino Kalisiensi, comite Sandivogio castel-

lano Poznaniensi, comite Boguslao iudice Gneznensi, comite Alberto castellano Landensi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo.

Landensis, *de Ląd.*

Nr. 776.

Wladizlaus dux regni Polonie etc. 1298 Mart. 4, Kalis; approbat donationem hereditatis Koszuty, a comite Gerwardo, filio Bogusae, monasterio Ląd factam.

Pergam. orygin. Na pasmie nici jedwabnych, wyblakłych przywieszona okrągła pieczęć przedstawia godło Ziemi Kujawskiéj; napis zatarty.

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae I, Nr. 88. (Z innego oryginału).

In nomine Domini amen. Quod magnifica principum decrevit auctoritas, ratum debet atque stabile permanere. Idcirco nos Wladizlaus, Dei gracia dux regni Polonie et dominus Pomoranie, Cuyavie, Lanchicie ac Syradie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod comes Boguse filius nomine Gervardus in nostra nostrorumque baronum presencia constitutus, hereditatem suam, Cosuti vulgariter dictam, domino abbati totique conventui domus Landensis tradidit et donavit, irrevocabiliter et in perpetuum possidendam cum omnibus utilitatibus et proventibus ad eandem hereditatem pertinentibus, qui nunc sunt aut esse poterunt in futuro: silvis, nemoribus, rubetis, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, molendinis, piscinis: prout in suis limitibus et terminis dicta hereditas est distincta, consanguineorum ipsius Gervardi nullo reclamante aut contradicente. Nos vero predictam donacionem considerantes legittime ac racionabiliter esse factam, ipsam approbamus et presenti nostro privilegio duximus confirmandam, facientes predictum dominum abbatem et totum conventum domus Landensis hereditatis dicte Cosuti veros heredes et legittimos possessores. Ut autem predicti abbas et totus conventus nobis oracionibus magis sint astricti, ac eciam pro remedio nostrorum peccaminum, damus super villam predictam omnem libertatem, prout cetere ville Theutonicales domus Landensis habere dinoscuntur. In cuius rei itaque evidenciam pleniorem, presentes conscribi iussimus, nostri sigilli munimine roboratas presentibus hiis testibus: domino Iohanne preposito Plocensi, comite Iohanne castellano Lanchiciensi, comite Stogneo, comite Roscone venatore Kalisiensi, Stanizlao scriptore curie nostre, et aliis quam plurimis fide dignis. Actum anno Domini MCC nonagesimo octavo, datum Kalis proxima tercia feria post dominicam qua cantatur Reminiscere.

Cosuti, *Koszuty.* Landensis, *de Ląd.*

Nr. 777.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1298 Mart. 7, Kalis; concedit civibus de Poznań, Gniezno, Pyzdry et Kalisz facultatem puniendi latrones et malefactores, sicut ipse deberet.

Pergam. orygin. Na skrawku pergamin. przywieszona pieczęć przedstawia godło Ziemi Kujawskiéj.

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata.

Noverint universi quorum audiencie presens scriptum defertur, quod nos Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, princeps Pomoranie et dominus Cuyavie, Lancycie ac Syradie, damus et concedimus civibus nostris, in Poznania, in Gnezdna, in Pysdr et in Kalis constitutis, omnimodam auctoritatem fures, latrones et alios malefactores, cuiuscunque generis fuerint seu condicionis, suspendere, decollare, mutilare, et omnia alia tormenta facere, que nos facere deberemus. Et ad hoc promittimus eosdem iuvare et eisdem assistere, si aliqui vellent eis inimicari pro huiusmodi corrigendis excessibus, in eisdem malefactoribus exercendis. In huius rei testimonium, presentes conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum et actum Kalis sexta feria proxima ante dominicam qua cantatur Oculi, anno Domini M.CC nonagesimo octavo, presentibus hys testibus: comite Nicolao palatino Kalisiensi, comite Alberto castellano de Lenda, comite Lexicone castellano de Welun.

Pysdr, *Pyzdry.* Lenda, *Ląd.* Welun, *Wieluń.*

Nr. 778.

Andreas episcopus Poznaniens. 1298 Apr. 13, in Capitulo Poznaniensi; statuit una cum Capitulo suo, ne ecclesiis de novo exortis, in futurum ab episcopis de mensa plus donetur, quam decima quinque mansorum; egregiis tamen personis, de ecclesia sua bene meritis, exceptis.

Pergam. orygin. Skrawek pergamin., przez 2 wcięcia przewleczony, z którego pieczęć znikła.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 17.

In nomine Domini amen. Officii nostri debitum quamquam ecclesiarum omnium commodis remediisque invigilare debeat subdytorum, specialiter tamen intendere et sollercius cogimur providere, ut ecclesie nostre maioris, cui favente Domino licet inmeriti presidemus, studeamus omni qua possumus vigilancia, que in ipsius vergere possunt preiudicium, ammovere. Sane, cum in donacionibus ab episcopis faciendis ea sit temperamenti equitas observanda, ut ecclesie quibus eas faciunt releventur, et a quibus res auferunt donatas graviter non ledantur, idcirco nos Andreas, Dei gracia episcopus ecclesie Poznaniensis, de communi consensu fratrum nostrorum Capituli Poznaniensis, consideracione prehabita diligenti: quod, si de novo edificatis ecclesiis tales per nos et nostros successores fierent donaciones, quales per nostros predecessores hacthenus fieri

consueverunt, pensiones seu redditus ecclesie nostre maioris possent penitus enervari: statuimus et perpetuo volumus perdurare, ut ecclesiis de novo exortis per episcopum et suum Capitulum amplius non donetur, quam quinque mansorum decima sive census; exceptis egregiis personis, que si circa ecclesiam nostram plus poterunt promereri, cum hiis ecclesia possit graciam facere ampliorem et hiis casibus, in quibus nostre ecclesie utilitas procuratur. Et ad hec perpetuo conservanda, omnes tactis sacrosanctis Ewangeliis nos iuramentis propriis obligamur. In cuius rei testimonium, presentem constitucionem sigillis, nostro nostrique Capituli, confirmamus. Datum in Capitulo Poznaniensi Idus Aprilis, anno Domini MCC nonogesimo octavo, Indiccione undecima.

Nr. 779.

Andreas episcopus Poznaniens. 1298 Apr. 13, Poznanie; confirmat privilegium, quod dederat ecclesiae de Głuszyna: **Iohannes Poznaniens. episcopus 1296 Oct. 16, Poznanie.**

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 108.

In nomine Domini amen. Nos Andreas Dei gracia episcopus Poznaniensis presentibus profitemur, quod petentibus nobili viro comite Nicolao palatino Kalisiensi et dominis Vislao preposito et aliis canonicis Gluschinensibus: ut privilegium Gluschinensis ecclesie super hereditatibus, decimis et proventibus, iuribus et donacionibus, per nostrum predecessorem et Capitulum factis, rite et legittime transscribi et in archivo ecclesie transscriptum reponi huiusmodi mandaremus: nos vero ipsorum iustis precibus inclinati, ecclesie predicte instrumentum, non abolitum, non cancellatum nec in aliqua parte sui viciatum, omnibus eius circumstanciis circumspectis, transscribi fecimus; cuius tenor talis est: (*Sequitur diploma Nr. 754*).

Nos vero predictas donacionem et ordinacionem rite et racionabiliter factas, ratas et gratas habentes, presens scriptum transscribi et nostri sigilli munimine fecimus communiri. Datum Poznanie Idibus Aprilis, anno Domini M.CC.XC. octavo, Indiccione XI.

Gluschinensis, *de Głuszyna.*

Nr. 780.

Andreas episcopus Poznaniens. 1298 Apr. 17, Poznanie; una cum suo Capitulo statuit, ut villae ecclesiae suae nemini, nisi alicui de collegio eiusdem conferantur, alioque vero modo collatas revocat. Insuper commutationem villarum, inter praedecessorem suum et comitem Gnevomirum iudicem factam, annihilat, villaque Kurowo ut ad eundem Gnevomirum, Witomyśl vero ad suam ecclesiam revertat, mandat.

Pergam. orygin. Na skrawkach pergamin. przywieszono dwie pieczęcie; obie znikły. Poznań. Archiv. Capituli. II, 18.

Nos Andreas Dei gracia episcopus ecclesie Poznaniensis, cupientes ita agere et modis omnibus ordinare quod ecclesie nostre et sibi servientibus esse debeat profu-

dinis aliqua denotemur, duas hereditates, Smolino et Zeliborze, nostre domus cum omnibus earum utilitatibus ac pertinentiis predicto domino episcopo sueque ecclesie in ius ac proprietatem profitemur perpetuo contulisse, nichil in eisdem nobis iuris sive dominii reservantes. In cuius alienacionis et donacionis evidenciam pleniorem, sigillo nostro roboravimus presens publicum instrumentum. Actum et datum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, Indictione undecima, decimo quarto Kalendas Maii, presentibus: fratribus Henrico priore et Henrico dicto de Ruya Luknensibus; dominis Wislao Wladislaviensi, Ludvigo Crusviciensi custodibus; Iohanne Wladislaviensi, Panslao Crusviciensi canonicis; Stephano, Paulo Luciani, ac aliis eiusdem domini episcopi capellanis.

Lukna, *Łekno.* Wladislaviensis, *de Włocławek.* Poluczino, *z niemiecka Palschau.* Bruchnino, *z niem. Pordenau.* Smolino, Zeliborze, *nie odgadnione.* Ruya, *Rugja wyspa.*

Nr. 783.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1298 Apr. 25, in Gnezna; monasterio sanctae Clarae in Gniezno civitatem Kostrzyn cum sortibus adiacentibus nec non alias villas, amplissimis privilegiis munitas confert.

Transsumpt potwierdzony przez: Elisabeth senior regina Hungarie et Polonie 1372 Iun. 15, Gnezne.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscript. Poznaniens. a. 1546, fol. 17; Relation. Gneznens. a. 1791, fol. 782. — Warszawa. Archiw. Główne, Księga metr. 25, fol. 290.

In nomine Domini amen. Religiosam vitam eligentibus aut agere volentibus pium est et convenit adesse presidio, ne forte cuiuslibet adversitatis seu temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Nos igitur Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie et dominus Pomeranie, Cuyavie, Lancicie Syradieque, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod ob honorem Dei et sancte matris Ecclesie ac condigne peticionis intuitu serenissime domine Iolenthe, relicte quondam incliti principis felicis recordacionis domini Boleslai ducis Polonie, civitatem Costrzin cum alia Polonica villa ibidem adiacente, que eodem censetur nomine, et agris qui pro ducissis Polonie olim coli consveverant, nec non et ius patronatus capelle civitatis eiusdem cum villa que Virbentowa vulgariter nuncupatur, et sortem que Dubonis appellatur ad dictam ecclesiam pertinentem, alias eciam villas que sic nominantur, videlicet Sthavany, Syedlcze, Grothkowicze, ex integro damus et conferimus monasterio sancte Clare, in civitate Gneznensi per dominum Premislum felicis recordacionis regem Polonie constructo, in quo prefata domina Iolentha sub habitu sancte Clare cum aliis eiusdem Ordinis sororibus in ibi manentibus vitam acticat religiosam. Que omnia supradicta eidem monasterio, de voluntate et pleno, unanimi ac libero assensu venerabilis patris domini Iacobi, sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopi, et baronum regni Polonie, iure hereditario in perpetuum possidenda conferimus et donamus libere, pacifice et quiete, absolventes civitatem predictam ac villas superius nominatas ab omnibus exaccionibus et solucionibus, angariis, preangariis, que sic vulgariter nuncupantur:

Nr. 781.

Wysslaus episcopus Wladizlaviens. ecclesie 1298 Apr. 18, s. l.; dat monasterio de Łekno decimas in villis Polusyno et Bruthnyno, et pro eis hereditates eiusdem monasterii, dictas Smolino et Zeliborz, recipit.

Pergam. orygin. Na paskach pergamin. przywieszono dwie podługowate pieczęcie. Pierwsza przedstawia biskupa błogosławiącego, napis: S. Vislavi Dei Gra. Epi. Vladislavien. Ecclsie. *Druga przedstawia Najśw. Pannę z Dzieciątkiem, pod Nią 3 klęczące osoby z złożonemi rękami; napis:* Mater Misericordie Salva Capitulum Vladislavien. Ecce.
Königsberg. Königl. Staats Arch.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Wysslaus Dei gracia episcopus ecclesie Wladizlaviensis, cum ratihabicione nostri Capituli et consensu, in villis Polusyno et Bruthnyno ius decimale et decimas nobis et nostre ecclesie pertinentes, que proveniunt nunc de cultis vel provenire de agris poterunt in posterum excolendis, domino Iohanni abbati et fratribus monasterii de Luckna Ordinis Cisterciensis in favorem religionis damus et transferimus, iure pleno et perpetuo possidendas. Insuper protestamur, quod idem abbas et conventus, ut se nostris beneficiis redderent non ingratos, duas hereditates sui monasterii, Smolino et Zhelibore, cum omnibus earum utilitatibus aut pertinenciis in nostram et nostrorum successorum personas nostreque ecclesie proprietatem ac ius perpetuum liberaliter transtulerunt, quarum possessionem accepimus gratuite nobis factam. In cuius rei evidenciam pleniorem, nostro et nostri Capituli sigillis roboravimus presens publicum instrumentum. Actum et datum anno Domini MCC nonagesimo octavo, Indiccione undecima, XIIII Kalendas Mai, presentibus domino Voyslao Wladizlaviensi, domino Lodvigo Crusviciensi custodibus, Iohanne Wladizlaviensi, Panzlao Crusviciensi canonicis; fratre Henrico priore, fratre Henrico dicto de Ruya Lucknensi; Stephano, Paulo Luciani, ac aliis nostre curie capellanis.

Wladizlaviensis, *de Włocławek.* Polusyno, *z niemiecka Palschau.* Bruthnyno, *z niem. Pordenau.* Luckna, *Łekno.* Smolino, Zhelibore, *nie odgadnione.* Ruya, *Rugja wyspa.*

Nr. 782.

Iohannes abbas monasterii de Lukna 1298 Apr. 18, s. l.; dat ecclesiae de Włocławek pro decimis de villis Polusyno et Bruchnino, villas monasterii sui, dictas Smolino et Zeliborze.
Włocławek. Archiv. Capituli. Lib. privilegior. fol. 148 v.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentes literas inspecturi, quod nos Iohannes abbas monasterii de Lukna Ordinis Cisterciensis, nostri conventus consilio habito et consensu, in memoriam beneficiorum a venerabili patre domino Wislao ecclesie Wladislaviensis episcopo perceptorum, maxime iuris decimalis in villis nostris Poluczino et Bruchnino, nobis et nostre domui perpetuo iure dati, ne nota ingratitu-

Nr. 785.

Andreas episcopus Poznaniens. 1298 Apr. 25, s. l.; privilegium, quod dederat monasterio Ląd: **Paulus episcopus Poznaniens. 1232 Iul. 1, s. l.,** transscribi iubet.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 84.

In nomine Domini amen. Nos Andreas Dei gracia episcopus Poznaniensis precibus honorabilium virorum, domini abbatis et fratrum conventus Lendensis Cysterciensis Ordinis, inclinati, privilegium super commutacione inter nostram ecclesiam et eorum cenobium villarum facta non cancellatum, non abolitum nec in aliquo viciatum conscribi, et transscriptum in archivo nostre ecclesie fecimus (sic). Cuius tenor talis est: (*Sequitur diploma Nr. 137.*)

Ne vero super hys dubietatis scrupulus oriatur, sed ut robur perpetue obtineat firmitatis, presens transscriptum nostri sigilli munimine fecimus communiri. Datum per manus Gerlibi nostre curie scriptoris anno Domini M.CC. nonagesimo octavo, Indiccione undecima, in die beati Marci ewangeliste.

Lendensis, *de Ląd.*

Nr. 786.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1298 Mai. 15, in Pisdry; comiti Wincentio, castellano de Wieleń, castrum praedictum cum oppido Wronki et quibusdam villis adiacentibus confert.

Poznań. Archiv. Consistorii. Lib. privilegior.

In nomine Domini amen. Quod affirmat auctoritas litterarum, non pravorum hominum potest infirmare improbitas. Cognoscat igitur presens etas et sciat postera, quod nos Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, dominus Pomoranie, Cuyavie, Lancicie et Syradie, considerantes fidelia et grata servicia dilecti nostri comitis Vincencii castellani de Welen, deliberato animo et bona voluntate damus et conferimus castrum Welen cum civitate nostra Wronek, una cum villis que hoc nomine nuncupantur: Drawsko, Nedzwedzicza, Rosko, Baloowa, Bela, nec non theloneum per Wartham, sibi cum suis posteris quiete et pacifice perpetuo possidenda. Ut autem nostra donacio robur obtineat perpetue firmitatis, presens scriptum nostri maioris sigilli munimine fecimus roborari. Acta sunt hec in Pisdry civitate nostra sub anno Incarnacionis Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, testibus presentibus qui aderant infrascriptis: comite Savissio palatino Syradiensi, comite Zbigneo castellano Syradiensi, comite Kelczone castellano Gneznensi, comite Dobrogostone dapifero nostro, et aliis multis. Datum in die Ascensionis Domini, per manus domini Petri protonotarii curie nostre.

Welen, *Wieleń.* Wronek, *Wronki.* Drawsko, *Drasko.* Nedzwedzicza, *w Nrze. 297* Rivus ursi, *może dziś Kamionki, osada nad rzeczonym strumieniem.* Rosko, *Rosko.* Baloowa, *Bielawy.* Bela, *Biała.*

Nr. 787.

Henricus dux regni Polonie etc. 1298 Iun. 24, in Costan; promittit, se omnes libertates, ecclesiae Gneznensi, Poznaniensi et Cuiaviensi in terra Pomoraniae a praedecessoribus suis concessas, servaturum et contra quemlibet defensurum; si vero regias infulas adiutorio episcoporum praedictarum ecclesiarum fuerit assecutus, se tunc curaturum, ut cancellaria regni penes episcopatum Poznaniensem perpetuo permaneat.

Pergam. orygin. W dolnym, założonym brzegu plecionka nici jedwabn., żółt. i czerwon. przez dwa wcięcia przewleczona; pieczęć znikła.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 62. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae, II, Nr. 168. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Poloniae, Nr. 80.

In nomine Domini amen. Nos Henricus, Dei gratia dux regni Polonie, Pomoranie, Slesie et dominus Glogovie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod nos semper in bonis actibus progenitores nostros imitari prout magis possumus cupientes, personas patrum venerabilium, videlicet domini Iacobi sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopi, Andree Poznaniensis, Wislay Vladislaviensis, et ecclesias Gneznensem, Poznaniensem, Vladislaviensem in terra Pomoranie et bona ad ipsas pertinentia talibus volumus honorare insigniis libertatum, quod omnes libertates, quas iam dicte ecclesie in bonis suis retinent, volumus perpetuo inviolabiles permanere; ita videlicet, quod in villis et bonis ecclesiarum dictarum nunquam stacionem aliquam faciemus, nec unquam nostros homines pabulare, quod in vulgari piczovacz dicitur, bona ecclesie permittemus, et quod, sicut ab initio extitit observatum, canonici dictarum ecclesiarum villas ecclesie limitabunt, et quod nullam exactionem in bonis ecclesie vel petitionem, tam in iure Theutonico quam Polonico, faciemus vel etiam imponemus, sicut nec nostri predecessores hec fecerunt, nec bona ecclesiarum dictarum in aliquo gravabimus vel ledemus. Volumus etiam, quod canonici homines existentes in bonis ecclesie iudicent et penas iudiciales percipiant ab eisdem, nisi questio super hereditatibus moveretur, quia illam in nostra presencia volumus iudicari. Volumus eciam, quod si miles, vel cuiuscunque condicionis homo existat, ex testamento vel inter vivos aliquid mobile vel immobile ecclesie donaverit, quod hoc firmum et stabile perseveret, nec in hoc ecclesiam impedire volumus, immo, ut donatum apud ipsam remaneat, totis viribus adiuvare. Et si que utilitates in bonis ecclesiarum dictarum sunt vel exorte fuerint in futurum, sive in terris sive in aquis fuerint, ipsas penes ecclesias, in quarum bonis invente fuerint vel exorte, volumus perpetuo remanere. Promittimus eciam, quod excommunicatos volumus in omnibus actibus legittimis evitare; et si ultra annum in excommunicatione iacuerint, bona excommunicatorum nostro fisco applicabimus, satisfacientes ecclesiis de eisdem, prout vel in quanto ipsi excommunicati fuerant ecclesiis obligati. Promittimus eciam dictas ecclesias contra earum indebitos turbatores toto posse adiuvare et ope nostre potentie fideliter defensare. Volumus eciam, quod omnes qui decimas tenentur, illas persolvant integraliter: in campis, si ville iuris Polonici fuerint, si autem Theutonici, maldratas per medium et argentum. Si autem per adiutorium venerabilium patrum superius nominatorum et ecclesiarum eorundem regias fuerimus infulas assequuti, cancellaria regni penes Poznaniensem episcopatum perpe-

tuo remanebit, assingnatis sibi redditibus iuxta quaslibet civitates, ubi frequentius cum nostra domo nos contigerit demorari. Actum et datum in Costan anno Domini M.CC. nonagesimo octavo, in die beati Iohannis Baptiste. Ad maiorem horum certitudinem, presentes scribi iussimus litteras, nostri sigilli munimine roboratas presentibus nobilibus viris dominis (sic).

Vladislaviensis, *de Włocławek.* Costan, *Kościan.*

Nr. 788.

Henricus dux Slezie et dominus Glogovie 1298 Iun. 24, Costan; villam Nacław, libertatibus antiquarum villarum ecclesiae Poznaniensis dotatam, ecclesiae praedictae confert.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 58.

In nomine Domini amen. Nos Henricus, Dei gracia dux Slezie et dominus Glogovie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod predecessorum nostrorum volentes vestigiis inherere, qui sanctam Dei Ecclesiam ut devoti filii sancte matris Ecclesie ipsam prout magis poterant extulerunt, venerabili in Christo patri domino Andree divina providencia Poznaniensi episcopo et ipsius ecclesie, pro predacionibus tempore discordie in bonis eiusdem ecclesie et episcopi per nostros homines irrogatis, damus villam nostram Natslave vulgariter nuncupatam, sitam circa Costan, perpetuo possidendam, et possessionem eiusdem tradimus corporalem cum omni eo iure et dominio, quo alias villas suas Poznaniensis ecclesia possidet ab antiquo, liberantes eandem ab omnibus solucionibus quocunque nomine censeantur, que ad nostrum dominium pertinent nunc et pertinere poterint in futurum. Et quia ad eandem villam dominus Martinus Budivoy cum fratribus suis, ex donatione eiusdem ville eisdem per nos prius facta, habent respectum, nos pure et simpliciter dictam villam Natslave liberare promittimus ab eisdem; quod si ipsam aliqualiter liberam facere non possemus, nos presentibus obligamus, quod aliam eiusdem valoris domino episcopo et ecclesie Poznaniensi dabimus quam duxerint acceptandam, de qua eque se contentos coram omnibus recongnoscent. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presentes scribi iussimus litteras, nostri sigilli munimine roboratas. Actum et datum Costan in die beati Iohannis, anno Domini M.CC. nonagesimo octavo, presentibus fidelibus nostris: dominis Gunthero de Bibersteyn, Sulkone Lasote, Bartholomeo de Damastino, Iacobo cancellario Poznaniensis episcopi et nostro capellano, Nicolao fratre suo, et aliis pluribus fide dignis.

Natslave, *Nacław.* Costan, *Kościan.* Damastino, *z niem. Domatschine.*

Nr. 789.

Andreas episcopus Poznaniens. 1298 s. d., in Capitulo Poznaniensi; dat Cechonico et Sedlico fratribus villam Zemsko certa conditione, iure de Środa ad locandum.

Transsumpt oryginalny, poświadczony przez: Andreas episcopus Poznaniensis 1447 Nov. 13, Poznanie, *w pergaminie, u którego na sznurach jedwabn., różowych dwie pieczęcie przywieszono. Pierwsza okrągła, dwustronna, przedstawia w środku siedzącą Najśw. Pannę z Dzieciątkiem, po każdéj stronie stojąca osoba w długiéj szacie, ku Niéj zwrócona; napis, jak cała pieczęć, starte. Contrasigillum przedstawia na tarczy trójkątnéj, wspieranéj przez dwie osoby, godło rodu Łodzia. Druga podługowata, zupełnie zatarta.*

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 447.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Quoniam labilis est memoria hominis cum homo sit fragilis et mortalis et ex corruptibili materia sit formatus, cum nil certius morte et incertius hora mortis, ideo inventum fuit sacre scripture remedium, ut ea que in presenti hominum disposicione fuerint ordinata, possint in posterum ad perpetuam rei memoriam liquido comprobari. Idcirco nos Andreas Dei gracia episcopus ecclesie Poznaniensis notum esse volumus universis presencium seriem inspecturis, quod de communi consensu fratrum nostrorum Capituli Poznaniensis villam ecclesie nostre, Zambrsko Ianussii nuncupatam, dedisse (sic) Cechonico et Sedlico fratribus, locandam pro septimo libero manso Flammingico ad tres annos libertatis, a festo beati Martini nunc venturo, iure Novi fori, et perpetuo eis eorumque posteris possidendam sub hac forma et pactione, quod quolibet anno tempore libertatis solventur episcopo nomine decime sex marce argenti usualis. Evulsa vero eadem libertate, incole ville predicte solvent de quolibet manso Flammingico singulis annis in festo beati Martini duas videlicet mensuras tritici, quinque siliginis et quinque avene, et fertonem argenti usualis, et idem census, quo mandavit episcopus, deducetur. Scoltetus vero et ipsius posteri habebunt libere thabernam, fabricare (sic), pistrinum, suthoriam et maccellum. Et in lacu libere piscabitur cum rethi quod wlok vulgariter nuncupatur; ita tamen, quod episcopo in Sambrsko suam curiam veniente, dictus scoltetus tenetur ante dominum episcopum pisces ferre et ipsum quanto magis poterit piscibus honorare. Dominus ville duos recipiet denarios, et scoltetus tercium de re qualibet iudicata. Currum eciam incole ville dabunt quocumque domino episcopo eunte, aut cum expensis vel sine expensis, prope vel remote, talem qualem ipse dominus episcopus dare mandabit. Protestamur nichilominus presentibus, quod salvum sit nobis idem ius Theutonicum Novi fori, cum ad presens ignoremus in solucionibus, exactionibus et serviciis, que racione iuris vel consuetudinis competunt vel competere poterunt in futurum, quo iure villa est locata. Ne vero super hys ab aliquibus in posterum dubitetur, presentem literam conscribi et nostro nostrique Capituli sigillorum munimine fecimus communiri. Actum et datum in Capitulo Poznaniensi in sacristia sancti Stanislai per manus Gerlibi scriptoris curie nostre anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, Indiccione undecima, presentibus dominis fratribus nostris: Iohanne preposito, magistro Gregorio decano, Henrico scolastico, Martino archidiacono, Thomka custode, Borislao archidiacono Poznaniensi,

Radonio nostro archidiacono Czirnensi, Wlostiborio preposito Gneznensi, et Nicolao decano Gneznensi, Gabriele cantore Gneznensi, Dobegnevo decano Wladislaviensi, Iacobo nostre curie cancellario, magistro Paulo, Friczkone, Iacobo, Vlostone, Adam, Predivogio, Boruthone, Nicolao, Sdislao nostre curie procuratore, Benyamin, Iascone, Andrea, et aliis quam plurimis nostri Capituli canonicis fidedignis.

Zambrsko Ianussii, *Zemsko.* Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szląsku.* Lacus *tu wzmiankowany, jest jezioro Strykowskie.* Czirnensis, *de Czersk.* Wladislaviensis, *de Włocławek.*

Nr. 790.

Wladislaus dominus regni Polonie etc. 1298 Iul. 6, in castro Stolpensi; confirmat quoddam privilegium, monasterio de Belbuk a b. m. duce Mistivoio a. 1288 concessum, et villam dicti monasterii, dictam Niverun (?), cum villa sua Flinkow commutat.

Stettin. Königl. Staats Arch. Matric. Belbucens. pag. 75. — Dreger, Mnscrpt. IV, Nr. 916.

In nomine Domini amen. Cuncta que aguntur in tempore vacillant facile, nisi scripture presidio et testium amminiculo firmiter fulciantur ad gestorum memoriam sempiternam. Nos igitur Wladislaus, Dei gracia dominus regni Polonie, dux Pomeranie, Cuyavie, Syradie et Lanzicie, coram omnibus presentibus et futuris quibus presentia scripta fuerint explicata protestamur ac publice profitemur, quod inspectis privilegiis donacionis et confirmationis, que magnificus princeps felicis memorie dominus Mystivinus quondam dux Pomeranorum, primogenitus incliti principis domini Swantopolci, contulerat ac donaverat domino abbati et fratribus claustri sancti Petri in Belboch ratione fundationis monasterii sancti Nicolai sanctimonialium in Stolp, ipsa examinatione probari fecimus diligenti; que privilegia non cancellata, non rasa, non abolita, nec in aliqua sui parte viciata invenimus sub hac forma:

Mystewinus Dei gracia dux Pomeranorum, primogenitus illustris principis pie recordacionis domini ducis Swantopolci, notum facimus *etc. usque ad finem* (sic).

Nos vero, qui de magnifici principatus providencia nostrorum predecessorum operationes laudabiles et honestas in sui iuris ordine tenemur stabiliter confovere, et maxime ea que in ipsorum nostramque consolacionem vel salutem anime deveniunt perhennalem, predictas donaciones ac ipsorum privilegia confirmatoria libertatesque in ipsis contentas, prout hec omnia, que in scriptis ipsorum consuetis sigillis appositis evidenter apparent, invenimus rite et racionabiliter esse facta, de mera ac plena nostra voluntate confirmamus animo liberali. Nichilominus hoc specialiter exprimentes, quod de consensu et bona voluntate predicti abbatis et fratrum de Belboch, nec non conventus eiusdem monasterii sanctimonialium beati Nicolai in Stolp, pro quadam ipsorum villa que superius annotatur vel in aliis privilegiis est annotata, videlicet Niverun cum clausura, quandam nostram villam, Vlincko vulgariter nuncupatam, in commutacionem dedimus ac donamus. Et ut de nostra gracia ipsis aliquid superaddere videamur, predicto conventui, in civitate Stolpensi vel si ad alium locum translata fuerit, in quocunque se crediderint emendare, emendi ac vendendi pro ipsorum

libito liberam conferimus facultatem. Ne autem huius confirmacionis vel donacionis nostre gracia per aliquem malitiose ausu temerario valeat impediri, presens scriptum, nobis mandante (sic) confectum, nostri sigilli munimine fecimus consigniri. Acta sunt hec in castro Stolpensi presentibus hiis testibus: comite Svenza palatino Gedanensi, comite Laurencio castellano Stolpensi, comite Bogusa iudice Pomeranorum, comite Moeczga (sic) subcamerario Stolpensi, comite Mathia castellano de Slavna, et aliis quam plurimis viris idoneis ac fide dignis. Datum ibidem anno Incarnacionis Domini M.CC. nonagesimo octavo, in octava apostolorum Petri et Pauli.

Belboch, *Białbuk.* Stolp, *Słupsk.* Niverun, *nie odgadnione; może miejscowość nad rz. Rega, która jako* clausura *została nadaną klasztorowi przy pierwotnéj fundacyi.* Vlincko, *Flinkow.* Moeczga, *w Nrze 715* Minzga. Slavna, *Sławno, z niem. Schlawe.*

Nr. 791.

Boleslaus dux Mazovie etc. 1298 Aug. 16—21, in Ploczk; indulget archiepiscopis Gneznensibus in castellania de Łowicz ius cudendi monetam, cum moneta Plocensi quoad valorem quidem congruentem, sed forma ab ea differentem.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 1 v. (cnfr. Nr. 565).

In nomine Domini amen. Ne decursu vel longinquitate temporum, gestorum series obscuretur, sapientum sanxit auctoritas, gesta mortalium digna memoria scripture testimonio posterorum noticie commendare. Inde est quod nos Boleslaus, Dei gracia dux Mazovie et dominus Cyrnensis, ad perpetuam rei memoriam notum facimus universis presentibus et futuris presentes litteras inspecturis, quod licet ecclesia Gneznensis castellaniam Lovicensem, sitam in dominio nostro, cum pleno iure dominii obtinere noscatur, nos tamen ad cautelam, pia progenitorum nostrorum sequentes vestigia et Gneznensem amplexantes brachiis filialibus ecclesiam, indulsimus venerabili patri et compatri nostro domino Iacobo secundo, sancte predicte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, ac eius successoribus perpetuo indulgemus, ut specialem monetam in opido suo et castellania Lovicensi predicta cudere et habere valeat, cum nostra Plocensi moneta in valore et pondere et in numero concurrentem, in forma nichilominus differentem. Datum in Ploczk infra octavas Assumpcionis Virginis gloriose, anno Domini M.CC.XC. octavo. In cuius rei testimonium, presentes fieri mandavimus et sigilli celsitudinis nostre appensione vallari presentibus hys nostris baronibus: Gedka palatino, Grothkope iudice, Iacobo alio iudice, Vito dapifero, Zemata castellano, Benico subcamerario, et aliis fide dignis.

Cyrnensis, *de Czersk.*

Nr. 792.

Wladislaus dominus regni Polonie etc. 1298 Aug. 30 — Sept. 4, in Kalis; cives de Lübeck sub suam suscipit tuitionem; ipsos et bona ipsorum, per terras sui dominii transeuntia, ab omni liberat theloneo.

Cod. diplomatic. Lubecens. Theil I, Nr. 683. (Z oryginału opatrzonego pieczęcią).

Wladislaus, Dei gracia dominus regni Polonie, Pomeranie, Cuiavie et Lanzicie, omnibus presentibus et futuris presencia audituris salutem in Domino. Noverint universi presentes inspecturi, quod honorabiles viros cives civitatis Lubeck, qui se ad partes nostrarum terrarum causa mercandi transferre decreverint, sub nostram tuicionem recipimus specialem, ipsos, sive sint equites vel pedites, et eorum bona, sive sint in curribus vel vyhiculis, per terram transeuntia, et si eciam per mare, Wiyslam, et omnes alias rypas vel fluvios navigare videantur, in civitate Gedanensy, per totam terram Pomoranie et per omnes terminos terrarum nostrarum, ab omni genere theoloneorum facimus omnimodo liberos et solutos; dantes eis securitatem et conductum merum et plenum, cum suis mercymoniis per nostrarum terrarum confinia libere transeundi, et omnia ipsorum bona libere vendendi plenam concedimus voluntatem. Omnes vero ipsos impedientes, nostram indignationem se sciant graviter incurrisse. Datum in Kalis anno Domini MCC nonagesimo octavo, infra octavas Decollacionis beati Iohannis Baptiste.

Lubeck, *Lübeck.* Civitas Gedanensis, *Gdańsk.*

Nr. 793.

Wladislaus dominus regni Polonie etc. 1298 Aug. 30 — Sept. 4, in Kalis; cives de Lübeck, cum mercimoniis dominium suum transeuntes, sub suam tuitionem suscipit et multis privilegiis munit.

Codex diplomatic. Lubecens. Theil I, Nr. 684. (Z oryginału opatrzonego dobrze zachowaną pieczęcią króla.)

In nomine Domini amen. Magne provisionis clemencia, ab altorum sedibus inclinata, errantis navicule egressum cupiens feliciter informare et mundanis periculis multiformibus occurrere, studiose ad hoc principum brachia potencialiter roboravit, ut ipsorum regimine terrarum gubernacula custodiantur et pravorum refrenetur audacia, quo mediante fideles in sue iusticie robore foveantur, et iniqui in sua iniquitate possint esse corrigibiles et depressi. Unde cum nos Wladislaus, divina providencia dominus regni Polonie, dux Pomoranie, Cuyavie, Lanzicie ac Syradie, eiusdem nomine terrarum suscepimus principatus, ipsiusque adiuvaminibus communiti, hiis, qui infra nostri dominii potestates viarum periculis et fortunis diversimodis se committunt curis, conservabiles esse debeamus et salutis portus aquarum naufragia pacientibus: omnium presencium et futurorum memorie commendamus, quod honorabiles viros cives civitatis Lubek, et omnes qui ipsorum reguntur nomine, nostre speciali

amicicie et favori unire decrevimus, ipsorum bonum nostrum bonum reputantes, et si qua ipsis adversa ingruerent, adversus ipsorum honoris et comodi inimicos, nos viriliter ipsis stare et asistere in hiis scriptis liberaliter ac fideliter promittentes. Ipsorum inimicos, emulos et detractores, pro nostris habebimus inimicis, et bona fide ipsos promovere, fovere, omni diffidencia evulsa, promittimus; et ipsorum bona, que in omnibus aquis, fluminibus et rypis in omnibus terris nostris ad nostram devecta fuerint potestatem, sub nostram tuicionem recipimus specialem. Et ut maioris amoris privilegio nostre excellencie se senciant preditatos, peticiones, ab eorum providencia nostre magnitudini directas, ratas et gratas habentes, amicabiliter et fideliter confirmamus. Volumus enim, ut ipsorum bona que sub nostram devenerunt potestatem, sive sint in mari, in Wisla, vel quibuscunque aquis, rypis vel aliis fluminibus tocius terre Pomoranie, Polonie, Cuyavie, Lanzicie ac Syradie, vel si, in curribus vel vyhiculis per predictas terras transeuncia, ad quascunque partes nostri dominii declinaverint, meram et plenam habeant libertatem; vel si forte casu fortuito in mari vel aliis quibuscunque aquis, vel per terram transeuntes in pontibus, pati naufragium videantur, bona vel mercimonia eorundem hominum post naufragia vel poncium confractionem apud ipsos permaneant, quorum ante talia pericula esse videbantur; vel si forte submersi fuerint vel aliqualiter interempti, prefata bona veris heredibus vel ipsorum dominis, omni repulso obstaculo, integraliter aplicentur. Si autem per maleficos talia bona subtracta fuerint vel vi delata, si per nostros, una cum ipsis in recuperacionem predictorum bonorum, iudicialiter, tamquam proprie res nostre essent ablate, insistere bona fide sine dolo promittimus et de talibus omnimodam iusticiam exhibere. Si autem per extranearum terrarum homines talia committerentur ad quos nostre fortitudinis brachium possemus extendere, ipsos in propria persona, rebus ac hominibus invadendo, ut talia bona restaurari valeant, volumus viriliter ac potencialiter inpedire, et de ipsis vindictam pro nostra possibilitate reportare. Volumus eciam, ut ipsorum cives, equites vel pedites, et eorum bona vel mercimonia, sive sint in curribus vel vyhyculis, in civitate Gdanensi et per totam terram Pomoranie et per omnes terminos terrarum sub nostro dominio constitutos, liberi sint ab omni genere teoloney et ab omni alia exactione vel prestacione. Damus eciam plenam auctoritatem, in civitate nostre Gedansk ipsis pallacium construendi in quo sua bona et mercimonia reponant. Et omnes suas causas iudiciarias, civiles, criminales, sive sint pecuniarie vel in perdicione persone vel cuiuslibet membri lesione, iudicio maiori vel minori habeant iudicare; et ad ipsum pallacium confugientes pro quocunque facinore vel excessu, ex ipso penitus non trahantur. Volumus eciam, ut contra invasores terre Pomoranie nobis fideliter assistant consilio vel favore. Et ut predicta omnia robur firmitátis valeant optinere, presens privilegium, de consensu universorum baronum nostrorum et nobis mandante (sic) conscriptum, fecimus communiri. Actum in civitate nostra Kalis anno Domini MCC nonagesimo octavo, datum ibidem infra octavas Decollacionis Babtiste Iohannis, per manus domini Fulkonis capellani nostri et cancellarii Syradiensis.

Lubek, *Lübeck.*

Nr. 794.

Vladislaus dux regni Polonie etc. 1298 Sept. 9, in Kalis; confirmat privilegium, quod dederat Henrico advocato de Kalisz: **Premisl secundus 1282 Iun. 11, in Kalis.**

Kalisz. Archiw. Rządowe. Inscription. castrens. Calissiens. a. 1546 Lib. 4, fol. 116.

In nomine Domini amen. Cunctorum memoria oblivione deprimitur, que litterarum vel testium munimine, meritorum premia deposcente, memoriter non fulciuntur. Eapropter nos Vladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, Pomoranie, Cuyavie, Lancicie ac Syradie, omnium presencium ac futurorum memorie perenniter commendamus, quod honorabilis vir Heynricus, noster fidelis advocatus Kalisiensis, in nostra nostrorumque baronum presencia constitutus, magnifici principis domini Premislai felicis memorie predecessoris ac sororini nostri, quondam ducis Polonie, privilegia sibi ac suis heredibus super iuribus predicte advocacie Kalisiensis confirmandis exhibuit sub hac forma: *(Sequitur diploma Nr. 511.)*

Nos vero predictis privilegiis diligenter inspectis et examinatis ac circumstanciis ipsorum circumquaque firmiter perscrutatis, ea quoque ipsa, non solum in subscripcionibus testium sed eciam in appensione sigilli, non cancellata, non rasa, non abolita, nec in aliqua sui parte viciata invenimus: sed per omnia rite et racionabiliter facta fuerunt, et omnia que ibidem cernebantur, erant mera et omnimode plenam continencia veritatem: deliberacione sufficienti prehabita maturoque baronum consilio accedente, ipsa rata et grata habentes, eidem Heynrico advocato nostro cum quibuslibet coheredibus et successoribus eius perpetuo pacifice possidenda per hec scripta perhenniter confirmamus, et confirmata nostri consueti sigilli munimine memoriter roboramus. Acta sunt hec ibidem in Kalis civitate nostra presentibus hiis testibus: comite Ubislao pincerna Kalisiensi, comite Allexio de Lekinstein castellano Rudensi, domino Petro summo notario curie nostre, et aliis quam pluribus viris et dominis ac fidedignis. Datum ibidem in crastino Nativitatis beate Marie virginis per manus Pauli scriptoris curie nostre, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo.

Lekinstein, *nie odgadnione.* Rudensis, *de Ruda.*

Nr. 795.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1298 Sept. 9, Piysdir; concedit comiti Woyslao, ut villam Wrąbczyn iure Theutonico locare valeat.

Pergam. orygin., którego pieczęć przywieszona na niciach jedwabn., czerwonych, przedstawia godło Ziemi Kujawskiéj.

Warszawa. Zbiory Rusieckich, Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Codex diplom. Poloniae I, Nr. 90.

In nomine Domini amen. Multis incomodis prudenter occurrimus, cum ea que etatis nostre tempore peraguntur, literis ac testibus perhenniter confirmamus. Ea

propter est quod nos Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, Pomoranie, Cuyavie, Lanzicie ac Syradie, omnium presencium et futurorum memorie commendamus, quod Woyslao fideli nostro famulo et sue posteritati legittime damus potestatem, villam suam, que Vronztino Polonice nominatur, iure Teuthonico collocare, absolventes predictam villam et ipsius incolas a naraz, a povos, a prevod, a podvorove, a stroza, a bove, a vacca, a porco, a perna, a poramb, a stan, a falconibus, a venatoribus, ab urna mellis provincialis, a curru feni, a capete siliginis, ab opole, a poradlne, et a castri citacione ita, quod coram nullo per ministerialem citati debeant comparere vel respondere, sed coram nobis tantum, anulo nostro vel sigillo mediante litera provocati. Volumus eciam, ut iam dictus comes Woyslaus et sui successores omnes causas, maiores, mediocres et minores, que infra limites eiusdem hereditatis Vroncino emerserint, habeat iudicare, et penas iudicatas pro se recipere integraliter et complete. In cuius rei firmitudinem evidentem, presentes conscribi fecimus, nostro sigillo perpetuo roborantes. Acta sunt hec in Piysdir presentibus hys comitibus: Roscone venatore Kalisiensi, Swanthomiro castellano de Bechovia, Swanthoslao venatore, et aliis quam plurimis fide dingnis. Datum ibidem in crastino Nativitatis beate virginis Marie per manus domini Dominici notarii curie nostre, anno Domini MCC nonagesimo octavo.

Vronztino, *Wrąbczyn.* Piysdir, *Pyzdry.* Bechovia, *Biechowo.*

Nr. 796.

Premisl dux Cuyavie 1253 (sic) s. d., Vladislavie; concedit villis a Boleslao duce monasterio de Mogilno collatis, in suo ducatu sitis, ampliores libertates.

Poznań. Königl. Staats Arch. Lib. civium a. 1756, fol. 51.

In nomine Domini amen. Nos Premisl Dei gracia dux Cuyavie universis matris Ecclesie fidelibus tam presentibus quam futuris presentem cedulam inspecturis decrevimus insinuare, quod ob remedium anime nostre et reverenciam beati Iohannis Baptiste, monasterio de Muglina Cluniacensis Ordinis, Boleslai pii ducis fundacionis, in omnibus villis eidem monasterio attinentibus libertatem quam eedem ville de concessione dicti Boleslai pii ducis habuerunt, et presertim ducatus nostri, videlicet: Radcog, Opatowice, Czechre, Dalachowo, Crytha, littera nostra et sigillo nostro confirmantes, renovare curamus et confirmamus. Ita tamen, ut kmethones earundem villarum absolverimus ab omnibus solucionibus nostris que nunc sunt et in posterum fieri poterint, eosdem ab omnibus culpis, tam penis nostris, quam palatinorum nostrorum et quorumlibet officialium liberantes. Citati eciam, non compareant coram quocunque iudice nostro, sed tantum coram abbate ipsorum, vel iudice per ipsum abbatem deputato. Absolvimus eciam eosdem kmethones dictarum villarum ab omnibus laboribus castrorum, civitatum vel villarum nostrarum, et ab angariis quibuscunque. Ut autem hec donacio et libertatio nostra ducalis robur obtineat perpetue firmitatis, presentem litteram nostram sigillo ducatus nostri duximus roborandam. Actum et datum Vladislavie anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio (sic), Indictione undecima, presentibus hiis testibus: Mathia iudice, Mauritio cancel-

lario, Michaele, Przybyslao, Miroslao dapifero et Alberto succamerario, Gregorio subpincerna, et aliis multis fidedignis.

Muglina, *Mogilno.* Radcog, *w Nrach 3 i 41* Radzencze, *osada znikła, leżała obok również zniklėj osady Lubieszewo nad rz. Noteć pom. wsiami Trląg i Strzelce.* Opatowice, *w Nrach 3 i 41* Opatowo, *osada znikła, leżała pom. wsiami Sławsk i Bożejewice p. m. Kruszwica; lub też Opatowice p. m. Radziejów.* Czechre, *Ciechrz.* Crytha, *osada znikła, leżała obok wsi Ostrów p. m. Inowrocław.* Vladislavia, *Włocławek.*

Nr. 797.

Iacobus secundus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1298 Oct. 23, in Ostrovite parvo; commutat villam mensae suae Pyszczyn et decimas eiusdem, cum villis Capituli Gneznensis, dictis Urbanowo, Brodno et Piechcin.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 29.

In nomine Domini amen. Quia decursus longinqui temporis in humanis accionibus parit oblivionis abyssum, adinvenit circumspectio sapientum, ut gesta mortalium legittima, privilegiorum testimonio posterorum noticie commendentur. Inde est quod nos Iacobus secundus, divina miseracione sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, notum esse volumus universis presencium noticiam habituris, quod nos utrumque cum nostro Gneznensi Capitulo concedentes, viciniores villas ecclesie necessariores fore ipsi Capitulo, maxime pro faciendo residenciam in eadem, villam mense nostre que Pisczyno dicitur, ante Gneznam, commutavimus cum ipso Capitulo, recipientes ab ipso pro ea has villas, videlicet Urbanowo ultra Poznaniam, Brodno sitam super lacum prope Lubyn, qui lacus eodem nomine nuncupatur, et quandam sortem que Pekczino vocatur, prope Pakosth, utrobique tempore perpetuo possidendas. Et quia predicte ville Capituli maioris videbantur fore valoris, nos in compensacionem ipsius addidimus eidem Capitulo decimam in ipsa villa Pisczino. In cuius testimonium, fieri presentes litteras et dari Capitulo mandavimus, nostro sigillo munitas. Datum in Ostrovite parvo, decimo Kalendas Novembris, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo.

Pisczyno, *Pyszczyn.* Urbanowo, *Urbanowo.* Brodno, *w Nrze 719* Bredne, *osada znikła.* Lubyn, *Lubin.* Pekczino, *Piechcin.* Pakosth, *Pakość.* Ostrovite parvum, *pewnie część wsi Ostrowite Prymasowskie.*

Nr. 798.

Bonifatius Pp. VIII 1298 Nov. 17, Reate; mandat iudicibus, ut decernant, utrum subdelegati, in controversia inter archiepiscopum Gneznensem Iacobum, et Henricum episcopum de Chełmno vertente constituti, sint admittendi, an non.

Pergam. orygin. Na sznurku konopnym przywieszona bulla: Bonifatius Pp. VIII. *Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 63.*

Bonifatius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis . . . archidiacono Wladislavie et . . . Poznaniensis ac . . . Bruspergensis prepositis ecclesiarum, salutem et

apostolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noster Iacobus archiepiscopus Gneznensis petitione monstravit, quod ipse contra venerabilem fratrem nostrum Henricum Culmensem episcopum super eo, quod idem episcopus in hiis que ad iurisdictionem metropoliticam pertinent, sibi obedire indebite denegabat, ad Vitonem prepositum et Dobegneum decanum ac Wezlaum scolasticum Wladislavienses in communi forma litteras apostolicas impetravit, inter alia continentes, quod si omnes cognitioni cause huiusmodi interesse non possent, duo ipsorum id nichilominus exequi procurarent. Cumque idem prepositus Alberto decano, dictusque scolasticus Stanislao archidiacono Crusviciensi commisissent super hoc totaliter vices suas, ydemque subdelegati, dicto decano Wladislaviensi predicte cognitioni interesse nequeunte et se super hoc legitime excusante, in causa ipsa procedere incepissent, tandem, cum ex parte prefati episcopi fuisset coram subdelegatis ipsis propositum, quod dicti prepositus et scolasticus, ex eo quod erant ipsius archiepiscopi subditi et beneficiati, sibi, ut dicebat, existebant suspecti, quodque propter hoc eis predictas vices suas nequiverant commisisse, et quod dicti subdelegati pretextu commissionis huiusmodi eorundem delegatorum, quos occasione suspicionum huiusmodi dictus episcopus' recusabat, in predicta causa procedere non poterant nec debebant. Pro parte dicti archiepiscopi fuit coram eisdem subdelegatis ex adverso responsum, quod prefati prepositus et scolasticus eisdem subdelegatis vices suas in totum commiserant, et ipsi subdelegati in predicta causa procedere inceperant, antequam contra ipsos prepositum et scolasticum huiusmodi suspicio et recusatio proponerentur, prout dictus archiepiscopus erat legitime probare paratus, propter quod dicti subdelegati recusari ex premissis causis non poterant, ac cuiusmodi facta, per dictos delegatos eis commissa, de iure minime impugnari valebant. Verum quia sepedicti subdelegati, huiusmodi recusationum causas admittendas fore seque in causa ipsa procedere non debere, per interlocutoriam pronuntiarunt, inquam prefatus archiepiscopus, sentiens ex hoc indebite se gravari, ad Sedem apostolicam appellavit, ideoque discretioni vestre de utriusque partis procuratorum assensu per apostolica scripta mandamus, quatinus apud Wladislaviam vocatis qui fuerint evocandi et auditis exinde propositis, quod iustum fuerit, appellatione postposita decernatis, facientes, quod decreveritis, auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hys exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Reate XV Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno quarto.

Wladislavia, *Włocławek*. Bruspergensis, *de Braunsberg*. Culmensis, *de Chełmno*.

Nr. 799.

Vladislaus dux regni Polonie etc. 1298 Nov. 19, in Kalis; vendit Bozidario villam suam Rajsko, iure Theutonico locandam.

Wilanów. Biblioteka. Rejestr Rewizorów do Wielkopolski, fol. 67.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum ea que nostro tempore peraguntur, testibus et literis memoriter perennamus. Inde est

chaele , Przybyslao,
rna, et aliis multis
uglina, Mogilno. R
wnież zniktéj osady
ice, w Nrach 3 i 4
e p. m. Kruszwica;
, osada znikła, lek

Iacobus secund
strovite parvo;
villis Capituli Gn
Gniezno. Arch

In nomine Do
us parit oblivi
gittima, privileg
s Iacobus secu
otum esse vol
um nostro Gn
fore ipsi Capit
que Pisczyno
ab ipso pro
lacum prop
Pekczino vo
predicte vill
addidimus
fieri pres
in Ostro
nonage

osad
vum

Nr. 801.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1298 Dec. 14—19, in Kalis; commutat oppidum suum Żerniki, villas Obiecanow et utramque villam Sękorady, cum villa comitis Nicolai palatini Pomoranie, dicta Komorowo, et alia quadam, in terra Pomoraniae sita.

T. Działyński. Lites ac res gestae I, pag. 62.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria, que non est litterarum vel testium munimine roborata. Eapropter nos Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, Pomoranie, Cuyavie, Lanzicie et Syradie, omnium presencium et futurorum memorie memoriter commendamus, quod fideli nostro comiti Nicolao Iankonis, palatino Pomoranie, quandam civitatem nostram, que in Polonico Sirdniki nominatur, cum quibusdam tribus villis adiacentibus, videlicet Obczanowo et Senkoradi utraque villa, pro commutacione cuiusdam hereditatis sue, que vulgariter Komorowo dicitur, deliberacione prehabita diligenti, provido et maturo nostrorum baronum consilio super hoc plenius accedente donavimus, et eciam pro quadam alia hereditate que est sita in terra Pomoranie, sibi et suis successoribus quibuslibet legittimis cum omnibus utilitatibus presentibus et futuris iure hereditario perpetue possidendum; transferentes in ipsum ac quoslibet suos successores merum et plenum ius dominii, quod nobis in eadem civitate ac eciam prenominatis villis, qualicunque iure vel dominii titulo competere videbatur, volentes, ut omnibus iuribus quibus in aliis suis hereditatibus perfruitur, in prefata civitate et villis, cum suis natis et nascituris liberis, nullis prepeditus obstaculis perhenniter pacifice pociatur. Absolvimus eciam prelibatam civitatem et prescriptas villas ab omnibus iuribus vel solucionibus Polonicalibus, videlicet a naraz, a povoz, a prewod, a bove, a vacca, a poramb, a sztan, ab urna mellis provincialis, a falconibus, a venatoribus et a canibus ducalibus, a poradlne, ab opole, et a castri citacione ita, quod coram nullo iudice nostro, palatino vel castelano, ordinario vel substituto, per ministeriales citati debeant comparere, sed coram nobis tantum, nostro sigillo subscripcione littere mediante legittime provocati; et indistincte ab omnibus iuribus vel solucionibus, que nunc sunt aut in futurum fuerint adinvente. Volumus eciam, quod omnia iudicia, maiora vel minora, Polonicalia vel Theutunicalia, qualiacunque fuerint, nullus, sed ipse comes Nicolaus cum sua posteritate habeat iudicare, et penas iudicatas recipere integraliter et complete. In cuius rei firmitudinem pleniorem, presentem litteram conscribi fecimus et nostri sigilli munimine communiri. Acta sunt hec in civitate nostra Kalis anno Incarnacionis Domini MCCXCVIII, presentibus hiis testibus: comite Alexio de Lekinsteyn castellano Rudensi, comite Petro Stozonis castellano de Novo Mir, domino Petro notario curie nostre, et aliis pluribus fidedignis. Datum ibidem infra octavas beate Lucie virginis per manus Pauli clerici curie nostre.

Sirdniki, *Żerniki.* Obczanowo, *Obiecanowo.* Senkoradi utraque villa, *nie odgadnione.* Komorowo, *Komorowo.* Lekinsteyn, *nie odgadnione.* Rudensis, *de Ruda.* Novum Mir, *w Lites mylnie* Novoum, *miejscowość nie odgadniona; cnfr. Nr. 760.*

[illegible]

Panthnow, coram nobis, apud Gnezdnam in provinciali synodo constitutis, est publice protestatus, quod quandam hereditatem suam que dicitur Pcelino, sitam prope Turek, commutavit cum domino archiepiscopo, recipiens pro ipsa ab eo aliam hereditatem archiepiscopalem que Brzedno vulgariter nuncupatur, prope Lubin iacentem. In cuius protestacionis dicti militis testimonium, presenti carte nostra sigilla duximus appendenda. Datum in provinciali synodo apud Gnezdnam, anno Domini M.CC.XC octavo.

Wladislaviensis, *de Włocławek*. Panthnow, *Pątnów*. Pcelino, *osada znikła*. Turek, *Turek*. Brzedno, *osada znikła, leżała nad jeziorem Cichowskiem; cnfr. Nr. 719*. Lubin, *Lubin*.

Nr. 804.

Vladislaus dux regni Polonie etc. 1299 Ian. 7—12, in Poznan; confirmat donationem villae Stępowo, domui sanctimonialium Ordinis beati Dominici Poznaniae a comite Vincentio, filio quondam comitis Dirsicragii, factam, et incolis eiusdem amplissima privilegia concedit.

Poznań. Königl. Staats Arch. Relation. Poznaniens. a. 1619, fol. 1624.

In nomine Domini amen. Cunctorum memoria oblivione deprimitur, que litterarum vel testium munimine non firmantur. Eapropter est quod nos Vladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, Pomeranie, Cuyavie, Lancicie ac Syradie, ad universorum tam presencium quam futurorum perpetuam noticiam volumus devenire, quod comes Vincencius, filius quondam comitis Dirsicragii, in nostra nostrorumque baronum presencia constitutus in bona valetudine mentis et corporis confessus est, se quandam villam suam que Polonice Stempowo dicitur, que coniugi sue erat dotis nomine condonata, de voluntate et assensu eiusdem coniugis sue religiose domui sanctimonialium beati Dominici Ordinis Predicatorum in civitate Poznan spontanee et voluntarie libere condonasse in remedium anime sue ac eciam suorum predecessorum, et eciam amore illius, quod filiam suam ad eandem domum, ut ibidem Deo deserviat, ad laudem et honorem Crucifixi nominis copulavit, suprascriptamque hereditatem, multis presentibus, predicte domui et sanctimonialibus in ea commorantibus pereniter possidendam omnimode resignavit; petens iam factam donacionem predictis sororibus hereditario nomine, cum omni eius usu, onore vel honore, perpetue confirmari et nostro assensu adhibito roborari. Nos vero donacionem tam salutiferam factam, quia cultum superni Numinis promovere tenemur et ipsius claustri condicionem pro omni nostro posse facere meliorem, quia racionabilis est, presenti privilegio confirmamus, et ut nostre salutis future et frequenciores ac fideliores esse valeant predicte sorores continue exactrices, prefatam hereditatem ab omnibus solucionibus et exaccionibus Polonicalibus liberantes eximimus, videlicet a naraz, a stroza, a podworowe, a prewod, a powoz, a citacione castri, ab opole, a poradlne, et ab omnibus aliis gravaminibus seu exaccionibus, que Polonico more vel iure sunt institute, dantes eidem ville et eius inhabitatoribus omnimodam libertatem. Concedimus eciam, ut ipsam iure Theutonico vel alio, quocunque ipsis utilius et conveniencius videbitur expedire, valeant collocare. Incole vero supernominate ville citacioni nullius iudicis, sed eius, qui nomine prefate domus iam dicte sanctimonialium fuerit constitutus, tenebuntur astare. Pene vero, tam pro excessibus homicidiorum vel aliorum criminum, maiorum

Nr. 794.

Vladislaus dux regni Polonie etc. 1298 Sept. 9, in Kalis; confirmat privilegium, quod dederat Henrico advocato de Kalisz: **Premisl secundus 1282 Iun. 11, in Kalis.**

Kalisz. Archiw. Rządowe. Inscription. castrens. Calissiens. a. 1546 Lib. 4, fol. 116.

In nomine Domini amen. Cunctorum memoria oblivione deprimitur, que litterarum vel testium munimine, meritorum premia deposcente, memoriter non fulciuntur. Eapropter nos Vladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, Pomoranie, Cuyavie, Lancicie ac Syradie, omnium presencium ac futurorum memorie perenniter commendamus, quod honorabilis vir Heynricus, noster fidelis advocatus Kalisiensis, in nostra nostrorumque baronum presencia constitutus, magnifici principis domini Premislai felicis memorie predecessoris ac sororini nostri, quondam ducis Polonie, privilegia sibi ac suis heredibus super iuribus predicte advocacie Kalisiensis confirmandis exhibuit sub hac forma: *(Sequitur diploma Nr. 511.)*

Nos vero predictis privilegiis diligenter inspectis et examinatis ac circumstanciis ipsorum circumquaque firmiter perscrutatis, ea quoque ipsa, non solum in subscripcionibus testium sed eciam in appensione sigilli, non cancellata, non rasa, non abolita, nec in aliqua sui parte viciata invenimus: sed per omnia rite et racionabiliter facta fuerunt, et omnia que ibidem cernebantur, erant mera et omnimode plenam continencia veritatem: deliberacione sufficienti prehabita maturoque baronum consilio accedente, ipsa rata et grata habentes, eidem Heynrico advocato nostro cum quibuslibet coheredibus et successoribus eius perpetuo pacifice possidenda per hec scripta perhenniter confirmamus, et confirmata nostri consueti sigilli munimine memoriter roboramus. Acta sunt hec ibidem in Kalis civitate nostra presentibus hiis testibus: comite Ubislao pincerna Kalisiensi, comite Allexio de Lekinstein castellano Rudensi, domino Petro summo notario curie nostre, et aliis quam pluribus viris et dominis ac fidedignis. Datum ibidem in crastino Nativitatis beate Marie virginis per manus Pauli scriptoris curie nostre, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo.

Lekinstein, *nie odgadnione.* Rudensis, *de Ruda.*

Nr. 795.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1298 Sept. 9, Piysdir; concedit comiti Woyslao, ut villam Wrąbczyn iure Theutonico locare valeat.

Pergam. orygin., którego pieczęć przywieszona na niciach jedwabn., czerwonych, przedstawia godło Ziemi Kujawskiéj.

Warszawa. Zbiory Rusieckich, Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Codex diplom. Poloniae I, Nr. 90.

In nomine Domini amen. Multis incomodis prudenter occurrimus, cum ea que etatis nostre tempore peraguntur, literis ac testibus perhenniter confirmamus. Ea

et Zaddovo, eciam cum decimis ipsarum et decimis de Ianyssew Slavante, Bruzew et Colnicya, que eciam hactenus ad ecclesiam prefatam de Dobrow spectabant, prefati archiepiscopus et Capitulum predicto militi Slavante propter Deum et bonum pacis et commodum fratrum cesserunt, ita, quod idem Slavanta ab inpeticione quorumlibet, super omnibus aliis que sibi retinent, faceret ipsos quietos, aut redderet predicta. Predicti vero abbas et conventus Byssevyensis in compensacionem dederunt quandam hereditatem, que Pecevo vulgariter nuncupatur, prefato domino archiepiscopo et ecclesie sue pro Dobrow et Zaddovo supradictis et pertinenciis eorundem ac ecclesie, prout superius est expressum, omnibus aliis pertinenciis de Dobrow, tam in proprietatibus quam in decimis, cum prefata hereditate Pecevo remanentibus ecclesie Gneznensi, perpetuo duraturis. Nos igitur hanc ordinacionem gratam et ratam habentes, quantum nos nomine proprietatis contingit, iure perpetuo confirmamus. Ut autem hec ordinacio perpetue robur obtineat firmitatis, presentem paginam nostri duximus sigilli munimine roborandam. Actum et datum in Gnezna presentibus hys comitibus: Nicolao palatino Pomoranyensi, Bervoldo castellano Kalissiensi, Ada castellano de Svecew, Sandyvoyo subcamerario Kalissiensi, Petro notario et aliis quam plurimis fide dignis, per manum domini cancellarii Pacoslai et archidiaconi Cracovyensis, anno Domini M.CC.XC nono, in die beati Marcelli.

Byssevyensis, *de Byszewo.* Dobrow super flum. Warta, *Dobrow.* Zaddovo, *Szadów.* Ianyssew Slavante, *Janiszew.* Bruzew, *Brudzewo.* Colnicya, *Kolnica.* Pecevo, *Pieczewo.* Svecew, *Świecie.*

Nr. 806.

Wladizlaus dux regni Polonie etc. 1299 Febr. 24, in Vartha; confirmat commutationem sortis hereditatis ecclesiae Gneznensis, dictae Białków, cum sorte hereditatis militis Stognew, nomine Radyczyn.

Dwa pergam. orygin. równobrzmiące. Na sznurku jedwabn., zielon. wisi u każdego ułamek pieczęci bez wycisku.

Poznań. Archiv. Capituli I, 4. — Gniezno, Archiv. Capituli Metropol. Nr. 66.

In nomine Domini amen. Sapientum decrevit auctoritas, ut litterarum notitia actus hominum legitimi confirmentur. Hinc est igitur quod nos Wladizlaus, Dei gratia dux regni Polonie, Pomoranie, Cuyavie, Lanchicie et Syradie, tenore presentium notum esse volumus universis presentibus et posteris ad quos pervenerit scriptum presens, quod ordinationem venerabilis ac dilecti patris nostri domini Ia. secundi, Dei gratia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopi, quam fecit cum fideli nostro milite Stogneo, dando sibi sortem ecclesie sue Gneznensis permixtam hereditati dicti militis in Balocicz, pro sorte eiusdem militis Stogney permixta similiter hereditati dicti domini archiepiscopi in Radnycicz, cum via que debet ducere ad proximam hereditatem sepedicti domini archiepiscopi, eodem nomine, Balocicz videlicet nuncupatam, ratam et gratam habentes, predictam sortem in Radnycicz prefato patri nostro domino archiepiscopo et ecclesie sue Gneznensi, presentibus cum omni libertate qua gaudent omnes alie hereditates ecclesie Gneznensis duximus confirmandam. Et quia sigillum adhuc regni Polonie non habemus, presens privilegium nostri sigilli quo

utimur sibi dari fecimus in dictorum omnium testimonium munimine roboratum. Datum in Vartha anno Domini M.CC.XC nono, VI Kal. Martii, Indictione III, presentibus viris providis: comitibus Zavissa palatino Syradiensi, Lexitone castellano Velunensi, Ubizlao pincerna nostro Kalisiensi, Iascone advocato nostro Velunensi, et multis aliis fide dignis, per manus Dominici scriptoris nostri.

Balocicz, *Białków*. Radnycicz, *dziś Radyczyn*. Vartha, *Warta*. Velunensis, *de Wieluń*.

Nr. 807.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1299 Mart. 19, in Strelna; ratam habet resignationem hereditatis Słupia, quam comes Albertus Gąska comiti Nicolao Iankowicz palatino Kalisiensi vendidit, eandemque hereditatem amplis privilegiis munit.

T. Działyński. Lites ac res gestae, I, pag. 63.

In nomine Domini amen. Cunctorum memoria oblivione deprimitur, que litterarum vel testium munimine non fulcitur. Inde est quod nos Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, Pomoranie, Cuyavie, Lanzicie et Syradie, ad universorum tam presencium quam futurorum noticiam volumus tenore presencium devenire, quod fidelis noster comes Albertus dictus Ganska in nostra nostrorumque presencia constitutus confessus est, se quandam hereditatem suam que Slup dicitur, sitam super aquam Luthynam, de assensu filiorum suorum comiti Nicolao Iancovicz palatino Calisiensi vendidisse, ipsamque coram nobis multis presentibus libere ac spontanee resignavit, sibi et suis successoribus iure hereditario perpetue possidendam; transferens in ipsum et quoslibet suos successores omne ius et utilitates, que sibi in eadem hereditate infra gades et limites antiquitus limitatas competere videbantur. Nos vero predictam vendicionem ratam et gratam habentes, confirmamus; intuentesque fidelia et grata servicia nobis a comite Nicolao exhibita, prenominatam hereditatem perpetuo absolvimus ab omni naraz, a povoz, a prewod, a podvorove, a stroza, a bove, a vacca, a porco, a perna, a stan, a poradilne (sic), ab opole, et ab omnibus solutionibus qualicunque nomine novo vel antiquo nominentur, que ad nos spectare videntur; et ab omnium palatinorum, castellanorum et supanariorum vel eorum iudicum vel officialium iurisdictione ita, quod incole prefate hereditatis, coram nullo istorum, citati per ministeriales comparere vel respondere teneantur, sed coram nobis tantum, nostra littera sub sigillo legittime provocati. Iudicia vero maiora et minora, et omnia alia que se ad penas manus vel capitis habent extendere, sepedictus comes Nicolaus et sua posteritas in eadem hereditate habeat iudicare sine nostro assessore, et penas pro se recipere in totum. Admittimus eciam, ut ipsam iure Teutunico collocet et informet, secundum quod sibi vel suis videbitur utilius expedire. Et hec omnia et singula, cum suis liberis natis ac nascituris vel quibuslibet legittimis successoribus iure hereditario perpetue libere possidebit. In cuius rei evidenciam, presens privilegium, nobis mandantibus conscriptum, nostro sigillo fecimus sigillari. Acta sunt hec in civitate et claustro de Strelna presentibus hys comitibus: Mathia iudice Cuyavie, Alexio de Lekinsteyn capitaneo Calisiensi, Woneslao subcamerario Cuyavie, et aliis

quam plurimis fidedignis. Datum ibidem feria quinta proxima ante dominicam Oculi per manus Pauli clerici curie nostre, sub anno geniture Domini MCCXCIX.

Slup, *Słupia.* Aqua Luthyna, *rz. Lutynia, lewy przypływ rz. Warta.* Strelna, *Strzelno.* Lekinsteyn, *nie odgadnione.*

Nr. 808.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1299 Mart. 27, in Obornik; dat Iohanni filio quondam Dirsislai villam Ostrowkowite, iure patrimoniali possidendam.

Pergam. orygin., w którego dolnym, założonym brzegu pasmo nici jedwabn., zielon. przewleczone przez dwa wcięcia poprzeczne. Pieczęci nie masz.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 67.

In nomine Domini amen. Cunctorum memoria oblivione deprimitur, que literarum vel testium munimine non firmatur. Inde est quod nos Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, Pomoranie, Cuyavie, Lanzicie ac Syradie, ad universorum tam presencium quam futurorum perpetuam noticiam tenore presentium volumus devenire, quod inspectis gratuitis ac fidelibus serviciis, que nobis noster fidelis Iohannes filius quondam Dirsyslay exhibuit et adhuc concedente Domino exhibere est paratus, sibi quandam villam nostram, que Polonico nomine Ostrowkovite nominatur, iure hereditario cum suis liberis natis ac nascituris seu quibuslibet legittimis successoribus, qualicunque iusto titulo ad ipsos videbitur pervenire, perpetuo possidendam, diligenti deliberacione prehabita et super hoc baronum nostrorum consilio accedente, cum omnibus utilitatibus que infra metas vel limites eiusdem ville antiquitus limitatas in presenti et in futuro poterunt inveniri, de bona nostra voluntate dedimus et donavimus animo liberali; dantes ipsi omnem auctoritatem donandi, vendendi, commutandi villam prelibatam, et omnia de ipsa faciendi legittime, tanquam ipsi ex successione paterna racionabiliter successisset. Et ut predicta, firma et stabilia valeant permanere, presens privilegium, nobis mandante (sic) conscriptum, nostro sigillo fecimus sigillari. Acta sunt hec in Obornik presentibus hiis comitibus: Kelzone castellano Gnezdnensi, Ubezlao pincerna Kalisiensi, Vlostone castellano de Dirzcen, et aliis quam pluribus fidedignis. Datum ibidem feria sexta proxima ante dominicam Letare, per manus Pauli clerici curie nostre, sub anno gracie Domini M.CC. nonagesimo nono.

Ostrowkovite, *pewnie Ostrowki p. m. Budzyń.* Obornik, *Oborniki.* Dirzcen, *Drzeń, dziś Drezdenko.*

Nr. 809.

Iacobus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1299 Mai. 1, in Gnezna; villam Wilczków Iohanni episcopo et Capitulo Cracoviensi restituit.

Piekosiński. Kodeks Katedry Krakowskiéj. (Z pergaminu orygin., u którego wiszą 2 paski pergam.; pieczęci braknie).

Ia. miseracione divina sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, venerabili in Christo fratri domino Io., Dei gratia episcopo Cracoviensi totique Capitulo ipsius, salutem et fraternam in Domino karitatem. Quia nobis per fidedignas personas, tam ecclesiasticas quam eciam seculares, est sufficienter probatum, quod villa Wilczcovicz wlgariter nuncupata, sita prope Unieyow, ecclesie Cracoviensis extitit ab antiquo, nos aliena nobis vendicare minime cupientes, eandem villam Vilccovicz vobis et ecclesie vestre predicte Cracoviensi de consensu nostri Capituli integre restituimus per presentes. In cuius rei testimonium, presentes vobis dari fecimus, sigillis, nostro et dicti nostri Capituli roboratas. Datum in Gnezna anno Domini M.CC.XC nono, Kalendis Maii.

Wilczcovicz, *Wilczków.* Unieyow, *Uniejów.*

Nr. 810.

Vladislaus dux regni Polonie etc. 1299 Mai. 29—Iun. 3, in Radewo; dat Petro de Dusden civitatem Nakło, iure Magdeburgensi ad locandum.

Poznań. Königl. Staats Arch. Relation. Naklens. a. 1736, fol. 317. — Raczyński. Cod. diplomatic. Maior. Polon. Nr. 81.

In nomine Domini amen. Cuncta que aguntur in tempore vaccillant facile, nisi scripture presidio et testium amminiculo firmiter fulciantur ad gestorum memoriam perhennalem. Inde nos quoque Vladislaus, Dei gratia dux regni Polonie, Pomeranie, Cuiavie, Lancicie et Siradie, ad universorum tam presentium quam futurorum notitiam tenore presentium volumus devenire, quod fideli nostro Petro de Dusden locationem civitatis nostre in Nakel de bona nostra voluntate dedimus et contulimus, et centum mansos predicte civitati adiacentes, secundum formam Magdeburgensis iuris collocandam. Qui ratione locationis et scultetie, omnia maccella carnium, panis et sutorum stubasque balneares, quantocunque numero ista locare poterit, aquam Notes fluentem sub civitate, in descensum eundo dicte aque ad dimidium miliare et sursum aquam dimidium, cum omnibus utilitatibus presentibus et futuris, tertium denarium de iudiciis provenientem, septimum mansum liberum, tertium ortum de omnibus ortis quos ante prefatam civitatem locare poterit; dimidium vero miliare per mericam et borram, eundo versus Gnesdnam, et ibi civitatenses ligna et alia necessaria ipsis recipiant, sibi contulimus. Et hec omnia cum suis liberis natis et nascituris, vel quibusvis legitimis successoribus, perpetuo hereditario nomine libere possidebit. Molendinum vero quod adiacet castro, et clausuras piscium sub castro, pro nobis ad

nostrum dominium cum duobus macellis carnium reservamus, que ad nostram mensam volumus pertinere. Damus etiam omnibus inhabitatoribus, ad civitatem et etiam villam quam ibi predictus scultetus noster locabit venientibus, quatuordecim annorum plenam ab omnibus solutionibus libertatem, quibus expiratis, cives civitatis nostre non ad aliud nobis deservire tenebuntur, nisi ad quod tenentur alie civitates, in nostro dominio Magdeburgensi iure locate. Incole vero ville, de quolibet manso quatuor mensuras tritici, quatuor siliginis, quatuor avene et tres scottos usuales argenti solvere annis singulis tenebuntur. Volumus etiam, ut omnibus iuribus et legibus, quibus alie civitates nostre, Magdeburgensi iure locate, tam in iudiciis et etiam aliis potiuntur, incole ad prenominatam civitatem venientes perpetuo perfruantur. Advocatus vero nostra omnia iudicia, que se ad penam manus vel capitis habent extendere et omnia alia maiora et minora, secundum consuetudinem Magdeburgensem habeat iudicare, omni impedimento penitus retromoto. Ut autem hec omnia firma et stabilia perpetuo valeant permanere, et ut idem advocatus noster liberum arbitrium vendendi, commutandi, vel alia cum sua advocatia faciendi, pro sua voluntate possit habere, presens privilegium sibi dedimus, nostro sigillo sigillatum. Acta sunt hec in civitate nostra Radewo presentibus his comitibus: Bronissio palatino, Mathia iudice, Woyslao subcamerario, Andrea wladario Cuiaviensibus, et aliis quam pluribus fide dignis. Datum ibidem infra octavas Ascensionis Domini, per manus Pauli cancellarii curie nostre, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono.

Nakel, *Nakło.* Aqua Notes, *rz. Noteć.* Radewo, *Radziejów.*

Nr. 811.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1299 Iun. 15, in Kalis; ratam habet commutationem hereditatis ecclesiae Gneznensis, dictae Grojec, quam Iacobus archiepiscopus comiti Stogneo pro hereditate Grębień dederat.

Pergam. orygin. Na sznurku jedwabn., czerwon. przywieszona pieczęć mała, okrągła, przedstawia godło Ziemi Kujawskiéj. Napis: S. Wladislai. Dei. Gra. Ducis. Cuiavie. et Sira . . .

Poznań. Königl. Staats Arch. Pers. u. Orte Nr. 3a.

In nomine Domini amen. In caducis mortalium actionibus, instrumentorum fides excludit materiam iurgiorum. Nos Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, Pomoranie, Cuyavie, Lanciciensis et Syradie, ad perpetuam rei memoriam tenore presencium notum facimus universis ad quoscumque presens scriptum pervenerit, quod commutacionem venerabilis patris nostri domini Ia. Dei gracia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopi, quam fecit cum fideli nostro barone Stogneo dando sibi hereditatem ecclesie sue, Grodecz vulgariter nuncupatam, sitam in terra Syradiensi, pro hereditate dicta Gramben, sita in terra Rudensi, quam habebat per medium cum prefato patre nostro, dictam commutationem gratam et ratam habentes, perpetuo et inviolabiliter confirmamus, colonis vero eiusdem ville Gramben ius et libertatem, quibus alie ecclesie Gneznensis ville omnes gaudent, presentibus concedentes. Et quia nondum sigillum regni Polonie habemus, presens instrumentum sigillo aliorum ducatuum nostrorum, quo adhuc utimur, in dictorum omnium testimonium sepe dicto

patri nostro domino archiepiscopo et ecclesie sue Gneznensi dari mandavimus communitum. Datum in Kalis anno Domini M.CC.XC.IX, in die beati Viti, presentibus hiis testibus: domino Savissio palatino Syradiensi, comite Bervoldo castellano Kalissiensi, comite Roskone venatore, comite Ubislao pincerna, comite Syczscone subcamerario Kalisiensi, per manus domini Andree archidiaconi Pomoranie.

Grodecz, *Grojec.* Gramben, *Grębień.* Rudensis, *de Ruda.*

Nr. 812.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1299 Iun. 24, in Gnezdna; dat comiti Nicolao Iankowicz, palatino Kalisiensi, omnia iudicia et triginta urnas mellis in castellania de Raciążek, castellaniam de Szczytno cum suo ibidem dominio, et insuper palaciam in terra Zaborensi.

T. Działyński. Lites ac res gestae, I, pag. 60.

In nomine Domini amen. Cunctorum memoria oblivione deprimitur, que litterarum vel testium munimine non firmatur. Inde est quod nos Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, Pomoranie, Cuyavie, Lanzicie ac Syradie, ad universorum tam presencium quam futurorum noticiam tenore presencium voluimus devenire, quod respicientes grata et fidelia servicia, que nobis noster fidelis et dilectus comes Nicolaus Iankovicz, palatinus Calisiensis, exhibuit omni diligencia cum effectu, volentes ipsum racione sue fidelitatis a nobis retribucionem recipere, omnia iudicia que in districtu vel castellania de Racenze ad nostrum dominium spectare videntur, et triginta urnas mellis in mellificiis nostris in eodem districtu, castellaniam vero in Scicen cum dominio quod ad nos spectat, et palaciam (sic) in terra Zaborensi, sana deliberacione prehabita, maturo consilio desuper accedente, damus et confirmamus hereditarie hec omnia possidenda; salvo tamen iure aliorum supanariorum nostrorum, qui in prenominatis castellaniis aliquas habent supas vel officia, quibus per hoc, racione huiusmodi donacionis, in proventibus suorum officiorum nolumus aliquid preiudicium generari. Et ut predicta omnia, firma et stabilia valeant permanere, presens privilegium sibi dedimus, nostro sigillo sigillatum. Acta sunt hec in civitate Gnezdnensi presentibus hys testibus: comite Alexio de Lekinsteyn castellano Rudensi, domino Andrea Kopidlovicz archidiacono Stolpensi, et aliis quam pluribus viris ydoneis ac fidedignis. Datum ibidem in Gnezdna in die beati Iohannis Baptiste per manus Pauli clerici curie nostre, sub anno Geniture Domini MCCXCIX.

Racenze, *Raciążek.* Scicen, *Szczytno, z niemiecka Ziethen.* Terra Zaborensis, *zapewne okolica m. Trzemeszno; cnfr. Nra. 11 i 15.* Lekinsteyn, *nie odgadnione.* Rudensis, *de Ruda.* Stolpensis, *de Słupsk, z niem. Stolpe.*

Nr. 813.

Hubislaus (de Radostow) 1299 Iul. 7, s. l.; Michaeli scoltetiam in villa Radostowo confert, ut eam iure Theutonico locet.

Poznań. Königl. Staats Arch. Ołobok, Acta non foliata.

Notum sit universis presentem paginam inspecturis, quod ego Hubislaus (contuli) dé iure hereditario Michaeli et liberis suis propter suum fidele servicium sculteciam in Radostow libere possidendam, ut dictam villam iure Theutonico locet, quod ius noscitur in Sroda observari. Insuper addens sibi septimum mansum de tota villa, que villa habet quadraginta mansos; tabernam quoque et terciam partem de prato, et lanificum, carnificis et locum sutoris, et locum pistoris; que omnia libere absque censu ipse et liberi sui debeant possidere. Libertatem autem coloni dicte ville habeant duodecem annis; expleto vero duodecimo anno, teneatur quilibet colonus dare censum, videlicet sex mensuras siliginis, duas mensuras tritici, quatuor mensuras avene, et fertonem denariorum. In cuius rei testimonium, duxi presentibus sigillum meum apponendum. Datum anno Domini M.CC. nonagesimo nono, in die sancti Thome martyris.

Radostow, *Radostowo.* Sroda, *dziś z niemiecka Neumarkt.*

Nr. 814.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1299 Iul. 18—23, apud Lancyciam; confirmat commutationem hereditatis ecclesiae Gneznensis, nomine Ostrów, cum hereditate Petri filii Sulkonis, dicta Ocinek.

Pergam. orygin. Na sznurze jedwabn., czerwon. przywieszona pieczęć przedstawia godło Ziemi Kujawskiéj.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 68.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripture presidio vel testium aminiculo fuerit insignita. Nos igitur Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie et dominus Pomoranie, Cuyavie, Lancycie ac Syradie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod consedentibus nobis cũm venerabili patre domino Iacobo, archiepiscopo Gnezdnensis ecclesie, in domo fratrum Predicatorum in Lancycia tercia die post diem beati Alexy, idem dominus archiepiscopus publice protestatus est, se commutacionem fecisse super hereditatibus infra scriptis cum Petro filiastro suo, filio Sulkonis, ita videlicet, quod prefatus dominus archiepiscopus de consensu sui Gnezdnensis Capituli dedit perpetuo eidem Petro filiastro suo hereditatem dictam Ostrow, sitam in Cuyavia, que alio nomine Popow appellatur, quam hereditatem Ostrow a Capitulo suo per aliam quandam commutacionem se obtinuisse predictus archiepiscopus asserebat, et recepit perpetuo a filiastro suo prefato pro mensa sua archiepiscopali aliam hereditatem, partem scilicet Ossek, quam

ipse Petrus emerat ab Albriko filio Chebde de Cobericzko, prope Syradiam, de nostro beneplacito et consensu. Nos itaque hanc commutacionem ratam et gratam habentes, perpetuo et perpetualiter presenti privylegio confirmamus nostri consueti sigilli, quia nondum habebamus sigillum cum tytulo omnium predictarum terrarum nostrarum, presentibus hys testibus: comitibus Bronisio palatino Cuyaviensi, Swantopelkone palatino Lanciciensi, domino Fulcone Syradiensi (sic), Alberto dicto Ganska, Iohanne castellano et Urbano pyncerna Lancyciensibus. Actum anno Domini M.CC. nonagesimo nono, datum apud Lancyciam infra octavas beati Allexy.

Ostrow al. Popow, *Ostrów.* Ossek, *dziś Ocinek.* Cobericzko, *Kobierzycko.*

Nr. 815.

Wladizlaus dux regni Polonie etc. 1299 Iul. 19, in Lanchicia; protestatur, comitem Petrum, filium Sulkonis, assignasse hereditatem Ostrow, tanquam dotem suae sororis, comiti Iohanni, filio Mathiae iudicis Cuiaviae.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn., czerwon. przywieszone ułamki pieczęci bez wycisku.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 69.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que aguntur in tempore, simul labuntur cum tempore nisi fide scripture posteris innotescant, inde est quod nos dominus Wladizlaus, Dei gracia dux regni Polonie, princeps Pomoranie, Cuiavie, Lancicie ac Syradie, ad perpetuam rei memoriam notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod comes Petrus filius Sulconis, filiaster domini Iacobi archiepiscopi Gnezdnensis, constitutus in nostra presencia, assignavit et contulit in dotem sue sororis comiti Iohanni filio Mathie iudicis Cuiavie, sororio suo, hereditatem Ostrow sitam in Cuiavia, que alio nomine Popowo vulgariter nuncupatur, perpetuo possidendam cum lacu et omnibus utilitatibus, que sunt in eadem et esse poterunt in futurum. In cuius rei testimonium, presens nostre confirmacionis privilegium dari mandavimus Iohanni predicto, nostri consueti sigilli, quia nondum habebamus sigillum cum tytulis omnium pariter nostrarum predictarum terrarum, munimine confirmamus. Actum in Lanchicia in domo fratrum Predicatorum tercio die beati Allexi, anno Domini M.CC. nonagesimo nono, presentibus hys testibus: comite Bronyssio palatino Cuiaviensi, comite Swenthopelko palatino Lanchiciensi, domino Phulkone cancellario Syradiensi, comite Alberto Gansca, Iohanne castellano, Urbano pincerna Lanciciensibus.

Ostrow Popowo, *dziś Ostrów.*

Nr. 816.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1299 Iul. 27, in Bresce; scribit civitati Lübeck, se omnia sua promissa adimplere velle, in prioribus vero litteris suis, se non auxilium in personis praedictorum civium, sed tantum in pecuniis, secundum bonam voluntatem ipsorum petivisse.

Cod. diplomatic. Lubecens. Theil I, Nr. 702. (*Z oryginału, którego pieczęć znikła.*)

Wladislaus Dei gracia dux regni Polonie, Pomoranie, Cuyavie, Lanzicie ac Syradie, honorabilibus viris et discretis, amicis suis specialibus, consulibus nec non universitati civium in Lubeke favorem suum cum omnis amicicie puritate. Honorabilitati vestre grates multiformiter impertimus pro eo, quod nos vestro nuncio fideli et consweto, magistro Bernhardo, et vestris muneribus et presentis decrevistis amicabiliter visitare. Nos eciam ipsum amicabiliter recepimus et suas legaciones diligenter audivimus, et quemadmodum primitus fecimus, ita et nunc omnia, que discernere poteramus vestre honorabilitati esse placibilia, fideliter curavimus effectum mancipare; nam omnia vobis a nobis promissa rata et grata habentes, volumus omni posse fideliter adimplere. De tenore autem littere vobis ultimo misse, vester animus commoveri non debet: quia sicut intelleximus, quod littera habeat, quod a vobis auxilium in propriis personis peteremus, nunquam scribi fecimus, nec nostre voluntatis talia fuerunt. Sed quidem verum est, quod vobis peticionem tanquam specialibus amicis direximus pro concedenda quadam summa pecunie, quod in vestra voluntate est, utrum in eo nobis complacere velitis, et quod, si non feceritis, nichilominus nostra premissa rata habebimus, et vos tanquam nostros amicos specialissimos diligemus. Datum in Bresce feria secunda proxima post diem beati Iacobi apostoli.

Lubeke, *Lübeck*. Bresce, *Brześć Kujawski*.

Nr. 817.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1299 Iul. 27, in Bresce; mandat universitati dignitariorum, magistratuum et quorumlibet officialium, ne a civibus de Lübeck, dominium suum cum mercimoniis transeuntibus, aliquod theloneum exigant, et ut naufragium passis, naves et bona restituant.

Cod. diplomatic. Lubecens. Theil I, Nr. 703. (*Z oryginału opatrzonego pieczęcią*).

Wladislaus Dei gratia dux regni Polonie, Pomoranie, Cuyavie, Lanzitie ac Syradie, universis sibi fidelibus et dilectis comitibus palatinis, castellanis, capitaneis, militibus, vasallis, scoltetis, advocatis, theloneatoribus aliisque procuratoribus, supanariis, nec non officialibus tocius regni Polonie, Pomoranie, Cuyavie, Lanzicie ac Syradie, gratiam suam cum speciali favore. Rogamus, volumus et firmiter sub optentu gratie nostre precipiendo mandamus, quatinus honorabiles viros cives Lubicenses, quos in nostram tuitionem recepimus specialem, sive sint equites vel pedites, in navibus, curribus vel vyeculis omnes terras nostras et dominia nostra transeuntes, ab omni genere theoloneorum et quarumlibet exactionum liberos et quittos faciatis trans-

ire, inpedimento quolibet pretermisso. Naves vero eorundem civium naufragia pacientes ipsis restitui volumus, et bona que in navibus fuerint, dominis quorum talia bona ante passa naufragia fuerunt, vel eorum veris heredibus, volumus aplicari. Scientes, quod omnes qui predictum mandatum nostrum contempserint adimplere, nostram indignacionem incurrent, et ipsos pro nostra possibilitate in rebus et personis graviter puniemus. Datum in Bresce feria secunda proxima post diem beati Iacobi apostoli, sub anno gratie Domini MCC nonagesimo nono.

Lubicensis, *de Lübeck.* Bresce, *Brześć Kujawski.*

Nr. 818.

Wladizlaus dux Maioris Polonie etc. 1299 Aug. 23, apud Clankam; iurat, se terras Maioris Poloniae, de Poznań, Pomorze, Łęczyca, Kujawy et de Sieradz, Wenceslao regi Bohemiae tempore praefixo traditurum, et ab eodem rege in feudum recepturum.

Fiedler. Böhmens Herrschaft in Polen. (*Emler*, *Regesta Bohemiae*, *Nr. 1843*).

Nos Wladizlaus Dei gracia dux Maioris Polonie, Poznanie, Pomoranie, Lancicie, Cuyavie et Syradie, ad universorum noticiam tenore presencium cupimus pervenire, quod nos grata, libera ac spontanea voluntate nostra, sine fraude et dolo ac omni malo ingenio, tactis sacrosanctis Evangeliis iurando corporaliter promittimus fide bona, quod Pragam ad magnificum principem dominum Wenceslaum regem Boemie, ducem Cracovie et Sandomirie marchionemque Moravie, affinem nostrum karissimum, in proxime ventura vigilia Nativitatis Domini personaliter veniemus, omni occasione, excepcione et excusacione, quas, ut non veniremus, possemus quocumque modo opponere, proculmotis. Sola corporali infirmitate dumtaxat excepta, quam si quod absit incurreremus interim, et talis ac tam notabilis tamque gravis esset, quod et nos et quemlibet alium, sublimem vel humilem, qui pateretur eandem, posset racionabiliter excusare, ita quod propter ipsam in dictis loco et termino venire ad dicti regis presenciam non possemus, extunc statim, cum de ipsa infirmitate Deo volente convaluerimus, in quatuor septimanarum spacio, a die qua primo in convalescencia infirmitatis ipsius equitare ceperimus conputando, ad dicti regis presenciam ubicunque in terris suis fuerit veniemus, et venientes tunc ad ipsum regem, in loco et die quos ad hoc ipse rex duxerit eligendos, sine difficultate aliqua terras sive ducatus nostros Maioris Polonie, Poznanie, Pomoranie, Lancicie, Cuyavie et Syradie, cum civitatibus, castris, opidis, villis, hominibus tam nobilibus quam popularibus, titulis, honoribus, officiis, beneficiis ecclesiasticis et secularibus, et aliis eorum iuribus et pertinenciis universis, dicto regi publice et inperpetuum donabimus et resignabimus ac cedemus libere de eisdem; ipsas a predicto rege cum solempnitate debita recipiemus in feudum, et prestabimus sibi fidelitatis et homagii cum expressione omnium articulorum qui requiruntur in talibus consuetum et debitum iuramentum, per nos et heredes ac successores nostros, duces ducatuum predictorum, a predicto rege et suis heredibus ac successoribus, regibus et regno Boemie, habendas et tenendas iure ac titulo feudali; et quod de ipsis serviamus perpetuo, ac faciamus predicto regi et heredibus ac successoribus suis, sicut quilibet feudatarius suo domino, et specialiter alii feudatarii,

vasalli et nobiles predicti regni Boemie, omnes comuniter vel divisim singulariter, singuli eis servire et facere tenentur et debent de consuetudine vel de iure; et quod statuta vel edicta, que dictus rex statuerit, per nos et dictos heredes ac successores nostros servanda ac tenenda in terris suis, feudi ipsius et racione ipsarum acceptemus et inviolabiliter servemus, ac firmiter perpetuo teneamus. Postquam autem per nos predictorum ducatuum donacio, resignacio et cessio ac iuramenti predicti exhibicio, et per ipsum regem investitura ipsorum ducatuum, tunc feudorum, et dictorum statutorum edicio facte fuerint prout superius exprimuntur, statim patentes litteras nostras super premissis et aliis, que in dictis litteris: ut pro ipso rege et dictis heredibus ac successoribus suis res melius valeat et non pereat, et quod nos et dicti heredes ac successores nostri ea teneamus ac observemus, ac contra ipsa vel ipsorum aliqua non veniamus nec venire possimus de iure vel de facto: de mandato dicti regis in specie vel genere ponentur sub quacumque forma, concepcione, expressione et addicione verborum vel clausularum faciencium (sic) pro dicto negocio, ac adieccione penarum, quod eidem regi licebit pro suo libito mandare et facere de nostra licencia, quam ex nunc sibi concedimus super eo, sub ducali novo nostro sigillo, habente titulum terrarum ipsarum, et sub sigillis prelatorum, principum et magnatum tunc ibidem presencium, vel absencium, quorum sigilla predictus rex ad dictas litteras habere voluerit in testimonium vel consensum, dabimus dicto regi, et aliter, sicut consiliariis predicti regis, quos ad hoc ipse rex deputaverit una cum illustri Nicolao fratre ipsius regis, et Lexkone consiliariis nostris (sic) expedire videbitur super premissis omnibus et singulis. Et ut nos et dicti heredes ac successores nostri, a predictis rege et heredibus ac successoribus suis, nostris fidelitate, serviciis et subieccione ac devocione, quibus recipiendo a predicto rege feuda ipsa sibi et dictis suis heredibus ac successoribus perpetuo astringemur, non recedamus, nec de promissis nostris et aliis, que in predictis nostris litteris quas ipsi regi daturi sumus sub predicto sigillo nostro ducali, continebuntur expressa, aliquid immutemus vel contra ea veniamus, nec dicti heredes et successores nostri ea immutare vel contra ipsa venire possint, et ut efficiamus, quod barones, castellani, nobiles, advocati, iudices et cives terrarum predictarum, predicto regi, vel eius certis nunciis ad hoc per ipsum destinatis, de fidelitate sibi et dictis heredibus ac successoribus suis semper servanda, tanquam nostris et ipsorum superioribus dominis, et de adimplendis ac faciendis per eos eis, que de ipsis in predictis nostris litteris, sub dicto ducali nostro sigillo dicto regi per nos dandis, expressa fuerunt, prout predicti consiliarii nobis mandaverint, ipsi regi cavebimus, et caucionem sufficientem sine dilacione et contradiccione aliqua faciemus. Sicque premissis omnibus et singulis factis per ordinem et inpletis, ex tunc predictus rex quatuor milia marcarum argenti, Polonici ponderis, nobis tenebitur solvere in terminis per consiliarios predictos super hoc positis et statutis, et suppam suam in Ilcus nobis concedet, et proventus ipsius suppe, nostra sibi promissa solvendo et in ipsius semper fidelitate manendo, percipiamus per octo annorum spacium per completum. Preterea, libera et spontanea voluntate nostra absolvimus in hiis scriptis regem predictum et suos ab omnibus promissis et obligacionibus, olim per ipsum regem vel suos pro ipso nobis factis; ad explendum vel servandum dicta promissa et obligaciones, eos vel eorum aliquem volumus de cetero non teneri, promittentes sub debito predicti iuramenti, predicta omnia et singula facere, servare ac adimplere, et contra ea vel eorum aliqua, de iure vel de facto ullo unquam tempore non venire. Quod si contraveniremus, vel non faceremus aut non observaremus vel

non adimpleremus predicta omnia aut aliquod predictorum, statim periuri erimus, et omnes predictos ducatus cum civitatibus, castris, opidis, municionibus, villis, hominibus tam nobilibus quam popularibus, titulis, honoribus, officiis, beneficiis ecclesiasticis et secularibus, et aliis eorum iuribus ac pertinenciis supradictis, et ius ac dominium, quod nobis et dictis heredibus ac successoribus nostris in ipsis conpetit vel posset quocumque modo vel causa conpetere in futurum, perdemus, et ad dictos regem, heredes ac successores suos, habendi et possidendi per eos, in perpetuum devolventur. Propter quod mandamus tenore presencium universis et singulis baronibus, castrorum castellanis, nobilibus, advocatis, iudicibus et civibus civitatum, ceterisque incolis et popularibus terrarum et ducatuum predictorum: vel si contra predicta vel aliquod predictorum venerimus, vel non fecerimus aut non adinpleverimus vel non observaverimus omnia et singula supradicta: statim extunc a nostro ac heredum et successorum nostrorum predictorum dominio recedere, et predicto regi cum omnibus castris, civitatibus et municionibus quas habent adherere et servire sibi, ac ipsum et dictos heredes ac successores suos, reges Boêmie, pro suis veris et legittimis dominis habere in perpetuum, sibique fidelitatis et homagii prestare iuramentum, omni occasione et dilacione postpositis, teneantur; quos a iuramento fidelitatis et homagii nobis per eos prestito, quo nobis et dictis heredibus ac successoribus nostris sicut suis dominis sunt astricti, in casu predicto absolvimus per hec scripta. Renunciantes expresse nostrorum et dictorum heredum et successorum nostrorum nomine in omnibus et singulis supradictis, beneficio restitucionis in integrum, accioni doli et in factum, et omnibus aliis accionibus, defensionibus, excepcionibus, statutis et constitucionibus generalibus vel specialibus, consvetudinibus, indulgenciis et privilegiis seu litteris Sedis apostolice, vel imperatorum seu regum Romanorum, et aliis quibuscumque sub quacumque forma vel concepcione verborum inpetratis vel inpetrandis, quas ex nunc cassas irritas et viribus vacuas esse volumus, et nullam in iudicio vel extra iudicium obtinere roboris firmitatem; omnique iuris canonici vel civilis auxilio, quod et que contra predicta omnia et singula, ut ea vel eorum aliqua non faceremus vel non observaremus, aut non adimpleremus vel contraveniremus, obici vel allegari possent dè iure vel de facto, et nobis vel dictis heredibus ac successoribus nostris in aliquo suffragari. In cuius rei testimonium et cautelam, presentes fieri iussimus, antiquo sigillo nostro, quo usi sumus et utimur, communitas. Actum et datum apud Clankam anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono, X Kalendas Septembris, XII Indiccionis.

Ilcus, *Olkusz.* Clanka, *Klęka.*

Nr. 819.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1299 Sept. 1, in Poznan; civibus Poznaniènsibus loco quatuor ballistariorum et quatuor custodum, quos pro custodia civitatis dare promiserat, partem suae hereditatis Gorczyn largitur.

Pergam. orygin. Sznur z nici jedwabnych, czerwonych, przez dwa wcięcia przewleczony; pieczęć znikła.

Poznań. Archiw. miejskie, Diploma Nr. 8.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripture pressidio vel testium aminiculo fuerint insignita. Nos igitur Wladislaus, Dei gracia

dux regni Polonie et dominus Pomoranie, Cuyavie, Lancycie ac Syradie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod dilectis civibus nostris Poznaniensibus quatuor balistarios et quatuor custodes pro custodia civitatis Poznaniensis dare promiseramus, quam promissionem revocavimus in hunc modum: habito maturo consilio, civibus superius prenotatis partem hereditatis dicte Gorcyne, que ad nos pertinebat, cum omni ducatu seu solucionibus universis, que ibi sunt vel esse poterunt in futuro, iure hereditario imperpetuum contulimus possidendam, et ad usus civitatis convertendam prout eis convencius videbitur expedire. Ut autem hec nostra donacio robur obtineat perpetue firmitatis, nec ab aliquo inposterum infringatur, in cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presentes conscribi fecimus, nostri sigilli munimine roboratas presentibus infrascriptis testibus et ad hoc rogatis: comite Nycolao palatino quondam Kalisiensi, comite Kelczone castellano Gnezdnensi, comite Alberto dicto Ganska, et aliis quam plurimis fidedignis. Actum anno Domini M.CC. nonagesimo nono, datum in Poznan in die beati Egidii confessoris per manus Dominici scriptoris curie nostre.

Gorcyne, *Górczyn.*

Nr. 820.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1299 Sept. 6, Kalis; civibus de Kalisz, Gniezno, Pyzdry, et omnibus qui cum eis stare voluerint, facultatem universos malefactores insequendi et summis poenis coercendi concedit.

Pergam. orygin. Gruby sznur z nici jedwabn., zielon., z którego pieczęć znikła. Warszawa. Biblioteka prywatna, Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. dipl. Polon. I, 92.

Noverint universi quorum audiencie presens scriptum defferetur, quod nos Wladislaus Dei gracia dux regni Polonie, princeps Pomoranie, Cuyavie, Lancycie ac Syradie, cupientes quod omnes fures, latrones, homicide, periuri, sacrilegii, oppressores virginum et maritarum, et alii universi malefactores non debeant gaudere de sua malicia, dilectis nostris civibus Kalisiensibus talem contulimus auctoritatem et omnibus eis adherentibus, scilicet Gnezdnensibus, de Pysdri, ac universis aliis qui cum eis voluerint stare, ut eosdem malefactores secundum exigenciam meritorum ipsorum, iusticia tamen exigente, habeant suspendere, decollare, rotare, mutilare, cremare, ac alias penas infligere. Et quod cives nostri Kalisienses, ac alii qui cum eis voluerint stare, habeant prolocutores suos per omnes civitates nostras pertinentes ad dominium nostrum, qui habeant omnem auctoritatem agendi contra omnes malefactores et penam infligendi secundum exigenciam meriti cuiuslibet malefactoris; nec apud prolocutores iam dictos aliquis aliquam pecuniam vel solidos seu denarios, si in aliquo eos cadere contingerit, audeat extorquere vel accipere; et eciam apud omnes actores, qui vellent proponere vel proponent actionem querimonie contra quoscunque malefactores, simili modo prohibemus, ne audeant accipere pecuniam aliquam apud ipsos. Insuper volumus et mandamus et statuimus, quod ubicunque clamor super quemlibet malefactorem fuerit, eundem detineatis; quod si non feceritis, extunc contra vestram, vestre temeritatis audaciam, in quantum iusticia suadebit procedemus. Et in qua-

cunque civitate vel villa aliquis malefactor proscribetur, sit proscriptus per totum dominium nostrum, et talis ubicunque capietur, utatur iure suo. Et super eo promittimus civibus nostris, tam Kalisiensibus quam aliis omnibus per totum dominium nostrum constitutis, assistere contra omnes, qui vellent eos molestare pro infligendis penis malefactorum. Et ut predicta omnia et singula robur obtineant perpetue firmitatis, in huius rei testimonium presentes scribi iussimus, nostri sigilli munimine roboratas. Actum anno Domini M.CC. nonagesimo nono, et datum Kalis dominico die proximo ante diem Nativitatis beate Virginis.

Nr. 821.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1299 Sept. 10, in Pysdra; protestatur, hereditatem Dębogora monasterio de Łekno contra petitionem comitis Rosalii iudicialiter esse addictam.

Pergam. orygin. Pieczęć wyobrażająca godło Ziemi Kujawskiéj, przywieszona na niciach lnianych, biał. i czerwon.

Kurnik. Biblioteka, Diploma Nr. 9.

Noverint universi tam presentes quam futuri, presentem paginam inspecturi, quorum audiencie presens scriptum defertur, quod nos Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie et dominus Pomeranie, Cuyavie, Lancycie et Siradye, in hys scriptis publice protestamur, quod viri religiosi, videlicet frater Henricus dictus Saxo et frater Cristianus cellerarius, monachi domus Lucknensis, cum sufficienti testimonio litterarum abbatis ipsorum habentes plenariam potestatem omnes causas et negocia dicte domus agere et pertractare, constituti coram nobis et baronibus nostris feria quinta proxima post Nativitatem beate Virginis Marie pro quadam hereditate dicta Dambegore, habentes terminum peremptorium cum comite Rosalio pro antedicta hereditate, quem terminum acceperant predicti fratres cum prefato comite peremptorium coram iudice nostro comite Bonguslao sequenti die sancti Bartholomei in Gnezna, sicut idem iudex noster coram nobis affirmavit, iusticiam sibi et iudicium fieri postulabant predicti fratres. Et quia sepedictus Rosalius et sui nuncii minime in termino dicto comparuerunt, censuimus sepedictos fratres esse iustos et dictam hereditatem eos iusto iudicio et certo termino hereditarie in perpetuum obtinere, et hoc coram nobis ex nostro precepto comite Woychegone dicto Kronowiz (sic) iudicante. Acta sunt hec in Pysdra ipsa feria quinta post Nativitatem gloriose Virginis, anno Domini M.CC. nonagesimo IX, coram hys testibus: comite Bonguslao iudice terre Polonie, et comite Adam de Wapno, et Bongusio wlodario, et advocato Iescone de Pysdra, et aliis fide dignis.

Lucknensis, *de Łekno.* Dambegore, *Dębogóra.* Pysdra, *Pyzdry.* Wapno, *Wapno.*

Nr. 822.

Iacobus secundus archiepiscopus s. Gneznens. ecclesie s. a. et d., in Lovich; commutat villam ecclesiae suae, dictam Piotrowice, cum villa monasterii in Czersk, nomine Brochów.

Pergam. orygin., u którego dwie pieczęcie przywieszono. Pierwsza podługowata, bardzo zatarta, dozwala rozpoznać osobę stojącą; druga znikła, pozostały po niéj dwa przerwane wcięcia poprzeczne.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 60.

In nomine Domini amen. Quoniam oblivio, mater erroris, ex longo tractu temporis proveniens, consvevit gestorum ordinem abolere ac procurare futuris materiam iurgiorum, ideo provida sapientum decrevit auctoritas, ut facta hominum que indigent memoria, fide instrumentorum posteris innotescant. Inde est quod nos Iacobus secundus, divina miseracione archiepiscopus sancte Gneznensis ecclesie, ad perpetuam rei memoriam notum facimus universis, quod nos attendentes villam sive hereditatem ecclesie nostre, dictam Potrovo in vulgari, longe a bonis ecclesie nostre positam, et periculosum semper transitum, quia per vandalum, ad eandem, ex hocque minus utiliter procurari, ipsam per modum commutacionis dedimus perpetuo ecclesie et monasterio Cyrnensi de consensu Capituli nostri Gneznensis. Et quia plures utilitates videntur esse in Brochovo hereditate dicte ecclesie et monasterii, que data est nobis pro Potrovo supra dicta, quam in eadem hereditate Potrovo, videlicet in borra, in merica, in silva, in aqua, in molendino et iure patronatus ecclesie site ibidem, que omnia omnia (sic) et singula cedunt nobis cum hereditate Brochovo supra dicta, et cum omnibus aliis utilitatibus, que sunt in eadem et esse poterunt in futurum, prout in suis terminis et metis et omnibus pertinentiis, excepta Slavencyno, que licet sit hereditas dicte hereditati Brochovo contigua, dicitur tamen esse alterius militis donacio specialis: nos in recompensacionem dictarum utilitatum, dedimus cum villa nostra Potrovo sepedicta decimam in eadem hereditate perpetuo et cum quatuor bobus et agriculture nostre annonis, recipientes pro ipsa Potrovo dictam hereditatem Brochovo in perpetuum cum omnibus utilitatibus supradictis, pro ecclesia et monasterio Cyrnensi nullo iure vel utilitate in posterum penitus reservatis. In cuius rei testimonium, presens privilegium, nostri et Capituli nostri predicti sigillorum munimine roboratum, tradidimus ecclesie et monasterio Cyrnensi predictis. Actum in Lovich presentibus viris honorabilibus: dominis Nicolao preposito Lanchiciensis ecclesie nostro procantore, Gregorio Uneyoviensi preposito, magistro Nicolao Lovichiensi plebano, Iohanne nostro tezaurario et Lanchiciensi canonico, Gunthero Lanchiciensi canonico, Olpa venatore nostro, et Nicolao tribuno ac aliis quam pluribus fidedignis.

Potrovo, *pewnie Piotrowice p. m. Góra.* Cyrnensis, *de Czersk.* Brochovo, *Brochów.* Slavencyno, *w bliskości w. Brochów, nie odgadnione.* Lovich, *Łowicz.* Uneyoviensis, *de Uniejów.*

Nr. 823.

Ioseph Lanciciens. scolasticus 1299 Sept. 11, in Unyeow; ecclesiae Gneznensi hereditatem Strzelewo confert.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 53.

In nomine Domini amen. Quoniam in caducis mortalium accionibus fides instrumentorum excludit materiam iurgiorum, ideo sapientes consueverunt, gesta digna memoria privilegiis futurorum noticie commendare. Inde est, quod ego Ioseph Lanciciensis scolasticus notum facio universis presentem paginam inspecturis, quod attendens ecclesiam Gneznensem gratam michi a primordiis etatis mee fuisse preveniendo me beneficiis opportunis, volens tanquam gratus filius grate matri pro gratitudine merita gratitudine respondere, precipue quia temporalium collacio ecclesiis, compensatur eternis, hereditatem ad me patrimoniali iure spectantem, sitam in territorio Nakel in metis Cuyavie, que Strzelno in vulgari vocatur, donavi et contuli pro salute mea et progenitorum meorum, et presentibus confero atque dono ecclesie predicte Gneznensi in persona venerabilis patris domini Iacobi secundi, archiepiscopi eiusdem ecclesie, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis, quocunque nomine nuncupentur seu sunt in posterum nuncupande, possidendam perpetuo pacifice et quiete. In cuius rei testimonium, presens privilegium sigillo meo et eorum qui presentes fuerunt, videlicet dominorum: Nicolai prepositi ecclesie Lanciciensis, Gregorii Unyeoviensis prepositi, fratris Stanislai prioris in domo fratrum Predicatorum in Lancicia, Lupi decani de sancto Floriano aput Cracoviam, Noe Kylchiensis scolastici, Iohannis thezaurarii ipsius domini archiepiscopi et Lanciciensis canonici, censui sigillandum. Et nichilominus, ut maioris hec donacio robur obtineat firmitatis, infrascripti domini ad hoc rogati apposuerunt sigilla: frater Paulus Leopolensis episcopus, Wlostiborius Gneznensis prepositus, Nicolaus decanus, Gabriel cancellarius, Thomas archidiaconus, Allexander custos eiusdem Gneznensis ecclesie, et Andreas officialis curie Gneznensis. Datum in Unyeow III Idus Septembris, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono.

Nakel, *Nakło.* Strzelno, *dziś Strzelewo.* Kylchiensis, *de Kielce.* Unyeoviensis, *de Uniejów.* Leopolensis, *de Lwów.*

Nr. 824.

Andreas episcopus Poznaniens. 1299 Sept. 30, Poznanie; vendit Malostrigio, sculteto de Winnagóra, villam suae ecclesiae dictam Kościanki, iure Theutonico ad locandum.

Pergam. orygin. Dwa sznurki jedwabne, czerwone, każdy przez dwa wcięcia przewleczony; pieczęci nie masz.

Poznań. Archiv. Capituli II, 19.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Quoniam ea que aguntur in tempore, simul labuntur cum tempore nisi fuerint litterarum seu testium munimine

perhennata, idcirco nos Andreas, Dei gracia episcopus ecclesie Poznaniensis, presentibus notum esse volumus universis presencium noticia potituris, quod de consilio fratrum nostrorum Capituli Poznaniensis, villam nostram que Kossczenecz vulgariter nuncupatur vendidimus Malostrigio, scolteto nostro de Vineo monte, dicto Karszna, iure Teutonico locandam pro liberis mansis et utilitatibus, prout Vineus mons villa nostra est locata, et perpetuo sibi suisque posteris possidendam, volentes, ut dicta villa Kosszenecz cum Vineo monte, villa nostra, uno iure et nomine censeatur, et ab uno scolteto, nomine unius ville possideantur eciam et regantur prout scoltecie ius requirit. Quam villam Kosszenecz propter sui parvitatem adiungendam duximus ville nostre prefate, que Vineus mons dicitur, integraliter prout suis limitibus continetur; et quod uno anno et die censum nostrum, tam in argento quam in annonis, equaliter ad unum locum, tanquam una villa per nos iam facta deducere, et alia servicia nobis debita exhiber euno et eodem nomine teneantur; que omnia in privilegio principali, quod datum est super locacione Vinei montis, plenius continentur, que cum Capitulo nostro Poznaniensi statuimus et volumus uno iure et nomine censeri, et prout in dicto expressa fuerint privilegio, perpetuo observari. Ne vero super hiis ab aliquibus in posterum dubietatis scrupulus oriatur, presentem litteram sibi conscribi, et nostri sigilli munimine fecimus communiri ac sigillo fratrum nostrorum Capituli Poznaniensis. Actum et datum Poznanie in camera sancti Stanislay martyris gloriosi per manus Gerlibi scriptoris nostri, in die beati Ieronimi presbiteri, anno gracie Domini MCC nonogesimo nono, presentibus dominis fratribus nostris karissimis: Iohanne preposito, magistro Gregorio decano, Henrico scolastico, Borislao archidiacono, Iacobo cancellario curie nostre, Friczkone, Iacobo nostro canonico et plebano Srodensi, Thilone preposito Santocensi, Henrico, Salomone, Gerkone, Sdislao, Iascone, Mutina, Iohanne, et aliis multis Capituli nostri canonicis, viris providis et honestis.

Kossczenecz, *Kościanki.* Vineus mons, *Winnogóra.* Santocensis, *de Santok.*

Nr. 825.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1299 Nov. 11, in castris in Scomlyno; concedit comiti Henrico filio Swentoslai facultatem, in hereditate ipsius, dicta Rynarzewo, civitatem iure Novi fori locandi.

Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplomatic. Poloniae II, Nr. 468. (Kopja).

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripture presidio vel testium aminiculo fuerint insignita. Nos igitur Wladislaus, Dei gratia dux regni Polonie et dominus Pomeranie, Cuiavie, Lancicie ac Siradie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod intuentes fidelia grataque obsequia, que fidelis noster comes Henricus filius Swyentoslai nobis multipliciter exhibuit et in futurum dante Domino exhibere est paratus, damus, tradimus et conferimus sibi suisque veris heredibus et legitimis successoribus perpetuo et perpetualiter habere et locare civitatem iure Novi fori in hereditate ipsius, que ei ex paterna successione competebat, dicta Rinarzewo, situata in terra de Nackel, dantes prefato Henrico et suis successoribus omnes utilitates, que nunc sunt vel esse poterunt in futurum, videlicet theloneum et omnia iura que nos habemus in nostris

civitatibus, predictus Henricus et sui successores predicta omnia in iam dicta civitate habeat, et utatur eodem iure et utilitate, quemadmodum nos utimur in nostris civitatibus, Theutonico iure collocatis secundum consuetudinem Novi fori. Insuper damus predicto Henrico et suis successoribus omnes causas, tam magnas quam parvas, diiudicare, videlicet furta, latrocinia, homicidia, et alias inferiores in civitate iam dicta commissas; et omnes maleficos suspendere, decollare, mutilare, rotare, cremare, prefatus Henricus vel suus scultetus iam dicte civitatis liberum arbitrium habeant dictas penas infligere in omnibus malefactoribus. Etiam si aliquis qualiscumque fuerit et qualitercumque aufugerit ad sepe dictam civitatem, coram nullo debent eum requirere, nisi coram predicto Henrico vel sculteto ipsius dicte civitatis. Volumus autem, quod nullus noster advocatus, nec vulgariter dicendo Lantwoyd, in iam dicta civitate debet aliquas causas discutere, nec ad ipsum aliquid disponatur, sed simpliciter dicendo prefatus Henricus et sui successores de omnibus causis et de proventibus penarum disponat, et ad usus suos easdem convertat iuxta voluntatem suam. In cuius rei testimonium, presentes scribi iussimus, nostri sigilli munimine roboratas presentibus hys testibus: comite Kelczone castellano Gnesnensi, comite Falone castellano de Usczie, comite Iuliano pincerna Cruschoviensi (sic). Actum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono, datum in castris in Scomlyno in die beati Martini per manus Iohannis scriptoris curie nostre.

Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szląsku.* Rinarzewo, *Rynarzew.* Nackel, *Nakło.* Usczie, *Ujście.* Cruschoviensis, *pewnie zam. Crusviciensis.* Scomlyno, *Skomlin.*

Nr. 826.

Wladislaus heres regni Polonie etc. 1299 Nov. 29, in Poznan; confirmat donationem bonorum hereditariorum Mączniki, Otmarowo, Wirza, Wiele et Pęperzyn, ab Andrea episcopo Poznaniensi et Laurentio fratre eius, Poznaniensi Capitulo factam, et villas praedictas libertatibus antiquarum villarum ecclesiae praedictae munit.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny, zielony, przez 2 wcięcia przewleczony; pieczęć znikła.

Poznań. Archiv. Capituli, II, 20.

In nomine Domini amen. Nos Wladislaus, Dei gracia heres regni Polonie, dux Cracowie, Sandymirie, Cuyavie, Lancicie et Syradie, notum facimus universis presencium noticiam habituris, quod constituti in nostra et baronum nostrorum presencia, venerabilis in Christo pater dominus Andreas Dei gracia episcopus Poznaniensis et dominus Laurencius frater suus, in bona, sana et valida corporis firmitate, non compulsi, sed de maturo eorum consilio, presertim spe retribucionis eterne, bona sua hereditaria, videlicet Manczniki et Otmarowo iuxta villam Dambicze super rivulum Resniczam, que invicem sunt unita, et alia bona, scilicet Vyrsco, Wele et Pampowo, sita ultra fluvium Notes, que eis iure hereditario sunt resignata, cum omnibus fructibus, iuribus, utilitatibus, agris, pratis, pascuis, lacubus Wele et Nankars vulgariter nuncupatis, silvis, rubetis et nemoribus, Capitulo ecclesie Poznaniensis pro remedio animarum suarum libere et voluntarie contulerunt et resignaverunt coram nobis, pe-

tentes humiliter, ut collacionem et resignacionem huiusmodi confirmare misericorditer dignaremur. Nos autem ob reverenciam beatorum Petri et Pauli apostolorum, in quorum honorem dicta Poznaniensis ecclesia a nostris progenitoribus est fundata, prefatam collacionem ac testamentum memoratorum dominorum, Andree episcopi et Laurencii fratris sui, et ut eciam eterni premii una cum ipsis simus participes, de nostrorum baronum consilio confirmamus, roboramus et approbamus per presentes. Et omne ius, quod dictis dominis, episcopo et Laurencio, in suprascriptis bonis eorum hereditariis Manczniki, Otmarow, Vyrsko, Vele et Panpowo conpetebat, in memoratos dominos, Capitulum ecclesie Poznaniensis, et ipsam ecclesiam transferimus per presentes cum omni iure, dominio, libertatibus, utilitatibus, fructibus et obventionibus, prout ipsi heredes dicta bona actenus possiderunt; volentes nichilominus, ut dicte ville superius nominate isdem iuribus, privilegiis, libertatibus et immunitatibus gaudeant, quibus gaudent alie ville et possessiones Poznaniensis ecclesie ab antiquo. Quas eciam eximimus et liberamus ab omnibus solucionibus, laboribus et serviciis ducalibus, quibuscunque nominibus censeantur; nec incole earundem villarum coram aliquo nostro iudice vel subiudice, nisi coram eorum dominis, super magnis vel parvis causis de se querulantibus respondebunt. In quorum omnium testimonium et evidenciam pleniorem, presentem litteram nostri sigilli appensione fecimus communiri. Actum et datum in Poznan tercio Kalendas Decembris, anno Domini M.CC. nonagesimo nono, presentibus nobilibus viris baronibus nostris: Nicolao palatino Poznaniensi, Martino palatino Kalisiensi, Boguslao iudice Poznaniensi, Alberto subcamerario Poznaniensi, Przetpelcone castellano Poznaniensi, et Philippo cancellario nostro et aliis fide dignis.

Manczniki, *Mączniki.* Otmarowo, *osada znikła.* Dambicze, *Dębicz.* Resnicza rivulus, *dziś strumień Maszkawa.* Vyrsco, *Wirza.* Wele, *Wiele.* Pampowo, *dziś pewnie Pęperzyn.* Notes fluv., *rz. Noteć.* Wele, Nankars, *jeziora pod wsią Wiele.*

Nr. 827.

Albertus marchio Brandenburgensis 1299 Dec. 21, in villa Massyn; confirmat monasterio de Zemsko emptionem molendini Vogelsang cum quibusdam utilitatibus.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. A 18, p. 370. (Kopja).

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ad memoriam presentium et rectam notitiam futurorum. Nos Albertus Dei gratia marchio Brandenburgensis recognoscimus publice protestantes, quod reverendus pater dominus Conradus, abbas ecclesie sancte Marie virginis in Nova Doberov (sic) que vulgariter Sameritzkov appellatur, cum nostra voluntate et consensu molendinum apud Novam Landesbergk civitatem nostram, Vogelsangk dictum, cum novem modiis et dimidio siliginis a Iohanne de Ravenstein dicto, et II choros siliginis a Zabello de Falkenberge, et octo choros siliginis a Wilhelmo fratre eius, in eodem molendino sitos in redditibus annuatim dicte ecclesie suis denariis comparavit. Nos quoque attendentes ipsius Ordinis sanctitatem sperantesque in corpore et anima piis fratrum orationibus adiuvari, proprietatem eiusdem molendini ac octo chororum cum novem modiis ac dimidio eidem eccle-

sie donavimus propter Deum. Actum et datum in villa Massyn, anno, Domini M.CC.LXXXXVIIII, die beati Thome apostoli, presentibus magistro Iohanne de Demyn et Iohanne nostro notario, testibus quoque Wernero Splinter, Albino de Brunov et Bethekone de Iagov militibus nostris, Zabello et Henningo de Marvitz et Vromoldo de Wutsick vasallis nostris, et quam plurimis aliis fide dignis.

Doberov, *mylnie zam.* Dobrylug; *cnfr. Nr. 385.* Sameritzkov, *Zemsko, klasztor Cystersów, późniéj przeniesiony do m. Bledzew.* Massyn, *Massin.*

Nr. 828.

Wladislaus heres regni Maioris Polonie etc. 1299 Dec. 30, in Calisch; confirmat privilegium, quod dederat Fratribus hospitalis s. Spiritus in Kalisz: **Secundus Premizl dux Polonie 1282 Iun. 6, in Kalis;** insuper nova quaedam addit.

Transsumpt potwierdzony przez: Sigismundus rex Polonie etc. 1539 Sept. 1, Cracovie, *w pergaminie orygin., u którego przywieszona pieczęć przedstawia w kwadrowanéj tarczy 1mo i 4to Orła w Koronie, 2do i 3tio Pogoń.*

Kalisz. Archiw. Rządowe. Pergamina. — Warszawa. Arch. Główne, Ks. M. 59, fol. 102 v.

In nomine Domini amen. Ne gestarum rerum noticia processu temporis evanescat et pereat, discretorum virorum solet providencia eas litterali memorie commendare. Hinc est quod nos Wladislaus, Dei gracia heres regni Maioris Polonie, dux Pomoranie, Cuyavie, Lancicie et Syradie, in civitate nostra Kalisiensi festum Natalis Domini celebrantes, a fratribus hospitalis sancti Spiritus in presencia baronum nostrorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut dignaremur eorum donaciones et privilegia confirmare. Nos vero piis et iustis eorum peticionibus annuentes, donaciones ac libertates, quas in privilegio pie recordacionis predecessoris nostri, incliti principis secundi Premizl quondam ducis Polonie, vidimus et audivimus contineri, admittimus et tenore presencium confirmamus. Litera autem predicti ducis et tenor privilegii, quem vidimus eciam, talis erat: (*Sequitur diploma Nr. 509*).

Nos igitur, considerata salute propria nostrorumque progenitorum, cupientes opera misericordie augmentare que in dicto quottidie hospitali peraguntur, libertatem predictis fratribus concedimus et donamus super tres mansos in villa Tinecz sittos, iure hereditario perpetuo possidendos, quos Conradus quondam magister pistorum dictus civis Calissiensis pro remedio anime sue dicto contulit hospitali, volentes ut hii tres mansi eodem iure fruantur, ut suprascripti septem mansi eciam omnimoda gaudent libertate. Hos vero decem mansos prescriptos, de nostra gracia speciali absolvimus ab omni peticione currum, aratrorum ac ab omnibus exactionibus, angariis, seu quocunque vocabulo nuncupentur. Volumus eciam et precipimus, ut hec nostra donacio libertatis, a nostris procuratoribus inviolabilis observetur. Addicimus eciam, ut si qui de facultatibus, sibi a Deo collatis, pro subsidio infirmorum prius dictis fratribus pro suarum salute animarum delegaverint, sive donare voluerint in institutis vel maccellis, ratum tenebimus atque gratum, et ad maiorem nostre salutis cumulum, dictum hospitale, fratres, familiam, res, domos, possessiones in no-

stram defensionem recépimus specialem. Si quis autem ipsum hospitale, fratres et familiam ipsorum indebite perturbaverit, aut res, domos et possessiones violenter invaserit, se nostram indignacionem senciat graviter incurrisse. Ut autem nostra donacio simulque confirmacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus roborandam. Datum in Calisch anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono, tercio Calendas Ianuarii, presentibus his: Swentopelcone palatino Lanciciensi, comite Bervoldo castellano Calissiensi, Sanzivoyo camerario Calissiensi, Allexio castellano Welunensi, Petro Stozowicz, et aliis quampluribus fidedignis.

Tinecz, *Tyniec*. Welunensis, *de Wieluń*.

Nr. 829.

Bertholdus abbas totusque Conventus fratrum de Bissevia 1300 Apr. 16, in Grocno; assignant Iacobo archiepiscopo Gneznensi originalia super commutatione bonorum Dobrów et pertinentiarum, cum villis sui monasterii, in castellania de Nakło sitis.

Pergam. orygin., u którego pozostały 2 sznurki jedwabne, zielone, od przywieszenia dwóch pieczęci.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 70.

In nomine Domini amen. Ne res gestas aboleat processus temporum, confirmat illas sollemnis tytulus litterarum. Hinc est igitur, quod nos Bertholdus abbas totusque conventus fratrum de Bissevia, Ordinis Cysterciensis, presentibus protestamur, quod facta commutacione cum venerabili patre nostro domino Ia., sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, super bonis nostris, Dobrow videlicet et pertinenciis ipsius, tam in proprietatibus, hereditatibus videlicet quam in decimis, receptisque ab ipso decimis in castellania retro Nakel, prout in instrumentis super hoc confectis plenius continetur: ne ad defensionem ipsius et dictorum bonorum, Dobrow videlicet ac pertinenciarum ipsius, ad requisicionem dicti domini archiepiscopi ulterius evocemur et expensis ac laboribus fatigemur, eidem domino archiepiscopo originalia super eisdem bonis duximus assignanda, renunciantes prorsus omni iuri, quod habuimus in eisdem. Adiungimus insuper, quod si aliqua originalia Sedis apostolice et quarumcunque aliarum personarum penes nos remanerent, eis quantum ad sepedicta bona uti penitus nolumus, ymmo ipsis renunciamus in eternum. Pecevo eciam hereditatem nostram que ad Dobrow minime pertinebat, eidem Dobrow adiungimus per presentes cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, ut sepedictum dominum archiepiscopum et suum Capitulum in nostris negociis favorabiles habeamus. In quorum omnium testimonium, presens instrumentum nostris sigillis fecimus communiri. Actum et datum in Grocno anno Domini M.CCC., XVI Kalendas May, presentibus viris honorabilibus, dominis Wlostiborio preposito, Nicolao decano Gneznensibus, Iohanne preposito Plocensi, Iohanne archidiacono Lanchiciensi, et multis aliis fide dignis.

Bissevia, *Byszewo*. Nakel, *Nakło*. Dobrow, *Dobrów*. Pecevo, *Pieczew*. Grocno, *Gruczno*.

Nr. 830.

Iacobus archiepiscopus Gneznens. 1300 Apr. 24, in Gnezna; monasterium de Byszewo a defensione villae Dobrów cum pertinentiis, quam ab ipso modo commutationis acceperat, absolvit, et pro hereditate Pieczew, modo simili recepta, decimas in villis Dzidno et Zbrachlin praedicto monasterio confert.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn., czerwon. i żółt. przywieszono dwie pieczęcie. Pierwsza podługowata wyobraża biskupa na tronie, błogosławiącego; napis: S. Iacobi Dei Gra. Sce. Gnesn. Ecce. Archiepi. *Druga Kapituły Gnieźnieńskiéj;* (pieczęć XXIV).

Poznań. Königl. Staats Arch. Koronowo Nr. 29.

In nomine Domini amen. Sapientum decrevit auctoritas, ut litterarum noticia perpetua actus hominum legitimi confirmentur. Hinc est igitur quod nos Ia., miseracione divina sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, una cum nostro Gneznensi Capitulo presentibus protestamur, quod facta commutacione cum viris religiosis, Bartoldo abbate et toto conventu de Byssevia Ordinis Cisterciensis, super decimis nostris in castellania retro Nakel, susceptis ab ipsis bonis domus ipsorum, Dobrow videlicet cum suis pertinenciis, tam in proprietatibus, hereditatibus scilicet, quam in decimis earundem et aliarum villarum, prout in instrumentis super hoc confectis plenius continetur, ac susceptis ab eis privilegiis et instrumentis super bonis eisdem: volentes dictorum abbatis et conventus parcere laboribus et expensis, ipsos a defensione nostra et dictorum bonorum ac pertinenciarum ipsorum absolvimus et presentibus perpetuo quietamus; hoc dumtaxat excepto, si abbas et conventus domus Suleyoviensis nos in dictis bonis quomodolibet inpedirent, quod tunc dicta bona et nos defendere teneantur. Preterea, quia iidem abbas et conventus Byssevienses, dantes nobis hereditatem suam que Pecewo dicitur, nostram commutacionem meliorarunt, nos eciam in melioracionem commutacionis ipsorum, duas decimas nostras, unam videlicet in castellania retro Nakel que dicitur Dzadovo, secundam vero in castellania de Racez que Bralewnicza dicitur, ipsis et eorum domui cum novalibus, eciam si dividi easdem villas in plures, vel aliis pluribusque nominibus ipsas appelari contingeret in futurum, presentibus perpetuo duximus ascribendas. In cuius rei testimonium, presens privilegium nostro et dicti nostri Capituli sigilli (sic) mandavimus communiri. Actum et datum in Gnezna, anno Domini M.CCC., in vigilia sancti Marci, presentibus viris honorabilibus, dominis Wlostiborio preposito, Nicolao decano, Thoma archidiacono, Gabriele cantore, Alexandro custode Gneznensibus, Iohanne archidiacono, Andrea cantore Lanchiciensibus, et multis aliis fide dignis.

Byssevia, *Byszewo.* Dobrow, *Dobrów.* Suleyoviensis, *de Sulejów.* Pecewo, *Pieczew.* Dzadovo, *Dzidno.* Racez, *Raciążek.* Bralewnicza, *pewnie* Bralin *Nru. 7, może dziś Zbrachlin.*

Nr. 831.

Fr. Conradus de Lyhtenhagen commendator fratrum domus Theutonice in Elbingo 1300 Iun. 1, in castro Thorun; protestatur, Cristianum, quondam scultetum de Koszuty, molendinum suum ibidem situm monasterio Ląd resignavisse.

Pergam. orygin. Pieczęć przywieszona na skrawku pergam. okazuje krzyż łaciński, w którego środku na tarczy Orzeł; napis: S. Conradi . . . Elbingo.

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae I, Nr. 93.

Nos frater Con. de Lyhtenhagen, commendator fratrum domus Theutonice in Elbingo, notum esse cupimus presencium inspectoribus universis, quod Cristianus quondam scultetus in Kosschuth in presencia nostra et quorumdam fratrum nostrorum publice est professus, se cum consensu uxoris sue ac liberorum suorum molendinum in dicta villa Kosschuth situm, quod sub annuo censu duorum lapidum cere possederat, venerabilibus viris domino abbati et fratribus suis de Lynda pro certa pecunia vendidisse, et in civitate dicta Slubzec coram contestato iudicio resignasse. Postea vero, cum dictus Cristianus ad terram nostram de Polonia se transferret cum filiis suis Will. et Theodrico, qui predicte vendicioni non intererant, prefatum molendinum et privilegium quod supra (sic) eo confectum habuit, domino fratri Iohanni de Aquis loco predicti claustri sui coram nobis in castro Thorun denuo resignavit. In cuius rei evidens testimonium et cautelam, sygillum nostrum presentibus est appensum. Testes sunt: frater Conradus Saccus commendator, et frater Gozwinus vicecommendator in Thorun, frater Hermannus capellanus magistri Pruscie, frater Marquardus sacerdos, frater Waltherus pincerna, et plures alii Ordinis nostri fratres. Item Apez scultetus in Nova civitate Thorun, Waltherus braseator, Iohannes pistor, nec non alii fide digni. Actum et datum in castro Thorun anno Domini MCCC Kalendas Iunii.

Elbingum, *Elbląg.* Kosschuth, *Koszuty.* Lynda, *Ląd.* Slubzec, *Słupca.* Nova civitas Thorun, *wschodnia część m. Toruń, dawniéj przedmieście tegoż.*

Nr. 832.

Albertus Romanorum rex 1300 Iun. 29, Moguntie; concedit Wenceslao regi Bohemiae, ut quidquid de terra Maioris Poloniae subiugare poterit, a Romano imperio titulo feodali teneat.

Goldast, Supplementum actorum publicorum, Nr. 19. — Emler, Regesta Bohemiae, Nr. 1861.

Albertus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, magnifico principi Wenceslao regi Boemie illustri, fratri suo carissimo, gratiam et omne bonum. In aliqualis tue sinceritatis et fidei restitutionem, quibus pre ceteris regibus et imperii

Romani principibus erga nos et ipsum imperium dignosceris clarius preclarare, non immerito nos inducunt, ut universis et singulis que honoris et status tui incrementa respiciunt, faventibus desideriis intendamus. Quod attendens nostra serenitas, tibi ex gratia speciali concedimus, ut quicquid de terra illustrissimi Ladislai ducis Maioris Polonie, quam occupat, tibi subiugare poteris, a nobis et dicto Romano imperio a te et tuis heredibus teneri volumus perpetuo titulo feodali. In cuius rei testimonium, presentes literas tibi tradimus, sigilli nostri robore communitas. Datum Moguntie tertias (sic) Calendas Iulii, Indictione decima tertia, anno MCCC, regni nostri secundo.

Nr. 833.

Premislius dux Cuyavie etc. 1300 Dec. 7, in Iuveni Wladislavia; confirmat venditionem hereditatum Buszkowo et Sitno, quas com. Nicolaus vexillifer Brestensis et sui proximi monasterio de Byszewo resignaverant.

Pergam. orygin. Na sznurku jedwabn., czerwon. i zielon. przywieszona pieczęć wyobraża godło Ziemi Kujawskiéj; napis: S. Premislii... Ducis Cuia.

Poznań. Königl. Staats Arch. Koronowo Nr. 30.

In nomine Domini amen. Fraudulosa rerum varietas humanis actibus sepius adversatur, si non superhabundanti litterarum caucione iugiter fuerit insignita. Proinde nos Premislius, Dei gracia dux Cuyavie et dominus Wladislavie, universis declaramus presenti pagina publice protestantes, quod comes Nicolaus vexillifer Brestensis, una cum suis fratribus, filiolis et nepotibus, Swantoslao, Iaroslao, Przeslao, Vito, Ffloriano, Sulislao, Paulo et Nemsta in presencia nostri constituti, usi sano consilio virorum maturorum sufficientique prehabita deliberacione, hereditates suas, Boszow in dominio nostro et in confinio Bydgostiensi, et Zedno in regno Polonie et in territorio castri de Nakel sitas, cum omni districtu et pertinenciis suis, sortibus, agris, silvis, nemoribus, stagnis, rivis, pratis, paludibus et lacubus, videlicet Zedno magno et Zedno parvo, Gedyne, Ossowo et Gogolincz parvo, ac aliis omnibus utilitatibus, censeantur quibuscunque nominibus, iuste et racionabiliter vendiderunt pro nonaginta marcis Thorunensium denariorum currentis monete, quas in totum et plene se fatentur recepisse, domino Bertoldo abbati Byssoviensi et eius conventui Cysterciensis Ordinis, Wladislaviensis dyocesis, iure hereditario perpetuo possidendas; abdicantes et resignantes memorato abbati et conventui omne ius patronatus et proprietatis predictarum hereditatum, videlicet Boscovo et Zedno, repetendi, revocandi, commutandi, aut quocumque modo exsolvendi per se ipsos et eorum consanguineorum successores et omnium heredum, ac eciam quibus aliquid iuris conpetere poterat in prenominatis hereditatibus. Verum, quia nostra interest singulis locis religiosis dignis profectibus previdere et ea a truculenciis bachancium umbre nostre in quantum possumus tueri, nos hoc ipsum providentes, ad emendacionem fundacionis nostre prenotati claustri Byssovie, de gratuitu assensu omnium nobilium virorum predictorum, ad amplificandum cultum divinum predictam empcionem et vendicionem ratam et gratam habentes, litteris presentibus confirmamus, concedimus et damus superius dictas hereditates Boscovo et Zedno, secundum quod in suis terminis seu gadibus antiquitus sunt limitate, prefato monasterio Byssoviensi et fratribus ibidem

domino Deo servientibus iure hereditario perpetuo possidendas. In cuius rei testimonium, presens scriptum nostri sigilli munimine digne duximus roborandum presentibus hys testibus: comite Barthosio iudice, Iaroslao castellano de Slonce, comite Bogusa castellano de Wyssegrod, domino Gerwardo preposito Wladislaviensis ecclesie, domino Dobegneo decano, domino Ffloriano archidyacono, Henkyno Pape, Theoderico de Thurran, Petro dicto Manchosy. Acta sunt hec in Iuveni Wladislavia anno Domini M.CCC,VII Idus Decembris, luna XX tercia, in octava beati Andree apostoli.

Wladislavia, *Włocławek.* Brestensis, *de Brześć Kujawski.* Boszow, *Buszkowo.* Zedno, *Sitno.* Lacus Zedno magnum et Z. parvum, *jeziora obok wsi Sitno wielkie i S. małe.* Lacus Gedyne, Ossowo et Gogolincz parvum, *małe jeziora, leżące obok wsi Zawada, Trzciniec i Osowiec.* Byssoviensis, *de Byszewo.* Slonce, *Słońsk.* Wyszogród, *gród, stał niegdyś na północ miasta Fordon, blisko wsi Górne Strzelce.* Iuvenis Wladislavia, *Inowrocław.*

Nr. 834.

Nicolaus palatinus Kalisiens. 1300 s. d., Poznan; commutat hereditatem suam, dictam Daleszyn, cum hereditate monasterii de Lubin, nomine Szczodrochów.

Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin, Dissoluta.

In nomine Domini amen. Cunctorum memoria oblivione deprimitur, que literarum aut testium munimine non firmantur. Inde est quod nos Nicolaus palatinus Kalisiensis universis tam presentibus quam futuris, ad quorum audienciam devenerit presens scriptum, volumus esse notum, quod cum honorabili viro domino abbate totoque conventu domus de Lubin, habito consilio proborum virorum, super littoribus fluvii dicti Obra, domini abbatis et nostrum dictum vulgariter Dalesino, qui extendunt se extra molendinum et hereditatem domini abbatis dictam vulgariter Scodrochowo, et aliud nostrum litus quod extenditur extra hereditatem nostram et molendinum nostrum dictum Dalesino, talem fecimus commutacionem. Dedimus et contulimus domino abbati cum monasterio suo litus nostrum superius nominatum Dalesino, quod nos et dominium nostrum tangebat, pro litore domini abbatis dicti superius, ad constituenda inter nos duo molendina pro utilitate domini abbatis et nostra, iure hereditario inter nos possidenda; imponentes ad hoc omni posteritati nostre aut successoribus nostris silencium, et de predictis litoribus aliquam causam vel mencionem movere. In cuius rei testimonium, presentem litteram scribi iussimus et sigillo nostro appenso confirmavimus presentibus hisce testibus: comite Nicolao dicto Boczanht, comite Pachoslao Scedrichowicz, comite Yarognewo subiudice Poznaniensi, Wislao de Illowezc, et aliis quam plurimis fidedignis. Actum et datum Poznan anno Domini M.CCC.

Lubin, *Lubin.* Fluv. Obra, *rz. Obra.* Dalesino, *Daleszyn.* Scodrochowo, *Szczodrochów.* Yarogneus, *nazwisko urosłe od wsi Jarogniewice.* Illowezc, *Iłowiec, w kopji mylnie* Wolbrz; *cnfr. Nr. 841 i 847.*

Nr. 835.

Clemens prepositus domus s. Laurencii prope Kalis 1301 Ian. 27, in Solecz; protestatur, se ratione villae Głogowa episcopis Poznaniensibus, tanquam suis ordinariis, esse subiectum.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 86.

In nomine Domini amen. Cum nichil in humanis invencionibus sit perfectum et labilis sit memoria hominum in tantum, quod omnium habere memoriam divinum sit pocius quam humanum, provide a sapientibus est provisum, ut gestus mortalium scriptotenus perhenniter memorie commendentur. Eapropter ego Clemens, prepositus domus sancti Laurencii prope Kalis, una cum fratribus meis Ordinis sancti Benedicti ad noticiam omnium et singulorum cupimus devenire et presentibus profitemur, quod racione ville nostre, que Glogova dicitur et in Poznaniensis diocesi episcopi noscitur esse sita, in qua plenum ius in temporalibus obtinemus, dicto Poznaniensi episcopo tanquam nostro diocesano sumus subditi et subiecti, et in ecclesia ville eiusdem nostre investituram et curam animarum recepimus ab eodem et in posterum ab eo et suis successoribus recipere nos debere, et episcopalia iura persolvere omnia et singula, que alii rectores ecclesiarum, in Poznaniensi diocesi constituti, suis temporibus persolvere sunt astricti. Et ne super hys alicui in posterum dubium oriatur, presentibus meum sigillum et aliorum honorabilium virorum est appensum, quos humiliter exoravimus, ut presentibus sua sigilla appendi facerent nostri causa. Datum in Solecz villa Poznaniensis diocesis presentibus honorabilibus viris et dominis: Ulrico dicto de Boscovicz capitaneo regni Polonie, gardiano Kalisiensi et tutore, Stanislao archidiacono Unioviensi, et aliis quam plurimis fidedignis. Cives eciam Kalisienses nostris precibus inclinati, ad maiorem certitudinem suum sigillum presentibus appenderunt. Acta sunt hec in loco predicto proxima sexta feria ante Purificacionem beate Marie virginis, anno Domini M.CCC. primo.

Domus s. Laurencii prope Kalis, *klasztor Benedyktynów w Kościelnéj wsi.* Glogova, *Głogowa.* Solecz, *Solec.* Unioviensis, *de Uniejów.*

Nr. 836.

Lestko Premisl et Kazimirus principes Polonie etc. 1301 Apr. 23, Wladislavie; ecclesiae Gneznensi hereditatem Choczessovo donant.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 53 v.

In nomine Domini amen. Ne decursu vel longinquitate temporis gestorum veritas obscuretur, provida sapientum decrevit auctoritas, gesta digna memoria privilegiis autenticis posterorum noticie commendare. Inde est quod nos Lestko, Premisl et Kazimirus, Dei gracia principes Polonie et specialiter Cuyavie nec non duces et domini Wladislavie, filii Zemomisly, cupientes piis ac salubribus carorum progenitorum nostrorum vestigiis inherere, et matrem nostram sanctam ecclesiam Gneznensem

tanquam sui gratissimi filii, utpote qui ex ipsius utero noscimur prodiisse, brachiis filialibus amplexari, ac ipsam proemium ad triumphum, quod sursum est, scandere et in eius mansionibus iocundari: contemplantes quoque venerabilis patris nostri, domini Iacobi secundi, eiusdem archiepiscopi, paterne munimina caritatis, hereditatem principatus et dominii nostri Wladislaviensis que Choczessovo vulgariter vocitatur, sitam inter Barthodzege aliam hereditatem nostram et Repkam ex utraque parte fluvii qui Dobra vocatur, cum omnibus utilitatibus et fructibus, que sunt in ea vel esse poterunt in futurum, et cum iuribus omnibus et libertatibus quibus et cetere ecclesie gaudent ville, donavimus et donamus de consensu carissime matris nostre Gneznensi ecclesie supradicte et per consequens mense archiepiscopali, iure perpetuo possidendam. In cuius rei testimonium, presens privilegium dedimus memorato domino archiepiscopo venerabili patri nostro, duorum sigillorum ex nobis, eo quod tercius nostrum, nos videlicet Kazimirus et mater dilecta nostra, carebamus sigillis, robore communitum. Actum Wladislavie in die beati Adalberti pontificis et martiris gloriosi, anno Domini M.CCC. primo, mediantibus viris honestis: Barthossio iudice nostro, Pribislao subiudice, Andrea castellano Cruschviciensi, domino Michaele rectore ecclesie de Cuthno, et domino Iohanne de Cuthczino, domino Iohanne notario de civitate nostra Wladislaviensi, ac aliis pluribus fide dignis.

Wladislavia, *zamiast Inowrocław.* Choczessovo, *osada znikła.* Barthodzege, *Bartodzieje.* Repka, *osada znikła.* Dobra fluv., *Brda rz.* Cuthno, *Kutno.* Cuthczino, *Kuczyn.*

Nr. 837.

Iacobus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1301 Mai. 1, in Gora circa Znegnam; protestatur, Henricum Cristanowiz, canonicum Poznaniensem, hereditatem Lubin, eidem ac progenitoribus eius a monasterio de Trzemeszno ad tempus concessam, monasterio praedicto restituisse.

Pergam. orygin. Brzegi obcięte. Śladu przywieszenia pieczęci nie masz. Trzemeszno. Priv. Conv. Can. Reg. Lateran.

In nomine Domini amen. Quoniam propter ambiguos rerum eventus et causarum diversitates, quibus humana fragilitas a veritate rerum gestarum plerumque deviat et recedit, modernorum optinuit consuetudo utilis et honesta, ea que geruntur in tempore litterarum testimonio roborari, idcirco nos Iacobus, divina miseracione sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod dominus Henricus dictus Cristanowiz, Poznaniensis ecclesie canonicus, per dominum Ianussium prepositum Tremessensem et suum conventum pro hereditate que Luben vulgariter nuncupatur ad nostram presenciam evocatus, suam conscienciam et animas suorum progenitorum illesas conservans, coram nobis clara voce protestatus est, se suosque progenitores ab ecclesia et monasterio Tremessensi dictam hereditatem habuisse et longo tempore possedisse, quam, divina misericordia inspirante, in remissionem suorum peccatorum et parentum suorum, in presencia nostra sine omni contencione litis eodem momento prefate ecclesie et monasterio resignavit et restituit possidendam. Et ne in posterum aliqua possit calumpnia suboriri, que

dictam adtemptet resignacionem sive restitucionem infirmari, ad peticionem utriusque partis et ad pleniorem evidenciam, presentem paginam sigillo nostro et Capituli nostri fecimus roborari. Datum in Gora circa Znegnam, anno Domini millesimo trecentesimo primo, in die beatorum apostolorum Philippi et Iacobi, presentibus hys testibus: domino Wlostiborio preposito Gneznensi, domino Nicolao decano Gneznensi, domino Andrea archidiacono Gneznensi, domino Iohanne preposito Plocensi et canonico Gneznensi, domino Fredrico canonico Gneznensi, domino Woyslao canonico Gneznensi et plebano Znegnensi, domino Gregorio canonico Gneznensi, domino Boguslao plebano de Gora, et multis aliis fide dignis.

Luben, *Lubin.* Gora, *Góra.* Znegna, *Żnin.*

Nr. 838.

Nicolaus dux Opavye et capitaneus regni Polonie 1301 Mai. 8, in Pyzdr; ratam habet commutationem hereditatis ecclesiae Gneznensis, dictae Słupowa, certa summa pecuniae addita, cum hereditate comitis Zbiluti Strazsevicz, vocata Zbyluczyce, eiusque pertinentiis.

Pergam. orygin., u którego na sznurach jedwabn., fioletow. cztery pieczęcie przywieszono. Pierwsza okrągła, przedstawia zbrojnego Jeźdzca pędzącego w lewo; głowa i tułów zwrócone wprost; na lewéj trójkątna tarcz, prawica wznosi miecz; z napisu: S. Nicolai ducis O... *Druga podługowata, wyobraża Biskupa na tronie, błogosławiącego, z pastorałem w lewéj; pod tronem na tarczy trójkątnéj godło rodu Zaręba. Trzecia Mikołaja wojewody;* (pieczęć XXIX). *Czwarta Zbiluta Straszewicza;* (pieczęć XXX).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 71.

In nomine Domini amen. Ne gesta mortalium digna memoria, tractu temporis per oblivionem vel maliciam revocentur inimicorum, consueverunt autenticarum litterarum testimonio roborari. Hinc est quod nos Nicolaus, Dei gracia dux siquidem Opavye et capitaneus regni Polonie, tenore presencium notum facimus universis presentibus et posteris presencium noticiam habituris, quod coram nobis in presencia multorum baronum venerabilis in Christo pater dominus Iacobus secundus, divina miseracione sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, et comes Sbylud Strazsevicz sunt publice protestati, quod de hereditatibus infra scriptis talem commutacionem fecerunt; videlicet quod idem dominus archiepiscopus hereditatem ecclesie sue Sluppovam sitam prope Kcynam, conterminam Falissew, dedit per commutacionem eidem militi Sbyluto, et pro ea hereditatem ipsius Sbyluti dictam Sbyluczicz, cum suis pertinenciis, Grodzyzcze videlicet et sorte vel sortibus in Zpratkovicz in castellanya Spicimiriensi, prope Svenciam, cum omnibus utilitatibus que sunt vel esse poterint in futurum, ab ipso Sbyluto suscepit: addens sibi idem venerabilis pater, eo quod dicta villa Sbylucicz est melior et bonis ecclesie vicinior et ob hoc comodior, sexaginta duas marcas argenti, quibus ipsum archiepiscopum dictus Sbylut dudum placaverat pro dampnis et iniuriis illatis ecclesie, et centum quadraginta marcas, quas pro gravi vulneracione, quam in abbate Lecnensi indebite, diabolo instigante, idem Sbylud commisit, et aliis excessibus per filium suum Albertum ecclesie irrogatis, eidem domino archiepiscopo tenebatur. Promisit autem dictus Sbylud, sub pena centum marcarum

domino archiepiscopo solvenda, quod omnes filii sui hanc commutacionem et ordinacionem ratham habebunt et firmiter observabunt, et super hoc, infra hinc et diem beati Iacobi proximo venturam, sub sigillis suis aut aliis autenticis dicto domino archiepiscopo litteras suas dabunt. Nos autem quantum in nobis est volentes indempnitati regni consulere, iura regni que in Sbylucicz fuerant, in Slupovam, et ecclesie que fuerant in Slupova, in Sbyluciez transferenda presentibus protestantes, et hanc commutacionem gratham et ratham habentes, presentes sigillorum, nostri et venerabilis in Christo patris domini Andree episcopi Poznanyensis, Nicolai palatini Kalissiensis et dicti Sbyluti, fecimus munimine roborari. Actum et datum in Pyzdr anno Domini millesimo CCC. primo, in die beati Stanizlay martiris gloriosi; presentibus predictis domino Andrea episcopo Poznaniensi, Nicolao palatino Kalissiensi, Sandivoyo castellano Poznaniensi, Ubyzlao castellano Kalissiensi, Stogneo castellano Lendensi, Mroxkone castellano de Sun, et aliis quam pluribus fide dignis.

Opavya, *Opawa, z niemiecka Troppau.* Sluppova, *Słupowa.* Kcyna, *Kcyń.* Falissew, *Chwaliszewo.* Sbyluczicz, *Zbyłczyce.* Grodzyzeze, *Grodzisko.* Zpratkovicz, *osada znikła.* Spicimiriensis, *de Spicimierz.* Svencia, *Świnice.* Lecnensis, *de Łekno.* Lendensis, *de Ląd.* Sun, *Żoń; z dawnego grodu pozostało wysokie grodziszcze.*

Nr. 839.

Nycholaus dux capitanius regni Polonie 1301 Mai. 8, in Pisdra; interdicit, ne quis monasterium Ląd ratione hereditatis Koszuty molestet.

Pergam. orygin., u którego z przywieszonéj pieczęci pozostały nici jedwabne, wyblakłe, przez 2 wcięcia przewleczone.

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Codex diplom. Poloniae I, Nr. 95.

Nycholaus, Dei gracia dux, capitanius (sic) regni Polonie, universis palatinis, iudicibus, castellanis, subiudicibus per Poloniam constitutis, omnis boni plenitudinem cum salute. Sub obtentu gracie domini regis vobis precipimus et mandamus, ut nullus ex vobis dominum abbatem Lendensem aut fratres eius super hereditate, que Cosschuta wlgariter nuncupatur, a comite Gerwardo eidem domui collata pleno iure veluti a vero herede, et a Wlodisslao duce terre et baronibus confirmata, citacione, iudicio seu plane aliqua molestia, ad instanciam fratrum dicti comitis audeat aggravare. Scire vos volentes, quod dominus rex donacionem huius militis, quam fecit pro remedio anime sue, ratam habet et firmam, absolvitque dictos fratres ab omni querela prefate hereditatis, ut deinceps nulli debeant respondere, sed in pace et tranquillitate possideant, quod monasterio eorum ac Ordini est donatum; committens nobis, ut prefatos fratres ab omni impulsione et molestia tueamur. Quod notum vobis presentibus facientes et confirmantes testibus consulimus, ut nemo ausu temerario confirmacionem et graciam domini regis irritam facere in malum suum ulla ficta iusticia elaboret. Datum in Pisdra Staniczlai martyris, anno Domini MCCCI, presentibus hys: comite Nycholao palatino Calisiensi, comite Ubislao castellano Calisiensi, comite Stoigneo castellano Lyndensi, et aliis quam pluribus fide dignis. Ut

autem hec inviolabiliter ab omnibus teneantur, presentem cedulam sigilli nostri munimine duximus roborandam.

Lendensis, *de Ląd.* Cosschuta, *Koszuty.* Pisdra, *Pyzdry.*

Nr. 840.

Nicolaus dux Opavie et capitaneus regni Polonie 1301 Iun. 6, in civitate Pisdri; confirmat donationem hereditatis Witosław, a Bogufalo filio quondam comitis Dirsicraii, heredis de Koszonowo, ecclesiae Poznaniensi collatae.

Pergam. orygin., którego lewy brzeg odkrojony, a na to miejsce, na podklejonym pergaminie, inną ręką i pismem tekst dopełniony. Trzy pieczęcie przywieszono: pierwsza wielka, okrągła, przywieszona na sznurze jedwabn., czerw. wyobraża Jeźdzca zbrojnego pędzącego w lewo; głowa i piersi obrócone wprost, prawica zamierza mieczem; na lewéj trójkątna tarcz; napis zatarty. Druga i trzecia pieczęć znikły. Miejsca textu ujęte w klamry, mieszczą się na podklejonym kawałku.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 21. Lib. privil. B, Nr. 148.

In nomine Domini amen. Noverint universi presens scriptum inspecturi, quod nos Nicolaus, Dei gracia dux Opavie et capitaneus regni Polonie, presentibus profitemur, quod in nostra presencia constitutus (personaliter Bogufalus [1]), filius condam comitis Dirsicrayi heredis de Kossonow, nullo reclamante vel contradicente (hereditatem suam ad ipsum [2]) iure hereditario pertinentem, Witoslave vulgariter nuncupatam, non coactu(s nec compulsus, sed de maturo suorum consilio [3]), episcopatui ecclesie Poznaniensis donavit ac tradidit pure propter Deum coram nobis. Nos vero (divini cultum of [4]) ficii non minui set pocius augeri cupientes, predictam donacionem rite ac legitime ordinatam presentibus confirmamus, nostri sigilli munimine roborantes presentibus honorabilibus viris, domino Syfrido prothonotario regni Polonie, domino Fredrico castellano Poznaniensi, quorum eciam sigilla presenti cartule sunt appensa. Actum et datum in civitate Pisdri anno Domini millesimo CCC primo, octavo Idus Iunii.

[1]) *w Lib. privil. B:* dominus Bogufalus. [2]) *w Lib. privil. tak samo.* [3]) *w Lib. privil.:* non coactus, sed sua libera ac spontanea voluntate, episcopatui etc. [4]) *w Lib. privil. tak samo.*

Kossonow, *zamiast Koszonowo.* Witoslave, *zamiast Witosław.*

Nr. 841.

Comes Nicolaus Prsedpelcowycz pallatinus Kalischiens. 1301 Iun. 30—Iul. 5, in Poznania; fundat hospitale in oppido Gostyń, et abbatem conventumque de Lubin perpetuos possessores eiusdem hospitalis instituit.

Poznań. Königl. Staats Arch. Lib. terrestr. Costens. a. 1522, fol. 267 v; Relation. Costens. a. 1762, fol. 137 v. — Archiv. Consistorii Poznaniens. A. C. anni 1538.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi literarum ac testium munimine roborentur. Nos igitur comes Nicolaus Prsedpelcowycz palla-

tinus Kalischiensis, heres de Gostina, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem litteram inspecturis, quod saluti nostre, nostrorum parentum ac posteritatum nostrarum salubriter providentes, de consilio amicorum nostrorum maturo, et de concessione pia pariter et assensu benigno venerabilis in Christo patris domini Andree episcopi Poznaniensis ac dominorum fratrum suorum Capituli ecclesie prefate, ad laudem et gloriam nominis Dei et Spiritus sancti, domum hospitalis apud Gostinam civitatem nostram Domino suffragante construximus opperose, adiungentes eidem hospitali ecclesiam nostram in Antiqua Gostina cum omnibus decimis et obvencionibus ad eandem per omnia pertinentibus, de qua ecclesia prepósituram et collegium in prescripto constituimus hospitali. Addicientes eciam prepositure ac collegio ibidem predictam hereditatem nostram, videlicet Antiquam Gostinam, cum omnibus proventibus, iuribus, iurisdicionibus et aliis pertinenciis, et molendino quod Scrobach dicitur, cum piscinis quotquod sursum in eodem rivulo fieri possunt, non obstante aliqua rusticorum nostrorum de Daleschino vel aliorum quorumpiam aliunde propter litus contradiccione, ac ceteris utilitatibus, que in eadem hereditate et ecclesia nunc habentur et in posterum haberi poterunt, prout in suis limitibus continentur. Dedimus eciam pro usibus et comodis in locis predictarum ecclesiarum divino servicio mancipatis dimidium lacum, Sthibino vulgariter dictum, quam lacus dimidietatem apud legittimos heredes de Manclino, videlicet Ionatam, Slaventam et Ceslaum Brothcam pro certa pecunia comparavimus et parata. Et quomodo piam conversacionem et devocionem reverendi viri domini Martini, abbatis monastèrii de Lubyn Ordinis beati Benedicti, nobis in Christo dilecti patris suorumque fratrum pio affectu amplectimur, premissa bona, videlicet hospitale, ecclesiam et hereditatem, cum omnibus supradictis, per nos dicte prepositure addictis et collegio, sibi suoque conventui suisque successoribus solempni donacione celebrata contulimus in perpetuum possidenda, facientes prefatum abbatem et conventum suosque successores, bonorum premissorum perpetuos possessores. Qui abbas de suo conventu sui Ordinis et monasterii, ecclesiis premissis sibi collatis ordinet prepositum, virum idoneum, providum et honestum, aliquod sibi fratribus sociatis, ut in eisdem ecclesiis Deo militent et divina officia exerceant condecenter. Sit eciam in hospitali cella pro infirmis deputata, ubi decumbant et diligenter procurentur. Pre omnibus tamen, considerata mutacione temporis et statu terre, sane decernimus volentes et statuentes, ne cuiusque alterius Ordinis unquam vel monasterii seu condicionis persone, aliqua subrepcionis astucia vel violencia in premissis ecclesiis statuantur; sed tantummodo Ordo monasticus, qui secundum Deum et regulam beati Benedicti per nos inibi institutus est, temporibus perpetuis inviolabiliter in eisdem observetur. Preterea fratres nostros et amicos, et precipue posteritatem nostram de generacione in generacionem affectuosissime presentibus exhortamur, ut post decursum vite nostre, institutum beneficium, perhenne memoriale omnium nostrorum beneficiorum, presidiis et stipendiis omnique pio affectu prosequantur, nichil inde poscant, auferant nec minuant, nec alios minuere permittant, sed pocius augeant, protegant in omnibus et defendant. In huius rei perpetuam evidenciam, hanc donacionem nostram ratam et firmam habentes presentis scripti privilegio confirmamus, et sigilli nostri impressione et appensione communimus, dantes idem privilegium dicto domino Martino abbati prefati monasterii et suo conventui, suis successoribus, et fratri Nicolao preposito in memorata prepositura constituto, tanquam legittimis patronis, temporibus perpetuis duraturum. Actum et datum in Poznania infra octavas beatorum apostolorum Petri et Pauli, anno Domini millesimo

trecentesimo primo, presentibus hiis: prefato venerabili in Christo patre domino Andrea episcopo Poznaniensi, domino Iohanne preposito Poznaniensi, comitibus Iaroslao et Prsedpelcone fratribus nostris, comite Iarognewo de Yarognewycz, comite Vislao de Gilowyecz, et aliis quam plurimis fidedignis. Datum per manus Pauli scriptoris curie nostre.

Gostina, *Gostyń.* Antiqua Gostina, *Stary Gostyń.* Lacus Sthibino, *jezioro, nad którem leży wieś Cichowo, a dawniéj i znikła dziś osada* Manclino; *cnfr. Nr. 719.* Lubyn, *Lubin.* Yarognewycz, *Jarogniewice.* Gilowyecz, *Iłowiec.*

Nr. 842.

Comes Mrochco dictus de Vesenburg 1301 Oct. 9, s. l.; hereditatem Bukowiec hac conditione monasterio Paradyż donat, ut in ecclesia eiusdem monasterii altare assignetur, ante quod fratres sui et posteri sepulturam elegerunt.
Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. Nr. 57.

Notum esse volumus presentes visuris ac videntibus, quod nos comes Mrochco, dictus de Vesenburg, cum consensu filiorum simul et heredum nostrorum, propter remissionem nostrorum peccaminum, in honorem Dei et beate virginis Marie contulimus ecclesie Paradisi hereditatem nostram Bucowetz, a nobis libere dudum possessam cum agris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis et paludibus, rubetis et nemoribus, cum omnibus proventibus nunc ibidem existentibus et in posterum profuturis. Ita videlicet, ut prefato comiti Mrochconi et comiti Bogusoni dictis de Vesenburg, simul et Paulo eorum patrueli altare assignetur speciale, in quo laus Dei et beate Virginis et eorum memoria habeatur, ante quod altare ipsi cum suis posteris sepulturam elegerunt, quod altare in honorem sancti Iohannis Evangeliste construetur, et lumine perpetuo de eisdem bonis comparato, altare iam prefatum non carebit. Ut autem huius rei actio et nostra solemnis donacio a nemine irrita habeatur et inanis, sigillorum nostrorum munimine presencia duximus confirmanda: primo per nostrum, secundo per comitis Bogusonis, tertio per comitis Gnevomiri, quarto per sigillum Pauli nostri patruelis. Acta sunt hec anno Domini M.CCC.I, in die beatorum martyrum Dyonysii et sociorum eius coram his testibus: comite Martino de Heinrikesdorf, Nicolao Bughnaustr, domino Iacobo abbate Paradisi, Henrico monacho ibidem dicto de Blankenburg et Iohanne monacho dicto de Linbeke notario eorundem, et ceteris quam plurimis fidedignis.

Paradisus, *Paradyż.* Bucowetz, *Bukowiec.* Heinrikesdorf, *dziś Lang Heinersdorf.* Bughnaustr, *może mylnie zam. de Bukow.*

Nr. 843.

Andreas ecclesie Poznaniens. episcopus 1301 Octob. 27, in Poznan; hospitali in Gostyń ecclesiam in Stary Gostyń et decimas de quibusdam villis adiacentibus largitur.

Poznań. Königl. Staats Arch. Relation. Costens. a. 1792, fol. 159. — Archiv. Consistorii Posnaniens. Acta anni 1538.

In nomine Domini amen. Nos Andreas Dei gracia ecclesie Poznaniensis episcopus notum facimus universis presentibus et futuris, quod in nostra fratrumque nostrorum presencia constitutus comes Nicolaus heres de Gosthina, palatinus Kalisiensis, nobis humiliter supplicavit, quod cum ob remedium anime sue carorumque suorum, tam vivorum quam mortuorum, iuxta civitatem suam Gosthinam infirmorum intenderet construere hospitale, ubi infirmi et pauperes fideliter procurabuntur: quatenus ipsius peticionibus annuentes, eidem hospitali, ut inibi debiles et pauperes uberius et copiosius valeant confoveri, ecclesiam parochialem in Antiqua Gosthina cum omnibus suis decimis, iuribus, obvencionibus, utilitatibus et pertinenciis, pro subsidio iungeremus. Nos igitur, habito fratrum nostrorum Capituli Poznaniensis consilio pariter et assensu, dicti comitis iustis peticionibus annuere cupientes, ecclesiam in Antiqua Gosthina cum decimis infrascriptis hospitali unimus et iungimus supradicto. Villarum autem, in quibus decime eidem ecclesie sunt pertinentes, nomina sunt hec: Gostina antiqua, Dalesino, Gola, Brzeze, Stbino, Malawa et villa Pozegowo, sicut sunt suis limitibus declarate. Ut autem rector eiusdem hospitalis et populum sibi commissum efficacius et salubrius regere, et infirmos ibi decedentes commodius terre corpora Deo autem animas commendando valeat procurare, concedimus eidem hospitali et cimeterii usum, et admittimus ecclesiasticam sepulturam. Ne vero super hiis in posterum dubitetur et predicta robur perpetue obtineant firmitatis, presentibus sigilla, nostrum et nostri Capituli, mandavimus appendenda. Actum et datum in Poznan sexto Kalendas Novembris, anno Domini M.CCC.I, presentibus dominis: Iohanne preposito, Gregorio decano, Henrico scolastico, Martino, Borislao, Nicolao archidiaconis, Thylone, Iacobo, Friczscone, Iescone, Theodorico, et aliis pluribus canonicis Poznaniensibus.

Gosthina, *Gostyń*. Antiqua Gosthina, *Stary Gostyń*. Dalesino, *Daleszyn*. Gola, *Gola*. Brzeze, *Brzezie*. Stbino, *osada znikła, leżała nad jeziorem Cichowskiem; cnfr. Nr. 719*. Malawa, *Malewo*. Pozegowo, *Pożegowo*.

Nr. 844.

Vitus filius Starcini 1301 s. d. et l.; vendit Petro ballistario, civi de Kalisz, hereditatem Krtusów, iure Theutonico ad locandum.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 90 v.

In nomine Domini amen. Propter inconstanciam et fragilitatem necesse est, ut acta hominum litterarum testimonio confirmentur. Hinc est quod ego Vitus, filius Starcini, de voluntate filii mei Starcini et consilio amicorum meorum vendidi Petro

ballistario, civi Kalisiensi, hereditatem meam que Trecusowo vulgariter nuncupatur et appellatur, iure Theutunico locandam, tali autem iure, sicut ville circa Novum Forum sint locate. Racione vero sue locacionis, Petrus habebit duos liberos mansos et duodecim mansi erunt censuales; et quitquid erit ultra quatuordecim mansos, hoc pro meo allodio observabo. Et habebit Petrus et sui heredes in Trecusow liberam thabernam, duos ortos liberos, macellum panis et carnificis et sutoris, et tribus annis libertatem, hereditarie ac libere cum suis heredibus in perpetuum possidebit. Expirata autem libertate, de quolibet manso non libero villani in Trecusow manentes solvent michi et meis heredibus, in quolibet festo sancti Martini, quatuor mensuras tritici, et quatuor mensuras siliginis, et quatuor avene, et fertonem usualis argenti. Et ad expedicionem villani in Trecusov dabunt michi equum mediam terciam marcam valentem; illum debeo facta expedicione restituere, vel in censu detinere. Et ut ista ordinacio inviolabilis presentibus et futuris temporibus perseveret, presentem litteram feci mei sigilli munimine roborari presentibus hys testibus: domino Roscone venatore Kalisiensi, Thilone de Tlokyna, Hermano scolteto Dobriciensi, Iacobo Gallico scriptore Calisiensi. Acta sunt hec anno Incarnacionis Domini millesimo trecentesimo primo.

Trecusowo, *Krtusów*. Novum Forum, *Neumarkt*, *czyli Środa na Szlązku*. Tlokyna, *Tłokinia*. Dobriciensis, *de Dobrzec*.

Nr. 845.

Henricus prepositus de Grossyczko 1301 s. d. et l.; Markoni hereditatem Iankowo, iure Novi fori locandam, vendit.

Kalisz. Archiw. Rządowe. Inscript. castrens. Kalisiens. a. 1563, lib. 28, fol. 1327.

In nomine Domini amen. Quoniam omnia que aguntur in tempore, simul cum tempore dilabuntur nisi virorum ac litterarum testimonio fuerint perhennata, inde est quod nos Henricus prepositus de Grossyczko notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod de nostra bona voluntate et consilio venerabilis in Christo patris domini Iacobi, divina providencia archiepiscopi sancte Gnesnensis ecclesie, hereditatem Iankowo vulgariter nuncupatam probo viro et honesto Marconi et sue posteritati vendidimus, iure Novi Fori quod est in Sroda locandam sibique Marconi cum sua posteritate sculteciam eciam possidendam, et sex mansos liberos et quattuor sortes liberas hortorum iure hereditario perpetue libere possidendas, attribuentes libertatem sepedicte hereditati duodecim annorum. Expirante libertate, nobis et nostris successoribus singulis annis de quolibet manso non libero solvat quatuor mensuras siliginis, quatuor tritici, quatuor avene, et fertonem usualis monete in festo beati Martini solvere tenebuntur. Sepedictus Marek et sua posteritas in dicta hereditate Iankowo habeat molendinum, tabernam, macellum carnis, pistoris, sutoris, et fabricam, et tercium denarium de omni re iudicata; alias vero omnes utilitates, in pratis, in feris magnis et parvis, libere possidebit. Ut hec omnia nunc et in posterum firma et rata permaneant, presentem litteram conscribere fecimus et sigilli domini nostri Iacobi, archiepiscopi sancte Gneznensis ecclesie, munimine roborari. Datum anno Domini millesimo trecentesimo primo presentibus hiis

testibus: domino Nicolao decano Gneznensis ecclesie, domino Gabriele plebano de Sobotka canonico, Paulo dicto Iasco et herede de Chorsewo, et aliis fide dignis.

Grossyczko, *Grodzisk*. Iankowo, *Janków*. Novum Forum, *Neumarkt*, *czyli Środa na Szlązku*. Sobotka, *Sobotka*. Chorsewo, *Chorzew*.

Nr. 846.

Nicolaus dux quondam Opavye 1301 Dec. 27, Gnezne; ratam habet venditionem tertiae partis hereditatis Pątnów, quam Stampota, filius Ceszlai dicti Brodnica, ecclesiae Gneznensi resignaverat.

Pergam. orygin., u którego na pasmie nici jedwabn., amarant. przywieszona wielka, okrągła pieczęć przedstawia Jeździca w pełnym rynsztunku pędzącego w lewo; prawicę zbrojną mieczem wznosi poza siebie, na lewéj tarcz. Napis i powierzchnia wycisku wypełzły.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 72.

In nomine Domini amen. Ne res gestas aboleat decursus temporum, confirmat eas sollempnis titulus litterarum. Noverint igitur universi presencium noticiam habituri, quod coram nobis Nicolao, Dei gracia duce quondam Opavye et capitaneo regni Polonye, Stampota filius Ceszlay dicti Brodnica est publice protestatus, quod terciam partem hereditatis Panthnovo nuncupate, que ipsum legittime et hereditarie contingebat, pro redempcione sue persone a captivitate in Quonin, a qua venerabilis pater dominus Iacobus secundus, divina miseracione sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, de bonis eiusdem ecclesie de quadraginta quinque marcis argenti ipsum redemit, prefato domino archiepiscopo et ecclesie de consensu puerorum suorum, Nicolai videlicet et Floriani nec non Sventhomiri fratris sui, bona voluntate vendidit et libere resignavit cum tercia parte lacus quam prius eidem domino archiepiscopo vendidit, et clausuris fluminis quod Goplenyca vocatur, et omnibus pertinenciis et utilitatibus tam in terra quam in lacu, plenarie et libere possidendam; et nichilominus, si dicta pars hereditatis in plus se extenderet, quia ecclesia sibi in necessitate se exhibuit graciosam, dictam porcionem suam pro dicto beneficio et peccatis suis eidem ecclesie vult esse donatam. Quam ordinationem ratam et gratam habentes, presentes mandavimus nostri sigilli munimine roborari. Datum Gnezne anno Domini M. trecentesimo primo, in die sancti Iohannis Ewangeliste, presentibus Mroxkone castellano de Sun, Andrea preposito Kalissiensi.

Opavya, *Opawa, z niemiecka Troppau*. Panthnovo, *Pątnów*. Quonin, *Konin*. Lacus *wzmiankowany, jest jezioro Pątnowskie*. Flum. Goplenyca, *jest albo odpływ jeziora Gosławickiego do jeziora Pątnowskiego, lub też odpływ ostatniego do rz. Warta, późniéj powiększony na kanał*. Sun, *Żoń*.

Nr. 847.

Wlastek et Radon fratres uterini heredes in Weshcovo 1302 Ian. 1, Gostine; protestantur, se partem suam in Wieszkowo monasterio Lubinensi primo in certa pecunia obligasse, tum cum consensu filioli sui Vitoslai perpetuo resignasse. Nicolaus vero, palatinus Kalisiens., ordinationem praedictam sub suo sigillo conscribi mandat.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia jednéj pieczęci, która znikła.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 1. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 82.

Noverint universi tam presentes quam futuri presentem litteram habituri, quod ego Wlastek et Radon fratres uterini, heredes in Weshcovo, partem nostram eorundem ibidem bonorum que nos legitime tangebat, quam domino Martino abbati claustri de Lubyn obligaveramus in viginti marcis usualis monete, post aliquot vero temporis spatium, habito maturo nobiscum consilio, aggressi prefatum dominum abbatem et facta firmataque ex utraque parte inter nos ordinatione, matura deliberatione eam partem nostram ex toto in iam dicto Weshcovo, predicto domino Martino et claustro suo Lubinensi, acceptis ab eo viginti marcis aliis ad illas viginti marcas prius acceptas, vendidimus sibi libere pro marcis perpetuo quadraginta. Venientes itaque nos et abbas cum hac tali firma venditione ad nobilem virum comitem Nicolaum palatinum Kalissiensem, actionem venditionis et emptionis nostre coram eo et aliis terre nobilibus palam exposuimus, prelibatoque domino Martino abbati et claustro Lubinensi ibidem cessimus in totum de nostra parte hereditatis Weshcovo iam vendite, publice resignantes cum omnibus utilitatibus prout in suis limitibus est firmata perpetuum possidendam; ita sane, quod si posteritas nostra utriusque sexus unquam in posterum emerserit, sciat, nos certissime non obligasse Weshcovo dictum, sed in perpetuum vendidisse: ideoque bona predicta sic per nos vendita, nec repetere, nec redimere habent perpetuo facultatem. Et quia sigillis propriis caruimus, prefatum nobilem virum comitem Nicolaum palatinum Calissiensem instantissime rogavimus, ut in testimonium rei huius et memoriam, accionem venditionis et empcionis huiusmodi, manu publica iuberet annotari et suo sigillo insigniri. Ego etiam Vitoslaus filiolus Wlastconis et Radonis predictorum, filius quondam Petri de Weshcovo iam dicto, fratris premissorum Wlastconis et Radonis, notum facio omnibus tam presenti etati quam future, quod partem meam in Weshcovo sepedicto que me paterna ex successione legitime contingebat, Deo et beate Marie ac monasterio Lubinensi pro salute parentum meorum, mea et propinquorum meorum, libera et sana mente de consensu patruorum meorum predictorum contuli salubriter conferendo. Quam donationem meam, coram nobili viro comite Nicolao palatino Calissiensi ante dicto et aliis nobilibus publicavi, et tenori litterarum presentium Wlastconis et Radonis patruorum meorum ad evidentiam huius pleniorem inseri presentibus impetravi.

Nos igitur Nicolaus, palatinus Calissiensis, ad perpetuam memoriam premissorum cunctis modernis et postremis notum esse cupimus presens scriptum veraciter protestando, quod Wlastek et Radon fratres germani, et Witholaus filiaster ipsorum filius quondam Petri, heredes et superstites hereditatis Weshcovo, ac reverendus vir dominus Martinus abbas de Lubin in nostra multorumque nobilium presentia volun-

tarie constituti: Wlastek et Radon palam professi sunt, partem suam in Weshcovo se in totum dicto domino Martino abbati et suo monasterio pro quadraginta marcis monete usualis in perpetuum vendidisse, et filiaster eorum Withoslaus partem suam in totum, que ipsum contingebat ex paterna successione, de consensu patruorum suorum supra nominatorum, Deo et beate Marie, monasterio Lubinensi pro salute anime sue suorumque parentum professus est sollempniter contulisse; qui omnes tres unanimiter coram nobis et assessoribus nobilibus, dictam hereditatem Weshcovo, tanquam veri et legitimi heredes, superstites et patroni, nichil in ea pro se vel pro quovis suo quidquam reservantes vel excipientes, cum omnibus utilitatibus, prout in suis terminis et gadibus est circumquaque consignata, prefato domino Martino abbati et monasterio Lubinensi conferentes possidendam, perpetuo resignarunt, facientes prefatum abbatem et successores suos, hereditatis Weshcovo per omnia perpetuos dominos et heredes: super quo nobis obnixius supplicarunt, quatenus accionem eorum huiusmodi sub nostro sigillo conscribi mandaremus. Nos itaque ipsorum liberam, sanam et veram in omnibus premissis considerantes attentius voluntatem, in testimonium rei, accionem venditionis, emptionis, donationis, resignationis et susceptionis presentium litterarum nostrarum apicibus annotari iussimus, et nostro authentico ad presentes appenso diligentius roborari. Actum et datum Gostine in octava Nativitatis Domini, anno eiusdem millesimo trecentesimo secundo, presentibus hys nobilibus viris: comite Miroslao fratre nostro castellano de Bnyn, comite Alberto Krzonovicz, Vyslao de Illovo et Leonardo de Belewo comitibus, Swentoslao et Godfvino castellanis de Gostina, et aliis quam plurimis fide dignis.

Weshcovo, *Wieszkowo.* Lubyn, *Lubin.* Bnyn, *Bnin.* Illovo, *Iłowiec.* Belewo, *Bielewo.* Gostina, *Gostyń.*

Nr. 848.

Comes Nicolaus palatinus terre Kalisiens. 1302 Febr. 1, s. l.; civitatem suam Mosina Henrico sculteto denuo tradit et villas Pożegowo et Krośno eidem adiungit, ut iure Theutonico locentur.

Wilanów. Biblioteka. Rejestr Rewizorów do Wielkopolski, fol. 20.

In nomine Domini amen. Cuncta que geruntur tempore evanescunt cum tempore, nisi scripture presidio et testium noticia fuerint roborata ad gestorum memoriam sempiternam. Nos igitur comes Nicolaus, palatinus terre Kalisiensis, notum esse cupimus universis tam presentibus quam futuris hanc literam inspecturis, quod cupientes bona nostra ad usus et proventus utiles convertere, civitatem nostram dictam quondam Mossinam, a Niwky revocavimus et relocavimus ad priorem statum; et considerantes fidelitatem et sufficienciam dignitatis Henrici nostri sculteti, innovavimus ordinacionem super civitate predicta Mossina, dantes et conferentes sibi et suis successoribus sculteciam, iure hereditario in perpetuum possidendam. Etiam addidimus ad predictam civitatem Mossin sculteto has villas, vulgariter dictas Pozegowo, Krosna, cum parvo Zarub, agris civitatis et ante civitatem, iure Theutonico locandas et possidendas sub uno iure et consuetudine civitatis. In civitate predicta et in villis mansos Flamingos admittimus mensurari, et quinque annis libertatem ab omni

solucione nostri dominii concedimus perdurare. Damus scultèto et suis successoribus in predictis bonis racione locationis septimum mansum liberum; in civitate vero ad sculteciam damus molendinum, balneum, tria macella carnificum. Elapsa libertate, cives de agris et omnes villani censum triplicis frumenti dominio nostro solvent, videlicet duas mensuras tritici, sex silliginis et quatuor avene, et pro decima fertonem argenti in festo sancti Martini anno quolibet veniente. Item sculteto damus in civitate predicta et in villis omnes causas iudicare, definire, et omne ius quod consuevit Poznania obtinere, et de iudicio cuiuslibet cause tercium denarium possidere. Admittimus eciam sculteto gregem ovium sive pecorum, et pastorem in suis bonis possidere specialem. Item concedimus sculteto venari lepores in bonis sibi expositis, et aves generum diversorum. Hortum humuli insuper sibi liberum condonamus. Ut hec autem ordinacio et conscripcio robur perpetuum obtineat firmitatis et fidem, presentem literam nostro sigillo admisimus communiri presentibus his testibus: comite Prsedpelk Splawe, comite Iaraczone subiudice Poznaniensi, comite Vislao de Ilovecz, Nicolao capellano de Mossin. Actum et datum anno Domini millesimo CCC secundo, in die beate Brigitte virginis.

Mossina, *Mosina.* Niwky, *Niwki.* Pozegowo, *Pożegowo.* Krosna, *Krośno.* Parvum Zarub, *nazwisko zapomniane.* Splawe, *Spławie.* Ilovecz, *w kopji mylnie* Ploveze, *Iłowiec; cnfr. Nr. poprzedni.*

Nr. 849.

Bogus de Wesenburch 1302 Mart. 11, in Paradiso; protestatur, se villam Lubinisko a monasterio Paradyż ad tempus vitae suae in feudum recepisse.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia jednéj pieczęci, która znikła. Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 2. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. Facsimile.

Nos Bogus de Wesenburch notum facimus universis ad quos pervenerit presens scriptum, quod a religiosis viris, venerabili patre domino Iacobo abbate et cunctis fratribus Paradisi Cysterciensis Ordinis, hereditatem vocatam Polonice Lubinisco, Teutonice Villa Martini, recepimus in feodum tempore vite nostre; non quod hereditario iure posteris nostris heredibus relinquamus, sed, cum iubente Domino nostra vita finita fuerit super terram, dicta hereditas cum omni fructu et pecoribus que in mansione nostra in illa hereditate fuerint, ad Paradisum libera nullo contradicente redibunt, nostrumque corpus, prout desideramus, tradent ecclesiastice sepulture fratres superius memorati. Ut autem hec ordinatio firma et inviolabilis perseveret, presens scriptum, nostro sigillo munitum, in evidens testimonium dedimus fratribus recitatis, recipientes ab ipsis de huiusmodi ordinatione ipsorum litteram sigillatam. Testes horum sunt: comes Gnivmerus de Swebosin, dominus Hinricus de Clebs, dominus Hinricus de Mirica, et alii fide digni. Acta sunt hec in Paradiso coram conventu, anno Domini M.CCC.II, V Idus Martii.

Paradisus, *Paradyż.* Lubinisco, *Teutonice* Villa Martini, *dziś Merzdorf.* Swebosin, *Swiebodzin.* Clebs, *nazwisko wymarłéj Saskiéj familji, zwykle* Klepzig. Mirica, *zam.* Merica, Dąbrowa, *dziś z niem. Kl. Dammer.*

Nr. 850.

Fredericus camerarius regni Polonie 1302 Apr. 8, in Pisdra; notum facit, Boguszam et Mathiam, filios Hectoris, villae Koszuty in favorem monasterii Ląd renunciavisse.

Włocławek. Lib. privilegior. monasterii Ląd, pag. 22.

Fredericus camerarius regni Polonie universis palatinis, castellanis, iudicibus, subiudicibus per Poloniam constitutis, amoris sui plenitudinem cum salute. Noverit vestra discretio, quod baronibus terre una nobiscum in Pyzdra varias querèlas iudicio terminantibus, accessit Boguscha filius Hectoris abrenuncians controversie coram nobis, quam habuit una cum fratre suo Matthia erga dominum abbatem et fratres de Landa super hereditate que Coszutha vulgariter nuncupatur, resignans tam ipse quam frater eius predictus Matthias, cuius loco se stare fatebatur, in remedium animarum suarum, quicquid iustitie aut iuris in prefata hereditate Coszutha conquesti (sic) sunt se hactenus habuisse. Datum et actum in Pisdra anno Domini M.CCC.II, in dominica qua cantatur Iudica, presentibus viris nobilibus huius rei testibus: Ubislao castellano Calisiensi, comite Stoygnevo castellano Landensi, comite Rostchone venatore Kalisiensi, comite Sventoslao venatore curie regis, et aliis quam pluribus fide dignis. Ut autem hec rata permaneant, presentem cedulam sigilli nostri munimine duximus roborandam.

Pyzdra, *Pyzdry.* Landa, *Ląd.* Coszutha, *Koszuty.*

Nr. 851.

Iohannes prepositus Poznaniens. 1302 Mai. 1, in Poznan; vendit cum consensu Capituli cuidam Penthoni molendinum in villa Góra.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 90.

In nomine Domini amen. Cum ea que perpetuitatem desiderant, nisi litterarum munimine firmentur temporis labentis curriculo evanescunt, hinc est quod notum sit universis presentibus et futuris, quod ego Iohannes prepositus Poznaniensis, de communi consensu fratrum meorum canonicorum eiusdem ecclesie vendidi molendinum in villa Capituli Poznaniensis que vocatur Gora, sita circa viam que ducit de Poznania in Pobedziska, Penthoni et suis successoribus iure hereditario possidendum sub hac forma et paccione, ita videlicet, quod idem Pentcho tenebitur molas et alia omnia que necessaria sunt ad molendinum, propriis sumptibus et laboribus comparare. Domino autem ville qui pro tempore fuerit, tenebitur solvere de eodem molendino duas marcas quolibet anno, unam in festo beati Petri, aliam in festo Michaelis; insuper et molere tenebitur pro domino eodem qui fuerit pro tempore. Idem vero Pentcho habebit de area apud molendinum, ad spacium quantum potest una mensura siliginis seminari. Habebit insuper piscandi licenciam tantummodo in stagno. Ut autem hec firma permaneant que in superioribus sunt prenotata, ad perpetuam rei memoriam Capituli sigillo appenso presentem litteram duxi communiendam.

Sub anno Domini MCCC secundo, in Kalendis Maii, actum in Poznan presentibus dominis: magistro Gregorio decano Poznaniensi, domino Martino archidiacono, Thomka custode, Henrico scolastico, Anthonio cantore, Thilone, Sdislao, Adam, magistro Herbordo, Iohanne notario, Iacobo filio comitis Nicolai palatini de Kalis, canonicis Poznaniensibus, et aliis quam pluribus fidedignis.

Gora, *Góra.* Pobedziska, *Pobiedziska.*

Nr. 852.

Fr. Nicolaus Ostiens. etc. episcopus, apostol. Sedis legatus 1302 Mai. 21, Posonii; ratam habet compositionem inter Capitulum ecclesiae Poznaniens. et monasterium sororum s. Dominici ibidem factam, vigore cuius Capitulum praedictum decimas nec de tota villa Sokolniki, nec de agris in aliis villis monasterii, propriis eiusdem sumptibus et labore cultis, sese percepturum promiserat.

Dwa pergam. orygin. równobrzmiące. Kapituły Poznańsk. ma na skrawku pergamin. przywieszoną pieczęć podługowatą, któréj pole na trzy części w poprzek podzielone. Górna przedstawia dwie osoby pod Krucyfixem; w średniéj trzy osoby duchowne, stojące obok siebie, każda pod cyborium; dolna okazuje jednę osobę, zwróconą w prawo. Napis: S. Fris. Nicolai. Dei. gra. Ostiens. et Velletren. Epi.

Poznań. Archiv. Capituli II, 23. — Poznań. Königl. Staats Archiv. Pos. S. Catharin. Nr. 3; pergamin orygin. z poprzednim równobrzmiący, którego pieczęć znikła z pozostałego skrawka pergamin.

Frater Nicolaus miseracione divina Ostiensis et Velletrensis episcopus, apostolice Sedis legatus, universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Ad notitiam vestram presentium tenore deducimus, quod dudum sanctissimus pater et dominus noster dominus Bonifatius, divina providentia Papa VIII, priorissis et conventibus sororum inclusarum monasteriorum, sub cura et secundum instituta fratrum Ordinis nostri Predicatorum viventibus, generaliter per speciale privilegium indulsit et gratiose concessit, quod de quibuscunque bonis et possessionibus, que tempore indulti et concessionis huiusmodi obtinebant et iustis modis prestante Domino acquirerent in futurum, nemini decimas solvere tenerentur. Cumque post concessionem huiusmodi venerabilis pater .. episcopus et discreti viri Capitulum Poznaniense, a priorissa et conventu sororum inclusarum monasterii sancti Dominici Poznaniensis, secundum eadem instituta et sub cura predicta viventibus, sibi persolvi decimas de bonis et possessionibus earum contra tenorem dicti privilegii ut dicebant petivissent, et demum super dictis decimis, quas priorissa et conventus prefate dictis episcopo et Capitulo, prout ex vigore dicti privilegii sibi competere asserebant, minime tenebantur, solvere denegabant, orta materia questionis, super hec per dictas priorissam et conventum ad nos habitus est recursus. Nos igitur, qui ex debito nostri tenemur officii dirimere litigiorum anfractus, volentes causam huiusmodi celeriter terminare, ad instanciam priorisse et conventus predictarum, .. episcopum et Capitulum memoratos per nostras litteras citari mandavimus, ut certo termino in eisdem litteris annotato, comparerent legittime et peremptorie coram nobis, dictis priorisse et conventui super premissis responsuri de iure et alias processuri in causa ipsa, iustitia

mediante. Comparentibus itaque discreto viro magistro Iacobo canonico Poznaniensi procuratore episcopi et Capituli predictorum ex parte una, et fratre Dominico predicti Ordinis Predicatorum lectore Poznaniensis, procuratore dictarum priorisse et conventus ex altera coram nobis, et tandem volentes ipse partes parcere laboribus et expensis, ad talem in causa ipsa, in nostri presencia constituti, compositionem et concordiam devenerunt. Videlicet, quod episcopus et Capitulum supradicti, a villanis seu colonis possessionum et bonorum omnium, que dicte priorissa et conventus ad presens habent et possident, ac ipse et alie que in dicto monasterio succedent eisdem habebunt et possidebunt in posterum, integre percipient decimas perpetuis temporibus annuatim; excepto, quod dicti episcopus et Capitulum, in villa de Sokolnice aliquas decimas non percipient ab ipsa priorissa et conventu nec a colonis earum, et in aliis etiam villis, quas ipse priorissa et conventus habent in presenti vel in futurum habebunt, predicti episcopus et Capitulum, ab ipsis priorissa et conventu seu sororibus, de aratris earum seu de terris et possessionibus suis, quas laborant vel laborabunt propriis manibus vel sumptibus, ab eis aliquas decimas non petent nec exigent quoquo modo, sed eedem priorissa et conventus eas perpetuo integre et sine diminutione aliqua sibi retinebunt et percipient tamquam proprias. Et renuntiaverunt magister Iacobus et lector, procuratores prefati, procuratorio nomine quo supra: videlicet idem magister Iacobus omni iuri, quod idem episcopus et Capitulum habent et habere possent in posterum in decimis supradictis, et prefatus lector quoad premissa privilegio memorato: et promiserunt sibi ad invicem stipulatione solempni procuratores prefati, nomine suo et eorum quorum procuratores existunt, et nobis recipientibus vice et nomine omnium quorum interest et interesse posset, omnia et singula supradicta in perpetuum firmiter tenere et observare, et nunquam contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa, sub pena quadraginta marcharum argenti in singulis capitulis non servatis, que tociens committatur ac peti et exigi possit cum effectu, quociens contrafactum fuerit per aliquam partium predictarum; qua pena soluta vel non, nichilominus ipse contractus in omnibus et per omnia in sua remaneat firmitate. Nos igitur volentes ut compositio ipsa plenam obtineat roboris firmitatem, eam ratam et gratam habentes, ad instantiam procuratorum predictorum, auctoritate qua fungimur confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, mandantes nichilominus episcopo et Capitulo ac priorisse et conventui memoratis, ac cuilibet de dictis Capitulo et conventu sub excommunicacionis et interdicti penis, ut predictam compositionem studeant inviolabiliter observare. In cuius rei testimonium, presentes litteras mandavimus sigilli nostri appensione muniri. Datum Posonii XII Kalendas Iunii, pontificatus domini Bonifatii Pape VIII anno octavo.

Sokolnice, *Sokolniki.*

Nr. 853.

Bonifatius Pp. VIII 1302 Iun. 10, Anagnie; Wenceslao regi Bohemiae interdicit, ne se ulterius regem Poloniae nominet.
Naruszewicz. Historja Narodu Polskiego VIII.

Datum Anagnie IV Idus Iunii. Ad hec ignorare te nolumus, quod cum in predictis tuis literis te regem non solum Bohemie sed etiam Polonie duxeris descri-

bendum, causa nobis exinde magne turbationis advenit; qui auctoritate propria, quinimo temeritate non modica, non vocatus a Domino tanquam Aaron, sed apostolica Sede, matre omnium et magistra, contempta, ad quam provincie Polonie pertinere noscuntur, regium in ipsa Polonia nomen usurpas te regem Polonie nominando. In que autem crimina assumptio falsa regie dignitatis, imo et simplicis magistratus, ac seditio et commissio violentie cum armis incidant, quibus subiiciendi sint penis talium patratores, non est opus exprimere, quia id nota et vetustissima decreta sanxerunt. Ne igitur in te tante temeritatis audaciam, in tue salutis dispendium, prefate Sedis iniuriam, in plurimorum scandalum absque dubitatione presumptam, dissimulare quodammodo videamur: magnificentie tue per apostolica scripta sub spiritualibus et temporalibus penis, quas si contrarium feceris, tibi volemus inferre, districtius prohibemus, ne te ulterius regem Polonie nomines, sigillum regium sub intitulatione Polonie regni assumas vel utaris assumpto, neque privilegia, immunitates, feuda, donationes, bona et iura quecunque, in ipsa Polonia vel aliqua eius parte concedas, aut tanquam rex Polonie quidquam agas. Nos enim tibi paratos offerimus ad manutenendum et conservandum iura, si que in ipsa Polonia ostenderis tibi competere legitime coram nobis.

Nr. 854.

Andreas episcopus Poznaniens. 1302 Iun. 30, in Poznan; ecclesiae de Solec agros suos, eidem ecclesiae adiacentes, assignat, et pro eis agros in Seligi recipit.

Pergam. orygin. Na sznurkach jedwabn., czerwon. przywieszono dwie podługowate pieczęcie, z których pozostałe ułamki nie okazują wycisku.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 22.

In nomine Domini amen. Nos Andreas Dei gracia ecclesie Poznaniensis episcopus notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod in nostra fratrumque nostrorum presencia constitutus capellanus noster dominus Nicholaus, rector ecclesie de Solecz, nobis humiliter suplicavit: quod cum ipse nomine suo et ecclesie sue pro pecunia eiusdem ecclesie aput Petrum, Michaelem, Iohannem et Paulum, heredes de Seligi iuxta villam nostram Withowo, pro tredecim marcis argenti usualis emerit agros nobis et memorate ville contiguos et vicinos: quatinus secum et cum ecclesia sua permutacionem facientes, sibi et ecclesie sue agros in Solecz nostro aratro deputatos assignaremus, cum ecclesie sue existant magis utiles et vicini, et agros suos nostro dominio reservaremus. Igitur fratrum nostrorum Capituli Poznaniensis habito consilio et consensu, ecclesie de Solecz perpetuo assignamus agros nostri aratri ibidem, dominum Nicholaum nomine sue ecclesie in possessionem vel quasi civilem et naturalem inducentes, ab ipso et sua ecclesia agros in Seligi recipientes. Et ne super hiis in posterum dubitetur, presentes litteras nostro sigillo et Capituli nostri mandavimus apensione muniri. Actum et datum in Poznan, in Capitulo in crastino beatorum Petri et Pauli apostolorum, anno Domini M trecentesimo secundo, presentibus dominis: Iohanne preposito, magistro Gregorio decano, Henrico scolastico, Martino archidiacono, Anthonio cantore, Thomca custode, Nicholao preposito Gnesnensi, Andrea archidyacono Gneznensi, Andrea preposito de

Kalis, Nicholao archidiacono, Radonio archidiacono Cyrnensi, Iacobo, Thylone, Predvogio, Boruchone, Salomone, Iaschone, Sdyslao, Adam, Gercone, Nicholao, canonicis Poznaniensibus.

Solecz, *Solec.* Seligi, *osada znikła.* Withowo, *Witowo.* Cyrnensis, *t. j. de Czersk.*

Nr. 855.

Andreas episcopus Poznaniens. 1302 Iun. 30—Iul. 5, Poznanie; consulibus Poznaniensibus processionem in ecclesia b. Mariae Magdalenae et scholas concedit, tamen absque praeiudicio ecclesiae maioris et eiusdem scholae.

Pergam. orygin. Dwa sznury jedwabne, wyblakłe, każdy przez dwa wcięcia przewleczony; pieczęcie znikły.

Poznań. Archiw. Miejskie, Diploma Nr. 9.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum munimine ac testium subscripcione roborantur. Nos igitur Andreas, miseracione divina Poznaniensis episcopus, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod in nostra et fratrum nostrorum Capituli nostri Poznaniensis presencia constituti discreti viri, consules civitatis Poznaniensis Heymannus dictus Cayfas, Hermannus Gubinco, Lodovicus Premislay, Pacoldus sutor, Conco Gisle, Bruno de Sroda, Guncel carnifex, Herbrahardus scriptor civitatis Poznanie, cives Poznanienses, nomine suo et tocius communitatis nobis et fratribus nostris humiliter supplicarunt, ut eis, cum ipsi tanquam filii a suis progenitoribus promtitudine obediencie et fidelitate ecclesie nostre sint astricti, prospectis salute animarum et periculis que interdum propter alluvionis inpetum et distanciam pueris ipsorum sepius evenerunt, dignaremur processionem in ecclesia nostra parrochiali aput sanctam Mariam Magdalenam concedere et scolas, quibus, absque preiudicio ecclesie nostre maioris et scole ibidem, vellent uti, in omnibus ecclesie nostre predicte conservatis utilitatibus et honore. Nos igitur, qui semper ex nostri officii necessitudine tenemur nobis creditorum saluti prospicere, incommodis et periculis obviare, habito consilio fratrum nostrorum et consensu: presertim cum memorati consules nomine suo et tocius communitatis promiserunt bona fide, cum per nos et ecclesiam nostram fuerint requisiti, nobis et ecclesie nostre adesse et nostra ecclesieque nostre iura efficaciter deffensare, et nos vice versa una cum fratribus nostris, tanquam filiis karissimis eis promisimus in omnibus ipsorum necessitatibus assistere vicissitudine graciosa: sub eis modis et condicionibus concedimus civitati processionem et scolas, videlicet quod diebus, quibus ecclesie processionis habent usum, suam processionem faciant bene mane, ita quod populus qui ex devocione voluerit, absque retardacione et quovis inpedimento possit ecclesiam nostram maiorem visitare et interesse processioni, et honorem ecclesie debitum exibere. Scolas eciam habeant et scole rectorem, set rector scole per nos debet et fratres institui nostros, et sic institutus usque ad Donatum et Catonem pueros docebit; quibus perlectis, qui volent, se transferant ad scolam nostram maiorem, vel alibi ubi eis videbitur expedire. Et ne super hiis in posterum dubitetur, presentes nostro nostrique Capituli sigillis mandavimus appensione muniri. Actum et datum Poznanie in loco Capituli in sacristia beati Stanislay infra octavas aposto-

lorum beatorum Petri et Pauli, anno Domini M.CCC. secundo, presentibus fratribus nostris: dominis Iohanne preposito, magistro Gregorio decano, Henrico scolastico, Martino archidyacono, Antonio cantore, Thomca custode, Nicolao archidyacono, Nicolao preposito Gneznensi, Andrea preposito Kalisiensi, Radonio archidyacono Cyrnensi, Thilone preposito de Santok, Iaccobo, Borutono, Salomone, Beniamin, Adam, Iascone, Nicolao, Predvoio, Theodrico, canonicis Poznaniensibus, per manus Iaccobi cancellarii curie nostre.

Cyrnensis, *de Czersk.* Santok, *Santok.*

Nr. 856.

Fridericus de Chachowicz camerarius regni Polonie 1302 s. d., in Gnezna; protestatur, monasterium de Łekno lacus Bielsko et Stekelin cum sortibus adiacentibus, quos Troianus castellanus de Nakło occupaverat, iudicialiter acquisivisse.

Wągrowiec. Archivum monasterii. Protocollum 3tium pag. 15. (Kopja z pergaminu orygin.).

Nos Fridericus de Chachowicz, camerarius regni Polonie, notum facimus universis ad quos presens scriptum pervenerit et publice presentibus protestamur, quod dominus Christianus abbas Luknensis duos lacus, scilicet Belczko et Stekelin, cum sortibus adiacentibus, Slosino, Durowo, Kavcilas, Ticimo, Krowikerz et Swiniebloto, quas comes Troianus castellanus de Nakel occupavit, coram nobis et palatino Kalissiensi domino Nicolao, et omnibus baronibus tunc presidentibus in solemni iudicio in Gnezna, iusto iudicio et hostensione sui privilegii rite ac rationabiliter aquisivit. Datum in Gnezna anno Domini M.CCC.II.

Chachowicz, *nie odgadnione.* Luknensis, *de Łekno.* Lacus Belczko et Stekelin; *nad pierwszem leży pewnie wieś Kobylec, nad drugiem wieś Durowo.* Slosino, *osada znikła.* Durowo, *Durowo.* Kavcilas, Ticimo, Krowikerz, Swiniebloto, *nazwiska zapomniane.* Nakel, *Nakło.*

Nr. 857.

Fridericus dictus... wicz camerarius regni Polonie 1302... Nakel in castris; protestatur, Wenceslaum regem Bohemiae et Poloniae monasterio de Łekno hereditatem P... contulisse.

Pergam. orygin. podziurawiony, z pismem w wielu miejscach wyżartem. Na niciach jedwabn., czerwon. przywieszono trzy pieczęcie. Pierwsza Fridrika... wicz; (pieczęć XXXI). *Nie jest to pieczęć osobistości, która się pisze:* Frizkco dictus de Shachoviz gubernator regni Polonie et ducatuum Cuyavie et Pomeranie, *bo takowa znajduje się przy innym dokumencie, Koronowo Nr. 37, z roku 1304, i jest całkiem inna. Druga Mikołaja wojewody Kaliskiego;* (pieczęć XXXII). *Trzecia Sędziwoja wojewody Poznańskiego, okazuje na tarczy trójkątnéj godło rodu Zaręba; napis połamany okazuje tylko pojedyncze litery.*

Poznań. Königl. Staats Archiv. Łekno 2.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. (*23 lit. del.*) geruntur (*8 lit. del.*) ne simul (*8 lit. del.*) cum tempore, necesse est testium subscripcionibus et sigillo-

rum inpressionibus perhennari. Igitur nos Fridericus dictus (*6 lit. del.*)... wicz, camerarius regni Polonie, notum esse volumus tam presentibus quam futuris presens scriptum intuentibus (*8 lit. del.*) dominus Wenceslaus, inclitus rex Bohemie et Polonie, pro salute sua et omnium progenitorum suorum contulit Deo et gloriose virgini Marie, beato Petro ac fratribus in Lucna Ordinis Cisterciensis (*11 lit. del.*)... tibus hereditatem nomine P... (*6 lit. del.*) supra Welmam constitutam, cum omnibus atinenciis (*12 lit. del.*) silvis, aquis, pratis, nemoribus, venacionibus, piscacionibus, et cum omnibus utilitatibus (*12 lit. del.*) sunt vel processu temporis esse possunt, iure hereditario libere in perpetuum possidendum. Et ut hec donacio rata et inconvulsa permaneat, presens scriptum ex mandato prephati domini regis (*8 lit. del.*) sigillo et palatinorum, scilicet Nicolay palatini Kalissiensis et Sanziwoyi palatini Poznaniensis (*7 lit. del.*) confirmamus. Acta sunt hec Nakel in castris, anno Domini M.CCC. secundo, in vigilia sancti (*6 lit. del.*) coram hiis testibus, scilicet comite Boguslao iudice Gnesnensi, et comite Nemerone filio (*8 lit. del.*) comite Boguphalo de Lucna, comite Slavnico de Slupowo et Buguphalo de Crolicow, et aliis quam pluribus fide dignis.

Lucna, *Łekno. P. (6 liter zatartych) nad Wełną, mógłby bydź Prusiec.* Welma, *Wełna rzeczka.* Nakel, *Nakło.* Słupowo, Krolikowo, *dziś tak samo.*

Nr. 858.

Consules et universi cives Poznaniens. Kalisiens. Gnisnens. et de Pizir 1302 Nov. 27, in Pizir; ratione reprimendi malefactores, certum foedus ineunt.

Pergam. orygin. U dolnego, założonego brzegu pięć pasków pergaminowych od przywieszonych niegdyś pieczęci.

Biblioteka X. X. Czartoryskich. Diplomata.

In nomine Domini amen. Ne gestarum rerum memoria processu temporis evanescat, discretorum virorum prudencia solet eas littera et sigillorum apensione perhennare. Notum igitur sit universis quorum audiencie presens scriptum deferetur, quod nos consules et universi cives, Poznanienses, Kalisienses, Gnisnenses et de Pizir, ex consensu et voluntate domini Friderici camerarii regni Polonie, indissolubili pacto et unione concordie sumus perpetuo confederati. Cupientes seviciam inpiorum refrenare statuimus, ut quicunque predones, latrones seu fures predictis civitatibus dampna inportaverint, eosdem malefactores tenemur iudicio requirere, tam labores quam expensas super premissis unanimiter conformantes. Item statuimus, ut si quis in aliqua predictarum civitatum omicidium perpetraverit aut aliquem vulneraverit, quod propter eosdem aut alios excessus proscriptus fuerit, et in quacunque civitate aut confiniis commoretur, propinquior civitas iure et iudicio eundem requirat cum expensis civitatum predictarum. Item statuimus firmiter observandum, ut quicunque incendiarius, iure aut iudicio non inpetrato dampnum vel incendium fecerit, cuique iudicium iustum non fuerit denegatum, ad quascunque partes idem se transtulerit, civitates sepedicte eundem insequantur et iudicio requirant, nullum ab eodem satisfaccionis emulimentum exhigentes. Ad maiorem igitur certitudinem et cautelam,

presentem paginam sigillo domini Friderici camerarii regni Polonie et civitatum predictarum sigillis fecimus roborari. Actum et datum in Pizir anno Domini M.CCC secundo, proxima feria tercia post diem sancte Katerine.

Pizir, *Pyzdry.*

Nr. 859.

Alexius dictus de Lekensteyn capitaneus Lanchiciens. 1302 Nov. 29, in Lanchicia; in recompensationem hereditatum Topola, Wilczkowice, Bojanowice et Lubin, quas dux Wladislaus mensae archiepiscopali abstulerat, hereditates Piekary, Michałowice, Witaliszewice et Gębice ecclesiae praedictae addicit.

Pergam. orygin., u którego na pasmie nici jedwabn., żółt., czerwon. i niebiesk. przywieszona pieczęć Alexego; (pieczęć XXXIII).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 73.

In nomine Domini amen. Ut gesta vel ordinaciones hominum mortalium dignas memoria non aboleat oblivio, que solet ex tractu vel longinquitate temporis provenire, provida sapientum decrevit auctoritas, ea vel eas litterarum testimonio commendare noticie futurorum. Inde est quod ego Alexius dictus de Lekensteyn, capitaneus Lanchiciensis, ad perpetuam rei memoriam notum facio universis presentes litteras inspecturis, quod cum a preclarissimo principe et domino semper magnifico, domino Wenceslao Dei gracia Bohemie et Polonie rege, domino meo dilecto, capitaneatum eo iubente in terra ipsius Lanchicie recepissem anno Domini M.CCC. secundo, inveni venerabilem patrem dominum Iacobum, Dei gracia Gneznensis ecclesie archiepiscopum, cum ducatu Lanchiciensi super quibusdam infrascriptis hereditatibus discordare; ita quod post multas querimonias, quas michi sicut et hactenus inclito principi domino duci Wladislao super earundem infrascriptarum hereditatum iniuriis proponebat, ostendit idem dominus archiepiscopus et pro notorio est repertum, quod iam dictus dominus dux Wladislaus has hereditates mense domini archiepiscopi, Thopolam videlicet iacentem super paludem in fine pontis ante civitatem Lanchiciensem, item has duas hereditates, Wylcheyevice et Boyanovice sitas super paludem eandem, item Lubyno sitam ante civitatem Lanchiciensem, pro suis civiumque suorum usibus ad ius Theutonicale redegit commutacione domino archiepiscopo nulla data, quam tamen sibi frequencius promittebat. Ego autem, et honori domini regis predicti pariterque saluti, nec non utilitati et comodo sue Lanchiciensis predicte civitatis intendere cupiendo, auctoritate prefati domini regis et nomine huiusmodi sedavi discordiam utrilibet parcium noxiam, commutacionem super hereditatibus sepedictis cum domino archiepiscopo taliter faciendo. Dedi namque eidem domino archiepiscopo et mense sue pro Topola hereditate prefata, hereditatem militalem sitam prope Pantek, que Pekary vulgariter nuncupatur, heredibus illius commutacione promissa. Item dedi pro hereditate Lubyno predicta, aliam hereditatem militalem que Michalovicy nominatur, iacentem ab illa parte fluvii super paludem, heredibus eius commutacione promissa. Ceterum pro duabus hereditatibus, nominatis Wylcheyevice scilicet et Boyanovice, dedi similiter duas alias hereditates, unam militalem Vitalissevici nuncupatam, heredibus commutacione promissa, et aliam ducalem que

Gambicy appellatur, deducta parte, quam per empcionem habitam cum Iohanne bone memorie castellano tunc Spicimiriensi suo patruo, ipse dominus archiepiscopus optinebat, translatis hinc inde regalibus et ecclesie iuribus, utrumque perpetuo possidendas. In cuius rei testimonium, presentem paginam dedi domino archiepiscopo memorato, mei sigilli robore communitam. Actum in Lanchicia in vigilia beati Andree apostoli, anno predicto, presentibus hiis dominis, viris honorabilibus et discretis: Ioseph cantore ecclesie Gneznensis, Alberto decano et Thechlino custode Lanchiciensis ecclesie, Mstissio iudice Syradiensi, Boguslao iudice Lanchiciensi et Paulo dicto Ogonovich milite Lanchiciensi, ac aliis quam pluribus fide dignis.

Thopola, *Topola.* Wylcheyevice, *Wilczkowice.* Boyanovice, *osada znikła.* Lubyno, *Lubin.* Pantek, *Piątek.* Pekary, *Piekary.* Michalovicy, *Michałowice.* Vitalissevici, *Witaliszewice.* Gambicy, *Gębice.* Spicimiriensis, *de Spicimirz.*

Nr. 860.

Henricus dux Slezie etc. 1302 Dec. 7, in Tharnow; privilegia, quondam a Premislio et Boleslao ducibus Maioris Poloniae, monasterio de Lubin concessa, confirmat, et concessis nova adiicit.

Pergam. orygin. Nici jedwabne, czerwone, z których pieczęć znikła, przez 2 wcięcia przewleczone.

Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin 6.

In nomine Domini amen. Quanto mayor et alcior est persona, tanto debet curare caucius, ut ea que gerit negocia, nullus possit processus temporis inpedire. Noverint igitur universi filii sancte matris Ecclesie presentes et posteri presens scriptum inspecturi, quod nos Henricus, Dei gracia dux Slezie et dominus Glogovie nec non Mayoris regni Polonie, mirabilia gesta et laudabilia sequentes karissimorum awnculorum nostrorum, felicis memorie seu memorationis Premislii et Boleslay quondam ducum Mayoris Polonie, nostrorum predecessorum, qui tanquam patres piique zelatores Ordinum, multis libertatibus dotaverunt monasterium Lubiniense, easdem libertates, prout in privilegiis per honorabilem virum dominum Martinum abbatem Lubiniensem coram nobis ostensis donatas et confirmatas invenimus, ob reverenciam beate virginis Marie et inspectis gratis et honestis fidelibusque serviciis viri religiosi Mar. abbatis Lubinensis, ratas, gratas et inviolabiles, omni nostro cum dominio ac iure nostri ducatus, ut ab omnibus servitutibus et exaccionibus, quocunque nomine censeantur, sola collecta reservata pro nobis generali, sint liberi et immunes, nostris patentibus instrumentis confirmamus. Adicientes, ut de civitatibus, videlicet Crivin et Swecechow, ac universis villis, eorundem fratrum homines nullis prorsus nostris iudiciis ad respondendum adtrahantur, sed quicumque aliquid contra eosdem homines accionis habuerit, in magnis sit causis seu in parvis, coram abbate seu iudicibus per eum delegatis, tamquam coram nobis, in bonis eorum ipsos debet iudicio convenire; et quecunque pena, de quocumque casu seu articulo, pervenerit de hominibus civitatum aut villarum monasterii nominati, nullus de ipsa se intromittere presumat, sed quod eadem pena eidem abbati et suo conventui semper cedat et presentetur, ab aliquo contradiccionis ac inpedimenti obstaculo non obstante. Cupientes eciam

nostris temporibus dicti monasterii fratrum oracionibus perpetuis perfrui, volumus, ut nulli successorum nostrorum libertates rememoratas ac per nos confirmatas monasterio Lubinensi, quemadmodum in privilegiis de sub (sic) confectis plenius ac lucidius continentur, in nullo penitus violare ac molestare presumant. Ut autem premissa futuris temporibus inviolabiliter observentur, presentem paginam nostri sigilli expressione in testimonium fecimus communiri. Datum in Tharnow in crastino sancti Nicolay confessoris, anno Domini MCCCII, presentibus hys testibus: comite Gunthero de Bibrsten, comite Boguskone de Wisinburk, Theodrico de Sydlicz, domino Friczkone de Butense, et aliis quam pluribus fide dignis.

Lubin, *Lubin.* Crivin, *Krzywin.* Swecechow, *Święciechowa.* Tharnow, *Tarnów, z niemiecka Poln. Tharnau.*

Nr. 861.

Bonifatius Pp. VIII 1302 Dec. 18, Laterani; interdicit, ne de terris cultis et incultis monasteriorum Ordinis Cisterciensis, de quibus tamen aliquis decimas seu primitias non percepit, quisquam decimas vel primitias extorquere presumat.

Transsumpt orygin., potwierdzony przez: Complures abbates Ordinis Cisterciens. 1303 Sept. 28, s. l.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 3.

Bonifatius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis abbatibus, abbatissis et conventibus Ordinis Cysterciensis, tam presentibus quam futuris, salutem et apostolicam benedictionem. In ecclesie firmamento vester Ordo nitore claro coruscans, universalem gregis dominici aulam illuminat, et currentibus in stadio rectum iter insinuat, quo ad salutis bravium facilius pervenitur. Nos quidem ob hoc, et propter magne devotionis affectum quem ad nos et apostolicam Sedem habetis, Ordinem ipsum ac vos et alios eiusdem Ordinis professores intima caritate prosequimur, ac sinceris affectibus excitamur ad vestra et illorum commoda in quibus honeste possumus promovenda. Ideoque premissorum intuitu et obtentu dilecti filii nostri Roberti, tituli sancte Pudenciane presbyteri Cardinalis, qui tanquam prefati Ordinis, quem professus existit, promotor assiduus, necessitates vestras et dicti Ordinis nobis reverenter exposuit et super illis nostre provisionis auxilium imploravit, vobis auctoritate presentium indulgemus, ut de terris vestris cultis et incultis ad Ordinem vestrum spectantibus, quas aliis concessistis vel concedetis in posterum excolendas, de quibus tamen aliquis decimas seu primitias non percepit, nullus a vobis seu cultoribus terrarum ipsarum aut quibuscunque aliis, decimas seu primitias exigere vel extorquere presumat. Nos enim nichilominus irritum decernimus et inane, quitquid contra tenorem huiusmodi indulgentie fuerit attemptatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani XV Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno octavo.

Nr. 862.

Andreas Poznaniens. episcopus 1303 Mart. 4, in Mezirec; concedit omnibus, qui villas Militiae Templi, dictas Boryszyn, Templewo et Langopol, iure Theutonico locare velint, libertatem infra 16 annos decimas non solvendi.

Pergam. orygin. Dwa skrawki pergamin., każdy przez 2 wcięcia przewleczony; pieczęci nie masz.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 24.

In nomine Domini amen. Nos Andreas miseracione divina Poznaniensis episcopus universis presentes litteras inspecturis volumus esse notum, quod bona et possessiones virorum religiosorum, fratris Iohannis et suorum fratrum Ordinis sancte Marie Milicie Templi, de Magna villa, in dyocesi nostra consistentia meliorari et locari, que sunt deserta, in melius cupientes, ad eorundem fratrum supplicacionem humilem et devotam, in bonis, villis et possessionibus ipsorum, Borissino, Templewald et Langopol vulgariter dictis, omnibus habitare et ea locare Theutonico iure volentibus, de non solvendis nobis decimis, de nostrorum fratrum consilio et assensu, annorum sexdecim concedimus libertatem, sub modo, pacto et condicionibus infra scriptis, videlicet, quod elapsis sexdecim annis libertatis, incole seu villani bonorum, villarum seu possessionum predictorum, in die beati Martini nomine decime et pro decima, de quolibet manso nobis et nostris successoribus annis singulis perpetuo tres solidos monete Brandeburgensis solvent et prestabunt, omnibus occasionibus, cavillacionibus et auxiliis ipsis competentibus procul motis. In cuius rei testimonium, presentes litteras scribi fecimus et nostri sigilli et nostri Capituli apensione muniri. Actum et datum in Mezirec in crastino dominice qua cantatur Reminiscere, anno Domini millesimo trecentessimo tercio, per manus Iacobi cancellarii nostri.

Magna villa, *Grossendorf, osada znikła, dawniéj praeceptorium Templarjuszów w okolicy miasta Bledzew.* Borissino, *Boryszyn, z niemiecka Burschen.* Templewald, *Templewo.* Langopol, *z niem. Langenphul.* Mezirec, *Międzyrzecz.*

Nr. 863.

Nicolaus palatinus Calisiens. 1303 s. d. et l.; dat Hinczkoni civitatem Kobylin iure Theutonico ad locandum.

Transsumpt potwierdzony przez: Andreas, Vincencius, Nicolaus, heredes in Cobilino, 1426 Nov. 25, s. l., *w pergaminie orygin., do którego na plecionkach jedwabn., czerwon. trzy pieczęcie przywieszono. Pierwsza znikła, drugiéj pozostał tylko ułamek z zatartym wyciskiem; trzecia przedstawia na tarczy trójkątnéj godło rodu Łodzia zatarte; napis odłamany.*

Poznań. Königl. Staats Archiv. Kobylin Nr. 2.

In nomine Domini amen. Cunctorum memoria oblivione deprimitur, que litterarum ac testium munimine non firmantur. Inde est quod nos Nicolaus palatinus

Calisiensis notum facimus universis quam presentibus tam futuris (sic), ad quorumcunque audienciam devenerit presens scriptum, quod consideratis et conspectis fidelibus serviciis, que nobis fideliter Hinczka multociens inpendit et in futuro dante Domino inpendere est paratus, cum bona deliberacione et libenti animo, consilio maturo damus sibi et suis successoribus natis et nascituris civitatem nostram dictam Cobilino iure Theutonico locandam, eo iure, quo et alie civitates nostre sunt locate iuxta ius Novi fori. Insuper, volentes ipsum Hinczkam magis de nostra gaudere graciosa voluntate, damus sibi (ad) advocaciam predicte civitatis duos mansos liberos, ante civitatem iacentes eundo de civitate in dextera manu, cum omnibus ortulanis in eodem agro locatis et locandis, in longitudine ad metas ville Chvalenicze ad torentem dictam (sic) Radancza, vulgariter do Samicze, una cum duobus pratis: unum pratum iacentem (sic) inter ortulanos et agro, secundum post agrum retro viam eundo in Wigonowo. Et molendinum ventile potest sibi edificare in eodem agro suo; et duos mansos in villa dicta Stare Cobilino, libero modo pro se et pro suis successoribus obtinebit. Damus eciam eidem Hinczce terciam curiam in civitate, ubi sedere debet, ubi primus advocatus Paulus pie memorie residebat. Damus eciam eidem Hinczce in predicta civitate tercium maccellum carnificum, omnia maccella pistorum, omnia maccella sutorum, tercium denarium de omni re iudicata, balneum unum; hec omnia pro se et suis successoribus tenebit percipiendo et in usum suum convertendo. Item predicta civitas census et reditus solvere nobis et nostris successoribus debet, prout et alie civitates nobis solvunt. Item predictus Hinczka habebit omnes venaciones ferarum et avium. Et ut hec donacio per nos ac per nostros successores nullatenus violetur, presentem litteram scribi iussimus et nostro sigillo appenso roborari. Acta sunt hec anno Domini M.CCC tercio.

Cobilino, *Kobylin.* Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szlązku.* Chvalenicze, *osada znikła.* Torens Radancza, *Radenca strum.* Wigonowo, *Wyganów.* Stare Cobilino, *Stary Kobylin.*

Nr. 864.

Nicholaus palatinus Kalisiens. 1303 Mart. 6, Kalizii; dat Henczae civitatem Venecia iure Theutonico ad locandum.

Pergam. orygin. Na sznurze jedwabn., czerwon. przywieszony ułamek pieczęci wojewody Mikołaja; (pieczęć XXXIV).

Poznań. Königl. Staats Archiv. Kobylin Nr. 1.

In nomine Domini amen. Cunctorum memoria oblivione deprimitur, que litterarum aut testium munimine non firmatur. Inde est quod nos Nicholaus palatinus Kalisiensis notum facimus universis tam presentibus quam futuris, ad quorumcunque audienciam devenerit presens scriptum, quod consideratis et inspectis fidelibus serviciis, que nobis fideliter Hencza multociens inpendit et in futuro dante Deo inpendere est paratus, cum bona deliberacione et libenti animo, de consilio maturo damus sibi et suis suctessoribus (sic) natis aut nascituris civitatem nostram, dictam vulgariter Venecia, iure Theutonico locandam eo iure, quo et alie civitates nostre sunt locate iuxta ius Novi fori. Insuper, volentes ipsum Henczam magis de nostra gaudere gra-

ciosa voluntate, damus sibi ad advocaciam predicte civitatis duos mansos liberos ante civitatem iacentes circa molendinum; et duos in villa dicta vulgariter Cobilino, libero modo pro se et pro suis suctessoribus (sic) optinebit: adiungentes eciam eidem H., quidquid locaverit novitatis iuxta predictam civitatem, pro suo labore sextum mansum libero modo optinebit et (sic) sua posteritate. Nos vero cupientes predictam civitatem in melius reformare, iungimus ad predictam civitatem villam nostram dictam Falinicze, que villa abeat (sic) quatuor annis libertatem; elapsa vero libertate, solvet nobis quatuor mensuras tritici, quatuor seliginis (sic), quatuor avene et fertonem argenti: sed tamen in aliis solucionibus et iudicio, una cum civitate pariter manebit. Damus eciam eidem H. in civitate terciam curiam, sextum ortum ante civitatem, damus sibi duo macella libera in predicta civitate, et quidquid (sic) residui fuerit, tercium macellum pro se et suis suctessoribus (sic) libero modo optinebit. Damus eciam eidem H. et suis suctessoribus (sic) omnes mensas panis, omnes mensas calciparias, cameras institorum, balneum unum, molendina omnia; tercium denarium de omni re iudicata in civitate pro se tenebit percipiendo. Damus eciam eidem H., quod infra spacium libertatis predicte civitatis, provincialis noster ibidem non abeat (sic) aliquid iudicare. Item damus predicto H. omnes venaciones ferarum et avium; hec autem abebit (sic) idem H. et sua posteritas omnia in usum sibi convertenda. Ad hoc in reformacionem civitatis concedimus predicte civitati sedecim annorum libertatem; elapsa vero libertate, solvent nobis censum, prout et alie civitates nobis solvunt. Insuper statuimus, quod ville nostre dicte Cobilino, Rambechowo et Starcovecz, ter in anno iudiciis generalibus debent interesse. Item damus predicto H., quod omnia furticinia, omnes plagas sanguinulentas que in villis predictis gerentur, ipse advocatus in civitate predicta abeat (sic) iudicare. Eciam pro nostra salute damus ecclesie in civitate duos mansos in villa dicta Cobilino, et ad hoc duos ortos ante civitatem. Et ut autem hec donacio per nos aut per nostros suctessores (sic) nullatenus violetur, presentem literam scribi iussimus et nostro sigillo apenso roborari. Acta sunt hec anno Domini M.CCC tercio, presentibus hiis testibus: domino abbate de Lubin, Miroslao fratre palatini, Vyslao de Illovecz, Peregrino Iarissewicz, fratre Iacobo de Lubin, et aliis quam plurimis fide dignis. Datum Kalizii feria quarta post dominicam Reminiscere, per manus Pauli clerici curie nostre et capellani eiusdem.

Civitas Venecia, *dziś miasto Kobylin.* Novum forum, *Neumarkt czyli Środa na Szląźku.* Cobilino, *Stary Kobylin.* Falinicze, *osada znikła.* Rambechowo, *Rzemiechowo.* Starcovecz, *Starkowiec.* Lubin, *Lubin.* Illovecz, *Iłowiec.*

Nr. 865.

Otto Conradus Iohannes Woldemarus marchiones de Brandenborch etc. 1303 Apr. 23, Lyvenwalde; fundationem et praefecturam civitatis Wałcz, militibus Ulrico Schöning et Rudolfo Lebendal porrigunt.

Poznań. Königl. Staats Arch. Relation. Valcens. a. 1681, fol. 10. (*Transsumpt potwierdzony przez:* Kazimirus rex Polon. etc. 1368 Mai. 10, Poznanie). — *Riedel, Cod. diplomatic. Brandenburgens. B 1, p. 248.* — *Raczyński, Cod. diplom. Mai. Pol.*

Nos Otto, Conradus, Iohannes, Woldemarus, marchiones de Brandenborch et de Landesberch, universis presentem paginam visuris, eterne lucis visione perpetuo con-

solari. Non sinit humana fragilitas, ut cunctorum que agit homo, certam perhennemque possit habere memoriam. Ideo infirmitati sue homines virtute rationis et ingenio consulentes, in scripta redigunt, quidquid memoria dignum inter se ordinant et disponunt. Ob hanc causam etiam nos cartam presentem conscribi iussimus que quedam a nobis ordinata liquido continet in se scripta, quam sigillorum nostrorum appendiciis fidelibusque testimoniis ideo roboramus, ut ratum et stabile habeatur, quidquid in ea cernitur exaratum. Igitur, quoniam nobis et sapientioribus in populo nostro utile videbatur, ut iuxta Volzen civitas poneretur, dedimus operam illi rei, fundationemque illius civitatis cum prefectura porreximus militibus honestis et providis nostris subditis, Ulrico de Sceninghe et Rodolfo de Livendale, civitatemque ipsam volumus appellari Arnescrone. Huic civitati damus octo mansos et ducentos mansos agrorum, forma tali et modo, sicut inferius est notatum. In sexaginta et quatuor mansis, dicte civitatis incole villam ponent, ita videlicet, ut quatuor mansos ad usus sacerdotis doti libere tribuant, sexaginta vero mansos aliis illius ville incolis divident excolendos. Hec villa sub civili iure sedebit solvetque redditus civitati. Et quidquid in hac villa et intra istos sexaginta et quatuor mansos ad villam pertinentes utilitatis esse poterit, ad usum pertineat civitatis: et de redditibus huius ville, et de utilitate que in ipsa vel intra spacium campi eius esse poterit, nichil nobis proveniet, neque fundatoribus civitatis inde aliquid cedet. Ecclesiam huius ville non officiabit plebanus dicte civitatis, sed habeat ipsa villa sacerdotem per se pastoremque proprium animarum. Huius ecclesie beneficium perpetuo porrigat, quicumque prefectus fuerit civitatis. Ex istis sexaginta quatuor mansis ad villam ordinatis, remanent centum et quadraginta quatuor mansi, de quibus est taliter ordinandum. Quatuor mansos et centum habebit civitas pro mensura et spacio campi sui, ex quibus quatuor pro dote ecclesie esse volumus sacerdotis, quadraginta autem mansi reliqui, ad agros arearum, quod est vulgariter dictum Wordelant, erunt ordinandi. Sed ut omnipotentis Dei laus et gloria eo amplius cumuletur, ex eisdem agris sacerdoti civitatis iterum quatuor mansos damus, ut pro dono istorum ad missam matutinalem servandam perpetuo sit astrictus; habeatque istos quatuor mansos sacerdos cum prioribus quatuor mansis perpetua libertate. Quidquid in supradictis agris omnibus, hoc est tam in agris pertinentibus ad mensuram campi civitatis quam in agris arearum, utilitatis ordinari poterit, terciam partem fundatoribus dabimus, duas partes tribuemus civitati. Hoc tamen excipimus, quod dicte civitatis fundatores intra civitatem, vel extra in agris quos dedimus civitati, ubicunque voluerint, duo loca molendinorum eligent, in quibus molendina construent, prout sibi putaverint expedire; de quibus civitati nichil proveniet, sed cum omni fructu, tam iure hereditario quam feodali, ipsa molendina possideant fundatores. Si aliqua alia molendina construi poterunt in civitate vel extra civitatem, inde terciam partem sument fundatores, civitas habeat partes duas. Damus etiam huic civitati ad pascua pecorum suorum locum castri, qui dicitur Doberiz, et ab ipso Doberiz per circuitum dimidium miliare; quidquid intra hoc spacium utilitatis esse poterit unde pactus aut census proveniet, tercia pars fundatoribus solvetur, due partes tribuentur civitati. Duo stagna, Raddun et Volzen, damus etiam civitati. Quidquid ex eis reddituum haberi poterit, inde civitas tollet duas partes, terciam partem percipiant fundatores. Insula quedam, que proprie dicitur vulgariter eyn Hals, protenditurque a loco castri, qui vocatur Raddun, et intrat stagnum Raddun, hanc cum ceteris insulis existentibus in stagno Raddun damus etiam civitati; quidquid in hiis insulis utilitatis esse poterit, tercia pars dabitur fundatori-

bus, due partes tribuentur civitati. Fundatoribus etiam damus libertatem venandi in bonis suis et in terminis civitatis. Quidquid in theatro, in macellis panum, calceorum, carnium, census aut precii esse poterit, et si que alia macella et case facte fuerint que redditus solvent civitati, de omnibus eis fundatoribus tercia pars solvetur, due partes remaneant civitati. Item fundatorum erit tercia pars de censu et precio locorum, quos in annuali foro adventantes occupant, et duas partes civitas retinebit. Sedecim annis habebit hec civitas libertatem; quamdiu hoc tempus libertatis duraverit, tollet civitas, ut tanto melius se emendet, duas partes de omni causa iudiciorum; fundatores terciam partem sument. Defluxo tempore libertatis, due iste partes cedent in usus nostros, sed fundatoribus pars sua tercia remanebit. Iterum, transacto libertatis tempore, tres solidos Brandenburgenses solvent incole civitatis de quolibet manso ex hiis centum qui ad campum pertinent civitatis: ex hoc censu due partes cedent nobis, tercia pars ad manus transeat fundatorum. Due partes redditum de agris arearum manent civitati, terciam partem percipiant fundatores. Insula que intrat stagnum Volzen, que proprie dicitur vulgari vocabulo eyn Hals, fundatorum sit, et in ea nichil auctoritatis remaneat civitati. In Nigra merica fundatores eligent duo stagna quecumque voluerint, que itidem damus eis. Porrigimus etiam dictis fundatoribus viginti mansos et trecentos, ubicumque circa predictam civitatem Arnescrone eligere voluerint, cum omni iure et utilitate agrorum, pratorum, fluentorum, et breviter cum utilitate omnium, in quibus poterit esse fructus. Si qui de amicis fundatorum eos sequi voluerint de terris aliorum principum, unicuique eorum sexaginta quatuor mansos cum fundatorum consilio porrigemus. Si qui vero eos sequi voluerint de terra principatus nostri, sexaginta quatuor mansos unicuique eorum similiter porrigemus; ita tamen, ut de antiquis bonis que habent a nobis, consueta servicia impendere non obmittant. Sed ut fundatores minus terreat fundationis labor, predicto militi Ulrico de Sceninghe et filiis suis libere dimittimus et absque omni servitio per sedecim annos quidquid habent in Conradesdorp, subditosque suos in eadem villa morantes, etiam ab omni servitio et precaria per eorundem annorum spacia liberos esse volumus et quietos. Militi predicto etiam Rodolfo de Livendale et fratribus suis villam Herenborch similiter per sedecim annos liberam dimittimus et absque omni servitio, subditosque suos etiam per id tempus ab omni servitio et precaria liberamus. Predicti vero milites, durante libertatis tempore, si qua precaria ab incolis terre a nobis requisita fuerit et extorta, de bonis ipsorum, nobis inconsultis, si decreverint percipient libere et quiete. Eos qui fundatores dictos sequuti fuerint, per sedecim annos a servicio liberos esse volumus sicut fundatores; excepto, quod qui eos de terra principatus nostri sequentur, de antiquis bonis, ut paulo ante diximus, servicia sua solvant. Sciendum, quod hec que fundatoribus istis ratione dicte fundationis porrigimus, tali concedimus forma, scilicet ut predictus miles Ulricus de Sceninghe cum pueris suis, et miles Rodolfus eciam predictus cum fratribus suis, omnes isti una manu, una possessione universa possideant atque servent. Si quisquam hominum bona novalia supradicta impugnaverit, in eis iuris aliquid asserens se habere, illius impugnationis nos esse volumus sedatores. Si fundatores dicti vendere decreverint ea, que sui iuris esse in civitate vel in campo civitatis presens pagina narrat, ipsa emptoribus absque servicio porrigemus. Testantur ista milites: Zulis de Wedele, Ludeke de Wedele, Hasso de Wedele advocatus noster, Wedege filius Hassonis, Hasso de Hersleve, Kenstel; item ista testantur: Io-

hannes filius Kenstel, Ianeke Guntersberch, et plures alii fide digni. Datum Lyvenwalde et actum anno Domini M.CCC.III, feria tertia post Misericordias Domini.

Volzen, *Wałcz.* Doberiz, *Dabrzno, z niem. Daber.* Raddun, Volzen, *nazwiska jeziór, pomiędzy któremi leży m. Wałcz.* Lyvenwalde, *Liebenwalde.*

Nr. 866.

Nycholaus palatinus Kaliziens. 1303 Mai. 14, in Gostina; protestatur, Briccium, heredem de Łagowo, partem ipsius in hereditate praedicta monasterio de Lubin obligasse.

Pergam. orygin. Dwa wcięcia poprzeczne od przywieszenia jednéj pieczęci.
Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 4.

Nos Nycholaus palatinus Kaliziensis cum baronibus infra scriptis, videlicet comite Miroslao, Gotewino et Sfetoslao castellanis Gostinensibus, Vyslao de Illowezc, presentibus protestamur, quod veniens Briccius heres de Lagow, partem suam, que ipsum tangit ibidem in Lagow dimidiam, domui de Lubin in quatuordecim marcis obligavit argenti usualis, et domus iam nominata possidere debet cum fructibus et utilitatibus qui ibi sunt vel fieri possunt in futuro, quamdiu predictus Bric. aut sua posteritas domui Lubinensi pecuniam nominatam non reddet. Ut autem hec obligacio rata et firma permaneat, presentem litteram scribi iussimus et sigillo nostro appenso confirmari. Acta sunt hec anno Domini M.CCC tercio in Gostina, feria tercia post Rogaciones, per manus Pauli clerici curie nostre.

Gostinensis, *de Gostyń.* Illowezc, *Iłowiec.* Lagow, *Łagowo.* Lubin, *Lubin.*

Nr. 867.

Nycholaus palatinus Kaliziens. 1303 Mai. 14, s. l.; protestatur, Thomam et Stanislaum, filios quond. Dolberti, et caeteros heredes de Łagowo hereditatem praedictam monasterio de Lubin vendidisse.

Pergam. orygin. Sznurki lniane, czarne, od przywieszenia dwóch pieczęci; każdy przez dwa wcięcia przewleczony.
Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin 7.

In nomine Domini amen. Cunctorum memoria oblivione deprimitur, que litterarum aut testium munimine non firmatur. Inde est quod nos Nycholaus palatinus Kaliziensis cum baronibus infra scriptis, videlicet comite Miroslao castellano de Bnin, notum facimus universis tam presentibus quam futuris, ad quorumcunque audienciam devenerit presens scriptum, quod heredes de Lagow, Thomas et Stanizlaus filii quondam Dolberti, ipsorum partes hereditatis vendiderunt domui sancte Marie de Lubin, que pars ipsos tangebat facta divisione cum affinibus ipsorum in Lagow. Vithoslaus vero filius quondam Iaccobi, eciam vendidit partem suam, que ipsum ibidem tangebat, dimidietatem domui predicte; ita quod Thomas cum Stanizlao partes ipsorum

pro quatuor marcis, Vythoslaus vero dimidietatem sue partis pro sex marcis argenti usualis vendiderunt. Mathias filius Iaccobi, cupiens pocius anime sue salutem, domui predicte amore Domini partem suam ibidem quam abuit in Lagow assignavit; et fillioli predicti Mathie, diligenti animo consencientes, admiserunt hanc donacionem, et omnes, abito consilio maturo, cum propria voluntate coram nobis iure hereditario domui sancte Marie de Lubin in perpetuum resignaverunt: inponentes ad hoc omni posteritati ipsorum, natis aut nascituris, silencium, de partibus venditis et donatis nominate hereditatis penitus aliquam causam movere; sed pacifice et quiete domus sepius nominata debeat possidere. Nos autem intuentes piam et dignam resignacionem, presenti pagina conscribi iussimus et sigillorum nostrorum munimine roborari presentibus hys testibus: comite Vyslao de Illowezc, comite Gotewino, Sfethoslao filio Henrici, Iascone provinciali Gostinensi, et aliis quam plurimis civibus fide dignis, qui tunc temporis interfuerunt. Acta sunt hec feria tercia ante Ascensionem Domini, anno Domini MCCC tercio, per manus Pauli clerici curie nostre.

Bnin, *Bnin.* Lagow, *Łagowo.* Lubin, *Lubin.* Illowezc, *Iłowiec.* Gostinensis, *de Gostyń.*

Nr. 868.

Fridericus dictus de Chachowicz camerarius regni Polonie 1303 Iun. 11, Posnanie; approbat venditionem rubetorum, inter villas Kowalewo et Mała Łąka sitorum, quae comites Unislaus et Iohannes heredes de Gozdzichowo, et Albertus caecus, heres de Kamieniec, Symoni plebano de Zbąszyń resignaverant.

Pergam. orygin. Dwie dziurki od przywieszenia pieczęci.
Poznań. Archiv. Capituli. II, 26.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter ocurrimus, cum etatis nostre negocia testium subscripcione aut litterarum munimine roboramus. Igitur nos Fridericus dictus de Chachowicz, camerarius regni Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris ad quos presens scriptum pervenerit, quod comes Unislaus et Iohannes heredes de Gwoszewo una cum Alberto ceko herede de Kamones, coram nobis et militibus subscriptis, videlicet comite Nicolao palatino Kalisiensi, et comite Alberto Cristini iudice Posnaniensi et comite Thoma dapifero Posnaniensi, domino Symone (sic) plebano de Cebansin omnia rubeta ipsorum, ab illa via que vadit de Kowalewo in Wambow, usque ad silvam que Lansek vulgariter nuncupatur, et ex alia parte eiusdem silve mediam Golam, pro XXXIIII marcis et pro parte cultorum agrorum iure hereditario perpetuo resignaverunt ac investiverunt. Nos autem atendentes huiusmodi resignacionem condignam coram nobis factam, ipsam aprobantes (sic), cupientes eam vigere vigore perpetue firmitatis. In cuius rey testimonium, presentem litteram scribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum Posnanie, proxima feria tercia post octavam Trinitatis, per manus domini Iacobi plebani de Obornik, anno Domini MCCC tercio.

Gwoszewo, *dziś Goździchowo.* Kamones, *Kamieniec.* Cebansin, *Zbąszyń.* Kowalewo, *Kowalewo.* Wambow, *Wąblew.* Lansek, *dziś Mała Łąka.* Gola, *osada znikła, przyległa wsi Kamieniec.* Obornik, *Oborniki.*

Nr. 869.

Henricus miles Conradus Albertus Rudolphus dicti de Clepsk 1303 Iun. 24, s. l.; hereditates Hermanshof et Langsow monasterio Paradyż vendunt.
Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil., Nr. 59.

Nos Henricus miles, Conradus, Albertus, Rudolphus, dicti de Clepsk, notum facimus universis presens cognituris, quod duas hereditates, videlicet villam Hermans et Lanckensow, cum omni iure vendidimus fratribus Paradisi perpetuo possidendas, et coram nobilibus principibus dominis nostris marchionibus, dictarum hereditatum proprietatem obtinuimus fratribus memoratis. Unde, si post hoc, quod absit, quisquam nobilis aut ignobilis, dominus sive servus, dicta bona impetere vel dictos fratres propter ipsa bona voluerit molestare, nos et fratres nostri proximi et amici interponemus nos contra quemlibet inpugnantem, et ad hoc nos perpetuo obligamus, quod dicti fratres Paradisi, propter dicta bona nunquam ab aliquo hominum nobis procurantibus aliquam molestiam sustinebunt. In cuius rei testimonium semper durans, presens scriptum nostris sigillis munitum dedimus fratribus Paradisi. Acta sunt hec coram testibus: domino Iacobo advocato de Scoven, domino Rudolpho de Reveinych, Bartholdo de Sprone, fratre Heydenrico priore et fratre Nicolao advocato in Paradiso, et aliis fidedignis. Datum anno Domini M.CCC.III in die sancti Iohannis Baptiste.

Clepsk, *zamiast* Klepzig, *nazwisko wymarłéj Luzackiéj familji.* Hermans, *zam. Hermanshof.* Lanckensow, *Langsow.* Paradisus, *klasztor Paradyż.*

Nr. 870.

Henricus advocatus de Oswancime et Gotfridus pistor civis Poznaniensis 1303 Iul. 8, in Glowna; Andreae, episcopo Poznaniensi, personas et bona sua pro Iohanne quondam scolteto de Szamarzewo obligant, promittentes, Iohannem praedictum a violentiis contra bona episcopatus memorati destiturum.
Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 50.

In nomine Domini amen. Anno Incarnationis eiusdem M.CCC. tertio, in die sancti Kiliani et sociorum eius, in domo habitationis venerabilis in Christo patris infrascripti, que Glowna nuncupatur, presentibus testibus infrascriptis: dominis Petro doctore decretorum decano, Iacobo cancellario, Sdeslao, canonicis omnibus Poznaniensibus; Petrcone milite dicto de Wyerzenicza; Beymunano (sic) dicto Cayfa aurifabro, Iohanne dicto Salsicz, civibus Poznaniensibus: ibidem Henricus advocatus de Oswancime filius quondam Heyncze, et Gotfridus pistor civis Poznaniensis, tamquam fideiussores solempni stipulatione promiserunt fide data pro se suisque heredibus venerabili in Christo patri domino Andree Poznaniensi episcopo, recipienti pro se suisque successoribus, et Iohannes quondam scoltetus de Szemarzevicz tamquam principalis, pro se et suis, quod per se et per suos perpetuo ecclesiam Poznaniensem, bona

episcopatus et Capituli conservabunt inlesam; ita quod dictus Iohannes, nec per se nec per alium proximum vel amicum vel extraneum, bona ecclesie dicte et Capituli Poznaniensis, incendio, minis vel aliis quibuscunque machinationibus debeat perturbare, sed si quid iuris habet contra procuratores episcopatus Poznaniensis qui sunt vel pro tempore fuerunt (sic), vel etiam contra incolas villarum seu bonorum episcopatus predicti, debet iuris ordine si voluerit experiri. Et memoratus venerabilis pater promisit et dedit, una cum suo Capitulo Poznaniensi, dicto Iohanni plenam securitatem et pacem veniendi suam (sic) Poznaniensem diocesim, standi atque redeundi salvis rebus et persona; insuper iudices dicto Iohanni delegare, qui de causa seu causis, quam seu quas moverit vel movere intendit contra procuratores seu subditos episcopatus memorati, congnoscant, et ipsam seu ipsas decidant semper iustitia mediante. Si autem memoratus Iohannes sue saluti (sic) immemor, quod absit, igne vel alio quocunque modo ecclesiam Poznaniensem vel bona ipsius molestaret, promiserunt predicti Henricus et Gotfridus pro se suisque heredibus bona fide, intrare curiam domini episcopi Poznaniensis supradicti, qui nunc est vel pro tempore fuerit, et se in manus ipsius tradere, ita quod de ipsis disponere possit secundum sue arbitrium voluntatis. Insuper obligaverunt eidem domino episcopo suisque successoribus omnia bona sua mobilia et immobilia, ita quod ipsa capere possit auctoritate propria, que exnunc confitentur se nomine domini episcopi seu ecclesie Poznaniensis precario possidere. Et ut hec omnia perpetuum firmumque robur habeant et in publicam formam intelligantur fore redacta, voluerunt omnes supradicti, videlicet sepedictus dominus episcopus, Iohannes, Henricus et Gotfridus, presens scriptum sigillo universitatis seu communitatis civitatis Poznaniensis roborari.

Glowna, *Główna.* Oswancime, *Oświecim.* Szemarzévicz, *Szamarzewo.*

Nr. 871.

Andreas episcopus Poznaniens. 1303 Iul. 8, Poznanie; villam Kaczanow, cum civitate custodiae Poznaniensis, dicta Buk, commutat.

Pergam. orygin. Na skrawkach pergamin. zawieszono dwie pieczęcie; pierwsza znikła; druga w odłamku, nie okazuje wycisku.

Poznań. Archiv. Capituli. II, 25.

In nomine Domini amen. Nos Andreas miseracione divina episcopus Poznaniensis notum facimus universis tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis, quod indepnitati ecclesie nostre Poznaniensis pie consulere cupientes et utilitatibus providere, habito prius diligenti tractatu, de speciali consensu Capituli nostri cum domino Thomca custode et fratre nostro karissimo talem super redditibus dicte custodie perpetuam celebravimus commutacionem. Recepimus siquidem ab eodem domino custode civitatem, Buk vulgariter dictam, et villam sanctuariorum ibidem civitati adiacentem cum omni dominio suo vel quasi, et cum omnibus iuribus, iurisdiccionibus, adiacenciis, pertinenciis, limitibus, gadibus et ceteris utilitatibus, que nunc ibi sunt et processu temporis poterunt exoriri: presertim ea racione moti, quia predicta bona sive redditus, per custodem propter hominum maliciam et violenciam nullo modo meliorari poterant vel eciam locari. In recompensacionem autem dictorum bo-

norum seu reddituum, domino custodi et custodie Poznaniensi perpetuo damus villam nostram Theutonicalem, Kaczanovo dictam, similiter cum omnibus iuribus, dominio vel quasi, adiacenciis, pertinenciis, iurisdicionibus, censibus decimalibus, et aliis utilitatibus nunc existentibus et provenientibus in futuro, addicientes tres dicte custodie mansos liberos in villa nostra Kobilniki pro agricultura. In cuius rei testimonium, presentes conscribi et sigillis, nostro et Capituli nostri, fecimus communiri. Actum et datum Poznanie in die sanctorum Kyliani et sociorum eius, anno gracie Domini millesimo trecentesimo tercio, presentibus dominis: Iohanne preposito, magistro Petro decano, Henrico scolastico, Antonio cantore, Iaccobo cancellario, Thilone preposito de Santok, Adam, Fredrico, Sdisslavo, Iascone, et aliis pluribus canonicis ecclesie Poznaniensis.

Buk, *Buk.* Kaczanovo, *Kaczanów.* Kobilniki, *Kobylniki.* Santok, *Santok.*

Nr. 872.

Wlostko heres de Czena 1303 Aug. 30, in Unyeow; profitetur, se in molendino et superiori antiqua piscina villae Opatowek nullum ius habere.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 90 v.

In nomine Domini amen. Ego Wlostko heres de Czena recognosco et profiteor per presentes, quod vendicante me ius piscandi per medium cum venerabili patre domino Ia. sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo in superiori antiqua Opathoviensi piscina, et eodem domino archiepiscopo in me propter hoc excommunicacionis summam proferente: ego eandem, ordinacione proborum inter me et dictum dominum meum super hoc interveniente, honorabilis viri domini Nicolai prepositi Llanciciensis in premissis detuli iuramento, tanquam eius, qui eandem clausit piscinam; certa ordinacione habita cum patruo meo comite Boguslao, qui cum in hunc modum: quod dictus B. patruus meus, admittendo claudi piscinam eandem, nullum in eadem sibi ius vel suis penitus reservavit: prestare fuisset paratus corporale ad sacrosancta Dei Ewangelia iuramentum, ego iurare non permittens eundem, a iure cecidi si quod habui in piscina predicta, et exnunc me nullum ius in eadem piscina et molendino obtinere profiteor per presentes. In cuius rei testimonium, meum sigillum duxi presentibus appendendum. Actum in Unyeow anno Domini millesimo trecentesimo tercio, III Kal. Septembris, presentibus dominis: Nicolao scolastico, Pribislao thezaurario et canonico Gneznensi, et multis aliis fidedignis.

Czena, *Cienia.* Opathoviensis, *de Opatówek.* Unyeow, *Uniejów.*

Nr. 873.

Hermanus marchio Brandeburgens. etc. 1303 Sept. 19, in Vranchenvurde; villam Langsow monasterio Paradyż confert.

Rogalin. Biblioteka. Paradis. Lib. privil. Nr. 60.

Hermanus Dei gracia marchio Brandeburgensis et dominus in Henninberc, universis presentem literam inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ne oblivio, erroris mater, commodum honoris reipublice perturbare valeat, necesse est acta hominum conscribere et ea literali editione confirmare. Hinc est quod omnibus presentem literam inspecturis notum esse cupimus per presentes, quod nos religiosis viris, abbati et conventui domus Paradisi Cisterciensis Ordinis, Poznaniensis diocesis, dedimus et contulimus, damus et conferimus publice per tenorem presencium villam Lanckensove cum omnibus attinenciis et pertinenciis, metis et limitibus predicte ville, pascuis, paludibus, silvis et nemoribus, agris cultis et incultis, molendinis, piscariis, beneficiis ac ceteris iuribus et utilitatibus universis, iure hereditario in perpetuum possidendam; transferentes in dictos fratres, videlicet abbatem et conventum, omne ius possessionis et proprietatis et utilitatis (*vacuum*) angariis et perangariis, precariis, exaccionibus et serviciis quibuscunque, et renunciamus omni iuri, quod nobis seu nostris successoribus de eadem villa in posterum poterit derivare. In cuius rei testimonium, presentem literam sigilli nostri munimine duximus communiendam. Testes autem huius sunt: dominus Henricus de Alvensleve, dominus Bernardus de Plotzke, dominus Droyseke nostre curie dapifer, comes Henricus de Reinstein, dominus Petzko noster advocatus dictus de Lossove, et quam plures alii nobiles fide digni. Actum et datum in Vranchenvurde anno Domini M.CCC.III, XIII Calendas Octobris.

Henninberc, *Henneberg.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Lanckensove, *Langsow.* Lossove, *Lossow.* Vranchenvurde, *Frankfurt.*

Nr. 874.

Complures abbates Ordinis Cisterciensis 1303 Sept. 28, s. l.; protestantur, se tempore Capituli generalis in Cystercio vidisse privilegium, quod dederat Ordini ipsorum: **Bonifatius Pp. VIII 1302 Dec. 18, Laterani;** idemque transsumi faciunt.

Pergam. orygin. Brzegi bardzo obcięte; nie masz śladu przywieszenia dziewięciu pieczęci podłużnych, które są osobno zachowane, a z których każda wyobraża osobę duchowną w infule, z pastorałem w lewicy. Napisy zatarte; na jednéj ... de Olyva.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 3.

Universis Christi fidelibus presentem litteram visuris et audituris, nos frater Hermanus de Veteri monte, frater H. de Amelungsburne, frater Iacobus de Paradyso, frater Nycolaus de Velen, frater Wykardus de Buchovia, frater Rutgerus de Olyva, frater Petrus de Erivado, frater Gunnerus de Loco Dei, frater Nycolaus de Rure re-

gio dicti, abbates Ordinis Cysterciensis, salutem in Domino sempiternam. Recognoscimus ac universitati vestre tenore presentium ex certa consciencia publice protestamur, nos tempore Capituli nostri generalis in Cystercio privilegium sanctissimi patris nostri, domini Bonifacii Pape octavi, bullatum, in serico appensum, non cancellatum, non abolitum et in nulla sui parte viciatum vidisse sub hac forma: (*Sequitur diploma Nr. 861*).

Nos igitur, ob huiusmodi protestacionis nostre firmam credenciam, presentem paginam sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam. Datum anno Domini M.CCC.III, in vigilia sancti Michaelis archangeli.

Mons vetus, *klasztor w Altenbergen.* Amelungsburne, *Amelungsborn.* Paradysus, *klasztor Paradyż.* Velen, *Wieleń.* Buchovia, *Bukow.* Olyva, *Oliwa.* Erivadum, *klasztor w Holsztynie.* Locus Dei, *klasztor w Lygum w Szlezwigu.* Rus regium, *klasztor p. m. Gottorp.* Cystercium, *Citeaux.*

Nr. 875.

Vizlavus comes in Wycense et Borislavus comitis Gothzlay quond. filius 1303 Oct. 31, s. l.; conferunt duas partes hereditatis Pieski monasterio Paradyż.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 59.

In nomine Domini amen. Ab humana cicius elabuntur memoria, que proborum virorum testimonio ac literali munimine non fuerint perennata. Unde est quod nos Vizlavus comes in Wycense, et nos Borislavus comitis Gothzlay quondam filius, notum esse volumus presentia contuentibus, quod duas partes hereditatis Pezich, que nos contingebant, in remissionem peccatorum parentum nostrorum simul et propriorum ac subsequencium heredum, in honorem Dei ac beate virginis Marie, ecclesie Paradisi cum omni iure, in agris videlicet cultis et incultis, pratis, pascuis, paludibus, silvis, rubetis et nemoribus, molendinis si fieri possunt, ac cum omnibus proventibus, nunc ibidem existentibus ac postmodum profuturis, donavimus et contulimus sicut hactenus possedimus, in perpetuum libere possidendas. Igitur, ne nostre solempnis donacionis confirmacio a quoquam irrita habeatur et inanis, sigilli nostri munimine presencia duximus confirmanda. Testes huius rei sunt: dominus Fridericus plebanus in Wicense, dominus Iohannes plebanus in Gorithsic, dominus Iohannes plebanus in Pezych, et alii quam plures fide digni. Acta sunt hec anno Domini millesimo trecentesimo tercio, in vigilia Omnium Sanctorum.

Wycense, *z niem. zam. Weissensee, czyli Chycina.* Pezich, *Pieski.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Gorithsic, *Gorzyca wielka.*

Nr. 876.

Iacobus Gneznens. archiepiscopus 1303 Nov. 6, in Gnezna; civitatem Kalisz in duas parochias dividit.

Kopja na luźnéj karcie papieru, pisana ręką XVIII w., nie podająca swego źródła. Kalisz. Archiw. Rządowe.

In nomine Domini amen. Cum in multis iuris articulis, in nonnullis legum apicibus non ineleganter imo probabiliter sit statutum, ut tam spiritualium quam temporalium causarum iudices, non solum in iudiciis, verum etiam in negotiis equalitatis et iustitie existere debeant amatores, ex divino vocis oraculo sumpta causa, quo cavetur: Non erit apud te acceptio personarum, sed magnum iudicabis ut parvum; hanc enim viam regiam esse credimus, qua reges secundum ethymologiam, qui recta faciunt, incedentes ad sinistram vel dexteram etc: proinde nos Iacobus, Dei gratia Gneznensis archiepiscopus, volumus in nostri iudicii tramitibus quempiam claudere, imo sic actori indulgere loquendi vel proponendi, ut rei allegationes seu iura minime contemnamus. Cum igitur discretus vir Beniamin rector ecclesie sancti Nicolai in Kalisz, Poznaniensis canonicus, iure petiverat coram nobis, ecclesiam sancte Marie in Kalis, tanquam de novo constructam et sue parochiali ecclesie preiudicialem, intentando renuntiationem novi operis demoliri, et honorabilis vir Nicolaus archidiaconus Kalisiensis, cuius intererat eo quod suus archidiaconatus sit fundatus super ecclesiam sancte Marie, predicta similiter iure respondendo negaverit narrata prout narrantur, et petita fieri non debere, imo petiverat, ecclesiam sancti Nicolai tanquam filiam, sue ecclesie sancte Marie prefate tanquam matrici et parochiali civitatis Kalisiensis subiici et satisfieri de perceptis mala fide, offerens se probaturum, quia dicta ecclesia sancte Marie erat antiqua et ab initio parochialis civitatis Kalisiensis, utpote que, civitate predicta in priori loco manente, ius formandi (sic), confessiones audiendi, penitentias iniungendi, baptizandi, et alia iura parochialia a multis retroactis temporibus possidebat vel quasi, postea vero, civitate eadem propter inundationem aquarum de loco ad locum satis vicinum translata, eadem ecclesia ex eadem causa suum populum est secuta. Preterea offerebat se etiam probaturum dictus archidiaconus, quod prefata ecclesia sancte Marie, ab initio locationis civitatis Kalisiensis, iura parochialia supradicta, stante etiam ecclesia sancti Nicolai tanquam filia, multo tempore possedit pacifice et percepit, et quod sit eisdem per secularis potestatis violentiam spoliata. Nos igitur cupientes cultum divini Numinis augmentari, ac intendentes ut antique ecclesie taliter provideri possimus, ut in ipsa divinum officium idonee ac debite valeat exerceri, maxime cum per Dei gratiam populus civitatis predicte in tantum sit auctus et credatur amplius augmentari, quod utraque ecclesia esse necessaria videatur, salvo iure et honore, ecclesie sancte Marie tanquam matrici ab ecclesia sancti Nicolai impendendo, sic finem dicte controversie imposuimus ex nostro officio. Civitatem Kalisiensem seu populum ipsius, per medium duximus dividendum et usi sapientum consilio dividimus per presentes, medietatem ipsius sancte Marie relinquentes, et medietatem aliam cum iuribus, agris, vinea extra civitatem eandem sita, ecclesie sancti Nicolai pro parochia deputamus, parochialem ecclesiam ipsam in posterum statuentes. Designamus autem limites parochiarum earundem: videlicet per viam que ducit de Tyniec circa parietem hospitalis, usque ad fluvium

qui currit per medium forum, et sic per eundem fluvium usque extra civitatem limes procedat, et per ipsum fluvium una parochia ab alia semper separetur. Declaramus etiam, quod dum processio in maiori Litania et in Rogationibus fieri debebit, rector ecclesie sancti Nicolai ad ecclesiam sancte Marie tanquam matricem cum processione accedat, ac deinde communiter divinum officium peragatur. Actum in Gnezna anno Domini millesimo trecentesimo tertio, octavo Idus Novembris, presentibus dominis Iohanne archidiacono Lanciciensi, Gregorio preposito Uneoviensi, Sventoslao et Prybyslao canonicis Gneznensibus. In cuius rei testimonium, presentes literas sygillo nostro fecimus communiri.

Vinea, *pewnie dziś wieś Winiary.* Tyniec, *Tyniec.* Uneoviensis, *de Uniejów.*

Nr. 877.

Bartholomeus advocatus consules et scabini civitatis de Pizdra 1303 s. d. et l.; protestantur, monasterium Ląd emisse tertiam partem molendini, iacentis in litore civitatis Pyzdry super fluvium Warta.

Włocławek. Lib. privilegior. monasterii Ląd, pag. 168.

In nomine Domini amen. Cum nichil ita infixum sit memorie quod non neglectu et successione temporis abolescat, utile et cautum esse dignoscitur, ut que rationabiliter aguntur in tempore, per literarum autenticum posterorum memorie commendentur. Nos igitur Bartholomeus advocatus, consules et scabini civitatis de Pizdra, universis presens scriptum intuentibus volumus esse notum, quod dominus abbas Conradus ac sui fratres domus Lendensis, Ordinis Cisterciensis, emerunt erga Zophiam relictam quondam concivis nostri Ubelini et suos heredes, videlicet Iohannem, Sandivogium et Premislonem, tertiam partem molendini iacentis in littore nostre civitatis supra fluvium Wartham, pro quadraginta quatuor marcis denariorum currentis monete; et dicta domina Sophia cum suis pueris prenominatis omnibus, coram nostro maiori iudicio omni iuri resignavit, quod in eodem molendino habuit vel habere videbatur, manibus domini abbatis spontanee offerendo. Item presentibus protestamur, quod Guntherus molitor, noster concivis, partem suam quam in eodem molendino habuit, cum unanimi voluntate et consensu filiorum suorum, videlicet Iohannis, Nicolai et Conradi, vendidit domino abbati predicto et suis fratribus pro novem marcis denariorum currentium et omni utilitate, quam in eodem molendino in duabus partibus eorundem fratrum infra quatuor annos continuos, in festo beati Martini anno Domini M.CCC. quarto terere incipientibus, percipere potuisset; quibus evolutis, ambe partes de quibus utilitatem percepit, sine omni contradictione et dilatione ad prefatos fratres libere revertentur. Item concivis noster Iohannes gener advocati legavit pro remedio anime sue et uxoris sue Lyse domui Lendensi prefate quinque lapides sepi, quos de domo suo (sic), vicina advocati domui, solvere annis singulis in festo beati Martini cum suis successoribus perpetuo se promisit. Et hec omnia facta et ordinata sunt coram nostro iudicio maiori sub anno Domini M.CCC.III, presentibus nobis, Gothkone, Hermano dicto Rost advocato de Kessilberch, Iohanne dicto Kroschil sculteto de Zessil et Hermano fabro, eodem tempore consulibus, idem (sic) presente Adam textore, Henrico Legzte, Hechardo, Gerkone, Bertoldo dicto Sodertth,

Arnoldo de Sylva et Hilbrando calciatore, tunc temporis scabinis, et aliis pluribus fide dignis. Ut autem nostrum testimonium prenominatis fratribus prodesse valeat, nos advocatus predictus presentem literam appensione nostri sigilli proprii et nostre civitatis reddidimus communitam.

Pizdra, *Pyzdry.* Lendensis, *de Ląd.* Kessilberch, *niemiecka nazwa któregoś miasteczka województwa Kaliskiego, może Kotlin, (cnfr. Nr. 528).* Zessil, *Cieśle.*

Nr. 878.

Comes Ubeslaus castellanus Calisiens. 1303 s. d. et l.; coenobio de Ołobok hereditates Biała et Radostowo confert.

Transsumpt potwierdzony przez: Stanislaus Augustus rex Poloniae etc. 1776 Octob. 11, Varsaviae; *w zeszycie pergaminowym, własnoręcznym podpisem i pieczęcią tegoż króla opatrzonym.*

Poznań. Königl. Staats Arch. Ołobok 9.

In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam et ne gesta hominum fide digna cum tempore evanescant, provida sapientum auctoritas scripture remedium introduxit. Hinc est quod ego comes Ubeslaus castellanus Calisiensis ad noticiam universorum tam presentis quam futuri temporis cupio pervenire, quod prehabita bona deliberacione et de communi consilio meorum amicorum, ad honorem Dei et beate Virginis Marie et pro remedio anime mee et meorum predecessorum, in testamento contuli cenobio de Olobok et dominabus ibidem commorantibus meas hereditates, videlicet Balan et Radostowo, iure hereditario possidendas in perpetuum cum omnibus proventibus et utilitatibus, que nunc aut in posterum ex eis possunt provenire. In cuius rei testimonium, conscribere feci presentem paginam et meo sigillo communiri presentibus hys testibus: confessore meo Wilhelmo canonico Rudensi et plebano de Kostrzina, comite Raciborio subdapifero Calisiensi, comite Iohanne de Wysoreth sucamerario Gnesnensi, comite Boguslao vexillifero Calisiensi, qui in maiorem evidenciam et roboracionem huius testamenti, ad meam peticionem sigilla sua appenderunt. Datum anno Domini millesimo trecentesimo tercio.

Olobok, *Ołobok.* Bala, *Biała.* Radostowo, *Radostowo.* Rudensis, *de Ruda.* Kostrzina, *Kostrzyna.* Wysoreth, *Wysieradz.*

Nr. 879.

Comes Prandota 1303 Dec. 26, in Groddizh civitate; protestatur, Hermanum advocatum de Grodzisk locum molendini in fluvio Dojca monasterio Paradyż resignasse.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A. Nr. 60.

In nomine Domini amen. Nos comes Prandota, comitis Petriconis palatini Poznaniensis quondam filius, notum esse volumus presentes videntibus, dilectum no-

bis advocatum nostrum Hermanum in Grodizh, locum molendini in fluvio qui Dogyza vocatur iacentem, a patre nostro Petricone comite antedicto et a nobis cum scultecia et advocacia sua emptum, in honorem Dei ac beate virginis matris eius Marie, pro salute animarum suorum progenitorum et in remissionem peccati proprii ac sue uxoris domine Hildegundis, coram nobis et dilectis nostris consulibus similiter et civibus resignasse, ita videlicet, ut memoria sui ac sue uxoris et suorum progenitorum, in ecclesia Paradisi et a monachis ibidem demorantibus habeatur, quibus locum molendini antedictum, in Dogyca fluvio iacentem, libere et in perpetuum resignavit possidendum. Unde, ne huius nostri advocati ac sue uxoris et suorum heredum benevole resignacionis donacio, facta coram nobis ac nostris civibus, a quoquam frivola habeatur et inanis, sigillis evidentibus presencia statuimus confirmanda. Acta sunt hec anno Domini millesimo trecentesimo tercio in Groddizh civitate, in die beati Stephani prothomartyris et Levite. Testes huius rei sunt: Petrus faber de Zbansyn, Iohannes faber consul in Groddizh, Conradus de Premant, Theodericus, Dresico, Petrus, Scerith (sic), Pezolt faber, et alii quam plures fide digni.

Grodizh, *Grodzisk.* Dogyza fluv., *rz. Dojca, prawy przypływ rz. Obra.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Zbansyn, *Zbąszyń.* Premant, *Przemęt.*

Nr. 880.

Comes Zbilowit et filii eius 1304 Ian. 19, s. l.; hereditatem Staropol monasterio Paradyż vendunt.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 61.

In nomine Domini amen. Universis Christi fidelibus hanc litteram inspecturis, comes Zbilowit et filii eius Ninos et Thomislaus salutem in eo qui est omnium vera salus. Felix est custodia litterarum, emergentibus enim obstat calumpniis et rerum seriem incommutabili loquitur veritate. Hinc est quod tenore presencium protestamur, hereditatem nostram dictam vulgariter Starpul, sitam iuxta oppidum et castrum Lubenov, nos vendidisse domino abbati et fratribus de Paradiso dicto Polonice Gostcov, Ordinis Cisterciensis, pro centum marcis Glogoviensis ponderis et monete. De hac pecunia recepimus XXVII marcas, sicut recognoscimus in hoc scripto. In cuius rei testimonium, dedimus hoc scriptum sigilli nostri munimine roboratum, addito sigillo domini abbatis et conventus claustri Velenis, quod nunc propter transposicionem et novam transplantacionem dicitur Lacus sancte Marie, apposito eciam sigillo fratris Gunteri de Lubens procuratoris domini Henrici ducis Glogovie, coram quibus hec acta sunt et ordinata et prefata pecunia persoluta. Actum et datum anno Domini millesimo trecentesimo quarto, proxima dominica post octavam Epiphanie.

Starpul, *zamiast Staropol, z niem. Starpel.* Lubenov, *z niem. zam. Liebenau, właściwie Lubrza.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Claustrum Velenis, *klasztor Wieleń, później przeniesiony do Przemętu.* Lubens, *Lubiąż, z niem. Leubus.*

Nr. 881.

Petrus filius Nicolai de Glynno subdapifer Syradiens. 1304 Febr. 21, in Unyeow; commutat hereditatem suam Grąbków, cum villa ecclesiae Gneznensis, dicta Tądów.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 80 v.

In nomine Domini amen. Quoniam oblivio mater erroris materiam iurgiorum importat et plerumque consuevit gestorum ordinem abolere, sapientum decrevit auctoritas, ea scripti testimonio posterorum noticie commendare. Ego itaque Petrus filius Nicolai de Glynno, subdapifer Syradiensis, notum facio universis presentibus et futuris ad quos pervenerit presens scriptum, quod habita deliberacione sufficienti et matura, venerabili in Christo patri domino Iacobo Gneznensis ecclesie archiepiscopo et eidem ecclesie, hereditatem meam dictam Grabkovicze, cum alia villula quam intra metas eiusdem hereditatis Grabkovicze nuper locavi, nomine sibi e meo nomine, Pyotrow videlicet, imponendo, de consensu filiorum meorum, licet ad hoc nullum ius habencium, cum eandem meis meritis habuerim deservitam, per contractum commutacionis tradidi cum omnibus suis pertinenciis et utilitatibus, que in agris, silvis, pratis sunt et esse poterunt in futurum, nichil meis heredibus et michi iuris vel dominii relinquens ibidem, et promittens eidem venerabili patri et ecclesie Gneznensi, de eviccione, si in toto vel in parte ipsum ibidem aliquod dampnum pati contingeret, indempnem modis omnibus conservare. A predicto autem patre venerabili et suo Capitulo recepi per commutacionem pro me et meis heredibus, loco predicte hereditatis Grabkovicze, hereditatem ecclesie dictam Trandowo inferius, sitam in castellania Spiczimiriensi, prout est nunc per nuncios venerabilis patris suis gadibus limitata, et quadraginta marcas argenti, quas iam confiteor me habere. Tradidi eciam predicto venerabili patri privilegium super dicta hereditate Grabkovicze quod habui, super fidem meam recipiens, quod nullum aliud habui nec habeo; et si aliquod per quempiam in posterum contingeret exhiberi, pro falso et nullo iudicari debet. Promitto insuper, quod omne ius et servicium ducale ad que tenebar de Grabkovicze, volo impendere de Trandovo ducatui, et iura ecclesie salva remaneant super Grabkow, cum ambe hereditates predicte sint site in eodem dominio et districtu. In cuius rei testimonium, presentes litteras sigillo meo censui sigillandas. Actum in Unyeow anno Domini M.CCC.IIII, in vigilia beati Petri Cathedra, presentibus: Nicolao Calisiensi, Stanislao Unyeoviensi archidiaconis, Iohanne custode Lanciciensi, Ninogneo de Lipnicza, Stanislao de Tarandowo militibus, Pribislao thezaurario, et aliis pluribus capellanis et militibus.

Glynno, *Glinno.* Grabkovicze, *Grąbków.* Pyotrow, *osada znikła.* Trandowo inferius, *Tądów dolny.* Spiczimiriensis, *de Spicimirz.* Unyeow, *Uniejów.* Lipnicza, *Lipicze.*

Nr. 882.

Andreas Poznaniens. episcopus 1304 Mart. 11, in Welichow; protestatur, se vidisse privilegia super collatione villarum Stibencz et Słocin, a comite Petrcone quondam palatino Poznaniensi, monasterio Paradyż data, nec non litteras venditionis villae Sworzyce, a comite Prandota filio praedicti palatini, eidem monasterio resignatae.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci. Litery w pierwszéj klamrze umieszczone zupełnie wyskrobane, w drugiéj zaś jeszcze czytelne lubo nadwyrężone.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 5.

In nomine Domini amen. Prothoplasti peccati rubigine humana contaminata condicio sic memorialis cellule officio communiter eclipsatur, ut primi parentis vicio in posteros propagato, recordari non valeat, qui non sepe prospicit vel non iugiter meditatur; hinc provida veterum discrecio non improvide adinvenit, ut facta presencium, in scriptis redacta in noticiam deveniant posterorum. Hinc est quod nos Andreas Dei gracia Poznaniensis episcopus presentibus protestamur et publice profitemur, nos vidisse privilegia et legisse, non cancellata, non abolita, nec in parte aliqua viciata et sigillis legittimis comunita, claris verbis continencia et expressis, qualiter comes Petrco, quondam palatinus Poznaniensis, una cum filio suo comite Prandota ac ceteris heredibus suis, villas suas dictas Stibencz et utramque Sulocino domui fratrum Cysterciensis Ordinis dicte Paradisus, vulgari nomine Gosczuchowo appellate, libere ac sponte in suorum peccaminum remedium contulerunt, qualiter et dictus comes Prandota (*18 lit. rasae*) villam suam dictam Sworice eiusdem domus fratribus (pro lx marcis vendidit), prout hec omnia in privilegiis super hiis confectis plenius continentur, et idem Prandota cum fratre suo Boguphalo, hec omnia esse vera, in nostra presencia sunt confessi. Nos igitur, dilecti in Christo fratris nostri domini Iacobi abbatis dicte domus et suorum fratrum precibus annuentes, in testimonium omnium predictorum presentem eis litteram dedimus, nostri sigilli munimine roboratam. Datum et actum in Welichow in vigilia beati Gregorii Pape, anno Domini M.CCC. quarto.

Stibencz, *nie odgadnione.* Sulocino, *Słocin.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Sworice, *Sworzyce.* Welichow, *Wielichowo.*

Nr. 883.

Andreas Poznaniens. episcopus 1304 Mart. 11, in Welichow; protestatur, Nicolaum, filium quondam comitis Thomislai palatini Poznaniensis, hereditatem Łążek monasterio Paradyż contulisse.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 62.

In nomine Domini amen. Nos Andreas Dei gracia Poznaniensis episcopus presentibus protestamur, quod in nostra presencia constitutus dominus Nicolaus, filius

quondam comitis Thomislai palatini Poznaniensis, noster Poznaniensis canonicus, hereditatem suam dictam Lansis, quam a genero suo comite Beniamin emit et ex integro persolvit, pure propter Deum et ob suorum remedium peccatorum contulit et donavit domui fratrum Ordinis Cisterciensis in presencia domini Iacobi de Paradiso abbatis, sub hac forma, quod dicta hereditas cum omnibus iuribus et proventibus ad domum de Paradiso perpetuo debeat pertinere, ita quod in eadem dominus Iacobus abbas cum suo conventu curiam locabunt prout eis videbitur expedire, in qua ponere debebunt fratrem sacerdotem, qui pro suorum predecessorum et sua animabus Dominum deprecabitur et divina officia celebrabit. In cuius rei testimonium, utroque petente presentem litteram conscribi fecimus et sigillorum, nostri et eiusdem domini Nicolai, appensione muniri. Actum et datum in Welichow in vigilia beati Gregorii Pape, anno Domini millesimo trecentesimo quarto.

Lansis, *Łąźek.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Welichow, *Wielichowo.*

Nr. 884.

Venceslaus Bohemie et Polonie rex 1304 Mart. 14, Prage; confirmat privilegium, quod dederat monasterio Sororum beati Dominici Poznaniae: **Premisl rex Polonie et dux Pomeranie 1296 Ian. 25, in Poznan.**

Poznań. Königl. Staats Arch. Posen, S. Catharin. Nr. 28. (Lib. privilegior. Virginum sancti Dominici ad ecclesiam sanctae Catharinae in Poznan, potwierdzony przez: Augustus rex Poloniae etc. 1714 Aug. 29, Rydzynnae, *podpisem własnoręcznym i pieczęcią tegoż króla opatrzony). — Relation. Posnaniens. a. 1619, fol. 1629.*

Nos Venceslaus, Dei gracia Bohemie et Polonie rex, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod religiosus vir frater Dominicus, prior fratrum Ordinis Predicatorum in Poznan, nobis ex parte priorisse et conventus sororum inclusarum monasterii sancti Dominici, ibidem in Poznan sub cura fratrum Dominici Ordinis degencium, quoddam privilegium felicis memorie Premislai quondam Polonie regis ac ducis Pomeranie, predecessoris nostri, presentavit, petens a nobis, ut idem privilegium confirmare et ratificare de benignitate solita dignaremur; cuius quidem privilegii tenor per omnia talis est: (*Sequitur diploma Nr. 743*).

Nos autem huiusmodi dictarum priorisse et sororum peticionibus, nobis per dictum priorem in hac parte porrectis, benignius inclinati, predictum privilegium et contenta in eo confirmamus, ratificamus et eciam approbamus ac presentis scripti patrocinio communimus. In cuius rei testimonium, presentes litteras fieri, et sigilli (sic) maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Prage per manus venerabilis Petri Basiliensis episcopi, Vissegradiensis prepositi, regni Bohemie cancellarii, principis nostri dilecti, anno Domini millesimo trecentesimo quarto, pridie Idus Marcii, Indictione secunda, anno regnorum nostrorum Bohemie septimo, Polonie vero quarto.

Nr. 885.

Andreas Poznaniens. episcopus 1304 Iul. 9, Poznanie; ecclesiae Poznaniensi villas Mączniki, Otmarowo, Wirza, Wiele et Pęperzyn confert; fratri vero et filiastris suis, hereditates Czermin, Skrzypno, Wola Xiążęca et Ambroscovice in compensationem donat.

Pergam. orygin., przy którego końcu lewy brzeg wydarty; tekst wypełniony podług Lib. privil. B. Na sznurkach jedwabnych, zielonych przywieszono 3 pieczęcie, które znikły.

Poznań. Archiv. Capituli III, 1. — Lib. privil. B, Nr. 101.

In nomine Domini amen. Noverint universi presencium noticiam habituri, quod nos Andreas Dei gracia Poznaniensis episcopus, in bona, sana et valida vallitudine constituti, divine flammis gracie inflammati, multa deliberacione prehabita, cupientes in claritate eterne beatitudinis cum hylaribus datoribus quos Deus diligit collocari, cordis et operis largitate temporalia in terris seminare studuimus, ut possimus cum multiplici fructu in celis recolligere seminata, et nichilominus omnipotenti Deo de commissis satisfacere et obmissis, de quibus redituri sumus in districti examinis iudicio racionem: villas nostras ad nos iure hereditario devolutas, Manczniki vulgariter dictam, a patre nostro pie memorie deservitam, et Othmarowo pro peckunia comparatam, sitas iuxta villam Dambicze super Rezenicam rivulum, que invicem sunt unite et una villa; Wirsco, Wele et Pampowo, sitas ultra Notes fluvium, iure hereditario aquisitas, cum omnibus fructibus, iuribus, utilitatibus, pertinenciis et privilegiis, cum lacubus Wele et Nankars vulgariter appellatis, Poznaniensi ecclesie sponse nostre, cui sumus fide media in Domino copulati, contulimus, legamus et conferimus in hys scriptis ob remedium anime nostre et in remissionem omnium nostrorum peckatorum, accedente bona, plena, mera et libera voluntate ac consensu lucido et expresso comitis Laurentii fratris nostri, et filiastrorum nostrorum, heredum dilecti quondam Abrahe fratris nostri, quibus, videlicet Laurentio, Ianconi, Abrahe et Gothboldo, alias hereditates nostras, Czirnin, Scripne, Wola et Ambroscovice contulimus et legamus vulgariter nuncupatas, volentes, ut earundem hereditatum seu villarum possessionem vel quasi naturalem et civilem, ecclesia Poznaniensis pro parte sua et prephati heredes pro parte sua ut superius est expressum incontinenter et efficaciter nanciscantur, omnibus ac singulis ad hoc specialiter convocatis presentibus et consencientibus donacioni huiusmodi per nos facte, et clare coram nobili viro Ulrico de Boscovicz, capitaneo Polonie, renunciantibus omni iuri, actioni et excepcioni ac privilegio a quocunque collato, quod vel que eis in dictis villis seu hereditatibus conpetit aut posset conpetere tempore subsequenti; promittentes nobiscum nichilominus fide data, quod contra dictam donacionem et renunciacionem, nec per nos nec per alios, directe vel indirecte, nullo unquam tempore veniemus, ymo, dante Domino crescentes in beneficiis, ratam, gratam et firmam semper habebimus et habere volumus et per nos et per alios perpetuo duraturam. Ne vero super donacione nostra et ipsorum renunciacione alicui in posterum dubium oriatur, aut ab aliquo ausu temerario, quem exnunc eterna maledicione maledicimus, infringatur, presentes sigillis, nostro et dicti Ulrici capitanei Polonie, ac Laurencii fratris nostri, et filiastri nostri Ianconis, fecimus communiri. Datum et actum Poznanie VII Idus Iulii, anno Domini M.CCC.

quarto, presentibus honorabilibus viris et dominis: Iacobo cancellario, Bozislao archidiacono, Sdeslao, Nicolao, Mutina, Domarado, canonicis Poznaniensis ecclesie; Dobrogostone, Mezslao, Bogussa, Laurencio, militibus; Iacobo, Nicolao thesaurario nostro, Nicolao de Pisder capellanis; Andrea, Potenciano, Iescone, clericis curie nostre, ad hoc rogatis et specialiter invitatis, et aliis quam plurimis fide dignis.

Manczniki, *Mączniki.* Othmarowo, *osada znikła.* Dambicze, *Dębicz.* Rezenica rivul., *dziś Maszkawa strum.* Wirsco, *Wirza.* Wele, *Wiele.* Pampowo, *Pęperzyn.* Notes fluv., *rz. Noteć.* Czirnin, *Czermin.* Scripne, *Skrzypno.* Wola, *dziś Wola Xiążęca.* Ambroscovice, *nie odgadnione.* Pisder, *Pyzdry.*

Nr. 886.

Comes Nicolaus Bozatisch subcamerarius regni Polonie 13.. Aug. 5, in Poznania; confert molendinum Ruchocin monasterio de Obra.
Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 40.

In nomine Domini amen. Cum ea que geruntur in tempore, ne simul labantur cum tempore necesse est munimine sigillorum et proborum virorum testimonio perennari, hinc est quod ego comes Nicolaus Bozatisch subcamerarius regni Polonie notum facio tam presentibus quam futuris, quod sano corpore et maturis sensibus ob remedium anime mee uxoris mee et parentum meorum contuli molendinum dictum Ruchocinagac, situm super fluvium qui vocatur Doyca, fratribus de Obra Ordinis Cisterciensis in honorem Dei genitricis virginis Marie et omnium Sanctorum, cum omni situ qui ad ipsum molendinum pertinet in perpetuum possidendum. Et ut hec donacio firma sit, ne ab aliquibus successorum meorum violari posset, presentem litteram feci cum sigillo comitis Nicolai palatini Calisiensis meo sigillo proprio roborari. Acta sunt hec in Poznania anno Domini millesimo trecentesimo (*vacuum*) in die beati Dominici confessoris presentibus his testibus, videlicet comite Nicolao palatino Calisiensi, comite Ianussio Bozatisch, comite Prandota de Grodzisk, comite Andrea de Lanki et aliis pluribus fide dignis.

Nicolaus Bozatisch, *w Nrze. 834* Nicolaus Boczanht. Ruchocinagac, *dziś młyn Ruchocin.* Doyca *rzeczka.* Obra, Grodzisk, Łąka, *dziś tak samo.*

Nr. 887.

Nicolaus palatinus Kalisiens. 1304 Nov. 25, in Gluschina; medietatem utilitatum de hereditate Sienno, quas a monasterio de Łekno temporibus vitae suae possidendas obtinuerat, praefato monasterio sub certis conditionibus confert.
Wągrowiec. Archiv. monasterii. Protocollum tertium, pag. 41.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Nicolaus

palatinus Kalisiensis notum facimus universis tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis, quod villam et hereditatem Senno vulgariter nuncupatam, quam obtinueramus a domo de Lekna cum suis fructibus integraliter possidendam temporibus vite nostre, consulentes utilitati anime nostre, omnes utilitates quas in eadem villa habuimus vel habere possemus, domino abbati nomine Christiano et domui de Lekna et ei qui pro tempore abbas fuerit contulimus, per medium possidendas diebus vite nostre. Postquam vero nos decedere contigerit, plenarie dicta villa cum omnibus suis utilitatibus, araturis quas ibidem preparaverimus, ad dominum abbatem et domum de Lekna pertineat ex integro, tali tamen interposita ordinacione, ut pro reformacione eiusdem ville, medietatem bonorum, tam in araturis quam peccoribus et ovibus, dominus Christianus abbas aut quicunque pro tempore fuerit abbas, tempore et loco ponere et locare tenebitur et debebit. Hunc vero, quem procuratorem dicte ville et bonorum eiusdem dominus abbas locare voluerit, de consilio nostro et voluntate locabit; similiter et nos, hunc quem locaverimus, de voluntate domini locabimus abbatis. In cuius rei testimonium, presentes conscribi et sigilli nostri munimine fecimus communiri presentibus hiis testibus: domino Martino abbate de Lubin, domino Wyslao preposito de Gluschina, magistro Nicolao medico, Iaszkone Rege quondam notario, qui propria manu presens privilegium conscripsit. Actum et datum in Gluschina in die beate Katharine, anno Domini millesimo CCC quarto.

Senno, *Sienno.* Lekna, *Łekno.* Lubin, *Lubin.* Gluschina, *Głuszyna.*

Nr. 888.

Heinricus dux Slezie et dominus Glogovie 1304 Dec. 10, ante Wytin; confirmat collationem villae Lubinicko, a monasterio Paradyż Bogusio de Wyzenburch ad tempus vitae eius factam.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci, któréj ułamek, osobno zachowany, okazuje lewą połowę tułowu bez głowy męża zbrojnego, stojącego; przy lewym boku miecz, obok niego tarcz mała, trójkątna, z wyobrażeniem Orła rozpostartego. Z napisu ... Ducis ... *pozostało.*

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 6.

Ad noticiam presencium et memoriam futurorum nos Heinricus Dei gracia dux Slezie et dominus Glogovie notum facimus universis hanc litteram inspecturis, quod cum religiosus vir frater Iacobus, abbas de Paradiso Ordinis Cisterciensium, de conventus sui consilio et voluntate expressa Martini villam, prope Swibozyn positam, cum toto eius dominio nobili viro domino Bogusio de Wyzenburch ob promocionem et defensionem dicti sui monasterii de Paradiso contulerint vite sue temporibus possidendam; nosque indempnitatibus ecclesiarum providere volentes, precibus discreti viri Hermanni abbatis tunc pro tempore existentis inclinati confessione dicti Bogusii de Wyzenburch, super eiusdem ville collacione taliter celebrata coram nobis publice facta nostras litteras duximus concedendas; ita videlicet, quod dicto Bogusio sublato de medio, eadem villa ad prefatum monasterium absque contradictione qualibet reverti debeat ac redire. Actum anno Domini M.CCC. quarto presentibus dominis:

Ulrico de Pak, Gunczcelino et Theoderico fratribus de Silicz, Petro de Warta, Gunthero de Bissofswerde militibus, et aliis. Data in castris ante Wytin per manus Friderici nostri prothonotarii, quarto Idus Decembris.

Paradisus, *klasztor Paradyż*. Martini villa, *z niemiecka Merzdorf, właściwie zaś Lubinicko*. Swibozyn, *Swiebodzin*. Wytin, *z niem. Witten*.

Nr. 889.

Heinricus dux Silesie et dominus Glogovie 1305 Ian. 2, in Ribewit; bona et hereditates monasterii Paradyż ab omnibus absolvit solutionibus et servitiis, ipsumque monasterium amplis privilegiis dotat.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 65. — Biblioteka X. X. Czartoryskich, Teki Naruszewicza IV, Nr. 240. (Z manuskryptu biblioteki króla Stanisława Augusta).

In nomine Domini amen. Ut in nostris gesta temporibus perpetue stabilitatis robur obtineant et ad nasciture posteritatis noticiam pertingant, salubriter maturiori consilio provisum est, res sollempniter gestas sigillatis apicibus eternare. Nos igitur Heinricus, Dei gracia dux Silesie et dominus Glogovie, ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum testimonio huius scripti cupimus pervenire, quod honorabili viro domino Hermanno abbati de Paradiso ac fratribus inibi morantibus Ordinis Cisterciensis, qui multa religione pollentes et innocentes oracionibus cum assiduis levantes in celum manus, districtum incessanter nostris pro offensis iudicem interpellant, pro iniuriis, dampnis, molestiis et expensis non modicis, racione hostilitatis pro defensione terre nostre per nos ipsis irrogatis, nec non ad honorem redemptoris nostri Ihesu Christi simulque genitricis eius gloriose virginis Marie ob reverenciam, pro salute animarum progenitorum nostrorum et nostre, de bona ac libera nostra voluntate dedimus et contulimus, incorporavimus ac proprietatis titulo irrevocabiliter invisceravimus omnibus hereditatibus et bonis, que nunc possident aut in futurum sunt possessuri, ab omnibus solucionibus, exaccionibus, angariis et preangariis, ac aliis omnibus serviciis quibuscunque vel quocunque nomine censeantur, que iam sunt aut denuo ex novo excogitari possent, plenam et perpetuam libertatem, ac omnimodam iuris integritatem tam superioris iudicii quam inferioris, videlicet ut iudicio sanguinis, tam in capite quam in membris, liberam habeant facultatem malefactores suos secundum demerita puniendi. Specialiter adiicientes, quod predicti dominus abbas et ceteri fratres in iam dicto monasterio scilicet Paradiso, hereditates et cetera omnia et singula bona, que per empcionem aut elemosinarum largicionem aut principum, baronum aut aliorum Christi fidelium tradicionem comparaverint seu adipisci quovis modo potuerint, in toto dominio principatus nostri sub omnibus libertatibus, immunitatibus et graciis prenotatis perpetue possideant pacifice et quiete. In cuius rei testimonium, presentes scribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Datum et actum Ribewit (sic) anno Domini millesimo trecentesimo quinto, quarto Nonas Ianuarii, presentibus hys testibus: domino Iacobo plebano in Wititz, Sulcone Lassocitz castellano in Sbanczin, Petro Pobicitz, Heinrico Hakone, domino Wenceslao plebano

in Sandowel, et Fritzcone de Buntense protonotario curie nostre, per cuius manus presencia sunt conscripta.

Paradisus, *klasztor Paradyż.* Ribewit, *w Tekach:* Ribenich, *nie odgadnione.* Wititz, *w Tekach:* palatino in Wincz, *nie odgadnione, może mylnie zam. Witten.* Sbanczin, *Zbąszyń.* Pobicitz, *zapewne dziś Poppschütz pod Neustaedtel w księztwie Głogowskiem.* Sandowel, *dziś Sandelwalde.* Buntense, *nie odgadnione.*

Nr. 890.

Comes Nicholaus palatinus Kalisiens. et com. Syndiwoyus palatinus Poznaniens. 1305 Mai. 10, in Gnezna; protestantur, comitem Adalbertum, filium quondam Zechoslai castellani Kalissiensis, hereditatem Szczonowo monasterio Ląd resignavisse.

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Pergam. orygin., do którego na skrawkach pergamin. cztery pieczątki przywieszono. Pierwsza Mikołaja wojewody Kaliskiego; (pieczęć XXXII). *Druga znikła. Trzecia Piotra Stoszewicza dziś znikła; opisana wszakże jest u Rzyszczew. Muczkow., a według tego opisu jest to godło jeszcze w r. 1343 się znachodzące. Przedstawiało obok siebie dwa listki rośliny heraldycznéj Lotus, (kształtu sercowatego, górą wykrojone w kształcie trójlistka koniczyny) i jest pewnie pierwowzorem godła Szlązkiéj familii Stosch. Czwarta Wojciecha Czechosławicza;* (pieczęć XXXV). — *Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Polon. I, 98.*

In nomine Domini amen. Noverint universi ad quorum noticiam pervenerit presens scriptum, quod ... nos ... comes Nicholaus palatinus Kalisiensis nec non .. comes Syndiwoyus palatinus Poznaniensis notum facimus, quod comes Adalbertus, filius quondam Zechoslay castellani Kalisiensis, contulit hereditatem suam, que Vczonovo wlgariter nuncupatur, domui Lendensi Ordinis Cysterciensis in remedium anime sue et parentum suorum, cum omni iure et libertate, que erant ipsius ac per suum fidele servicium meruit obtinere a principibus, videlicet K. duce ac rege Premiszlone regnantibus in Polonia, presentibus filiis predicti Adalberti: Iacobo, Iohanne nec non Nicholao, qui donacioni paterne leto animo consenserunt. Et quia capitaneus regni Polonie absens fuit dominus Vodelricus, coram nobis hereditatem superius nominatam resignavit comes Adalbertus sepedictus cum filiis nominatis, presentibus baronibus terre, videlicet comite Petro dicto Stohoszevic burgravio Kalisiensi, qui sigillum suum huic litere rogatus apposuit ... comite Petrocone castellano de Sreme, comite Prestpelco herede de Wsplive, .. comite Mychaele filio quondam Ianconis, et aliis fide dignis. In cuius rei testimonium, presentem cedulam nostris sigillis fecimus communiri. Datum et actum in Gnezna anno Domini MCCCV, VI Idus Mai, in Translacione sancti Adalberti martyris et pontificis gloriosi.

Vczonovo, *Szczonowo.* Lendensis, *de Ląd.* Sreme, *Śrem.* Wsplive, *Spławie.*

Nr. 891.

Iohannes filius Nicolai advocati in Gosthin 1305 Iun. 11, in Gosthin; vendit Cunrado, dicto Fredrich, unum macellum in civitate Gostyń.

Transsumpt potwierdzony przez: Petrus et Mathias Borek fratres germani heredes in Gosthin 1464 Octob. 10, s. l., *w pergaminie orygin., którego 2 pieczęcie znikły z skrawków pergaminowych.*

Poznań. Königl. Staats Arch. Gostyń 6.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et accio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Nos itaque Iohannes, filius Nicolai advocati hereditarii in Gosthin, clareficere volumus omnibus nunc viventibus et in posterum successuris, quod nostra non ficta voluntate sed sana mentis deliberacione, habito nostrorum fidelium consilio amicorum, nostro fideli Cunrado dicto Fredrich unum macellum, de nostro iudicio liberum, cum omni iure vendidimus, prout nos et nostri progenitores, avi et proavi possederunt et tenuerunt, sibi et suis posteris legittimis, natis et nascendis in perpetuum possidendum et ad usus beneplacitos convertendum. Ut autem hec certa et inpermutabilia maneant sive valeant permanere, presentem cartulam inpressione et appensione nostri sigilli duximus assignandam. Actum anno Incarnacionis dominice millesimo trecentesimo quinto, presentibus hys quorum nomina subsecuntur, scilicet Lludvigo fabro, Michaele sculteto de Brzeszye, Arnoldo Kozuchone, Iaskone de Smogorzewo, Lupoldo Gladlawa, Henrico Wigandi, et aliis multis fidedignis, qui huic ordinacioni cum fieret affuerunt. Datum in Gosthin feria sexta infra octavas Penthecostes per manus Nicolai notarii civitatis.

Gosthin, *Gostyń.* Brzeszye, *Brzezie.* Smogorzewo, *Smogorzewo.*

Nr. 892.

Bartholomeus cum fratribus 1305 Iun. 17, in Wisenze; villam parvum Pieski Petro subdito suo ad locandum tradunt.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia pieczęci Gierlacha, która osobno zachowana; (pieczęć XXXVII).

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 7. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Polon. 83.

In nomine Domini amen. Memoria perpetua indigentes plerumque ab hominum noticia dilabuntur, si non litterarum et testimonio fidelium conprobantur. Igitur nos Bartholomeus una cum fratribus nostris, Iohanne, Gerlacho et Wyzlao, intendentes fidele et reale servicium dilecti nostri subditi Petri, de non ficta voluntate et salubri habitu nostrorum amicorum unanimi consilio et consensu, damus sibi locacionem ville nostre, que parvum Pyshicz vulgariter nuncupatur, cum XX mansis et uno in perpetuum iure hereditario possidendos (sic), de quibus sibi, racione sue locacionis, principaliter ad suum aratrum quatuor liberos assignamus, preterea taber-

nam cum suis usibus sibi damus. Addicimus eciam tercium denarium sibi in villa et in metis ville de re qualibet iudicata. Huius racione, nobis cum equo IV talentorum tenebitur deservire. Damus eciam sibi suisque legittimis successoribus, predictam villicacionem libere vendere, donare seu commutare, cum ipsorum (sic) processu temporis videbitur expedire. Damus eciam yncolis ville libertatem IV annorum, quibus elapsis, nobis octo solidos Brandenburgensis ponderis de quolibet manso singulis annis solvere tenebuntur. Ut autem hec omnia et singula perpetuam habeant firmitatem, presentem litteram sigillo fratris nostri, scilicet Gerlachi, munimine roboramus. Datum in Wisenze anno Domini M.CCC. quinto, feria quinta post octavas Pentecostes, presentibus hys testibus, scilicet Theoderico sculteto de Wisenze, nec non Cunrado sculteto de Kursco et Ratslao de parvo Pisko, et aliis multis fide dignis.

Parvum Pyshicz, *Małe Pieski, osada niegdyś przyległa osadzie Pieski, dziś znikła.* Wisenze, *z niem. Weissensee, czyli Chyciny.* Kursco, *Kursk.*

Nr. 893.

Heinricus dux Slesye et dominus Glogovie 1305 Iul. 20, in Sytz; propalat et ratum habet modum, quo hereditates Starkowo et Poledowo monasterio de Wieleń fuerant devolutae, incolisque earum quaedam privilegia largitur.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn. wyblakłych wiszą ułamki jednéj pieczęci, z których tylko dwie wieże dają się rozpoznać.

Poznań. Königl. Staats Arch. Priment 2.

Quoniam apicibus ac sigillis queque negocia preterita veluti presencia memoriter retinentur, nos igitur Heinricus dux Slesye et dominus Glogovie, promotor Domini diligencium et amator, cupiens beneficia sue fundacioni, videlicet Lacui sancte Marie virginis gloriose, domui Cysterciensis Ordinis collata augere in remedium sue anime conferentiumque hereditates vulgariter Starchow et Poledow nuncupatas, scribimus universis tam presentibus quam futuris presencia scripta inspecturis, ut lecturi intelligant insciisque exponant, qualiter hereditates prelibate nostre ecclesie, scilicet Lacui sancte Marie virginis, sunt annexe et collate. Martinus quidam nomine latrocinio reprehensus, iudiciali sentencia decollatus, cuius hereditas Poledow exstitit, cum absque herede decessit, eam coram testibus, Borkone castrum Costen tunc temporis tenente, Conrado de Lovene vices domini ducis ibidem gerente, et Ludolfo advocato civitatis Glogovie, pupblice ob salutem sue anime fratribus Velensis ecclesie, que nunc mutato nomine dicitur Lacus sancte Marie, contulit bona fide. Starchow Wuykonis militis fuit, huius filius nostre ecclesie gravia dampna incendio intulit, qua racione iudiciali sentencia dampnabatur et per eosdem fratres decollabatur; cuius pater saluti anime intendens, prout potuit lese Velensi ecclesie satisfecit, prefatam hereditatem, scilicet Starchow, fratribus de Lacu sancte Marie virginis, nostre fundacioni, in remedium filii anime ac sue contulit sub hac forma, quatinus sibi soli pro vite necessitate statuta prebenda singulis annis diebus vite sue daretur a fratribus fideliter prenotatis, filiusque eius nichilominus a sentencia excomunicacionis, quam meruit incendio, absolveretur, ac ambo, scilicet pater et filius, fraternitati sepedicte ecclesie perpetuo unirentur, ita ut oracionibus fratrum ibidem degencium, Deo devote servien-

cium, uterentur. Ut prebenda predicti Wuykonis ab omnibus presens scriptum inspecturis totaliter sciatur, a prefatis fratribus singulis annis vite sue sibi dentur sex modii siliginis, sex brasii, una tunica, duo paria calciorum, et tercio anno duplex pallium; anno autem quo pallium recipit, tunica carebit. Mortuo autem ipso, eius optimus equus armaque sua cum dicta hereditate Starchow integraliter cedent ecclesie, videlicet Lacui sancte Marie virginis gloriose, uxor autem eius nil preter mobilia optinebit. Hoc modo hereditates prefate, scilicet Poledow et Starchow, nostre fundacioni videlicet Lacui sancte Marie virginis tradite sunt et connexe: est autem comendabilis fidelium condonacio, qua anime salventur et Deo devocius servientes iugiter sustentantur. Nos igitur Heynricus dux Slesie et dominus Glogovie, cum dicte hereditates nostre subiacent dominacioni, libenti animo ac intimo cordis affectu fratribus preelectis de Lacu sancte Marie virginis gloriose, fundacioni nostre, prefatas hereditates, scilicet Poledow et Starchow, ut quiecius vivant, domino Ihesu Christo glorioseque virgini matri eius Marie attencius serviant, pro nostris reatibus et parentum nostrorum omnipotentem Deum assiduis precibus fideliter interpellent, omni libertate concedimus et confirmamus, ita ut cum omnibus utilitatibus et proventibus existentibus et futuris, molendinis, pratis, agris, pascuis, paludibus, silvis, mellificiis, aquis et stagnis et aliis quibuscunque, prout in suis terminis sunt distincte, nullo umquam interveniente obstaculo, predicti fratres possideant pacifice et quiete; possessoresque dictarum hereditatum, videlicet Poledow et Starchow nostri claustri, ad nullius usquam vel umquam compareant citacionem, nisi nostro annulo ad nostram vocentur presenciam aut sigillo: sed sint liberi et excepti ab omnibus serviciis et exactionibus, que hactenus in terra nostra fieri consueverunt vel denuo poterunt suboriri, quibuscunque nominibus censeantur, nostra fundacio de dictis hereditatibus pleno pociatur tocius iuris dominio, et omnimoda gaudeat libertate. Ut igitur donacionis nostre confirmacio, inconvulsa iugiter perseveret, nostri sigilli appensione duximus roborandam. Cuius concessionis et confirmacionis testes subsequuntur: Fredericus de Waldow, Schibanus de Dyr, Mol castellanus de Crozzena et Sobesir filius Raphaelis, viri nobiles ac fide digni. Actum et datum in Sytz per manus Heynrici notarii domini ducis, die beate virginis Margarete, anno dominice Incarnacionis M.CCC.V.

Lacus sancte Marie, *jezioro pod wsią Wieleń, nazwisko klasztoru Cystersów, przeniesionego później do m. Przemęt.* Starchow, *Starkowo.* Poledow, *Poledowo.* Costen, *Kościan.* Velensis, *de Wieleń.* Crozzena, *Krośno.* Sytz, *dziś z niemiecka Seitsch.*

Nr. 894.

Wenceslaus Boemie Ungarie et Polonie rex s. a. (1305) Oct. 10, in Freundetal; scribit Conrado Sack, magistro Ord. Theutonicorum, ut Ulrico de Boskowicz, capitaneo Poloniae, auxilium ad repellendos Litwanos, quandam munitionem in terra de Kalisz impugnantes, praestet.

Pergam. orygin., którego pieczęć znikła.

Königsberg. Königl. Staats Arch. Schiebl. 60, Nr. 1. — Voigt, Cod. diplom. Prus. II, 61.

W. Dei gracia Boemie, Ungarie et Polonie rex, circumspecto viro fratri Conrado dicto Saccus, magistro Ordinis domus Theutonice in Prussia dilecto sibi, plenum

regii favoris affectum. Rogamus te confidenter, quod fidelem nostrum Ulricum de Bozcovicz, capitaneum Polonie, iuvare et sibi assistere debeas nostri causa et amore Christianitatis et fidei Christiane, ut Littwanos, qui sicut intelleximus iacere dicuntur in obsidione municionis cuiusdam in terra Calisiensi et eam volunt inpugnare, ab ipsa civitate repellere valeat tuo oportuno auxilio mediante. Et quidquid tibi frater Gallus Boemus tui Ordinis, exhibitor presencium, quem ad te propterea mittimus ex parte nostra, dixerit super eo, credere velis et tuam nobis super hoc per ipsum fratrem Gallum remittere responsivam. Datum in Freundetal VI Idus Octobris, anno regnorum nostrorum Boemie et Polonie primo, Ungarie vero quinto.

Circumspecto viro fratri Conrado dicto Saccus, magistro Ordinis domus Theutonice in Prussia dilecto sibi.

Nr. 895.

Andreas Poznaniens. episcopus 1305 Oct. 25, Poznanie; confirmat collationem decimarum de villa Skorzencin, monasterio sororum Ordinis Cisterciensis in Owińska ab Iohanne quondam episcopo Poznaniensi factam, in quarum recompensatione, decanatui suae ecclesiae decimas de villa Srocko assignat.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 100.

In nomine Domini amen. Nos Andreas miseracione divina Poznaniensis episcopus notum esse volumus omnibus hanc litteram inspecturis, quod cum nobis facta fuerit plena fides, qualiter bone memorie antecessor noster dominus Iohannes, quondam episcopus ecclesie Poznaniensis cui nunc ordinacione divina licet inmeriti presidemus, ad peticionem illustris principis Premisli, felicis recordacionis regis quondam Polonie, concessit et donavit decimam ville dicte Curancino domui sororum et virginum Deo in Ordine Cysterciensium famulancium in Owensga de consensu et voluntate magistri Gregorii nostre tunc ecclesie decani, ad cuius prebendam eadem decima pertinebat, promittens in locum eiusdem decime, aliam equivalentem de proventibus ad suam mensam pertinentibus subrogare; et quia hec non perducta fuerant ad effectum, nos domine abbatisse dicte domus ac fratrum nostrorum precibus inclinati, ipsis consencientibus, donacionem predictam presentibus confirmamus, volentes ut eadem decima de Curancino, sicut suis limitibus continetur, ad dictam domum debeat perpetuo pertinere. Loco vero illius, decimam ad nos pertinentem in villa dicta Sroczsco Iasconis filii Vincencii prebemus, damus et perpetuo assignamus, consenciente et eadem acceptante procuratore magistri Arnoldi, qui dicto magistro Gregorio in iam dicta prebenda successit. Ne vero super hys in posterum dubitetur, presentem litteram sigillorum, nostro nostrique Capituli fecimus munimine communiri. Actum et datum Poznanie in die sanctorum Crispi et Crispiani martyrum, anno Domini M.CCC.V.

Curancino, *Skorzencin.* Owensga, *Owińska.* Sroczsco, *Srocko.*

Nr. 896.

Andreas episcopus ecclesie Poznaniens. 1305 Dec. 4, Poznanie; ecclesiae parochiali in Winnagóra de decimis de 12 villis providet.

Poznań. Archiv. Consistorii. A. C. anni 1594—96.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Ex officii nostri debito curis sollicitamur continuis et assidua meditacione urgemur pro subditorum commodis et salute, in quorum prosperitate utique prosperamur, si ministris ecclesiarum beneficiorum ac utilitatum augmento affectu benevolo assurgamus, ne propter defectum necessariorum, a spiritualibus operibus et a prestando salutis pabulo desistere compellantur; sed in ea parte sollicitudinis in qua vocati fuerint permanentes, nullius necessitatis articulo prepediti, gregi sibi commisso dominico preesse possint pariter et prodesse. Idcirco nos Andreas episcopus ecclesie Poznaniensis, ecclesie in Vineo monte villa nostra fundata et eciam dedicata, de fratrum nostrorum Capituli Poznaniensis consilio et assensu, decimas prediales villarum infrascriptarum cum omnibus excrescenciis que infra limites dictarum villarum in futurum poterint provenire, videlicet in Budzilovo utroque, in Lagewnicze, in Oraycovicz vel alio nomine dicta Romenevicze, in Chudcici ex integro, et insuper duos mansos liberos in dicta villa nostra Vineo monte, addimus eidem ecclesie de Vineo monte pro sustentacione presbiteri Deo et ecclesie deservientis, libere ac inconcusse, perpetuo absque impedimento quolibet possidenda, ut idem presbiter arcius divinis officiis insistens, que Dei sunt avidius exequatur. Addidimus insuper, quantum ad ius parrochie, ipsam villam Vineum montem in qua sita est ecclesia, Pelczino, Petkovo utraque, Trzesc, Chocicza et Olaczevo villam nostram, volentes, ut incole dictarum villarum decimas personales et alia iura parrochialia persolvant presbitero supradicto, requirentes ab eodem tam voluntaria quam necessaria sacramenta. Ne autem hoc, quod rite per nos et fratres nostros Capituli Poznaniensis actum est, tractu temporis ab hominum elapsum memoria in irritum revocetur aut aliquorum excogitata malicia retractetur, et dicta donacio eidem facta perpetuo maneat illibata, mandavimus eandem sollempnis scripture testimonio nostro nostrique Capituli sigillorum munimine communiri et succedaneorum noticie commendari. Actum et datum Poznanie per manum Potenciani canonici nostri, qui mandatus per nos, dictam conscripsit donacionem anno Domini millesimo tricentesimo quinto, pridie Nonas Decembris, presentibus dominis fratribus nostris: Iohanne preposito, magistro Petro decano, Pribislao archidiacono, Antonio cantore, Tomek custode, Sdeslao archidiacono, Iacobo cancellario, Nicolao archidiacono, Andrea, Iacobo, Friczchone, Thilone officiali curie nostre, Adam, Sceslao, Gercone, Predvogio, Henrico, Iaskone, Miramna, Matthia, Oczessatka, Michaele, Paulo, et aliis multis canonicis Capituli nostri fidedignis.

Vineus mons, *Winnagóra.* Budzilovo utrumque, *Budziłowo*, *Budziłówek.* Lagewnicze, *Łagiewki.* Oraycovicz sive Romenevicze, *Rumiejki.* Chudcici, *Chudzice.* Pelczino, *Pałczyn.* Petkovo utraque, *Piątkowo białe i P. czarne.* Trzesc, *w XIII w.* Tresceochovo, *pewnie Nietrzanowo.* Chocicza, *Chocicza.* Olaczevo, *Ołaczewo.*

Nr. 897.

Tylo advocatus etc. et tota communitas civitatis Brestens. 1306 Ian. 25, in Thorun; cum Paulo de Pavelstein capitaneo regni Poloniae pacem octo menses duraturam faciunt, ut dux Wladislaus eo tempore civitatem praedictam intrare, et cum Venceslao rege Bohemiae de pace conficienda tractare posset.

Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplomatic. Poloniae I, Nr. 99. (Z pergam. orygin., którego pieczęcie znikły).

In nomine Domini amen. Nos Tylo advocatus, Albertus, Kerstanus, Gotkinus et tota communitas civitatis Brestensis, universis presentes litteras inspecturis volumus esse notum, quod cum honorabili viro domino Paulo de Pavelsteyn capitaneo regni Polonie treugam seu pacem fecimus usque ad festum beati Venceslai, quas nos promittimus inviolabiliter servaturos, tali adiecta ordinacione, quod durante ipsa treuga, illustris princeps dominus noster dux Wladislaus intrare possit cum paucis hominibus nostram Brestensem civitatem ad tractandum super pace, inter ipsum et dominum regem Bohemie et Polonie ordinanda. Si vero idem dominus dux cum exercitu veniret ad nostram prefatam civitatem, ipse cum paucis, ut supra dicitur, eam intrare poterit, exercitu nichilominus de foris remanente. Et si castrum impugnare voluerit, hoc de foris facere habebit, sed de civitate nullum dampnum fiet castro. Terrigene et cives nostri Brestenses treugam predictam observabunt cum Radeow, cum Kalis, cum Gnezna, cum Konin, cum Mogilna, cum Pysdri et cum tota Polonia et Cuiavia, in cuius possessione est dominus Paulus nomine domini regis supradicti, et specialiter cum domino Primislio duce Cuyavie et tota terra sua. Item ordinavimus, quod homines de castro Brestensi duo insimul intrare possint civitatem nostram pro necessariis ad castrum comparandis; adicientes, quod homines ipsi qui in castro manebunt, nullum dampnum seu nocumentum inferent civitati aut terre, pabulando, spoliando, aut homines aliquomodo molestando. Item, si aliquis castrensis cum civibus seu terrigenis aliquam litem contenderent, iudicabuntur per palatinum, per advocatum, et per Beroldum castellanum castri Brestensis seu alium qui castrum ipsum nomine domini Pauli predicti tenebit, secundum ius terre. Item, hii qui manebunt in civitate, plancare poterunt civitatem ipsam sicut inceperunt, et propugnacula que ante fuerunt reparare; ita tamen, quod nullum ipsorum castro altius extollatur. Similiter hii qui in castro erunt, nulla nova edificare in nocumentum civitatis, sed ea que ante fuerunt, poterunt emendare. Ordinamus eciam, quod milites qui de Polonia tempore guerre Brestensem civitatem intraverunt, qui pacem predictam observare voluerint, ubicunque bona habent in Polonia, ea secure et libere debeant possidere. Similiter illi, qui de civitate seu de terra Brestensi castrum guerre tempore intraverunt et Olrico de Pascovitz tanquam tunc capitaneo adeserunt (sic), pacem omnimodam tam in se quam in bonis suis debeant obtinere. Que omnia et singula supradicta inviolabiliter observare promittimus, et ad hoc nos tenore presencium obligamus. In cuius rei testimonium, presentes litteras fieri et sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum in Thorun in domo plebani ecclesie sancti Iohannis, in die Conversionis beati Pauli, anno Domini M.CCC.VI, presentibus venerabilibus patribus, dominis Gerwardo Vladislaviensi et fratre Hermanno Culmensi episcopis; item hono-

rabilibus viris, fratribus Cunrado magistro terre Prusie, Henrico de Dobyn Thorunensi, Hinrico de Antiquo Culmine, Theoderico de Beliglow (sic), Hinrico de Nessow commendatoribus, Petro vicecommendatore provinciali et Gallo de Bohemia, et aliis quam pluribus fide dignis.

Brestensis, *de Brześć Kujawski.* Radeow, *Radziejów.* Antiquum Culmen, *Chełmno.* Beliglow, *mylnie zam. Birgelow, dziś Birglau.* Nessow, *zamek p. m. Toruń, dziś w rujnie, stał nad brzegiem rz. Wisła w pobliżu wsi Nieszawka.*

Nr. 898.

Dithericus de Thuran ceterique cives et consules civitatis Wladislavie 1306 Ian. 25, in Thorun; promittunt, Premislium ducem Cuiaviae, treugas pacis cum Paulo de Paulstein capitaneo Poloniae usque ad diem 29 m. Septembris a se factas, servaturum; de civitate vero et castro Barow, certam pactionem ineunt.

Königsberg. Königl. Staats Arch. Schiebl. 60, Nr. 2. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplomatic. Poloniae I, Nr. 100.

In nomine Domini amen. Nos Dithericus de Thuran, Petrus Mancossa, Hermannus Glaz et Nicolaus Marquardi, cives et consules civitatis Wladislavie, ac tota communitas civitatis eiusdem notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod nos cum honorabili viro domino Paulo de Paulsteyn, capitaneo regni Polonie, talem fecimus ordinacionem: quod dominus noster Premislius dux Cuiavie et dominus Wladislavie, treugam seu pacem inter nos factam usque ad festum sancti Michaelis cum tota Polonia et omnibus castris seu civitatibus et districtibus eorum, que memoratus dominus Paulus nomine domini regis in sua tenet potestate, firmiter et inviolabiliter cum suis omnibus observabit, et quod castrum et civitatem Baroviensem, quos idem dominus Paulus memorato domino nostro duci promisit reddere et resignare, usque ad predictum terminum permittet intrare dominum Paulum seu suos homines; contra, hostes dicti domini regis, si predictos castrum et civitatem vellent aliqualiter inpugnare vel eciam quantocunque durante treuga volent intrare eandem, non admittentur. Quod si contingerit (sic) quod absit, quod civitas ipsa vel castrum aliquo infortunio vel potencia per inimicos domini regis caperentur, promittimus, quod homines eiusdem domini regis seu dicti domini Pauli, triginta vel quadraginta, nostram civitatem Wladislaviam intrare permittemus pro defensione seu recuperacione dictorum civitatis et castri de Barow. Quod si maior exercitus dictorum domini regis seu domini Pauli ob dictam causam ad nostram accederet civitatem, tunc, postquam capitaneus ipsius exercitus et alii consortes sui, quos nos elegerimus, nobis promiserint et litteras suas dederint: quod in nullo nocebunt civitati nec aliquas iniurias aut violencias facient in ea: tunc plures de ipsis ad civitatem nostram intrare permittemus. Item promittimus, quod dominus noster predictus, prefatam civitatem et castrum Baroviensem ac si sua essent propria servabit, custodiet fideliter ac eciam defensabit; et quod, si durante dicta treuga idem dominus noster non posset quod absit domini regis gracie reformari, promittimus, quod eandem civitatem et castrum, sicut ea recipiet, in dicti domini P. restituet potestatem. Pro quibus omnibus et singulis supradictis,

nos tenore presencium obligamus ad manus honorabilis viri fratris Cunradi magistri terre Prussie, ea nos servaturos firmiter promittentes. In cuius rei testimonium, litteras presentes fieri et nostri sigilli munimine mandavimus roborari. Actum in Thorun in domo plebani sancti Iohannis, in die Conversionis sancti Pauli, anno Domini M.CCC.VI, presentibus venerabilibus patribus, dominis Gerwardo Wladislaviensi et fratre Hermanno Culmensi episcopis, item honorabilibus viris, fratribus Cunrado magistro terre Prussie predicto, Henrico de Dobyn Thorunensi, Henrico de Antiquo Culmine, Diterico de Byrgelow, Henrico de Nessow commendatoribus, Petro vicecommendatore provinciali, fratre Gallo de Bohemia, et aliis multis fidedignis.

Wladislavia, *Inowrocław.* Barow civitas et castrum, *miejscowość nie odgadniona w okolicy m. Trzemeszno; cnfr. Nr. 11, 15, 812.* Wladislaviensis episcopus, *de Włocławek.* Culmensis, *de Chełmno.* Byrgelow, *dziś Birglau.* Nessow, *Nieszawka p. m. Toruń.*

Nr. 899.

Nicholaus abbas in Mogilna 1306 Febr. 10, s. l.; monasterio Ląd hereditates Trąbki et Koźmin vendit.

Pergam. orygin. Na sznurkach jedwabn., czerwon. przywieszono dwie pieczęcie. Pierwsza Mikołaja opata, pokruszona; z napisu: ... de Mogil ... *Druga klasztoru Mogilnickiego;* (pieczęć XL).

Königsberg. Königl. Staats Arch.

In nomine Domini amen. Memorie hominum provide consulitur, si geste rei veritas scripture auctentice testimonio roboratur. Nos igitur Nicholaus abbas in Mogilna Ordinis sancti Benedicti, Gneznensis dyocesis, universis Christi fidelibus presentibus et futuris volumus esse notum, quod propter varias tribulaciones et angustias, quibus domus nostra multipliciter involvitur, cum unanimi voluntate et consensu omnium fratrum nostrorum vendidimus domino Conrado abbati Lendensi et suis fratribus Ordinis Cysterciensis duas hereditates nostras, Trampko videlicet et Cosminino vulgariter nuncupatas, iacentes in Pomerania, pro viginti marcis currencium denariorum et uno stamine panni conventualis. Assignantes easdem hereditates liberas et integras cum omni iure et libertate, qua hactenus possedimus, predictis fratribus de Lenda, iure hereditario perpetuo possidendas, presentibus protestantes, quod a tempore, quo prefate hereditates per donacionem gloriosi principis Swantipolconis ducis Pomeranie ad nostram ecclesiam devenerunt, nunquam usque in presens aliqua occasione hereditarie possessionis ad manus alienas transierunt, nostra voluntate vel litera mediante. Preterea si, quod absit, in posterum super premissis hereditatibus aliqua questio exorta fuerit ex parte nostra, que antedictis fratribus dampnum generare valeat vel gravamen, hanc nostris laboribus et expensis cum nostris successoribus discutere tenebimur, ut omni tempore pacifice possideant et quiete. Et ne factum nostrum unanime de cetero aliquam calumpniam valeat sustinere, presentem literam conscribi fecimus et sigilli nostri munimine nostrique conventus per appensionem iussimus roborari. Datum et actum anno Domini MCCCVI, in die beate Scolastice virginis, presentibus personis domus nostre Mogilnensis, Petro scilicet priore, Leone custode, Gallo cellerario, Gregorio capellano, et quam pluribus aliis fide dignis.

Mogilna, *Mogilno.* Lendensis, *de Ląd.* Trampko, *Trąbki.* Cosminino, *Koźmin.*

Nr. 900.

Comes Michael palatinus Kalisiens. 1306 Mart. 20, in Pysdri; ecclesiae Poznaniensi hereditatem Piątkowo confert.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 93.

In nomine Domini amen. Ego comes Michael palatinus Kalisiensis, filius quondam Ianconis palatini Kalisiensis, notum facio universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod de nostra pura ac bona ac salubri voluntate et de consensu nostrorum filiolorum, videlicet filii Sandivogii quondam (sic) palatini Poznaniensis et filii Nicolai quondam palatini Kalisiensis, et de consensu filiorum comitis Olbrachti quondam castellani de Santok, pro remedio anime nostre et pro remedio uxoris nostre Craynne felicis memorie, et ut consciencie nostre satis per hoc faceremus, hereditatem nostram Pantcovo vulgariter nuncupatam damus, tradimus, conferimus ecclesie beati Petri in Poznania ad mensam episcopi, iure hereditario cum omnibus utilitatibus, que nunc sunt et in posterum possunt exoriri, in perpetuum possidendam; sub hac forma, quod de predicta hereditate, lumen pro anima nostra et uxoris nostre iam nominate et pro animabus nostrorum ibidem defunctorum honestum et sollempne, quamdiu episcopatus ibidem durat, perpetuo debet ardere. Ut autem hec donacio sit stabilis et firma, presentem litteram sigillis subscriptis fecimus et rogavimus communiri, videlicet sigillo venerabilis in Christo patris domini Andree predicti fratris nostri episcopi Poznaniensis, sigillo Zegote iudicis Kalisiensis, sigillo nostro, sigillo Martini filioli nostri. Acta sunt hec in Pysdri dominica qua cantatur Iudica, anno Domini M.CCC.VI. Ista vero conscripsit magister Nicolaus medicus, ad hec per nos rogatus, professor artis medicine.

Santok, *Santok.* Pantcovo, *Piątkowo.* Pysdri, *Pyzdry.*

Nr. 901.

Comes Michael palatin. Kalisiens. 1306 Mart. 20, in Pisdri; ecclesiae Poznaniensi hereditatem Piątkowo confert.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 94.

In nomine Domini amen. Ego comes Michael, palatinus Kalisiensis, memor condicionis humane, quam semper comminatur innata fragilitas, cui ab ipso vite principio mortis imperium dominatur, sana mente et memorie integritate in me vigente, mee volens anime et meorum maiorum, insuper fratrum et eciam amicorum animabus salubriter providere, ut ex donacione facta ecclesiis, ad ipsius reverenciam dedicatis omnipotentis et eterni Dei, de sua superhabundanti gracia confidatur, qui cor humiliatum non despicit et contritum, notum facio universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod de mea pura, bona ac salubri voluntate, de consensu eciam meorum filiolorum, videlicet Martini filii fratris mei Sandivogii (sic) quondam palatini Poznaniensis, et Nicolai filii fratris mei Nicolai palatini Kalisiensis, et de expresso consensu filiolorum meorum Sandivogii, Nicolai et Gotpoldi, filio-

rum fratris mei Albrachti quondam castellani de Santok, pro remedio anime mee et uxoris mee Crayne felicis memorie, et ut per hoc nostre consciencie satisfaceremus, hereditatem nostram Panthcovo vulgariter nuncupatam damus, tradimus et conferimus ecclesie beati Petri in Poznania ad mensam episcopi, iure hereditario cum omnibus utilitatibus, que nunc sunt et in posterum poterint exoriri, in perpetuum possidendam sub hac forma et condicione, quod de predicta hereditate, lumen pro anima mea et uxoris mee iam nominate, et pro animarum salute nostrorum maiorum et eciam proximiorum ibidem defunctorum, honestum et sollempne, quamdiu episcopatus ibidem durat, perpetuo debet ardere. Et ut hec donacio sit stabilis atque firma et omnis doli macula omnisque fraudis suspicio evitetur, presentem litteram sigillorum, videlicet venerabilis in Christo patris domini Andree Dei gracia episcopi Poznaniensis predilecti fratris nostri, comitis Zegothe iudicis Kalisiensis, Martini filioli mei, feci munimine communiri. Acta sunt hec in Pisdri dominica qua cantatur Iudica me, anno Domini M.CCC.VI. Ego Gerlibus, rector ecclesie in Slupcza, rogatus manu mea conscripsi.

Santok, *Santok.* Panthcovo, *Piątkowo.* Pisdri, *Pyzdry.* Slupcza, *Słupca.*

Nr. 902.

Bogusko de Wizemburg capitaneus Poznaniens. 1306 Iun. 11, in ecclesia Poznaniensi; confirmat donationem duarum partium hereditatis Bielsko, a Predvogio, filio quondam Dirsicraii et fratribus ipsius, ecclesiae Poznaniensi factam.
Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 129.

In nomine Domini amen. Nos Bogusko de Wizemburg capitaneus Poznaniensis universis presentes litteras inspecturis esse volumus manifestum, quod in nostra presencia constitutus discretus vir dominus Predvogius filius quondam Dirsicragii, canonicus Poznaniensis, pro se et fratribus suis omnibus, Mrokotha, Gothardo, Bartholomeo et Nicolao, ipsis consencientibus confessus est, se donasse, dedisse et tradidisse cum agris, pratis, lacubus, nemoribus, silvis et aliis omnibus utilitatibus venerabili patri domino Andree, Dei gracia episcopo Poznaniensi, et ecclesie duas partes hereditatis ipsius Bilsko vulgariter nuncupate, iacentis iuxta Kamonkam fluvium qui in Wartam defluit, que eciam hereditas iacet iuxta Wartam fluvium, ob remedium anime sue et parentum suorum, et specialiter domino episcopo et ecclesie sue Poznaniensi satisffaciendo pro fratre suo Crzivosandio, qui pro dampnis illatis eidem ecclesie fuerat excommunicatus, et excommunicatus ecclesiastica privatus sepultura; nobis supplicans, ut donacionem eiusdem hereditatis, ex predictis causis factam, sicut moris est ratam haberemus et confirmaremus, ut possit obtinere robur perpetue firmitatis. Igitur precibus prefati patris et dicti Predvogii precibus inclinati, auctoritate per illustrem principem dominum nostrum, dominum Henricum ducem Slesie et dominum Poznanie et Glogoviensem, nobis data, predictam donacionem ratam habemus et eciam confirmamus. Actum et datum in ecclesia Poznaniensi in die beati Barnabe apostoli, anno Domini M.CCC. sexto, presentibus: Iohanne preposito, Sdeslao archidyacono, Iacobo cancellario, Friczcone, Henrico, Adam, Sdeslao, canonicis Poznaniensibus, fratre Dominico priore Poznaniensi Ordinis fratrum Predicatorum, Cirnecho herede de

Scorewo, et aliis pluribus ad hoc specialiter vocatis. In cuius rei testimonium, presentibus nostrum sigillum mandavimus appendendum.

Bilsko, *Bielsko.* Kamonka fluv., *rz. Kamionka, lewy przypływ rz. Warta, nad którym wieś Kamionna.* Scorewo, *Skórzewo.*

Nr. 903.

Andreas episcopus Poznaniens. 1306 s. d.; in Capitulo Poznaniensi; ecclesiae b. Margarethae in Śródka decimas de villis Uzarzewo et Carspole confert.
Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 158.

In nomine Domini amen. Nos Andreas miseracione divina Poznaniensis episcopus per presens notum esse volumus universis, quod ad peticionem fratrum nostrorum Capituli Poznaniensis, ecclesie beate Margarethe in Srothca apud Poznaniam decimas in villis infrascriptis, videlicet in Urzasowo et in Carspole, de consensu et voluntate fratrum iam dictorum Capituli Poznaniensis, ecclesie superius nominate, seu rectori eiusdem ecclesie qui in ea pro tempore fuerit, contulimus in perpetuum possidendas. In cuius rei testimonium, presentibus litteris sigillum nostrum et nostri Capituli mandavimus appendendum presentibus fratribus nostris et consencientibus: Iohanne preposito, Iacobo cancellario, Friczcone, canonicis ecclesie Poznaniensis, et aliis quam plurimis tunc in Capitulo existentibus, anno Domini millesimo trecentesimo sexto.

Śródka, *dziś przedmieście miasta Poznań.* Urzasowo, *Uzarzewo.* Carspole, *osada znikła.*

Nr. 904.

Henricus heres regni Polonie etc. 1306 Aug. 26, in Pisdra; confirmat privilegia, civitati Pyzdry a duce Boleslao et rege Premislone porrecta, et villas Rataje, Thuley et Pietrzykowo iure Theutonico locare concedit.
Poznań. Königl. Staats Arch. Relation. Pyzdrens. a. 1562, fol. 611.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que aguntur, per assercionem principum et publica munimenta perpetuam obtineant roboris firmitatem, hinc est quod nos Henricus, Dei gracia heres regni Polonie, dux Slezie, dominus Glogovie et Poznanie, scire volumus universos presentes literas inspecturos, quod sincera affeccione moti promittimus civitatem Pizdrensem nec non et cives ibidem in eo omni iure ac libertate conservare, quo a predecessoribus nostris, domino duce Boleslao et rege Premyslone, libere fruebantur. Insuper animo diligenti damus et concedimus eidem civitati, ut eo melius in suis rebus proficere valeat, villas infrascriptas, videlicet vetustum Rathay, Thuley, Petricowycz, iure Theuthonico locandas pro sexto manso libero, et racione scultecie tercium denarium de re qualibet iudicata, molendinum, si construi poterit in fluvio qui Warta dicitur, piscacionem, silvas, prata, et omnes

utilitates et proventus proficuos, in perpetuum libere possidendum. Item prefatis villis sicut et civitati donamus et concedimus plenariam ac omnimodam libertatem ab omnibus exaccionibus, solucionibus, angariis, perangariis et aliis solucionibus, quibuscunque censeantur nominibus, a data presencium usque ad spacium sex annorum. Quibus vero annis elapsis, incole dictarum villarum nobis et nostris successoribus, nec magis nec minus, de quolibet manso sex mensuras siliginis totidemque avene, et unum fertonem denariorum usualium solvere tenebuntur. Item specialiter in villa dicta Rathay, Gerconi civi nostro predicte civitatis nec non et suis posteris quatuor mansos liberos contulimus perpetue possidendos. Item adiiciendo promittimus, quod si quis predictas villas quacunque impeticione motus impecierit, ipsas ad statum pristinum perducere volumus et quietum. Actum et datum anno Domini M.CCC sexto, proxima feria sexta post diem sancti Bartholomei, in civitate Pisdra, presentibus testibus infrascriptis: domino Boguschio de Wisemburg, Petro Stoschowicz, Sandivogio palatino Poznaniensi, Predepelcone, Theodorico dicto de Rimbabe, Othone de Schenkendorff, Thylone advocato Poznaniensi. In cuius rei testimonium, presentes litteras nostri maioris sigilli munimine duximus roborandas.

Rathay, *Rataje.* Thuley, *nie odgadnione.* Petricowycz, *Pietrzykowo.*

Nr. 905.

Bolezlaus dux Slezie etc. 1306 Sept. 6, s. l.; villam Tyniec civitati Kalisz donat.

Pergam. orygin. Dwa wcięcia poprzeczne od przywieszenia pieczęci.
Warszawa. Biblioteka prywatna. Diplomata.

In nomine Domini amen. Iura municipalia tanto maiori proficiunt incremento et firmius solidantur, quanto favorabiliori aminiculo largitate principum uberius aucmentantur. Inde est quod nos Bolezlaus, Dei gracia dux Slezie, heres regni Polonie et dominus Wratizlavie, omnibus in perpetuum tam presentibus quam futuris testimonio huius pagine cupimus esse notum, quod commodo et utilitati civitatis nostre Kalis intendentes, ut amplioribus incrementis proficiat et ut inhabitatores ipsius civitatis in copia rerum et in pluralitate numero augeantur, villam sitam ante pontes dicte civitatis, que Tincz wlgariter nuncupatur, dicte civitati et eorum (sic) inhabitatoribus damus, donamus et conferimus cum omni iure quod ibidem ad nos pertinuit, cum censu videlicet, collecta, exaccione, vectura, et cum omnibus angariis et perangariis et serviciis quibuscunque, et cum metis, limitibus et finibus et grenicis (sic) sicut dicta villa circumferencialiter est distincta, in quibus nunc usus exstitit vel in posterum utilitas accrescere poterit, quod ita ad prefatam civitatem Kalis dicta villa Tincz perpetuo debeat pertinere. In huius rei testimonium, presentes litteras cum nostro sigillo de munificencia principali fecimus consignari. Actum anno Domini millesimo trecentesimo sexto presentibus nostris fidelibus: Friczchone de Waldow, Alberto Barc, Hermanno de Eychilburne, Henczchone de Marschowicz, Dithero de Drogus, Gisilhero Kolneri iudice curie Wratizlaviensis, Reinhardo de Bischoffisheime, Henczhone Danielis, et Friczchone de Iaroschow decano Glogoviensi, canonico

et prothonotario Wratizlaviensi, cuius manibus presentes littere conscribuntur. Datum octavo Ydus Septembris.

Tincz, *Tyniec.*

Nr. 906.

Wladislaus terrarum Cracovie etc. dux 1306 Dec. 1—6, in Byssovia; ratam habet venditionem hereditatis Mąkowarsk, a filiis quondam Martini et Voymiri in rem monasterii de Byszewo perfectam.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn., wypłowiałych przywieszona pieczęć wyobraża godło Ziemi Kujawskiéj; napis zatarty.

Poznań. Königl. Staats Archiv. Koronowo Nr. 42.

In nomine Domini amen. Quod magnifica principum decrevit auctoritas, ratum atque stabile debet permanere. Nos igitur Wladislaus, Dei gracia terrarum Cracovie, Sandomirie, Polonie, Pomeranie, Cuyavie, Lancycie, Syradie dux, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod Malha, Budywogius, Iohannes et Woymirus, filii quondam Martini et Voymiri, accedentes ad presenciam nostram et baronum nostrorum protestati sunt, libere et liberaliter vendidisse hereditatem suam in territorio Naklensi sitam, que Manchowarsco vulgariter dicitur, cum singulis utilitatibus que intra terminos et limites eidem ville dinoscuntur pertinere, domino Bertoldo abbati de Byssovia et toti conventui ibidem pro quinquaginta et quatuor marcis monete Thorunensis, tali modo, quod ipsi et omnis posteritas ipsorum perpetuo et perpetualiter nullum ius requirendi aut repetendi habeant predictam hereditatem, sed prefati abbas et conventus ipsam cum pratis et lacubus, rivis, silvis et nemoribus atque omnibus aliis utilitatibus et proventibus, pacifice et quiete iure perpetuo debeant possidere. Nos vero predictam vendicionem et empcionem ratam gratamque habentes, eisdem fratribus sepedictam hereditatem confirmamus, et damus eis plenam libertatem in eadem hereditate ac potestatem, locandi eam iure Theutonico quod Meydburgense dicitur cum omni iure ducatus nostri, nichil omnino pro nobis reservantes. In cuius rei testimonium, presentes conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari presentibus hys testibus: comite Troyano castellano de Nakel, comite Henrico filio Swantoslay et fratre eius Sandywogio, Petrchone filio Bozate, Prsezlao filio Prsezlay, et aliis multis fidedignis. Actum anno Domini millesimo trecentesimo sexto, datum in Byssovia infra octavas beati Andree apostoli.

Manchowarsco, *Mąkowarsk.* Byssovia, *Byszewo.*

Nr. 907.

Henricus heres regni Polonie etc. 1307 Febr. 8, Glogovie; fundat in civitate Głogów monasterium s. Crucis Ordinis s. Clarae.

Pergam. orygin., u którego przywieszona mała pieczęć Henryka księcia.

Wrocław. Königl. Staats Archiv. Glogau, Clarissinen Nr. 1. — Worbs, Neues Archiv f. d. Geschichte Schlesiens u. d. Lausizen II, p. 142; (przepełnione błędami).

In nomine Domini amen. Bone rei dare consultum, et presentis vite meretur habere subsidium et eterne remunerationis premium dignoscitur obtinere. Nos itaque Henricus, Dei gratia heres regni Polonie, dux Slezie, dominus Glogovie ac Posnanie, presentibus profitemur et ad noticiam singulorum volumus pervenire, quod in felicis recordationis illustris principis domini Conradi ducis Slezie et domini Glogovie, quondam patris nostri carisimi, ceterorumque progenitorum nostrorum ac nostre salutis remedio ipsarum piarum voluntatum vestigiis inherentes, monasterium sancte Crucis sanctimonialium Ordinis sancte Clare in ipsa civitate nostra Glogovia construere cupientes, pro fundando ipso monasterio, domine Katerine abbatisse et suis successoribus totuque (sic) conventui ipsius monasterii qui pro tempore fuerit, ad honorem Dei omnipotentis, villas nostras, videlicet Rapocinam, villam Conradisdorf sitam in territorio Vrowenstatensi, Canidlow et iterum Canidlow, Heynemannisdorf et tres mansos in Sarcow, villam nostram Obozam una cum molendino quondam Bartholomei ante fossata civitatis Glogovie sito, atque pomerium nostrum in terminis ville Ruschevich situatum, ad nos nostrumque dominium rite ac rationabiliter pertinentes, prout in ipsarum metis et circumferentiis distinguntur, cum omni dominio ducali et plena libertate, veluti ad nos spectabant, contulimus in perpetuum pacifice possidendas. Damus insuper predicto monasterio in maccellis nostris ibidem octo lapides sepi, quos magister civium nostrorum et consules dicte civitatis nostre nomine ipsorum macellorum solvere tenentur; ita, ut eisdem octo lapidibus, ante altare monasterii per nos constructi unum lumen perpetuum debeat coaptari. In cuius testimonium, presentes nostri sigilli munimine statuimus roborandas. Actum anno Domini millesimo trecentesimo septimo presentibus hiis: Boguschio de Wisenburg, Alberto dapyfero de Burnis, Theodrico de Siglich et Tammone fratre eiusdem, et Wolvrammo de Panvich, Czulcone de Lessoticz, Ienschino de Hugewicz, et aliis quam pluribus fide dignis. Datum Glogovie per manus Frederici de Bunthense prothonotarii nostri, sexto Ydus Februarii.

Rapocina, *z niemiecka Rapsen.* Conradisdorf, *Konratowo, dziś Kursdorf.* Vrowenstatensis, *de Wschowa.* Canidlow, *z niem. Kandlau.* Heynemannisdorf, *Andrychowice, dziś Heynersdorf.* Sarcow, *Zarkau.* Oboza, *z niem. Obisch.* Ruschevich, *Rauschwitz.*

Nr. 908.

Heynricus heres regni Polonie etc. 1307 Iun. 30—Iul. 5, in Poznania; donationem villae Wławie, a Moycone, filio quondam Alberti, monasterio de Lubin assignatae, approbat.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny, czerwony, przez 2 wcięcia przewleczony; pieczęć znikła.

Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin 8.

In nomine Domini amen. Ab humana sepius evanescunt memoria, que nec scripto nec voce testium eternantur. Nos igitur Heynricus, Dei gracia heres regni Polonie, dux Slezie, dominus Glogovie et Poznanie, ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum huius scripture testimonio volumus pervenire, quod Moyco heres de Wlawe, filius quondam Alberti, in nostra nostrorumque baronum presencia constitutus, bona sua dicta Wlawe prout in suis terminis circumferencialiter sunt distincta, in districtu Crivyn sita, tamquam heres legittimus racionabiliter monasterio Lubinensi pro sue suorumque predecessorum anime redempcione perpetue assignavit. Nos vero considerantes dicti Moyconis esse iustam et racionabilem donacionem, ob reverenciam eciam beate Virginis et nostre salutis remedio, atque ad instanciam dilecti nostri capellani domini Martini abbatis de Lubyn, dictam hereditatem Wlawe predicto monasterio contulimus in perpetuum pacifice possidendam; et ne aliquis in posterum contra hoc ausu temerario audeat contraire, idcirco presentem paginam nostri sigilli munimine duximus roborandam. Actum et datum in Poznania per manus Conradi nostri notarii infra octavas beatorum apostolorum Petri et Pauli, anno Domini M.CCC septimo, presentibus honorabilibus viris: comite Bogussio de Wesenbork, comite Dobrogostio de Swanow, comite Dobeslao de Osek, comite Sobezhiro de Zimocino, fratre Dominico lectore Poznaniensi, Thilone advocato Poznaniensi, et aliis quam pluribus fide dignis.

Wlawe, *Wławie.* Crivyn, *Krzywin.* Lubyn, *Lubin.* Swanow, *Dzwonowo.* Osek, *Osiek.* Zimocino, *Szamocin.*

Nr. 909.

Zacharias rector ecclesie s. Crucis circa Pisdr 1307 Iul. 30 (?), s. l.; una cum Andrea advocato et Nyclone doleatore in Pyzdry, molendinum Postimole Nycloni Molchuz certis conditionibus resignat.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia dwóch pieczęci.

Poznań. Archiv. Capituli, III, 3.

In nomine Domini amen. Quoniam que fiunt in tempore nutum temporis consequuntur, sciant igitur tam presentes quam futuri tenorem presencium audituri, quod ego Zacharias rector ecclesie sancte Crucis circa Pisdr situate, nec non ego Andreas advocatus Pisdrensis et ego Nyclos doleator in Pisdr, molendinum prope

Czessil, nomine Postimole, racione revolucionis cuiusdam provido viro Nycloni Molchuze molendinatori exposuimus nec non benivole consensu preassumpto resignavimus, sibi et sue posteritati legittime valiturum, donandum, vendendum, commutandum, ad suos beneplacitos (sic), prout sibi et suis successoribus utilius expedire videbitur convertendum; tali prehabita condicione, pacto et ordinacione, quod dictus Nyclos Molchuz in predicto molendino ab omnis census solucione, postquam mollere inceperit, trium annorum spacium habebit libertatis. Preterea, predicti molendini censum sibi et suis nunquam augmentare debebimus et debemus. Si vero predictum Nyclonem Molchuz, ex occasione quacunque piscandi pisces vel lignorum molendini edificacionis vel aggeris reparacionis, civitas impedire voluerit, extunc sibi et suis liberis omnia et singula, iure ad predictum molendinum pertinentia, profitemur resignasse. Insuper pretactus Nyclos Molchuze et sui posteri legitimi, de sepius dicto molendino, tribus istis annis liberis elapsis, michi Zacharie vel quicunque ecclesie sancte Crucis fuerit alligatus circa Pisdr, omni anno singulis temporibus decem mensuras farine siliginis et sex grossos, michi autem Andree advocato Pisdrensi vel meis posteris legitimis (*7 litt. del.*) siliginis et tres grossos, sed michi Nycloni doleatori concivi Pisdrensi vel meis successoribus, decem mensuras siliginis et tres grossos assignamus (sic). Ad cuius maiorem evidenciam et testimonium sufficiens, presens scribi iussimus et nostri sigilli tytulo fecimus consigniri presentibus hiis fidelibus testibus: Andrea Harthmuth, Nyclone Zreider, Iohanne Plez, Tyklone pistore, Peczoldo Camencz, Nyclone pistore, Pisdrensibus conburgensibus. Actum et datum die dominica ante Dominici (sic) sub anno Incarnationis Domini millesimo trecentesimo septimo, hora vespertina, scriptum per Petrum Leyze Pisdrensis scole et notarie rectorem.

Pisdr, *Pyzdry*. Czessil, *Cieśle*.

Nr. 910.

Andreas Poznaniens. episcopus 1307 Aug. 6, in Poznania; Petro, quondam sculteto de Unicic, pro scultetia ipsius duos mansos liberos in villa praedicta donat, eosque villae suae ecclesiae, dictae Kościelskie, iungit.

Pergam. orygin. Na sznurkach jedwabnych, niebieskich przywieszono dwie pieczęcie; pierwsza podługowata wyobraża biskupa na tronie pod cyborium, błogosławiącego, w lewéj pastorał; dolny koniec odłamany. Z napisu: S. Andree ... nensis. *Druga znikła.*

Poznań. Archiv. Capituli. III, 2.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Andreas, Dei gracia Poznaniensis episcopus, cum voluntate tocius nostri Capituli et consensu damus et oferimus pro scoltecia de Unicic Petro condam scolteto ibidem suisque liberis et posteris ac veris heredibus duos mansos in dicta hereditate Unicic, quos iungi et exnunc iunctos esse volumus ville nostre prope Krobam, que vulgariter Kosscol dicitur, a decima et ab omni solucione et serviciorum genere racione scoltecie, quam habuit, libere possidendos; eo salvo, quod temporibus vite Thomasii, fratris honorabilis viri domini Thomce condam nostre ecclesie custodis, qui nobis et nostre ecclesie contulit dictam villam, servicia dicto Th. et coniugi sue quamdiu vi-

xerint, sicut alii de bonis liberis faciunt, exhibebit. Eo vero mortuo et coniuge, servicia que ipsis exhibuit, nobis et nostre ecclesie tenebitur perpetuis temporibus exhibere. In cuius rei testimonium, presentes litteras sibi dari fecimus, nostri sigilli munimine ac nostri Capituli roboratas. Datum in Poznania in crastino beati Dominici confessoris, anno Domini M.CCC. septimo, presentibus dominis: magistro Petro decano doctore decretorum, Martino scolastico, Sceslao archidiacono, Nicolao procuratore, Andrea canonico Poznaniensi, Iacobo tezaurario, Miloslao, Iasscone, Boguta, Heynrcone, capellanis et clericis curie, et aliis quam pluribus fide dignis.

Unicic, *w XV w. Unancice, osada znikła.* Kroba, *Krobia.* Kosscol, *dziś Kościelskie.*

Nr. 911.

Fr. Henricus abbas in Paradiso 1307 Nov. 14, in Wicense; protestatur, Bartholomaeum et fratres ipsius, filios comitis Dirislai, quondam castellani in Międzyrzecz, iudicium in Parvo Pieski tantum tempore vitae habituros.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 68.

In nomine Domini amen. Nos frater Henricus dictus abbas in Paradiso tenore presencium protestamur, quod Bartholomeus, Iohannes, Gerlacus, Wislaus, filii comitis Dirislai quondam castellani in Meserez, in villa Parva Pecich habebunt iudicium superius et inferius tantum tempore vite sue. Postquam predicti fratres viam universe carnis ingressi fuerint, ecclesia Paradisi in predicta villa iudicium in duabus partibus possidebit. Datum in Wicense coram testibus: domino Henrico plebano de Grunz, Theoderico sculteto dicte civitatis, Hermanno sculteto de Kalow, et aliis fide dignis. Datum anno Domini millesimo trecentesimo septimo, tercia feria post festum sancti Martini.

Paradisus, *klasztor Paradyż.* Meserez, *Międzyrzecz.* Parva Pecich, *dziś Pieski.* Wicense, *z niemiecka zamiast Weissensee, czyli Chycina.* Grunz, *z niemiecka zamiast Grunzig, czyli Goruńsko.* Kalow, *Kaława.*

Nr. 912.

Bartholomeus et fratres filii comitis Dirislai quondam castellani in Meserez 1307 Nov. 14, in Wicense; protestantur, monasterium Paradyż in villa Parva Pieski duas partes in pacto et censu, se autem iudicium superius et inferius, sed tantum ad tempus vitae, habituros.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 67.

In nomine Domini amen. Nos Bartholomeus, Iohannes, Gerlacus, Wislaus, filii comitis Dirislai quondam castellani in Meserez, tenore presencium protestamur, quod ob remedium animarum parentum nostrorum fratres de Paradiso in villa Parva Pecih habebunt perpetuo duas partes in pacto et censu, et nos in eadem villa habebi-

mus iudicium superius et inferius, tantum tempore vite nostre. Cum autem dante Domino nos viam universe fuerimus carnis ingressi, tunc fratres in dicta villa iudicium in duabus partibus perpetuo possidebunt. Datum in Wicense coram testibus: domino Heinrico plebano de Grunz, Theoderico sculteto dicte civitatis, Hermanno sculteto de Kalow, et aliis fide dignis. Actum anno Domini millesimo trecentesimo septimo, feria tercia post festum sancti Martini episcopi et confessoris.

Meserez, *Międzyrzecz.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Parva Pecih, *dziś Pieski.* Wicense, *z niemiecka zam. Weissensee, czyli Chycina.* Grunz, *z niemiecka zam. Grunzig, czyli Goruńsko.* Kalow, *Kaława.*

Nr. 913.

Pribislaus filius Borkonis heredis de Sirakowo 1307 s. d. et l.; Byczkoni servitori suo sculteti am in hereditate Psarskie ratione locationis confert.

Kopja sporządzona przez: Myroslaus et Iarkyebolth quondam heredes de Psarskie 1315 (?).

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscription. Poznaniens. a. 1493, fol. 140.

In nomine Domini amen. Noverint universi tam presentes quam futuri presens scriptum inspecturi, quod nos Pribislaus, filius Borkonis heredis de Sirakowo, dedimus sculteciam in hereditate nostra que Psarskye nuncupatur fideli nostro servitori Byczkoni, pro eo, quod nobis serviens propria bona perdidit. Ad quam sculteciam dedimus sibi duos mansos agri racione locacionis antedicte, tercium denarium de iudicio, Saben aquam a tractu Marselin usque ad metas episcopi, dedimus eciam molendinum liberum. Item dedimus eidem sculteto duas piscaciones liberas cum rethe parvo et aliis rethibus fluvialibus. Dedimus eciam sculteto et rusticis ligna sicca libere accipere. Cum glandines nascentur, dabunt nobis rustici maldrum avene et pascent scrophas suas libere. Dedimus autem omnibus rusticis dicta bona possidentibus libertatem infra octo annos, qua expirante, solvent nobis rustici de quolibet manso unam marcam grossorum et fertonem a quolibet manso pro decima. Insuper nostri rustici tenentur dare duos equos ad expedicionem, si opportunum fuerit, et currum vaccuum extra terminos terre sue. Datum sub anno Domini M.CCC.VII presentibus hiis testibus: comite Sulcone de Crobya, Alberto de Cawcyno, Bogumillo plebano de Prewoz, qui hoc dictamen scripsit.

Preterea nos Myroslaus legittimus maritus Katharine filie Wlostonis, nec non nobilis Iarkyebolth, quondam heredes predicte ville Psarskye, videntes antiquitatem ac debilitatem littere, de novo iussimus conscribere propter maiorem ratificacionem nostro fideli sculteto Simoni. Cui sculteto contulimus ac dedimus gratanter ac benefice in nostra hereditate duos mansos agri, a sua habitacione damus usque ad metas circumquaque protendendos, secundum quod antecessores tenuerunt, in omnibus circumferenciis ut diximus sibi et suis posteris vendidimus. Datum sub anno Domini millesimo CCC quinto decimo (sic) nostro sub sigillo, presentibus hiis testibus: Petro Gorzyczski, Petro Wandrzycz, Petro Sanczkowski, Grica, Mathia, Luce Goli, Iohanne, nec non Martino Brevi.

Sirakowo, *Sierakowo.* Psarskye, *Psarskie.* Saben aqua, *w Nrze 486* Zabel strumen, *nie odgadnione.* Marselin, *Marszewo.* Crobya, *Krobia.* Cawcyno, *Kawczyn.* Prewoz, *znikła wieś kościelna w okolicy miasta Śrem nad rz. Warta, stała jeszcze r. 1610.*

Nr. 914.

Heinricus heres regni Polonie etc. 1308 Febr. 5, in Kalis; civitati Kalisz villas Dobrzec wielki, Dobrzec mały et Tyniec addicit, omniaque privilegia, civitati praedictae super easdem villas a praedecessoribus suis data, confirmat.

Transsumpt oryginalny, potwierdzony przez: Sigismundus tertius Rex Polonie etc. 1599 Nov. 4, Varsovie, *w pergaminie orygin., którego dolny brzeg urwany.*

Kalisz. Archiwum Rządowe. Diplomata.

In nomine Domini amen. Nos Heinricus Dei gracia heres regni Polonie, dux Slezie, dominus Glogovie et Poznanie, attendentes universa 'incommoda graviaque pericula que fideles nostri cives Kalisienses hactenus diversimode pertulerunt, volentes eosdem in aliquo consolacionis iuvamine relevare ut ex hoc nostris reddantur serviciis prompciores, villas nostras Dobriciam magnam et parvam et Tynciam, cum omnibus iuribus earum dicte nostre iure hereditario addicimus civitati; ita ut nostris ordinariis et extraordinariis serviciis penitus absolute, nobis cum eadem civitate et iure civitatis in antea nostrisque successoribus debeant deservire. Preterea, ut in ipsorum factis et quibuslibet negociis reddantur omnimode cerciores, universas libertates, privilegia et quaslibet donaciones, quelibet quoque iura, proventus et redditus, quibuscunque titulis, donacionis videlicet empcionis vel commutacionis, usque ad hec tempora in ipsa civitate vel extra ab illustribus principibus felicis recordacionis, videlicet dominis Boleslao duce Polonie avunculo nostro, rege Premislio affine nostro, duce Vladislao sororino nostro, rege Venceslao consanguineo nostro et duce Boleslao patruo nostro, quomodolibet possederunt, ut dictum ab antiquis temporibus ad eandem civitatem pertinentes, presenti patrocinio confirmamus. In cuius rei evidenciam et memoriam firmiorem, presencia nostri sigilli munimine duximus roboranda. Actum in Kalis anno Incarnacionis Christi M.CCC. octavo, presentibus dominis et terrigenis nostris, videlicet Martino palatino Gneznensi, Petro Stoszovic, Vlozimiro capitaneo Poznaniensi, Iatorio de Punthec, et Petro Stoygnewo (sic), et aliis pluribus fidedignis. Datum per manus Friderici nostre curie protonotarii, Nonas Februarii.

Dobricia magna et parva, *Dobrzec wielki i mały.* Tyncia, *Tyniec.* Punthec, *Piątek.*

Nr. 915.

Henricus heres regni Polonie etc. 1308 Febr. 11, s. l.; commutationem villae ecclesiae Poznaniensis, dictae Popowo, cum villa Dobrogostii de Szamotuły, filii Thomislai, nomine Gradowice, quadam conditione confirmat.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 144.

In nomine Domini amen. Nos Henricus Dei gratia heres regni Polonie, dux Slesie, dominus Glogovie et Poznanie, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod in nostra presencia venerabilis pater dominus Andreas, episcopus Poznaniensis, et nobilis vir Dobrogostius Thomislai, heres de Schamotuli, episcopus

cum Capitulo suo nomine Poznaniensis ecclesie et Dobrogostius suo nomine et heredum suorum, spontanei fecerunt permutationem villarum, quarum una vocatur Popovo, que est episcopi, sita prope Schamotuli, et altera Gradovicze, contigua villis episcopi Weligowo et Lubnicza, quam nos, servitiis fidelibus exigentibus eiusdem Dobrogostii fidelis nostri, sibi et heredibus suis contulimus, nulli alteri nisi nobis modo et ante nostris predecessoribus pertinentem, et ipsum constituimus eiusdem ville dominum verum et legittimum heredem; ita quod Popovo habeat et possideat perpetuo Dobrogostius et sui heredes, et episcopus et ecclesia Poznaniensis Gradovicze habeat perpetuo et possideat cum suis libertatibus, quas habent cetere ville Poznaniensis ecclesie, pacifice et inconcusse, et cum veris et iustis limitibus, quibus fuit veraciter et antiquitus limitata. Ad quos limites requirendos et ostendendos, se Dobrogostius obligavit. Hoc tamen adiecto: quandocunque contingeret, quod aliquis coram nobis vel nostris heredibus, vel quocunque vero et legitimo iudice, veris probationibus et documentis ab episcopo et ecclesia Poznaniensi evinceret eandem villam et ostenderet esse suam, ipso facto villa Popovo ad ius et ad proprietatem ecclesie Poznaniensis revertatur, et episcopus qui pro tempore fuerit, possessionem ipsius vel quasi civilem et naturalem absque impedimento quolibet nanciscatur. Volentes igitur, ut ea que coram nobis aguntur robur perpetue obtineant firmitatis, villarum dictarum permutationes, ratas, gratas et firmas habentes, ipsas admittimus et esse volumus perpetuas, et sicut moris est perpetuo confirmamus. In quorum omnium testimonium, presentes litteras nostro maiori sigillo et parvo a tergo fecimus communiri. Actum anno Domini MCCC octavo, presentibus baronibus nostris: Dobrogostio palatino Poznaniensi, Vochiscone iudice Poznaniensi, Petrcone iudice Gneznensi, Przeczbalchone (sic) de Splawye, Krzivosandzivogio de Slocznicz, et aliis nostris fidelibus quam plurimis fide dignis. Datum per manus domini Friczderichi de Bitchze nostri prothonotarii, tercio Idus Februarii.

Schamotuli, *Szamotuły*. Popowo, Gradowice, Wielichowo, Lubnica, Spławie, *dziś tak samo*. Slocznicz, *Złotniki*. Bitchze, *mylnie zam.* Buntense; *cnfr. Nr. 907, etc.*

Nr. 916.

Fredricus episcopus Lubucens. 1308 Iun. 6, Goricie; recognoscit, se in quibusdam villis, in medio fluviorum Pilsza et Odra sitis, nihil iuris habere.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 180.

Venerabili in Christo patri domino Andree episcopo Poznaniensi, Fredricus Dei gratia episcopus Lubucensis fraternam in Domino caritatem. Quemadmodum nobis per dominum Thomam nostre (sic) ecclesie scolasticum innotuit, quod nos de quibusdam decimis haberetis suspectos, si quid contingeret de persona sua (sic), sitis videlicet in villis infrascriptis: Drenow, Tammondorph, Recziza, Clewe, Corczizovo, Trebechow, Rademitkel, Scheberk, Scorin, Cigacziz, Budechow, Lenda, Drewicz, Bitenisz, Dobregriwe, Glambok, Cremersborn, Struga, Lutoldi villa apud Crosnam, Poznaniensis diocesis, recongnoscimus nichil habere iuridiccionis in hiis per presentes. Quare predicto domino Thome scolastico dedimus nostras litteras et conscribi fecimus in rei testimonium, et nostri sigilli appensione fecimus communiri presentibus

dominis: Iacobo decano, Rudigero archidiacono, Thoma cantore, Conrado custode, Stephano, Wolkero, Iohanne, nostre ecclesie canonicis. Datum Goricie in die beati Vincentii martiris atque pontificis gloriosi, anno Domini MCCCVIII.

Lubucensis, *de Lubusz, dziś z niemiecka Lebus.* Drenow, *Drenow.* Tammondorph, *Tammendorf.* Recziza, *dziś z niem. Riesenitz.* Clewe, *z niem. Klebow.* Corczizovo, *z niem. Kurtschow.* Trebechow, *z niem. Trebichow.* Rademitkel, *Radenickel.* Scheberk, *dziś Schönfeld.* Scorin, *z niem. Skyren.* Cigacziz, *z niem. Tschichartzig.* Budechow, *z niem. Baudach.* Lenda, *z niem. Lindow.* Drewicz, *z niem. Drewitz.* Bitenisz, *Beninitz.* Dobregriwe, *z niem. Dobbersaul.* Glambok, *z niem. Glembach.* Cremersborn, *Krämersborn.* Struga, *z niem. Straube.* Lutoldi villa, *z niem. Lochwitz.* Crosna, *z niem. Crossen.* Goricia, *zam. Gorzyca, z niem. Göritz.*

Nr. 917.

Otto et Waldemarus marchiones de Brandenburch 1308 Iul. 4, Selow; concedunt monasterio Paradyż, ut in villa Hermanshof de tribus mansis duos facere valeat.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 69.

In nomine Domini amen. Ne ea que fiunt in tempore simul cum motu temporis mutabilitatem paciantur, expedit ut edicione litterali ac testimoniis proborum maxime roborentur. Ideoque nos Otto et Waldemarus, Dei gracia marchiones de Brandenburch, penuriam et gravamen ville Hermanstorff ne omnino desoletur intuentes, ad noticiam presencium ac futurorum (sic), quod ob reverenciam divine maiestatis salutemque nostrarum animarum et omnium parentum nostrorum voluntarie concedimus fratribus in Paradiso in villa predicta, quam ex gracia divina et nostra possident, facere duos mansos de tribus, nullo penitus infringente. Ut igitur istud ratum permaneat, sigillis nostris presens scriptum fecimus communiri presentibus testibus: Nicolao de Buch, Henrico de Gresheliz, Henningo de Gresheliz, Heningo de Blankenborch, Heningo, Grisekone et Zabello de Badelo, militibus, et aliis quam pluribus fide dignis. Actum et datum Selow anno Domini millesimo trecentesimo octavo, in die Translacionis beati Martini.

Hermanstorff, *mylnie zamiast Hermanshof.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Selow, *Selow.*

Nr. 918.

Andreas Poznaniens. episcopus 1308 Nov. 11, Poznanie; declarat, constitutionem Iohannis, quondam episcopi: De non augendis praebendis ecclesiae Poznaniensis: non ad corporales et perpetuas praebendas, sed tantum ad gratiales se extendere.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 128.

In nomine Domini amen. Nos Andreas, Dei gratia Poznaniensis episcopus, una cum dilectis in Christo fratribus Capituli ecclesie nostre Poznaniensis, non so-

lum novorum editioni statutorum, per que utilitas ecclesie nostre valeat procurari, verum etiam declarationi antiquorum, ne ipsorum obscuritas seu dubium paritet eidem aliquod incommodum vel iacturam, intendere quantum possumus cupientes, constitutionem felicis recordationis Iohannis predecessoris nostri, quam de non creandis prebendis gracialibus vel augendis in ecclesia Poznaniensi de consensu sui Capituli condidit, et iuramentis, proprio et eorum qui tunc presentes erant in Capitulo, confirmavit, quoniam per inquisitionem curiosam multorum extitit dubitatum, qualiter dicta constitutio intelligi debeat et teneri, quibusdam asserentibus et dicentibus, ipsam ad omnes tam corporales quam gratiales prebendas generaliter extendendam, aliis sentientibus, quod tantum ad gratiales prebendas, quarum videbatur effrenatus numerus, restringatur; altricationis huiusmodi dubium decidere cupientes, presentis constitutionis oraculo ad perpetuam rei memoriam declaramus, dictam constitutionem non ad corporales et perpetuas prebendas, sed ad gratiales, quarum vis nascitur cum electo et desinit cum defuncto, extendi et debere sane intelligi et teneri, cum alias intellecta in diminutionem cultus divini tenderet non augmentum. In cuius rei testimonium, presentibus sigillum nostrum et Capituli nostri sunt appensa. Actum Poznanie in loco Capituli in sacristia beati Stanislai martiris, in die beati Martini, anno Domini M.CCC. octavo.

Nr. 919.

Wladislaus dux Cracovie, Sandomirie etc. 1308 s. d., in Cracovia; dat filiis b. m. Slavnici, castellani de Nakło, hereditatem Wieszki, multis immunitatibus dotatam.

Gniezno. Archiv. Consistorii Metropol. Acta acticanda anni 1464.

In nomine Domini amen. Ne vetustas temporum actus humanos insignes pati cogat naufragium, oblivionis nubilo aut calumpnia multiplici novercante, assolent per scripti vigorem perhennis memorie sortiri tutamentum, quo posteris preteritorum noticiam exhibeat veritatis testimonium perhibendo. Nos igitur Wladislaus Dei gracia dux Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie et Pomoranie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris ad quos presens pagina deferetur, quod considerata multimoda probitate filiorum Slavnici beate memorie quondam castellani nostri de Nakyel, Swanthoslai videlicet palatini nostri de Trsov, domini Mathie scolastici Wladislaviensis ecclesie et Sbilutonis, constanciaque obsequiorum nobis in necessitatibus nostris frequentissime exhibitorum, damus, tradimus, conferimus ipsis et posteris eorum legittimis hereditatem que Vyeschky vulgariter nuncupatur, iure hereditario in perpetuum possidendam cum omnibus utilitatibus et proventibus spectantibus ad hereditatem supradictam, silvis videlicet borris, fluviis, campis, venacionibus ferarum omnium, et aliis omnibus que in eadem hereditate, secundum quod ipsa est in suis metis et terminis distincta, possunt reperiri. Damus eciam prefatis filiis Slavnici, Swanthoslao videlicet palatino de Trsov et domino Mathie scolastico Wladislaviensi, Sbilutoni eorumque successoribus, liberam potestatem predictam hereditatem vendendi, commutandi aut quocunque alio modo ad usus eorum convertendi. Absolvimus quoque incolas hereditatis se posse facere (sic) ab omnibus solucionibus et exaccionibus, a poradlne, et a naraz, a bove et

vacca, et aliis omnibus angariis et opposicionibus et oppressionibus, quibuscunque nominibus fuerint nuncupate. A castri eciam citacione iam dicti incole hereditatis prenotate prorsus sint exempti, sed nostro iudicio subiacebunt. Homicidia quoque si inter prefatos incolas contigerint aut alique alie culpe seu excessus, memorati filii Slavnici, Swanthoslaus scilicet ut diximus palatinus de Trscev et dominus Mathias scolasticus ecclesie Wladislaviensis et Sbiluth, una cum eorum posteris iudicabunt et penam tollent. Iacet autem hec hereditas prope Nakyel castrum nostrum. Ut autem hec donacio nostra valeat vendicare fulcimentum a nulloque in posterum calumpniose infestari, presentes conscribi iussimus, nostri sigilli munimine roborantes. Acta sunt hec in Cracovia anno Domini millesimo trecentesimo octavo, presentibus testibus huiusmodi: comite Stanislao palatino nostro Cuyaviensi, strenuo milite Kyelczone, domino Stanislao preposito Crusvyciensi, domino Michaele archidiacono ecclesie Wladislaviensis et domino Iaroslao canonico eiusdem ecclesie Wladislaviensis, et aliis quam pluribus fidedignis. Datum per manus domini Iohannis subcancellarii nostri.

Nakyel, *Nakło.* Trsov, *Tczew.* Wladislaviensis, *de Włocławek.* Vyeschky, *Wieszki.*

Nr. 920.

Fr. Ebirhardus abbas in Lukna 1309 Mart. 14, s. l.; protestatur, monasterium de Byszewo persolvisse pecuniam pro hereditate Swynarzew, a conventu suo empta.

Pergam. orygin. Na skrawkach pergamin. przywieszono dwie pieczęcie. Pierwsza podługowata wyobraża osobę duchowną w infule, z pastorałem, napis zatarty. Druga klasztoru w Łeknie; (pieczęć XXXVIII).

Poznań. Königl. Staats Arch. Koronowo 49.

Nos frater Ebirhardus Ordinis Cisterciensis Gneznensis dyocesis, abbas in Lukna, universis ad quos presencium noticia contigerit pervenire constare cupimus publice protestando, quod venerabilis in Christo pater ac dominus, dominus Iohannes, abbas monasterii de Byssovia Ordinis predicti et dyocesis Wladislaviensis, una cum suo conventu ex integro ac totaliter, rite et racionabiliter nobis ac nostro conventui pecunias persolvit, pro quibus hereditatem Swynarzew nuncupatam sibi vendidimus. In cuius rei peracte testimonio, sigillum nostrum cum sigillo nostri conventus presentibus est appensum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo IX, feria sexta ante dominicam qua cantatur Iudica in Quadragesima.

Lukna, *Łekno.* Byssovia, *Byszewo.* Wladislaviensis, *de Włocławek.* Swynarzew, *osada znikła w okolicy miasta Więcborg.*

Nr. 921.

Andreas Poznaniens. episcopus 1309 Mart. 29, in Poznania; una cum Capitulo suo decimam in villa Ponikwa sive Nowa wieś monasterio de Zemsko confert.

Pergam. orygin. Na sznurkach jedwabn., czerwon. przywieszono 2 podługowate pieczęcie. Pierwsza wyobraża biskupa na tronie z prawicą wzniesioną do błogosławienia, pod stopami tarcz trójkątna, na któréj godło rodu Zaręba; napis: S. Andree... episcopi Poznaniensis. *Druga połamana Kapituły Poznańskiéj;* (pieczęć VIII).

Poznań. Königl. Staats Arch. Blesen 8 a.

In nomine Domini amen. Dignum et laudabile omnimode reputamus, ut hy amplioribus beneficiis honorentur, quibus ad hoc propria merita suffragantur. Noverint igitur universi presentes litteras inspecturi, quod nos Andreas Dei gracia Poznaniensis episcopus una cum Capitulo nostro, ex speciali dilectione et devocione quam erga religiosum et venerabilem virum fratrem Cunradum abbatem et suum monasterium de Zambrsco Cisterciensis Ordinis, Poznaniensis diocesis, semper habuimus et adhuc incunctanter gerimus et habemus, exigentibus ipsorum meritis gloriosis et laudabilibus serviciis, nobis et nostre ecclesie impensis a temporibus retroactis, sibi suisque successoribus ac monasterio suo, ut alii exemplo ipsius ad serviendum nobis et nostre ecclesie incitentur, decimam sive censum qui debetur nobis racione decime in willa Ponicfa, que Nova villa in Teutonico nuncupatur, circa Mezirzez nostre diocesis, cum omnibus excrescenciis et melioracionibus suis, quam prius dicto abbati dederamus, pro gracia speciali damus et conferimus liberaliter perpetuo possidendam. In cuius rei testimonium, presentes litteras nostro sigillo nostrique Capituli fecimus communiri. Datum in Poznania per manum Szeslay nostri archidiaconi IIII Kalendas Aprilis, anno Domini M.CCC. nono, presentibus dominis: Iohanne preposito, Petro decano, Borislao archidiacono, Anthonio cantore, Iacobo custode, Philippo cancellario, et aliis quam plurimis fide dignis.

Zambrsco, *Zemsko.* Ponicfa, *dziś z niemiecka Neudorf.* Mezirzez, *Międzyrzecz.*

Nr. 922.

Iacobus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1309 Mai. 2, in Radeyov; protestatur, se in synodo Gneznensi quoddam statutum super decimis recipiendis edidisse.

Transsumpt potwierdzony przez: Conradus doctor decret. canonic. et official. Wratislaviens. 1316 Sept. 11, s. l.

Helcel, Starodawne prawa Polsk. pomniki, I p. 388.

Noverint universi presencium noticiam habituri, quod nos Iacobus, divina miseracione sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, constituti in Gnezdna in provinciali synodo, de consilio et assensu fratrum nostrorum episcoporum tunc presen-

cium et aliorum nostre provincie prelatorum, super decimis liberalibus non recipiendis de parrochia vel dyocesi aliena, constitucionem edidimus in hec verba:

Quoniam propter officium debetur beneficium, statutum declaramus sentencialiter, ut sicut non licet officia divina alienis parrochianis inpendere, sic eciam utputa decimas militales et liberas recipere ab eisdem (non liceat), maxime de dyocesi aliena; nisi forsan super hiis certis et determinatis (privilegiis) fundate sint, et hoc de dyocesani processerit voluntate.

Quocirca universitati vestre mandamus in virtute obediencie, et vobis nichilominus sub pena synodali (precipimus), quatenus dictam constitucionem tenere ac servare, ac secundum ipsam iudicare omnimode debeatis, si meritum obediencie vobis lucrifacere, et effugere cupitis ecclesiastice acrimoniam ulcionis. Datum in Radeyov VI Nonas Maii, anno Domini MCCC nono.

Radeyov, *Radziejów.*

Nr. 923.

Dobrogostius palatinus Kalisiens. Boguphalus dictus Cyngnus et Fr. Guntherus tutor partis regni Polonie 1309 Mai. 25, Lubin; protestantur, Svantoslaum, filium quondam Czuchonis, villam Popowo niemieckie monasterio de Lubin vendidisse.

Pergam. orygin. Skrawki pergamin. od przywieszenia 3 pieczęci, każdy przez 2 wcięcia przewleczony.

Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin 9.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi testibus veridicis et scriptis publicis denotentur. Nos igitur Dobrogostius palatinus Kalisiensis, Boguphalus dictus Cyngnus et frater Guntherus tutor partis regni Polonie, presentibus profitemur et protestamur, quod Svantoslaus filius quondam Czuchonis in nostra presencia corporali constitutus in bona corporis sui valitudine, de consilio maturo suorum amicorum et favore villam Popino, taliter vulgari nomine nuncupatam, cum omnibus utilitatibus, fructibus et proventibus pertinentibus ad eandem, sed et quod in suis metis et terminis, lignis, aquis est situata, domino Vincencio abbati de Lubin una cum conventu suo ibidem vendidit liberaliter resignando. Quam quidem dominus V. abbas memoratus de Lubin una cum conventu supradicto iusta sua pecunia rite, iuste ac racionabiliter emit et comparavit, sibi sueque domui Lubinensi et suis successoribus legittimis perpetue valituram et ad usus placidos convertendam, prout ipsi suisque successoribus videbitur expedire, donando, vendendo sive conmutando pro sue beneplacito voluntatis. Ut autem hec vendicio ac totalis resignacio, coram nobis rite habita et racionabiliter, robur obtineat perpetuo valiturum, presentes fieri et nostri sigilli munimine fecimus conmuniri. Actum et datum Lubin in die Trinitatis, sub anno gracie Domini MCCC nono.

Popino, *Popowo niemieckie.* Lubin, *Lubin.*

Nr. 924.

Comes Dirsco heres de Ponecz 1309 Iun. 23, in Ponecz; vendit Conrado Sram, sculteto de Poniec, allodium ibidem in suburbio situm, iure Theutonico ad locandum.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscription. Vschovens. a. 1608, fol. 269.

In nomine Domini amen. Cunctorum factorum de facili perit memoria, si non fuerit literarum apicibus ac proborum virorum testimonio roborata. Inde est quod nos comes Dirsco, heres de Ponecz, cum bona nostra deliberacione et consilio maturo ac consensu nostrorum filiorum, nec non ex benevola permissione incliti principis Henrici, Dei gracia ducis Slesie et domini Glogovie ac heredis regni Polonie, vendimus dilecto sculteto nostro Conrado, dicto Sram, ibidem in Ponecz bona nostra prope nostram civitatem prefatam, que cum dicta civitate tenebuntur deservire civitati insinuata, que vulgariter Henrici villa nominari iussimus, pro viginti quatuor marcis, iure Teutonico et in mansos magnos colocanda. Racione vero sue locacionis, idem Conradus cum suis posteris duos mansos liberos, molendinum qualecunque fieri poterit in bonis prenominatis, ceterasque utilitates itidem quas habere potuerit, iure hereditario et perpetuo possidebit. Concedimus eciam eidem nostro sculteto pascua pro suis ovibus conservandis. Damus eciam viam peccorum ad pascua tam sculteto quam incolis dicte ville, prout ville Teutonicales habere consveverunt. Preterea dictis sculteto et villanis concedimus novem annis omnimodam ac plenariam libertatem. Elapsa autem libertate, sepedicti villani, semper in festo sancti Martini episcopi, annis singulis nobis nostrisque successoribus de quolibet manso racione census quatuor mensuras siliginis, quatuor mensuras avene solvere tenebuntur. Item pro decima, unum fertonem de quolibet manso annis singulis dabunt monete usualis. Item quolibet anno, scultetus cum suis successoribus dimidiam marcam nomine expedicionis et pro omni servicio nobis solvent; et nullum aliud servicium nobis dictus scultetus cum incolis exhibebunt. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presentem literam iussimus roborari nostro sigillo. Actum in Ponecz in domo domini Theodori plebani ibidem, anno Domini millesimo trecentesimo nono, proxima secunda feria ante diem beati Iohannis Baptiste, presentibus his: Velislao comite de Ponecz, Stanislao de Wascow, Ludowico de Porsnicz, Bartholomeo de Henrici villa, Hermano de Haynow, et aliis multis fidedignis.

Ponecz, *Poniec.* Henrici villa, *pewnie dzisiejsza Widawa.* Wascow, *Waszkow.* Porsnicz, *z niem. Porschwitz.* Henrici villa, *z niem. Heinrichsdorf.* Haynow, *nie odgadnione.*

Nr. 925.

Andreas episcopus Poznaniens. 1309 Iun. 30, apud Poznaniam; protestatur, Derskonem, heredem de Poniec, pro sustentatione ecclesiae b. Mariae in civitate praedicta, hereditatem dictam Police contulisse.

Poznań. Archiv. Consistor. A. C. anni 1498.

Nos Andreas Dei miseracione episcopus Poznaniensis presentibus profitemur coram universis, quod nobilis vir dominus Dersko legittimus heres Ponecensis, habito

consilio diligenti et maturo, pro salute anime sue suorumque legittimorum successorum, hereditatem que vulgariter Polycze vocatur, cum omni iure et dominio prout in eius graniciis circumferencialiter est distincta et limitata et prout solus tenuit et possedit, ad ecclesiam beate virginis Marie, pro sustentacione presbyteri ibidem Deo et beate Virgini devote servientis, cum omnibus ortis civitati circumadiacentibus, scilicet a medio fluvio, videlicet Samycze vulgariter dicto, usque ad oppositum magne fenestre ecclesie murate, cum omni iure, censu et dominio; item duos mansos pariter coniacentes in monte circa viam pastoralem, qui vulgariter Sczegna nuncupatur, ecclesie predicte beate virginis Marie in Ponyecz donavit salubriter, rite ac racionabiliter coram nobis perpetuo contulit, ascripsit et assignavit. Ut autem hec salubris donacio inviolabilis perseveret, presentem litteram nostri nostrique Capituli sigillorum munimine duximus roborandam coram hiis testibus: domino Philippo cancellario nostro, domino Domaratho, domino Andrea, domino Potenciano, canonicis ecclesie nostre, domino Petro capellano curie nostre, et aliis multis fidedignis. Datum et actum apud Poznaniam sub anno Domini millesimo tricentesimo nono, in crastino beatorum Petri et Pauli apostolorum.

Ponecensis, *de Poniec.* Polycze, *nie odgadnione.* Fluv. Samycza, *dziś Orla strumień.*

Nr. 926.

Heynricus heres regni Polonie dux Slesie etc. 1309 Sept. 4, Poznanie; molendinum canonicorum ecclesiae Poznaniensis, super fluvium Cybina in suburbio Poznaniae situm et a se vi occupatum, restituit.

Pergam. orygin. Dwa wcięcia poprzeczne od przywieszenia pieczęci.
Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata, Vol. I, Nr. 16.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripturarum presidio aut testium amminiculo fuerint roborata. Ideoque nos Heynricus, Dei gracia heres regni Polonie, dux Slesie, dominus Glogovie et Poznanie, scire volumus universos presencium noticiam habituros, quod nostra est consciencia per nostros viros ydoneos plenius informata, quod molendinum honorabilium virorum, dominorum videlicet Iacobi Poznaniensis ecclesie custodis, Nycolai et Stephani fratrum ipsius, canonicorum ecclesie eiusdem, per nos minus debite occupatum, quod est supra Chybynam inter hospitale et sanctam Margaretam situatum, ipsis restituimus proprietatis tytulo in perpetuum pacifice possidendum, et donacionem predictis fratribus de prelibato molendino factam per illustrem principem dominum Primyslium quondam regem Polonie, nostrum predecessorem, ratam et gratam habemus, ipsamque nostre auctoritatis interposicione presenti patrocinio duximus confirmandam. In cuius credenciam (sic), presencia nostri sigilli appensione iussimus consignari. Actum Poznanie anno Domini M.CCC. nono, presentibus testibus infrascriptis: videlicet Iohanne Poznaniensi preposito, Alberto iudice nostre curie, Nicolao nostro medico, Czessante nostro vlodario, et aliis multis. Datum per manus Fridrici nostri prothonotarii, post diem beati Egidii feria quinta.

Chybyna, *rzeczka Cybina.*

Nr. 927.

Heynricus heres regni Polonie etc. 1309 Sept. 30, in Syze; allodium Bogusławki Michaeli sculteto de Brzezie vendit.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny, czerwony, przez 2 wcięcia przewleczony; pieczęć znikła.

Poznań. Archiv. Capituli. III, 4.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripturarum presidio aut testium amminiculo fuerint confirmata. Igitur nos Heynricus, Dei gracia heres regni Polonie, dux Slesie, dominus Glogovie et Poznanie, ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum huius scripture testimonio volumus pervenire, quod Michael scultetus de Bresze allodium nostrum dictum Bogoslawicz, ante civitatem Gostinensem situm, pro centum et quinque marcis contra nos rite et racionabiliter conparavit; quod eidem Michaeli suisque heredibus et legitimis successoribus contulimus hereditatis tytulo in perpetuum pacifice possidendum, ut expleta libertate quam ipsi donavimus, idem Michael et sui successores, nobis nostrisque posteris in festo beati Martini annis singulis unum fertonem usualium denariorum de quolibet manso predicti allodii, et domino episcopo Poznaniensi vel ipsius canonicis unum fertonem nomine decime dare et solvere teneantur, ab omnibus aliis solucionibus et serviciis vero, nobis in posterum faciendis, sint liberi et exempti. In cuius evidenciam, presencia nostri sigilli appositione iussimus confirmari. Datum in Syze anno Domini M.CCC, nono presentibus testibus infrascriptis, videlicet Tymone de Streyl, Heynrico Glubosck, Ottone de Nosticz, Petro de Lybnow, Appezchone de Rabnow, Friczkone de Gora, et aliis multis. Datum per manus Friderici nostri prothonotarii, post Michaelis feria tercia.

Bresze, *Brzezie.* Bogoslawicz, *Bogusławki.* Gostinensis civitas, *m. Gostyń.* Syze, *dziś z niemiecka Seitsch.* Gora, *z niem. Guhrau.*

Nr. 928.

Fr. Gentilis presb. cardinalis apostolice Sedis legatus 1309 Nov. 10, Posonii; edit statuta, per ecclesiam Poloniae observanda.

Transsumpt potwierdzony przez: Clemens Pp. VI 1345 Sept. 2, Avinione.

Helcel, Starodawne prawa Polskiego pomniki. I, pag. 390. (Z transsumptu).

In nomine Domini amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo nono, Indiccione septima, pontificatus domini Clementis Pape quinti anno quarto, incipiunt constituciones edite per reverendum patrem dominum Gentilem, Dei gracia tituli sancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem, in regno Ungarie, Polonie ac partibus illi conterminis apostolice Sedis legatum. Et primo prohemium super statu:

Frater Gentilis miseracione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice Sedis legatus, ad futuram rei memoriam. Diversa medici mor-

borum varietati medicamenta propinant, et ipsorum morborum qualitatibus, secundum artis periciam efficacibus remediis exquisitis, aliquibus gravioribus ferrum adhibent, quibusdam ignem adiciunt, aliis vero, qui levi possunt fomento sanitatem recipere, facilia medicamentorum antidota subministrant. Sic et dominus noster Ihesus Christus sub figura Samaritani medici formam assumens, wlneribus infudit vinum et oleum sauciati. Nos itaque ad regnum Ungarie, ac partes Polonie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Lodomerie, Galacie, Cumanieque partes, regno ipsi conterminas, ab eo, qui pacifici regis et summi medici locum tenet in terris, cum plene legacionis officio licet immeriti destinati, attendentes Polonie predicte provinciam, post regnum ipsum notabiliorem dicte legacionis partem, infirmitatibus variis et gravibus laborare, et propterea informati exemplo domini Ihesu, medicorum precipui, diversitati infirmitatum huiusmodi, etsi non omnibus, magis tamen letalibus, cupientes diversas et congruas adhibere medelas, infrascriptas constituciones, authoritate qua fungimur duximus promulgandas.

De non offendendis prelatis. Cum apostolicam Sedem, in qua Christus catholice fidei posuit fundamentum, Christianorum esse matrem voluerit et magistram, non est dubium, quin Christus ipse graviter offendatur, si matrem filius, et magistram discipulus dehonorat. Quia igitur ipsi apostolice Sedi non est possibile, cunctos filios et devotos materno affectu et suo magisterio presencialiter confovere, debitum apostolice servitutis explere nititur modo per episcopos, modo per archiepiscopos, nonnunquam eciam per legatos a latere suo missos; quos, quia eius privilegio gaudent cuius legacione funguntur, a cunctis Christi fidelibus tanquam apostolicam Sedem, ymo Christum qui in eis se recipi predicat et audiri, honorari convenit et foveri. Verumptamen fuerunt et sunt nonnulli, quos termini nostre legacionis includunt, sicut fidedigna relacione percepimus: quod licet glorientur nomine Christiano, ad ipsum tamen Christum et apostolicam Sedem debitam reverenciam non habentes, episcopos, archiepiscopos et legatos huiusmodi, doctores catholice fidei et magistros, ipsius Christi vere vicarios et legatos, hostiliter insequi, ausu sacrilego capere et percutere, quandoque nequiter carceri mancipare, nonnunquam inhumaniter perimere non verentur. In quo, quantum Christus fidei nostre caput offenditur, apostolica Sedes ipsius fidei magistra contempnitur et tocius fidei devocio minoratur, evidenter intelligit, qui prudenter attendit. Proinde nos, qui ex iniuncto nobis legacionis officio Sedem apostolicam, licet immeriti, presentamus, cupientes omnes et singulos nostre legacioni commissos a tam nephandis excessibus cohercere, presenti decreto statuimus, ut nullus de cetero, in Dei offensam, apostolice Sedis contemptum et catholice fidei lesionem, presumat tantum facinus attemptare. Si quis autem proprie inimicus salutis, reverencia religionis reiecta, divinis et humanis legibus in civili dampnacione calcatis, premissum scelus exercere presumpserit per se vel per alium, publice vel occulte, eum excommunicatum et a tocius Christianitatis consorcio separatum publice nunciantes, qua fungimur authoritate privamus omnibus privilegiis, indulgenciis, feudis, graciis et beneficiis quibuscunque, ei ab ecclesia quacunque concessis, omnibus, ad quos pertinet eorum ordinacio seu disposicio, disponendi potestatem liberam concedentes; terram suam nichilominus et quamlibet aliam, que sibi adherere presumpserit, interdicto ecclesiastico supponentes. Et ne minus vindicte quam excessus memoria prorogetur, decernimus, ut filii talium in clericorum collegium nullatenus admittantur nec in domibus regularibus alicuius prelacionis assequantur honorem; quod contra factum fuerit, irritum decernentes, nisi cum eis

per Sedem apostolicam vel legatum de latere fuerit dispensatum. Et quia dignum est, ut is, qui in tot presumit offendere, pena multiplici castigetur, omnes eorum vasallos, castellanos, comites, iobagiones et officiales alios, quovis nomine censeantur, a fidelitate, homagio et qualibet alia prestacione qua eis tenebantur astricti, qua fungimur authoritate absolvimus, donec ad gremium sancte matris Ecclesie humiliter redeuntes, absolucionis beneficium meruerint obtinere. Quod si eis in predicta excommunicacione manentibus adherere forte presumpserint, illos eadem cum ipsis pena statuimus excommunicacionis involvi. Ceterum, ut dictorum sacrilegorum pena, sit aliorum cautela, inhibemus venerabilibus in Christo patribus, archiepiscopis, episcopis, et aliis ecclesiarum prelatis eorum vices gerentibus, et ecclesiasticis personis secularibus et religiosis, nec non ecclesiarum Capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cysterciensis, Premonstratensis, sancti Benedicti, Minorum, Predicatorum, sancti Augustini et aliorum Ordinum, nec non magistris, preceptoribus et fratribus Milicie Templi, Hospitalis sancti Iohannis Ierusolimitani et beate Marie Theutunicorum, sub nostra legacione manentibus, non obstantibus aliquibus privilegiis, indulgenciis et litteris, eis vel eorum aliquibus aut ipsorum Ordinibus a prefata Sede concessis, ne ipsi vel eorum aliquis vel aliqui, corpora illorum qui sine digna et debita satisfaccione decesserint, tumulare, aut tumulacioni eorum quoquomodo interesse presumant. Si quis autem predictorum contra premissam inhibicionem nostram venire temptaverit, excommunicacionis vinculo se noverit innodatum maioris, pena pro tanta inobediencia puniendum, et nichilominus loca, in quibus talium corpora sepulta fuerint, ecclesiastico supposita interdicto. Publicata Posonii, IV. Idus Novembris.

Ut nulla ecclesiastica persona prebeat auxilium, consilium, vel favorem alicui laiico contra ecclesias ecclesiasticasve personas. Illi procul dubio sunt maiori pena plectendi, qui nituntur offendere, quod totis suis viribus defendere tenebantur. Cum igitur persone ecclesiastice singulariter teneantur tueri Ecclesiam, a qua suam tuicionem recipiunt, presenti decreto statuimus: ut nulla ecclesiastica persona exempta vel non exempta, cuiuscumque preeminencie, status aut dignitatis existat, eciam si pontificali fulgeat dignitate, prebeat alicui laiico, cuiuscumque dignitatis aut condicionis existat, contra ecclesias ecclesiasticasve personas consilium, auxilium aut favorem, publice vel occulte. Si quis autem, ecclesiastico honore postposito, contra tam salubre statutum venire presumpserit, ipso facto sentenciam excommunicacionis incurrat. Et nihilominus, si inferior episcopo fuerit, episcopus suus contra eum ad privacionem ecclesiastici commodi et honoris procedere, si vero episcopus, metropolitanus, si autem metropolitanus, sui suffraganei excessum huiusmodi in virtute obediencie teneantur, quam cito commode poterunt, Sedi apostolice nunciare. Publicata ut supra.

Ne quis recipiat ecclesiasticum beneficium de manu laiici. Presentis constitucionis authoritate sacro approbante Concilio inhibemus, ne quis archiepiscopatum, episcopatum, dignitatem aliquam inferiorem, personatum, parochialem ecclesiam cum cura vel sine cura, beneficium aliquod ecclesiasticum, seu alicuius predictorum administracionem vel detencionem, de manu laiicali recipere, vel iam recepta tenere sub quovis colore presumat. Si quis autem contrafecerit, ad sic receptum beneficium, eo ipso, et nisi locum, quem sub crimine tante inobediencie tanteque ambicionis taliter iam recepit vel in futurum recipiet, resipiscendo deseruerit liberaliter, infra duorum mensium spacium, a publicacione constitucionis presentis quoad iam recepta,

a recepcionis vero tempore quoad ea que deinceps continget sic recipi, numerandum, ad quodlibet aliud inabilis ipso facto reddatur; ita, ut ad dignitatem vel beneficium aliquod ecclesiasticum, nullo unquam tempore, absque dispensacione apostolice Sedis vel nostra, eligi valeat vel assumi. Insuper ut, quantum excesserit, pena docente cognoscat: si quam dignitatem, personatum vel beneficium aliquod cum cura vel sine cura sic recipiens vel detinens, et ut premittitur non dimittens, canonice forsan obtineat, ea vel eo sit presentis constitucionis vigore ipso facto privatus: indignum enim fore censemus, ut Ecclesie beneficio gaudeant, qui eam tam nephandis ausibus despectui habuerunt. Iniungimus quoque, ac in virtute sancte obediencie nec non sub excommunicacionis pena precipiendo mandamus omnibus et singulis, tam clericis quam laiicis, rusticis, iobagionibus, vasallis, castellanis, comitibus, officialibus, quocumque modo subieccionis astrictis dignitati, personatui vel beneficio taliter occupatis, quod occupatori vel detentori predictis in nullo pareant vel intendant. Qui vero temere contrafecerit, si universitatis fuerit, interdicti, si vero singularis persona, excommunicacionis sentencie se noverit subiacere. Publicata ut supra.

De non occupandis, et occupatis restituendis bonis ecclesiasticis. Cum multa providencia fuit olim a felicis recordacionis domino Benedicto Papa XI, apostolice Sedis legato dum in hiis partibus fungeretur legacionis officio, constitutum: quod nullus invadere, occupare, illicite detinere presumeret decimas, tributa, castra, villas, municiones, possessiones et bona, ac ecclesias et pia ac religiosa loca ad ecclesias ac personas ecclesiasticas spectancia vel pertinencia quoquomodo: sentencia excommunicacionis prolata in huiusmodi invasores, occupatores et illicite detentores. Sed quia propter presumpciones et quorundam cupiditates, nullus fructus hactenus aut rarus ex predicta constitucione provenit, nos tantis animarum periculis precavere volentes, ne tam salubre statutum videatur in dissuetudinem abiisse et ab huiusmodi presumptoribus eius ignorancia pretendatur, predictum statutum duximus innovandum, — et ipsum in suo robore permanere ac inviolabiliter observari volentes, adicimus, ut quicunque propter invasionem, occupacionem et illicitam detencionem dictarum rerum, excommunicacione authoritate predicti statuti ligati, infra mensem invasa, spoliata, occupata et detenta huiusmodi non restituerint spoliatis, omnes eorum vasalli, iobagiones, castellani, comites et officiales alii, quocunque nomine censeantur, et quivis alii eis quoquomodo obnoxii, a fidelitate, homagio, et qualibet prestacione, qua eis iuramento, pacto, consuetudine, vel qualibet alia firmitate vallata tenebantur astricti, sint absoluti et liberi presentis auctoritate decreti, donec ad cor humiliter redeuntes, satisfaccionem debitam impenderint de premissis. Quod si perseverantibus in huiusmodi contumacia et contemptu adheserint, quia eos in peccatis fovere satagunt, excommunicacionis vinculo sint ligati, et terra, que eis medio tempore obediens fuerit, ecclesiastico supposita interdicto. Quod interdictum, omnes et singuli archiepiscopi et episcopi et alii ecclesiarum prelati, Capitula et conventus, tam regulares quam seculares, exempti et non exèmpti, Cysterciensis, Premonstratensis, sancti Benedicti, ac Predicatorum et Minorum, heremitarum sancti Augustini aliorumque approbatorum Ordinum, nec non magistri et preceptores Milicie Templi et Hospitalis sancti Iohannis Ierusolimitani et beate Marie Theutunicorum, in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis pena servare inviolabiliter teneantur, et nichilominus, si sine debita satisfaccione decesserint, predictorum omnium corpora perpetuo ecclesiastica careant sepultura. Non enim debet illi ecclesie beneficium subvenire, qui, dum viveret, ecclesiam hostiliter inpugnavit. Publicata, ut supra.

De pena publicorum concubinariorum. Alme matris Ecclesie: que plerumque nonnulla racionabiliter ordinat et consulte, que, suadente subiectorum utilitate, postmodum consulcius et racionabilius revocat, aliquando subtrahit, addit quandoque pariter et commutat in melius: imitantes exempla, constitucionem bone memorie Philippi quondam Firmani episcopi, in regno Ungarie ac partibus aliis nostre iurisdicioni subiectis apostolice Sedis legato, contra publicos concubinarios editam, et a felicis recordacionis Benedicto Papa XI, tunc in regno et partibus supradictis legato Sedis apostolice, confirmatam, quibusdam additis et subtractis, iuxta infrascriptam modificacionem in posterum precipimus observari. Ad ipsius equidem temperandum rigorem, animarum zelus, quas ex illius contemptu quasi continuo peccatorum sordibus fedari conspicimus, nos inducit, spes recuperacionis hortatur. Confidimus enim, quod spirituali pena, excommunicacionis videlicet, que, quamvis sine comparacione periculosior, minus tamen peccatis exigentibus formidatur, in temporalem mutata vindictam, subditorum mutabuntur et mores. Decreto igitur presenti statuimus, ut quicumque clericus contra ipsius constitucionis vigorem deinceps deliquerit, excommunicacionis pena in ea contenta, propter causas predictas cessante, quarte partis redditnum suorum beneficiorum, presentis constitucionis auctoritate, condempnacioni subiaceat. Quia vero nil prodesset iura condere, nisi foret qui ea execucioni mandaret: omnibus episcopis eorumque superioribus, nec non singulis ecclesiarum prelatis, de iure vel de antiqua consuetudine iurisdicionem habentibus, in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis pena, quam, si ad huiusmodi constitucionis observanciam negligentes fuerint vel remissi, ipso facto incurrant, districte precipimus, quatenus a subditis suis, qui contra constitucionem ipsam excesserint, penam prefatam integraliter exigant, ipsius quidem parte dimidia in exigentis, reliqua vero parte in pauperum usus, seu ecclesie exigenti commisse commodum convertenda. Predicta autem condempnacio tamdiu cum exaccione debita repetatur, quousque mores suos et vitam, quoad premissa, curaverit emendare: ad quod eciam corporali pena, si superior suus expedire crediderit, inducatur. Publicata, ut supra.

De prohibita depredacione. Cum Christus, vera pax nostra, de summis celorum descenderit, ut, quam mundus dare non potest, suis fidelibus pacem daret: profecto non est membrum Christi nec ipsius Ecclesie, qui pacem suam non recipit, vel qui, ne alii recipiant, suis perversis actibus causam prestat. Cum itaque in regno Ungarie ac provincia Polonie, olim in pulcritudine pacis requie opulenta et tabernaculis fiducie constituto, humani generis inimicus, pacis emulus et discordie seminator, diu procuravit optate pacis exilium, immittendo guerrarum discrimina, et depredaciones seu disrobaciones per perversos homines, membra sua, inhumaniter exercendo, propter que pax et concordia extra dictorum regni et provincie terminos, diu, quod dolenter referimus, exulavit: nos, qui dictorum regni et provincie ac incolarum eorum specialem curam suscepimus, ipsorum pacifico statui providere desiderabiliter affectantes, statuimus sacro approbante concilio, ut omnes et singuli, cuiuscunque dignitatis, condicionis, aut status exstiterint, qui in regno aut provincia prefatis depredaciones seu disrobaciones publicas, per quas pax et tranquillitas dictorum regni et provincie plurimum impeditur, per se vel per alium publice exercere, vel qui aliter ipsius regni et provincie statum pacificum impedire presumpserit, nisi, per episcopum proprium monitus, ad quod ipse episcopus in virtute obediencie teneatur, infra octo dies vitam suam in melius consulte correxerit, et si clericus fuerit exemptus

vel non exemptus, beneficiis privatus ipso facto, excommunicacione, qua Deus iratus animas percutit, sit ligatus. Publicata ut supra.

De hiis, qui contumaciter sustinent excommunicacionem. Cum peccata tanto gravius deprimant atque laboriosius extirpentur, quanto invaluerint consuetudine longiori, presenti constitucione sacro approbante concilio duximus statuendum: ut si quis clericus vel laiicus, cuiuscunque status aut condicionis existat, aliquam de constitucionibus nostris transgrediens, quas contra recusantes dominum Karolum pro rege naturali Ungarie recipere et habere, vel alium advocantes vel nominantes, seu recusacioni, advocacioni vel nominacioni huiusmodi consencientes seu faventes, ac eciam contra occupatores regalium vel reginalium [bonorum], contra eos quoque, qui in regem predictum, archiepiscopos, episcopos vel legatos manus iniecerint violentas, nec non contra occupatores et detentores sacre corone eorumque fautores edidimus, maioris excommunicacionis sentenciam, in prefatis constitucionibus seu aliqua earum contentam, quod absit, incurrerit, quam cicius commode poterit, cum debita instancia illius absolucionem effectualiter obtinere procuret. Qui vero, concepta malicia sive dampnosa negligencia, excommunicacionem huiusmodi per annum sustinuerit animo indurato, contra eum per prelatum ad quem de iure pertinere dinoscitur, seu per inquisitores heretice pravitatis, bonis ipso iure confiscatis ipsius, tanquam contra hereticum procedatur. Publicata ut supra.

Ne aliqua fidelis alicui infideli matrimonialiter copuletur. Ut fides catholica, que scissuram erroris cuiuslibet aspernatur, nullius scismatis vel fermento pravitatis heretice maculetur, de consilio et assensu presentis concilii perpetuo prohibemus edicto, ut nullus nostre legacioni subiectus, qui wlt reputari et haberi catholicus, presumat de cetero heretico, Picareno, Gazaro, scismatico, vel alteri fidei Christiane contrario, maxime Ruthenis, Bulgaris, Rasis, Lituanis, in errore manentibus: qui, sicut fidedignorum testimonia protestantur, in diminucionem catholice fidei, opprobrium Ihesu Christi et sacrosancte Romane Ecclesie, que est vere fidei fundamentum, non solum sacri baptismatis reiterent Sacramentum, verum alia catholice Ecclesie salutifera Sacramenta dampnabiliter contempnentes habent despectui, ipsorum veritatem, in qua fidelibus salus datur, abnegant, et eis diversis modis et variis iniuriam erogare conantur: filiam, neptem, consanguineam suam connubio tradere, vel eas eis modo aliquo copulare, cum hoc sit in predicte fidei Christiane detrimentum non modicum et iacturam; nam sicut didicimus ab experto, viri ab unitate fidei catholice separati, uxores suas quantumvis catholicas, instingante dyabolo ad infidelitatis errorem trahunt pocius quam trahantur. Qui vero contra inhibicionem presentem, filiam, neptem, vel consanguineam suam predictis pestiferis hominibus, qui quantum in eis est, catholicam fidem, sine qua nullus omnino salvatur, nituntur confundere, dederit vel danti consenserit, vel ex proposito et scienter huiusmodi scelestibus nupciis astiterit, mulier eciam data vel tradita que eisdem consenserit, cum per hoc in Christiana religione scissuram et maculam ponere sathagat et per hoc heretice pravitati favere, eo ipso excommunicacionis mucrone percussum se noverit et ecclesiastica sepultura privatum. Volumus autem, et in virtute obediencie districte precipimus archiepiscopo vel episcopo in cuius dyocesi contemptor huiusmodi moram trahit, quod eum excommunicatum denunciet et ab omnibus evitandum. Et si infra mensem corde contrito et humiliato non redierit ad Ecclesie unitatem, de tanta iniuria irrogata nomini Christiano et fidei orthodoxe condignam satisfaccionem et debitam impensurus, extunc contra eum, tanquam contra fautores hereticorum et ini-

utilitatibus et pertinentiis pertinere, facta hincinde dictarum villarum resignatione solempni. Nomine vero decime, in villa Popovo archidiacono Poznaniensi debite, ab ipso archidiacono a villanis dicte ville Popovo non amplius repetetur, quam ferto argenti usualis de manso quolibet; cetera vero omnia ad nostram Domum spectabunt, quecunque in ipsa ratione dominii potuerint obvenire. Ne vero super hiis in posterum dubitetur, presentem litteram conscribi mandavi, et sigillo meo ac dicti fratris Bertholdi ipsam in perpetuam memoriam sigillavi. Datum anno Domini M.CCC. nono.

Zelenicz, *może Zieleniec.* Symanovo, *Szymanowo.* Popowo, *Popowek.* Goluchovo, *Gołuchowo.* Iedlcze, *Jedlec.*

Nr. 930.

Henricus secundus heres regni Polonie etc. 1310 Ian. 18, s. l.; districtum de Poniec instituit.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscription. Vschovens. a. 1608, fol. 269.

In nomine Domini amen. Quoniam actiones hominum, oblivionis lima abducta, a memoria hominum labi solent de facili nisi fulciantur firmo caractere literali, nos itaque Henricus secundus, Dei gratia heres regni Polonie, dux Silesie, dominus Glogovie et Poznanie, devenire voluimus ad notitiam presentium et memoriam futurorum, quod subditorum nostrorum commodis et utilitatibus ubilibet intendere cupientes, civitatem nostram Ponecz dictam taliter decrevimus collocandam, sic quod ville subnotate nomine districtus sive territorii ad eandem civitatem perpetuo volumus pertinere. Que sunt: primo tres ville, Moraczew, Ianiszow et Wascow; item Scharakow et Roiacricz, Bertoldsdorff, Trebos; item Gosceiovicz et Golin; item Lasczin, Siracow; item Sarbinow, Surcow; item Zolennic et Choino, Scaradow, Pasirbicz, Crecoscowicz; item Dupin, Rokossow, Godlicz Bogusii; item bona Wilkonis; item Bobkowicz, Salicz, Tranika et Sedlico et Nemacfin, Oczkowicz; item Woskow, Rostampnow, Rogassow; item Conar, Sobalcow; item Gora et Gorka Iabconis; item Sodloracz et Slup; item Pacoslaw, Villa Michaelis; item Gogalow; item Curascowicz; item Preborow; item villa Friczkonis de Signar; item tres ville dicte Neparth; item Slavcovicz; item Karcz; item Kolaszkowicz, Roskowicz, Mechcino; insuper Hermani villa prope civitatem, que cum dicta civitate tenebitur deservire; item alie ville inter has villas iacentes. Item in alia parte ultra aquam: primo Rokossow, Polschowicz, Pianowicz, Scharncow, Nova Lanka et Antiqua Lanka, Sitogosie; item tres ville dicte Oporow; item Lubinow, Smelow; item due ville nomine Mirsow et Kalow; item Robsicz, Strzelcz, Zelow et Smogorow. Adicimus insuper dicte civitati Ponecz octoginta mansos inclusos ville Hermandorff, ad cuius ville metas sive grani ties, cives predicte civitatis silvam sive ulnetum, a dextris iuxta viam aquam ascendendo, pro suis usibus libere perpetuo possidebunt. Pascua insuper pecorum ad spatium quarti dimidii mansi, prout etiam in suis graniciis concluduntur, et mericam ex alia parte pro pascuis libere obtinebunt. Volumus insuper, ut cives prefate civitatis eo iure gaudere debeant et perfrui, quo iure nostra Glogoviensis civitas usa est hactenus et gavisa. Ut autem inhabitatores dicte civitatis Ponecz eo melius proficere valeant in futuro, eisdem a festo Nativitatis Christi nunc preteriti, ad novem annorum spatium damus et con-

cedimus plenam et omnimodam libertatem. In cuius rei testimonium, presentibus desuper confectis nostrum sigillum statuimus apponendum. Actum anno Domini millesimo trecentesimo decimo, in die Prisce virginis, presentibus his: Gunthero de Biberstein, Alberto dapifero de Burnis, Theodrico de Sidlicz, Thammone fratre suo, Volvramo et Petro dictis de Panvicz, Ienschino de Hugwicz, Ottone de Dunin, Apezone de Rabnow, Ottone de Nosticz, Conrado de Lobel, militibus nostris; item Friczkone de Gora, Nicolao notario nostro et canonico Glogoviensi, et aliis multis. Datum per manus Friderici de Buntense protonotarii nostri.

Ponecz, *Poniec*. Moraczew, Ianiszewo, Weszkow, *dziś tak samo*. Scharakow, *może dziś Katschkau*. Roiacricz, *pewnie dziś Roniken*. Bertoldsdorff, *zam. Bärsdorf, t. j. Gołaszyn*. Trebos, *Triebusch*. Gosceiovicz, *Gościejewice*. Golin, *Golina*. Lasczin, *Łaszczyn*. Siracow, *Sieraków*. Sarbinow, *Sarbinowo*. Surcow, *Szurkowo*. Zolennic, *Żołędnica*. Choino, *Chojno*. Scaradow, *Szkaradowo*. Pasirbicz, *osada znikła*. Crecoscowicz, *Krzekotowice*. Dupin, *Dupin*. Rokossow, *pewnie Roskochowo, osada znikła, istniała jeszcze w XVI w*. Godlicz Bogusii, *może dziś Gugelwitz*. Bona Wilkonis, *Wilkonice i Wilkoniczki*. Bobkowicz, *Bobkowice*. Salicz, *Zalesie*. Tranika, *nie odgadnione, może Sroki*. Sedlico, *Siedlce*. Nemacfin, *Niemarzyn*. Oczkowicz, *Oczkowice*. Woskow, *Woszkowice*. Rostampnow, *Rostępniewo*. Rogassow, *Rogożewo*. Conar, *Konary*. Sobalcow, *Sobiałkowo*. Gora et Gorka Iabconis, *Miejska Górka*. Sodloracz, *nie odgadnione*. Slup, *Słupia*. Pacoslaw, *Pakosław*. Villa Michaelis, *nie odgadniona*. Gogalow, *Gogolewo*. Curascowicz, *Skoraszewice*. Preborow, *Przyborowo*. Villa Friczkonis de Signar, *nie odgadniona*. Neparth, *Niepart*. Slavcovicz, *Sląszkow*. Karcz, *Karzec, późniejsza kasztelania*. Kolaszkowicz, *Kołaczkowice*. Roskowicz, *Roszków*. Mechcino, *Miechcin*. Hermani villa prope Poniec, *dziś Widawa*. Rokossow, *Rokosowo*. Polschowicz, *pewnie Pawłowice*. Pianowicz, *Pijanowice*. Scharncow, *Czarnków*. Nova et antiqua Lanka, *wielka i mała Łęka*. Sitogosie, *Żytowiecko*. Tres ville Oporow, *Oporów i Oporówko*. Lubinow, *Lubonia*. Smelow, *Śmiełów*. Mirsow, *Mierzejew*. Kalow, *nie odgadnione*. Robsicz, *Robczysko*. Strzelcz, *Strzelcze*. Zelow, *Szelejewo*. Smogorow, *Smogorzewo*. Gora, *z niem. Guhrau*.

Nr. 931.

Andreas Poznaniens. episcopus 1310 Febr. 5, Poznanie; altare maius ecclesiae cathedralis Poznaniensis decimis villarum Ćmoń et Canthorowo, tribus mansis in villa Czerlejno et molendino super fluvio Cybina dotat.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 26. — Archiv. Consistorii Posnan. A. C. anni 1450.

In nomine Domini amen. Nos Andreas, Dei gratia Poznaniensis episcopus, precibus beati Petri et Pauli apostolorum promereri regna etherea cupientes, cuius sumus etiam nos licet inmeriti ministri, altari maiori in ecclesia nostra in honore eorundem apostolorum dedicato, decimas in villis Czmanewo et Canthorowo, prout heedem ville suis sunt terminis consignate, et tres mansos de agris in villa seu hereditate nostra Cyrnina, qui agri contigui sunt ville nostre Comornyki, et curiam cum orto et curiam pro aratoribus et animalibus conservandis, de consensu nostri

Capituli expresso assignamus perpetuo et donamus; molendinum preterea situm super Cybinam, piscinam et usum piscandi cum utilitatibus omnibus et obventionibus pertinentibus ad eandem, habens a superiori parte molendinum Przedpelci, ab inferiori parte molendinum quod vocatur vitrarii. Quos tres mansos et molendinum volumus esse liberos perpetuo ab omnibus petitionibus, solutionibus, exactionibus, consuetudinibus, et aliis iuribus quibuscunque nominibus censeantur: sed vicarium eiusdem altaris esse volumus predictorum omnium et singulorum verum dominum vel quasi et legittimum possessorem. Vicarius autem noster, in altari eodem per nos vel nostros successores institutus, missam hora legat debita sive cantet, per se vel per alium, in altari superius nominato. In cuius rei testimonium, presentibus nostrum sigillum et nostri Capituli mandavimus appendenda. Actum et datum Poznanie anno Domini M.CCC. decimo, in die beate Agathe virginis, presentibus dominis: Iohanne preposito, magistro Petro decano, Borislao archidiacono, Antonio cantore, Iacobo custode, Sdzeslao archidiacono, Predvogio officiali, Henrico, Adam, Scislao, Fredrico, Domarato et aliis canonicis Poznaniensibus, per manus Philippi cancellarii ecclesie et curie nostre.

Czmanewo, *Ćmoń.* Canthorowo, *osada znikła.* Cyrnina, *Czerlejno.* Comornyki, *Komorniki.* Cybina, *rz. Cybina.*

Nr. 932.

Henricus secundus heres regni Polonie etc. 1310 Mart. 12, Glogovie; districtum de Gora instituit.

Sommersberg, Scriptores etc. I, pag. 875.

In nomine Domini amen. Ne rerum dominia maneant indistincta, necessarium est, ut uniuscuiusque territorii ambitu seu circuitu muniantur. Igitur nos Henricus Dei gracia secundus, heres regni Polonie, dux Silesie, dominus Glogovie et Poznanie, scire volumus universos presencium noticiam habituros, quod civitati nostre Gorensi adiecimus et addidimus villas infrascriptas; videlicet Cuspenaw, versus Herstat Graba Hinconis, Graba Bernardi, Graba Nickelwitz, tres villas dictas Cloda, Scheditz, tres villas Dobrassyna, Elgotam, Scirnyna, Benexuo, Iablona et Sccessowitz. Item villas in Llanka sitas, videlicet Reocena, Gulan, Ossedno, Iestersemba, Mechaw, Conradiswalde, Nechlaw, Tarachaw, Langkenaw, Wronaw, Syffridi villam, Weschkaw, Tarpenaw, Schlesewo, Crossyna, Richnaw, Glinka, Seibar, Slanotiz; et alias villas in meseritz infra Baritz et Oderam, a villa Czichnav usque ad locum ubi Odera et Baricz conveniunt, et villam Stephani; volentes, ut ville supranominate ad forum et ad iudicium in Goram perpetue debeant pertinere. In cuius credentiam, presencia nostri sigilli munimine duximus roboranda. Actum Glogovie anno Domini MCCCX, presentibus Alberto dapifero de Burnis, Ottone burgrabio de Donyn, Theodorico de Lidelow, Ianckone de Hugewicz, et aliis multis. Datum per manus Frizonis nostri prothonotarii, in die beati Gregorii Pape.

Civitas Gorensis, *Gora, z niemiecka Guhrau.* Cuspenaw, *Kauzen.* Herstat, *Herrnstadt, czyli Wąsowo.* Graba, *Graben.* Tres villae Cloda, *Gr. und Kl. Kloden.* Scheditz, *Schätz.* Tres villae Dobrassyna, *Kalte-Heinze-Polnisch Bortschen.* Elgota,

Elguth. Scirnyna, *Tschirnau.* Benexuo, *Poxlewitz.* Iablona, *Gabel.* Sccessowitz, *Saltschütz.* Llanka, *dolina rz. Barycz.* Reocena, *Rützen.* Gulan, *Guhlau.* Ossedno, *nie odgadnione.* Iestersemba, *Jästersheim.* Mechaw, *Mechau.* Conradiswalde, *Konradswaldau.* Nechlaw, *Nechlau.* Tarachaw, *nie odgadn.* Langkenaw, *Langenau.* Wronaw, *Braunau.* Syffridi villa, *Seiffersdorf.* Weschkaw, *Weschkau.* Tarpenaw, *Tarpen.* Schlesewo, *Schüttlau.* Crossyna, *nie odgadn.* Richnaw, *Reichen.* Glinka, *Gleinig.* Seibar, *Zeipern.* Slanotiz, *nie odgadn.* Baritz, *rz. Barycz.* Czichnav, *Zuchen.* Villa Stephani, *Seitsch.*

Nr. 933.

Gothcto Nicolaus dictus Pontifex etc. consules Pysdrenses 1310 Mart. 18, in Pyzer; protestantur, monasterium Ląd Henkino civi de Pyzdry solutionem 18 lapidum sepi cum dimidio certa conditione dimisisse, et iuri suo super molendinum in Biskupice situm renuntiavisse.

Włocławek. Lib. privilegior. monasterii Ląd, pag. 169.

In nomine Domini amen. Quoniam, ut beatus asserit Augustinus, quod loquimur transit, quod autem scribimus permanet, hinc est quod nos Gothco Nicolaus dictus Pontifex, Goczzo Hermanus dictus Rost, Gizilbertus scoltetus de Kolackow nec non Iacobus de Ciesel scultetus, consules Pysdrenses, ad communem notitiam tam presentium quam futurorum volumus devenire, quos presens scriptum legere contigerit vel audire, quod ad petitionem nostram honorabilis vir dominus abbas Lendensis monasterii una cum conventu suo, Cisterciensis Ordinis, pepercit integraliter et remisit Hencino dicto Diviti, civi Pisdrensi, decem et octo lapides de sepo cum dimidio, qui videlicet lapides sive sepum dicto domino abbati et suo conventui per Lisam, felicis memorie uxorem quondam Henkini superius nominati, in testamentum legati fuerant seu etiam assignati, ea conditione nichilominus interiecta, quod singulis annis exnunc in festo beati Martini, sepedictus Henkinus et sui successores quinque lapides de sepo, predicto domino abbati atque suo conventui perpetuo solvere tenebitur seu etiam assignare de domo seu area, in qua nunc dignoscitur commorari. Spopondit etiam coram nobis dictus Henkinus, dominum abbatem et suum conventum pro quibusdam maldratis, quas dicebat se contingere quodam de promisso, nec per se nec per aliquem impetere quoquam modo. Preterea renunciavit etiam coram nobis dominus abbas sepius nominatus omni iuri, quod sibi proposuit competere in molendino, quod locatum est seu etiam situatum in villa que Byschoffdorf vulgariter appellatur. Nos vero attendentes et concordiam diligere cupientes, nolentesque ea que coram nobis acta sunt aliquatenus infirmari, presentem litteram nostri sigilli munimine mandavimus roborari. Datum in Pyzer anno Domini M.CCC.X, proxima feria quarta post dominicam qua Reminiscere decantatur, presentibus honorabilibus viris: Bartkone advocato de Pysdry, Iacobo sculteto de Sweboze, Iohanne Kroslino, Nicolao advocato de Khesselberch, et Hancone plebano Pizdrensi, qui ad maiorem huius concordie firmitatem sigillum suum apposuit, quia huius cause iudex fuerat a Poznaniensi episcopo delegatus.

Kolackow, *Kołaczkowo.* Ciesel, *Cieśle.* Lendensis, *de Ląd.* Byschoffdorf, *Biskupice.* Pyzer, *Pyzdry.* Sweboze, *Wszemborz.* Kroslino, *Chrustowo.* Khesselberch,

zapomniane niemieckie przezwisko któregoś miasteczka województwa Kaliskiego, może Kotlin, (cnfr. Nr. 528).

Nr. 934.

Laurencius una cum fratribus suis 1310 Iun. 15, in Gostina; Sulislao et Adae scultetis, villam Bukownica ad locandum iure Novi fori vendunt.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci.

Poznań. Archiv. Capituli. III, 6.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio comissa littere, cuius assertio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Noscant igitur universi hanc paginam inspecturi, quod ego Laurencius una cum fratribus meis Iaroslao et Peano habito consilio maturo, in reformacionem bonorum nostrorum vendidimus villam nostram dictam vulgariter Bucovnizam, iure Theutonico locandam in ius Novi fori in mansos Flamingos, dilectis scultetis meis Sulislao et Ade; dantes eis super eam libertatem annis duodecim; et racione eorum locationis, sive ibi sint mansi multi sive pauci, damus eis quatuor mansos et quatuor ortos, iure hereditario et suis successoribus perpetuo libere possidendos. Damus eciam eis omnes causas que ibi oriantur iudicare, preter homicidium; de iudiciis vero denarium tertium tollent, ita quod expirata libertate, incole eiusdem ville talem nobis de quolibet manso exsolvent censum: duas mensuras tritici, quatuor seliginis, sex avene, ratione autem decime, fertonem usualis argenti. Item damus eis molendinum, tabernam, pistrinum, sutoriam, maccellum, libere cum eorum posteris libere possidenda. Damus eis et venationem, si qua ibi uti possunt. Excepimus pro nobis piscinam primam, ita si scolteti volunt nos iuvare aquam detinere, damus eis de ipsa aqua molendinum habere, et si eciam aliam piscinam voluerint inferius pro se facere, ipsam damus eis libere possidendam. In cuius acti testimonium, fecimus presentem litteram scribi et sigillo nostro consignari. Actum coram hiis testibus in Gostina civitate, scilicet advocato Lutoldo ibidem, et Iascone dicto de Smogorow, tunc provinciali, Petrcone dicto Placzcoviz, Lupo de Malechovo, anno Domini M.CCCX. Datum per manum domini Predeslai, plebani eiusdem civitatis Gos., in die beati Viti gloriosi martiris.

Bucovniza, *Bukownica.* Novum forum, *z niemiecka Neumarkt, czyli Środa na Szląsku.* Gostina, *Gostyń.* Smogorow, *Smogorzew.* Placzcoviz, *zam. de Płaczkowo.* Malechovo, *Malechowo.*

Nr. 935.

Andreas episcopus Poznaniens. 1310 Iun. 20, in Dolsko; Hermanno civi de Kościan, villam Kiełczewo iure Theutonico ad locandum tradit.

Transsumpt orygin. potwierdzony przez: Andreas episcopus Poznaniens. 1446 Nov. 14, Poznanie, *w pergaminie, przy którym pieczęcie tegoż biskupa i kapituły Poznańskiéj zawieszone.*

Poznań. Archiv. Capituli. III, 5.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Cum labilis sit hominum memoria, prudenter a prudentibus est provisum, ut redigantur in scriptis facta morta-

lium et efficiantur exinde perpetuo duratura. Hinc est quod nos Andreas, Dei gracia episcopus Poznaniensis, melioracioni bonorum nostre ecclesie studio pervigili intendentes, de voluntate fratrum nostrorum Poznaniensis Capituli et consensu, discreto viro Hermanno civi de Costen et suis heredibus damus et conferimus Kelczewo villam nostre ecclesie, prout est gadibus consignata, populandam ad parvos mansos iure Theutonico et locandam, pro nobis monte arenoso et mansis quatuor reservatis, dantes sibi liberam potestatem molendinum in Obra fluvio sine nostri molendini preiudicio construendi. Habebit eciam dictus Hermannus et sui heredes vel posteri de iudicatis tercium denarium, nobis nostrisque successoribus cedent duo. Racione vero locationis, habebit septimum mansum iure hereditario et libere possidendum. Gaudebunt autem incole dicte ville, a festo beati Martini proxime venturo, duorum annorum omnimodam libertatem (sic), eo salvo, quod de quolibet tempore libertatis manso, annis singulis quattuor scottos pro decima nobis solvent; quo evulso, racione census et decime maldratam triplicis grani, quatuor videlicet tritici, quatuor siliginis et quatuor avene, et fertonem usualis ponderis et argenti, nobis et nostris successoribus in festo beati Martini annis singulis solvere, et in Dolsko vel in Goram deducere tenebuntur. Agros nostros in villa Kelczewo colet ipsorum quilibet ter in anno, pro vice qualibet iuger unum. Thezaurum et cameram nostram deducent de villa sua ad proximam villam nostram, et nichilominus omnia iura et servicia alia, que nunc sunt in villis Theutonicalibus et que excrescent in posterum, nobis et nostris successoribus exhibebunt, que alii exhibent et exhibere debent suis dominis, in iure Theutonico constituti. Concedimus eciam dicto Hermanno et suis heredibus, ut in medietate fluvii Obra, a principio usque ad fines gadium, qui ad nos et nostram ecclesiam in dicta hereditate Kelczowo pertinet pleno iure et pertinuit ab antiquo, ut possit piscari et alios usus fructus per se et per alios percipere et habere. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, nostrum et nostri Capituli sigilla presentibus sunt appensa. Datum in Dolsko per manus Drzeslai (sic) Poznaniensis archidiaconi in crastino beatorum martirum Gervasii et Prothasii, anno Domini millesimo trecentesimo decimo, presentibus dominis: Domaratho, Goslao procuratore nostro, Andrea, canonicis Poznaniensibus; comite Woyslao de Grizina; Cunrado sartore magistro burgensium, Pecoldo de Premanth, Cunrado de Bonikowo, civibus in Costan; Thomislao, Clemente, Friderico, Iasscone de Kruro, Bogutha, Gabriele, Boguchfalo, capellanis et clericis curie nostre, et aliis quam plurimis fidedignis ad hoc rogatis specialiter et vocatis.

Costen, *Kościan.* Kiełczewo, Obra fluv., Dolsk, Gora, Gryżyna, *dziś tak samo.* Premanth, *Przemęt.* Bonikowo, *Bonikowo.* Kruro, *może zam. Krerowo.*

Nr. 936.

Cives Glogoviens. Saganens. Vrienstatens. et alii 1310 Iun. 29, in Glogovia; consilio reprimendi malefactores confoederationem ineunt.
Wuttke. Staedtebuch, pag. 15.

In nomine Domini amen. Cum ea que aguntur in tempore, simul lapsu temporis transeunt et elabuntur si non literarum sanccione seu testium aminiculo firmiter fuerint roborata, hinc est quod nos cives Glogovienses, Saganenses, Vrienstaten-

ses, Stynavienses, Sprotavienses, Vroenstatenses, Lubynenses, Gorenses ... *(sic)* clarescere volumus singulis ac universis quorum audiencie presens scriptum deferetur, quod habitatoribus civitatum supra dictarum convocatis et eorum maturo habito consilio, propter bonum pacis ac habitatorum utilitatem confederacionem ac conspiracionem inivimus in hunc modum, ut omnis qui pro maleficio spolii vel incendii seu quocunque modo in una civitatum supradictarum proscriptus fuerit, exclusis solum volneribus vel omicidio casuali, extunc in omnibus aliis civitatibus memoratis periculo proscriptionis subiacebit, et in qua civitate huiusmodi maleficus deprehensus fuerit, advocatus, consules ac civium universitas, tenebitur talem profugum ac maleficum donec ad actoris presenciam detinere. Preterea, si aliquis habitatorum civitatum sepe dictarum per nefarios et maleficos captivitatis mancipatur vinculo, quod absit: talem pecunia a suis amicis redimi non est licitum ullo modo, verum consules civitatis huius de qua captus fuerit, se de substancia suarum rerum donec ad emissionem capti seu ad ipsius mortis perceptionem intermittent. Insuper volumus non latere: si aliquis civis vel advocatus suo iure frui non permittitur, sed violencia sibi illata fuerit et erogata, ex civitatibus prenotatis, septem alie civitates ad reprimendam violenciam huiusmodi, unaquaque pro sua possibilitate, se mutuo adiuvabunt. Ceterum sciat omnium industria nec ignoret: si aliquis per illum (sic) zelator criminum, per altricem alicui ydoneo viro suam filiam, neptam vel consanguineam defraudaverit, eam fortive deducens seu manifeste absque favore parentum de civitatibus prelibatis, si querimonia mota fuerit, se sciat predonis vel furis sentenciam incursurum. Ut autem ista robur perpetue firmitatis obtineant et inviolata perseverent, presentes nostrorum sigillorum munimine dignum duximus roborandas. Actum, datum et contractatum in Glogovia anno Domini MCCCX in die Petri et Pauli apostolorum, presentibus hiis, quorum nomina subsequuntur: presente Nicolao iudice hereditario Glogoviensi, Hennigo, Nicolao Simonis, Iohanne magistro civium, consulibus ibidem; presente Iacobo iudice hereditario Saganensi, Henrico Hechardi magistro civium, Siffrido de Hechardi villa, Pessoldo de Wichow, consulibus ibidem; presente Siffrido iudice hereditario Vrienstatensi, Cristano Iuvene magistro civium, Trutwino, Gotfrido de Wichow, consulibus ibidem; presente Symone iudice advocato hereditario Stinaviensi, Conrado Monetario magistro civium, Henrico de Lamperti villa, Hermanno de Dyslov, consulibus ibidem; presente Iohanne advocato hereditario Sprotaviensi, Iohanne de Farov magistro civium, Arnoldo de Libera civitate, Apezcone de Lubyn, consulibus ibidem; presente Henemanno advocato hereditario de Lubyn, Tilone magistro civium, Hencemanno carnifice, Henrico antiquo advocato, consulibus ibidem; presente Stephano de Swenkenvelt iudice hereditario Vrowenstatensi, Siffrido Ramungo magistro civium, Gotfrido Frederici, Gerewico de Waltersdorf, consulibus ibidem; presente Vritzcone advocato hereditario Gorensi, Pezoldo de C — — lis magistro civium, Arnoldo de Swidennis, Titerico de Gasen, consulibus ibidem, et aliis quam plurimis fide dignis.

Saganensis, *de Żegań, z niemiecka Sagan.* Vrienstatensis, *de Freistadt.* Stynaviensis, *de Scieniawa, z niem. Steinau.* Sprotaviensis, *de Sprotawa, z niem. Sprottau.* Vroenstatensis, *de Wschowa.* Lubynensis, *de Lüben.* Gorensis, *de Gora, z niem. Guhrau.* Hechardi villa, *Eckersdorf.* Wichow, *Weichau.* Lamperti villa, *Lampersdorf.* Dyslov, *Deichslau.* Libera civitas, *Freistadt.* Schwenkfeld, Waltersdorf, *dziś tak samo.* Gasen, *Geischen.*

Nr. 937.

Dobrogostius palatinus Poznaniens. 1310 Aug. 25, in Swano; protestatur, Vincentium de Słupowo, consanguineum suum, hereditatem Słupowo monasterio de Byszewo vendidisse.

Pergam. orygin. Na skrawku pergaminowym przywieszona pieczęć Dobrogosta; (pieczęć XXXIX).

Poznań. Königl. Staats Arch. Koronowo 50.

Nos Dobrogostius palatinus Poznaniensis constare volumus universis hanc cartam intuentibus, quod Vincencius de Slupow, consanguineus noster, hereditatem suam eum paterna successione contingentem, que Slupow vulgariter dicitur, in territorio Naklensi constitutam, cum omni districtu suo de maturo consilio et voluntate spontanea coram nobis et multis aliis honorabilibus viris rite et racionabiliter domino abbati de Byssovia et fratribus ibidem Deo famulantibus vendidit, tradidit, ac eciam publice resignavit pro quinquaginta octo marcis denariorum Thorunensium, iure hereditario ab eisdem fratribus et monasterio in perpetuum possidendam. Insuper manifeste protestatus est, quod nec ipse nec ipsius consanguinei, nec posteri eorundem, supradictam hereditatem, videlicet Slupow, aliquatenus a predictis abbate et conventu monasterii Byssoviensis redimere vel inpetere valeant, sed ipsi fratres eam possidere debeant pacifice ac quiete; quo peracto, venerabilis pater Bertoldus, abbas monasterii prenominati, dicto Vincencio memoratam pecuniam quinquaginta octo marcarum ad plenum persolvit. Et quia predictus Vincencius de Slupow, noster consanguineus, proprio caruit sigillo, nos ab ipso rogati atque eius precibus fidelibus inclinati, in testimonium huius rei hanc presentem litteram nostri sigilli munimine duximus roborandam. Actum et datum in Swano presentibus hiis testibus: Nymiro palatino Naklensi, Sulcone sororio nostro, Nycolao subcamerario Gneznensi, Iacobo de Zorava, Borislao filio Mystine de Pomerania, et aliis pluribus fide dignis, sub anno Domini millesimo trecentesimo decimo, octavo Kalendas Septembris.

Slupow, *Słupowo.* Naklensis, *de Nakło.* Byssovia, *Byszewo.* Swano, *w XV w. Swanowo, dziś Dzwonowo.* Zorava, *Żorawia.*

Nr. 938.

Pecold magister consulum et consules civitatis Poznanie 1310 Aug. 31, in Poznania; protestantur, Primconem advocatum Poznaniensem bona Umułtowo ecclesiae Poznaniensi vendidisse.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 41.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod coram nobis Pecoldo magistro consulum, Iohanne Salsa, Hynca Massconis, Guntkone, Nicolao dicto de Stynavia et Wilkyno, consulibus civitatis Poznanie, et aliis pluribus ad hoc vocatis specialiter et rogatis, Primco advocatus Poznaniensis cum Alberto et Nicolao ac aliis fratribus suis in presentia comitis Wolvrami capitanei regni Polonie

presentialiter constitutus, bona sua, que Hunoltovicz vulgariter nuncupantur, ecclesie sancti Petri in Poznania et Capitulo eiusdem vendidit pro duodecim marcis quartensium denariorum Poznaniensis monete, et libere et spontanea voluntate per traditionem pillei dicti Wo. comitis (sic) resignavit cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, volens et expresse profitens et consentiens, ut dicta ecclesia et Capitulum corporalem possessionem, naturalem et civilem, dictorum bonorum quiete et pacifice nanciscatur; promittens et obligans se et fratres suos ac heredes proprios et eorum, quod si aliquis predictam ecclesiam et Capitulum in dictis bonis aliquatenus impediret, ipsos reddet indempnes, et bona a cuiuslibet impetitione suis laboribus et sumptibus liberabit. In cuius rei testimonium, civitatis nostre sigillum presentibus est appensum. Actum et datum in Poznania in domo consulum, in vigilia beati Egidii confessoris, anno Domini M.CCC. decimo.

Stynavia, *Scieniawa, z niemiecka Steinau.* Hunoltovicz, *dawniéj* Villa Unolfi, *dziś Umułtowo.*

Nr. 939.

Henricus secundus heres regni Polonie etc. 1310 Dec. 12, Glogovie; vendit civibus de Wschowa 12 macella, balneum, et silvam civitati adiacentem.

Pergam. orygin. Na sznurze z nici jedwabn., czerwon. przywieszona pieczęć okazuje na ławie siedzącą osobę w długiéj szacie z mitrą książęcą na głowie. Prawica, u któréj ręka odłamana, wyciągnięta na prawo; ręka lewicy spoczywa na piersiach. Napis w podwójnym otoku: S. Heinrici . . . Ducis. Sle . . .

Warszawa. Archiw. Główne. — Stronczyński, Wzory, Nr. 23.

In nomine Domini amen. Quia generacio preterit generacio et advenit, nec homo in eodem statu permanet racione possibili, que aguntur in tempore, labuntur cum tempore; quapropter peritorum industria dictavit, ea que commendacione sunt digna, scriptis ac fide dignorum testimonio perhennari. Hinc est quod nos Henricus secundus, Dei gracia heres regni Polonie, dux Slesie, dominus Glogovie, Poznanie et Kalisiensis, ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum volumus devenire, quod pro subsidio nostre civitatis in Vrowinstat, vendidimus nostris fidelibus civibus inibi conmorantibus quatuor macella carnium, superaddenda et adedificanda aliis intra civitatem sitis, quatuor macella panum similiter addenda, quatuor macella calciorum eciam apponenda, et unam stubam balnei edificandam, gaium quoque, prout iuxta civitatem eandem crevit circumferencialiter et est distinctum, pro centum marcis regalium et decem marcis. Insuper hec prenominata, scilicet duodecim macella, stubam et gaium, cum maturo consilio nostrorum baronum contulimus predictis civibus, in usus civitatis prout melius potuerit convertenda, pacifice perpetueque possidenda. In cuius rei evidenciam, presentem ipsis nostro sigillo dedimus roboratam. Actum et datum Glogovie sabato post diem beati Nicolai, sub anno Domini M.CCC. decimo, presentibus Bernhardo de Kamencz, Theodrico de Silicz, Gunthero de Biberstein, Iohanne de Biberstein, Ottone de Donin, et aliis quam pluribus fide dignis.

Vrowinstat, *Wschowa.*

Nr. 940.

Henricus secundus dux Slesie dominus Glogovie 1311 s. d., apud Ylegin; protestatur, se limitationem inter possessiones monasterii de Wieleń, et hereditates Lesaconis et ipsius filiastrorum, dictas Gościeszyn et Gola, ordinavisse.

Pergam. orygin. Nici jedwabne, wyblakłe, przez 2 wcięcia przewleczone; pieczęci nie masz.

Poznań. Königl. Staats Arch. Priment 3.

In nomine Domini amen. Quoniam acta nobilium per lapsum temporis de facili evanescunt, expedit, ne a memoria posterorum penitus elabantur, ut saltem litterarum suffragio roborentur. Inde est quod nos Henricus secundus, Dei gracia dux Slesie, dominus Glogovie, ad noticiam tam presencium pervenire cupimus quam eciam futurorum, quod religiosis viris, videlicet abbate totoque conventu fratrum de Velen ex una, et Lezacone cum filiastribus suis ex parte altera pro distinctione gaddium hereditatum suarum, scilicet Lubegost et Gole, contendentibus et a nobis humiliter petentibus, ut limitaciones suarum hereditatum, contiguarum hereditatibus supradictis, distinguere certitudinaliter dignaremur: et licet felicis recordacionis pater noster dominus Henricus, condam dux Slesie et dominus Glogovie, prout factum fuit bis per seniores eiusdem territorii dictas gades mandavit limitari: nos predictorum abbatis tociusque conventus fratrum de Velen piis precibus inclinati, tercia vice, convocatis militibus et senioribus terre, limitaciones hereditatum claustri de Velen et Lessaconis suorumque affinum, in Lubegost et Gola sibi invicem contiguarum, procuravimus propria in persona, taliter supradictarum limitum terminos prememoratorum nobilium et seniorum exquisito arbitrio certitudinaliter distinguentes, ut de cetero Lassaconis suorumque affinum heredes et legittimi successores, sepedictos dominum abbatem eiusque conventum in claustro Velen non valeant aliqualiter impedire. In cuius facti evidenciam pleniores (sic), presentes scribi et nostri sigilli karactero fecimus roborari. Datum et actum apud Ylegin anno Domini M.CCC undecimo, presentibus infrascriptis: videlicet Conrado de Loben, Thederico de Rechenberg, militibus; fratre Gunthero, Wyzlao iudice Polonicali nostre curie, Petro de Byalcegezer, Bogussio de Kschingenicz, Schibano advocato de Premunt, et quampluribus aliis fide dignis.

Velen, *Wieleń.* Lubegost, *z niemiecka Laubegast.* Gola, *z niem. Goile.* Ylegin, *Ilgeń.* Byalcegezer, *w wieku XV i XVI Białejezioro, dziś Białcz.* Kschingenicz, *dziś Księginki.* Premunt, *Przemęt.*

Nr. 941.

Nicolaus abbas Mogilnens. 1311 Mart. 21, aput Mogylna; vendit comiti Michaeli, heredi de Koszanowo et castellano in Kwieciszewo, hereditatem Chwalęcin et quosdam mansos in villa Olsze.

Pergam. orygin., miejscami przetłały, u którego trzy pieczęcie przywieszono. Od pierwszéj pozostały tylko dwie dziurki; druga klasztoru Mogilnickiego; (pieczęć XL); *od trzeciéj pozostały sznurki jedwabne, czerwone.*

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 74.

In nomine Domini amen. Noverint universi Christi fideles tam presentes quam futuri hanc paginam inspecturi, quod nos Nicolaus abbas Mogilensis Ordinis sancti Benedicti totusque conventus ibidem, nobili viro ac strenuo militi Michaeli, heredi de Cossonow et castellano in Quecissow, damus sibi hereditatem que nuncupatur Falecino, sicut mete circuunt, cum omnibus utilitatibus queque possunt fieri perpetualiter optinere, iure hereditario possidere sibi et sua progenie (sic), et hoc sibi damus secure ab omnibus solucionibus et serviciis, sibi et sua progenie (sic). Item eidem militi, comiti Michaeli, donamus sex mansos in hereditate nostra que vocatur Olse et istos mansos qui vocantur Francsge, et dictos mansos debet eligere in fine predicte ville de parte Quecisseviensi; et istos sex mansos magnos sibi damus et progenie (sic) sue, securos ab omnibus solucionibus et serviciis. Eciam super hoc eidem militi donamus, comiti Michaeli, molendinum facere in predicta villa que vocatur Olse, sibi sicut melius potest; quem (sic) molendinum sibi damus securum ab omnibus solucionibus et serviciis perpetualiter optinere sibi et progenie (sic) sue. Item sibi damus in predicta villa Olse, comiti Michaeli, de rubeto et dambrova inter metas Quecissovienses quantum sibi placuerit; et hoc nobis debet solvere sicut probi homines inter nos estimabunt. Item, quod si aliquis homo in predicta hereditate voluerit requirere dicta bona, quod nos *(21 lit. del.)* esset qui a nobis ius haberet requirere, nos promittimus eum pacificare et facere securum. In cuius rei testimonium, presentem *(17 lit. del.)* nostris sigillis roboratam presentibus hiis testibus: Siczest Alberti filius de Tarnow, Ianusius de Golutow filius Przeczlai, Iasco de Radomicsco filius Vincencii. Datum et actum aput Mogylna, dominico die Letare, per manus Benedicti presbiteri, anno Domini M.CCC undecimo.

Mogilensis, *de Mogilno.* Cossonow, *Koszanowo.* Quecissow, *Kwieciszewo.* Falecino, *osada znikła.* Olse, *Olsze.* Tarnow, *Tarnowo.* Golutow, *Gułtowy.* Radomicsco, *Radomicko.*

Nr. 942.

Mroczko comes dictus de Rogow 1311 Apr. 25, apud Gnezdnam in eclesia katedrali; villam Pawłowo, sibi ante multos annos a fratribus domus Hospitalis s. Iohannis obligatam, praedictae domui restituit.

Pergam. orygin. Na niciach lnian., zielon. wiszą ułamki pieczęci bez wycisku.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 75.

In nomine Domini amen. Rebus dominari non potest oblivio, que scripturarum testimonio roborantur. Noverint igitur universi presencium noticiam habituri,

quod nos Mroczko comes, dictus de Rogow, sufficienti deliberacione habita ac eciam filiorum nostrorum, videlicet Preslay et Iacobi accedente spontanea voluntate, restituimus et libere resignamus fratribus Hospitalis sancti Iohannis apud Gnezdnam villam que Pavlow dicitur, nobis ante multos annos in quadam suma pecunie obligatam: et hanc donacionem facimus pure propter Deum et ob remedium animarum parentum nostrorum: quam hereditatem cum omnibus pertinenciis, utilitatibus et gadibus, prefati fratres in perpetuum iure hereditario possidebunt. Ut autem hec donacio, nomine restitucionis facta, robur obtineat perpetue firmitatis, presentes fecimus nostri sigilli appensione consignari. Actum et datum apud Gnezdnam in eclesia katedrali sub anno Domini MCCCXI, VII Kalendas May, presentibus dominis: Iacobo preposito sancti Georgii et canonico, Audaciano, Pripcone, maioris ecclesie canonicis, Petro thesaurario domini archiepiscopi, comite Luderio tribuno terre Gnezdnensis, et aliis multis.

Rogow, *Rogowo.* Pavlow, *Pawłowo.* Prepositus sancti Georgii, *t. j. w Gnieźnie, przy kościele obok zamku.*

Nr. 943.

Iacobus s. Gnezdnens. ecclesie archiepiscopus 1311 Mai. 2, in ecclesia Gnezdnensi; protestatur, comitem Mroczko, filium olim comitis Preczlai de Żerniki, hereditatem Pawłowo, eidem comiti pro certa pecunia obligatam, Hospitali dominici Sepulchri in Gniezno pure propter Deum restituisse.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny, czerwony, przez 2 wcięcia przewleczony, ucięty wraz z pieczęcią.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 76.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod accedentes ad presenciam nostram, Iacobi divina miseracione et apostolica providencia sancte Gnezdnensis ecclesie archiepiscopi, nobilis vir comes Mroczco, filius olim comitis Preczlay de Syrdnik, in ecclesia Gnezdnensi libere et spontanee, nulla coaccione aut condicione motus interposita, pure propter Deum et ob remedium anime sue ac progenitorum suorum villam dictam Pavlovo, sitam in castellania Zunensi, quam sibi obligatam habuit in quadam summa pecunie a preposito et fratribus Hospitalis dominici Sepulcri apud Gnezdnam, ipsis, Hospitali, preposito ac fratribus, dato pilleo suo ad manus nostras, voluntarie restituit et resignavit, eisdem preposito et fratribus, quantitate pecunie pro qua obligata fuerat, dimissa simpliciter ac indulta, cum omnibus fructibus, utilitatibus et pertinenciis ad eandem hereditatem spectantibus, prout ipse eam receperat ab eisdem obligacionis nomine, et ipsa hereditas Pavlovo ab aliis hereditatibus circumiacentibus suis limitibus et gadibus antiquitus est distincta. In cuius rei testimonium et memoriam sempiternam, Henrico tunc preposito Saxono et aliis fratribus dicti Hospitalis presentes litteras dari fecimus, sigilli nostri munimine roboratas. Actum in ecclesia Gnezdnensi coram altari sancti Adalberti VI Nonas May, anno Domini millesimo CCC. XI, presentibus dominis: Iacobo preposito sancti Georgy et Audaciano, canonicis Gnezdnensibus, Preczlao castellano Gnezdnensi, Luderio herede de Labyssin, comite Sulcone de Slesis herede de Micha-

lovicz, Petro subcamerario nostro, et aliis pluribus fide dignis sexus permiscui, coram quibus ad divinum officium congregatis, post sermonem nostrum factum ad populum, ipsius ville restitucio et pecunie relaxacio, ipsis patrata preposito et fratribus, per nos extitit publicata.

Syrdnik, *Żerniki.* Pavlovo, *Pawłowo.* Zunensis, *t. j. de Żoń.* Labyssin, *Łabiszyn.* Slesis, *Ślesin.* Michalovicz, *Michalin, osada r. 1645* deserta.

Nr. 944.

Comes Ninos et com. Dobbeslaus filii comitis Isbiluictonis dicti Ninossewiz 1311 Mai. 4, s. l.; monasterio de Obra clausuram inter lacus Orchowo et Wilcze, cum omni iure ad eam pertinente conferunt.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 23. Inscription. Poznaniens. a. 1525, fol. 9 v.

In nomine Domini amen. Nos comes Ninos et comes Dobbeslaus, filii comitis Isbiluictonis dicti Ninossewiz, coram universis presens scriptum visuris publice protestamur, quod ob salutem ac remedium animarum nostrarum, patris ac matris ceterorumque parentum, de communi consensu omnium heredum ac successorum nostrorum, contulimus ecclesie sancte Marie in Obra Ordinis Cisterciensis ac fratribus in ea Domino servientibus clausuram nostram, sitam inter lacum dictum Orchowe et alium dictum Vilzche, cum omni iure ad eandem pertinente, videlicet in ea piscandi vel qualescunque utilitates alias faciendi, iure hereditario in perpetuum possidendam. Acta sunt anno Domini millesimo trecentesimo undecimo, in crastino Invencionis sancte Crucis, presentibus his testibus: videlicet comite Henrico filio comitis Gunteri de Biversteyn, comite Ieroslao de Nisbandowe, comite Bozata, et quam pluribus aliis fidedignis. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum presentibus est appensum.

Obra, *Obra.* Orchowe *i* Vilzche, *jeziora o 1 milę na południe miasteczka Kiebłów; dziś pierwsze nazywa się Obra, drugie Wilcze.* Nisbandowe, *nie odgadnione.*

Nr. 945.

Capitulum Poznaniensis ecclesie 1311 Iul. 6, Poznanie; protestatur, Vincentium abbatem de Lubin et Michaelem canonicum Poznaniensem, de decimis in villa Szczodrochowo inter se convenisse.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 79.

In nomine Domini amen. Nos Iohannes prepositus, Iacobus custos, Sdeslaus archidiaconus Capitulumque Poznaniensis ecclesie notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod honorabilis vir frater Vincentius abbas de Lubin dyocesis Poznaniensis, et dominus Michael confrater noster canonicus Poznaniensis, super decimis villanorum, que villa vulgariter Szczodrochovo dicitur pertinens monasterio Lu-

binensi, in presencia nostra unanimiter concordaverunt et inter se pacifice ordinaverunt, quod dominus Michael anno presenti ab abbate recipient (sic) marcam argenti usualis Poznaniensis; sequentibus vero annis, abbas de Lubin in die beati Michaelis dabunt et solvent (sic) dicto domino Michaeli marcam et dimidiam argenti Poznaniensis, velut expendi poterit in Poznania absque dampno, singulis annis, quamdiu dominus Michael vixerit vel aliam prebendam fuerit consecutus. Datum et actum Poznanie in octava beatorum Petri et Pauli apostolorum, anno Domini millesimo CCC undecimo. In cuius rei testimonium, presentibus litteris nostrum sigillum mandavimus appendi.

Lubin, Szczodrochowo, *dziś tak samo.*

Nr. 946.

Iesco advocatus n. n. universitas civitatis Pysdrens. 1311 Aug. 9, s. l.; protestantur, comitem Nymirum de Sczytniki partem villae Bardo monasterio Ląd vendidisse.

Pergam. orygin. Na sznurach z nici lnianych, szarych przywieszono trzy pieczęcie. Z tych pierwsza i druga znikły; trzecia okazuje trójkątną tarcz przepasaną, obłożoną u góry dwoma listkami heraldycznego Lotus, położonemi obok siebie, na dole zaś jednym. (Listek kształtu sercowatego, w środku wykrojony w kształcie trójlistka koniczyny).

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata.

Multis incomodis prudenter occurrimus, dum ea que aguntur in tempore, ne simul cum tempore elabescant, scripturarum ac testium munimine roboramus. Hinc est quod nos Iesco advocatus, nec non universitas consulum ac scabinorum civitatis Pysdrensis, notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, ad quos presens devenerit scriptum, publice protestando, quod discretus vir Nymirus comes, dictus de Shitnik, partem hereditatis ville que Bardow vulgariter nuncupatur, ipsum iure hereditario contingentem, domui Lendensi pro marcis viginti ponderis Pysdrensis vendidit, ipse et heredes ac posteri eiusdem, cum omni iure quo nunc fruitur seu frui contigerit in futuro, eandem hereditatis partem predictum comitem Nymirum nec non posteros ac successores eiusdem omnimode resignando, eidem hereditati omnique iuri quo fruitur aut frui contigerit abrenunciando; quam videlicet hereditatem, fratres domus Lendensis in remedium anime patrui sui comitis Swentomiri perpetuo possidebunt. Acta sunt hec coram nostro publico iudicio presentibus testibus hiis: domino Martino palatino Calisiensi, consulibus Pysdrensibus Giseberto tunc magistro consulum, Henkino dicto Wolterkin, et Iansshone, Iacusshone; simul et scabinis Hermanno dicto Gelhor, Tylone de Haynow, Conczone dicto de Gerosshin et Michaele pistore. In cuius rei testimonium, presentes fieri et sigillorum (sic), domini Martini palatini Kalisiensis nec non Iesconis advocati Pysdrensis simul et sigillo civitatis predicte, iussimus communiri. Datum anno Domini M.CCC.XI in vigilia beati Laurencii martiris.

Shitnik, *Sczytniki.* Bardow, *Bardo.* Lendensis, *de Ląd.*

Nr. 947.

Gerhardus de Prendekow et sui heredes 1311 Octob. 27, s. l.; a monasterio Paradyż villam Staropol certis conditionibus in feudum recipiunt.

Pergam. orygin. Brzegi obcięte wraz z śladem przywieszenia dwóch pieczęci, które osobno zachowano. Pierwsza przedstawia na trójkątnéj tarczy godło rodu Doliwa: napis: ... ard ... Pred ...; *druga zatarta.*

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C, 8.

In nomine Ihesu Christi amen. Qui recipit prophetam in nomine prophete, mercedem prophete accipiet. Sic, qui pura cordis intentione, iussis obtemperando divinis, Dei famulos iugiter Domino famulantes promovet, subsidium, consilium, auxilium impendendo, felicitatis graciam in presenti, et in futuro bravium consequitur sempiternum. Quam ob rem ego Gerhardus de Prendekow notum facio universis presencia cognituris, quod cum Gisen filio meo, cum Gisen patruo meo, cum Barteken, Gerhardo Ottoni avunculis meis nostrisque legitimis heredibus, villam Starepol lxxiiii mansos habentem, una manu in feudum recepimus ab altari sancte Dei genitricis semperque virginis Marie in Paradiso et a fratribus dicte domus. Quum vero, iubente Deo, ego cum G. filio et G. patruo meo nostrisque heredibus migraverimus ex hoc mundo, ville huius dimidietas fratrum erit. Mortuis et B., G., O., avunculis meis cum suis heredibus, tota villa cum omni iure integraliter fratrum erit. Sed villam in occidentali parte dicte hereditatis sitam, ego et G. filius et G. patruus meus cum nostris heredibus, scilicet B., G., O., avunculis meis, possidebimus cum fratribus tali modo: quum libertas exspirat, fratres tollent omnium proventuum dimidietatem, et ego tercius cum nostris heredibus dimidietatem; sed nobis defunctis, hec etiam villa cum omni iure integraliter fratrum erit. Preterea sciendum, quod limitationes inter nos et fratres taliter distinguntur. Incipient in valle paludis, in via venienti de Kalow parvum, per ultimos agros usque ad paludem, per medium paludis usque arbores signatas, inde usque ad viam, per ipsam usque ad malleum, inde usque ad signa circa Lubenow; hec pars fratrum erit cum omni utilitate, duobus fluviis exceptis, Otlucina, Clonitza, in quibus piscaturam habeo tali facta firmitate custodie ante lacum, ut ascendere cum navicula nullus possit. Si postea cum meis sepius recitatis vendere voluero dicta bona, ipsa fore venalia primo fratribus intymabo, quibus si non expedit emere, vendam alteri probo viro de fratrum consilio et assensu. Acta sunt hec anno Domini M.CCC.XI coram viris honorabilibus et discretis: domino Gerhardo plebano de Kremmen, domino Iohanne plebano de Marquarsdorp. Testes sunt nobiles domini Beteko et Herbordus de Iagow, nobiles dominus Conradus de Clebzk et Albertus frater eius, et alii fide digni. Datum in vigilia sanctorum Symonis et Iude.

Prendekow, *z niemiecka zam. Brandatendorf, czyli villa Prandotae, póżniéj Brandorf, zamiast Przyprostnia.* Starepol, *z niem. Starpel.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Kalow, *Kaława.* Lubenow, *z niem. zam. Liebenau, pierwotnie Lubrza.* Otlucina, Clonitza, *nazwy dwóch strumieni, wpływających do jeziora Paklica p. Paradyżem.* Kremmen, *z niem. Neu Kramzig, zam. Kramsko nowe.* Marquarsdorp, *dziś Merzdorf, zam. Lubinisko.* Clebzk, *zam.* Klepzig, *wymarła Saska familia.*

Nr. 948.

Albertus heres in Crosna 1311 Nov. 22, in Glowna; obligat villam Żabikowo pro damnis, ecclesiae Poznaniensi illatis.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 145.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Albertus heres in Crosna, filius Nicolai quondam Kalisiensis palatini, venerabili patri in Christo et domino Andree, Dei gratia Poznaniensi episcopo, et suo Capitulo villam nostram Zabicovo, prout nunc signis, terminis et gadibus consignata (sic), cum omnibus fructibus, utilitatibus, redditibus, proventibus et pascuis, quocunque nomine censeantur, tenore presentium obligamus, et obligatam tradimus in hiis scriptis pro dampnis et iniuriis, sibi et sue ecclesie per nos et nostros homines irrogatis; hoc in obligationis serie addito et adiecto, quod si infra triennium, a data presentium, memorato venerabili patri cum suo Capitulo de dampnis et iniuriis non satisfecerimus, exnunc prout extunc volumus, ut dicta hereditas transeat in ius et proprietatem dicti domini episcopi et Capituli sui, iure proprietario perpetuo possidenda. Promittimus nichilominus data fide, quod dicto domino episcopo et ecclesie sue et suo Capitulo et bonis eorum, nunquam lesionem aliquam vel gravamen aliquod inferremus, ymmo tueri et protegere volumus et promittimus per presentes. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum presentibus est appensum. Acta sunt hec in Glowna presentibus et ordinantibus dominis: Iacobo custode, Sdzeslao archidiacono, Henrico filio Mirosconis, Vincentio dicto Koczisek, Iacobo thezaurario et Potenciano, canonicis Poznaniensibus, et aliis quam pluribus fide dignis, in die Cecilie virginis, anno Domini M.CCC. undecimo.

Crosna, *Krośno.* Zabicovo, *Żabikowo.* Glowna, *Główna.*

Nr. 949.

Comes Iezelo de Thugorse 1311 s. d. et l.; una cum fratribus suis germanis monasterio de Obra omnia necessaria ad reparandum molendinum Ruchocin et eius obstaculum donat.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 24.

In nomine Domini amen. Qui profectum et decorem domus Dei diligit, ipsius se demonstrat filium, et in celestis regni palacio immarcescibilis glorie sibi preparat mansionem. Sciant ergo fideles universi tam presentis temporis quam futuri, quod ego Iezelo comes, dictus de Thugorse, una cum dilectis germanis meis Alberto et Iohanne, de consensu et voluntate benevola omnium heredum nostrorum, pro remedio et salute animarum nostrarum ac parentum nostrorum, terram, arenam, ligna, virgulta, et omnia plane necessaria ad parandum et ad reparandum molendinum Rugecine gaz, ad firmandum et obstruendum eius obstaculum Deo et gloriose virgini Marie et ecclesie sue in Obra, fraude et dolo penitus exclusis, contulimus in perpetuum, ut pia nominis nostri sit recordacio apud posteros, et benedictionis memoria

apud Deum. Huius rei testes sunt: comes Boguslaus de Neysnoviz, comes Ianich et Villislaus de Naderze, comes Yco de Nalco, comes Peregrinus de Cummerov, Henricus de Stenz, Michael quondam advocatus in Zbanzin, et alii quam plures fide digni. Acta sunt hec anno Domini millesimo trecentesimo undecimo. Ut autem donacio hec tam salubris, rata et inviolata permaneat, schedulam presentem conscribi et sigilli nostri impressione fecimus muniri.

Thugorse, *Tuchorze.* Rugecine gaz, *Ruchocin młyn.* Obra, *Obra.* Neysnoviz, Naderze, *nie odgadnione.* Nalco, *Niałek.* Cummerov, *Komorowo.* Stenz, *z niemiecka zamiast Sczaniec.* Zbanzin, *Zbąszyń.*

Nr. 950.

Fr. Henricus canonicus Ierosolimitan. etc. 1311 s. d., in Myechow; hereditatem sancti Sepulchri domus Gneznensis, dictam Zdziechowa, Nicolao ad locandum iure Theutonico vendit.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscript. Gneznens. a. 1522, fol. 67.

In nomine Domini amen. Ea que aguntur in tempore, ne simul labantur cum lapsu temporis, solent vero testium et scripture testimonio perhennari. Nos igitur frater Henricus, canonicus Ierosolimitanus et prepositus Myechoviensis, notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod de unanimi consensu fratrum et tocius Capituli nostri vendidimus hereditatem nostram, que Szdzyechowa vulgariter nuncupatur, viro discreto Nicolao dicto der Geze suisque posteris, iure Theuthonico Novi fori collocandam; dantes eidem Iwny (sic), racione locacionis ville iam dicte, et suis successoribus legitimis tres mansos liberos et duos ortos liberos cum tercio denario iudiciali perpetuo possidendos, in qua locacione mansorum, predictus Nicolaus debet quatuor annos libertatis obtinere. Damus eciam eidem Nicolao ac liberis eiusdem tabernam, pistrinam, macellum carnium, sutorum, ut ab eis tempore libertatis omnes fructus percipiat ex integro. Elapsa vero libertate, dimidietas omnium utilitatum, taberne et aliorum predictorum, ad nos devolvetur. Volumus eciam, quod durante libertate, incole ville memorate racione decime de quolibet manso fratribus nostris persolvant quatuor scotos usualis argenti. Expirante autem libertate, fratribus nostris ad domum Gneznensem persolvant racione decime adducantque granario eorum maldratam triplicis grani, videlicet quatuor mensuras tritici, quatuor annone (sic) et quatuor avene, racione vero census, fertonem usualis argenti. Adicimus quoque, quod in predicta villa excipientur pro nostro allodio mansi, quotquot nobis necessarii videbuntur. Et ne predicta donacio nostra per aliquem ausu temerario infringatur seu impediatur, nos super hoc litteram confectam nostro sigillo fecimus roborari. Acta sunt hec coram testibus idoneis: fratre Henrico procuratore domus Gneznensis, Arnoldo advocato ibidem, Petro vinitore, Henrico fratre Goczalii. Datum in Myechow anno Domini millesimo tricentesimo undecimo.

Myechoviensis, *de Miechów.* Szdzyechowa, *Zdziechowa.* Domus Gneznensis, *to jest:* fratrum Scti Sepulchri; *tak nazwani Bożogrobcy.*

Nr. 951.

Nicolaus Bozate filius et uxor eius Margarita dicti de Keblowo 1312 Febr. 2, in Obra; monasterio de Obra molendinum Ruchocin et hereditates Nieborze et Chorzymin conferunt.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 25.

In nomine Domini amen. Quoniam testamentum suum non recte disponit, qui terrenis tantum testatur heredibus et Christum non fecerit sue substancie heredem: qui enim universa bona largitur homini, debet partem percipere prestitorum et habere locum in pagina testamenti: sciant ergo fideles universi tam presentis temporis quam futuri, quod ego Nicolaus Bozate filius et uxor mea Margarita, dicti de Keblowo, diem extreme messionis operibus misericordie et benedictionis prevenire volentes, sano corpore maturisque sensibus, de consensu et voluntate benevola dilectorum filiorum ac omnium heredum nostrorum, molendinum nostrum dictum Rugenzinne gaz et hereditatem nostram dictam Neboriz et Ercelino, quas iuste empcionis titulo nobis comparavimus, cum omnibus attinenciis et utilitatibus earumdem pro remedio animarum nostrarum ac parentum nostrorum, fraude et dolo penitus exclusis, Deo et gloriose virgini Marie et ecclesie sancte in Obra contulimus et ipsam heredem constituimus, ut ipsorum servorum Dei, iugiter in ea mandatis Domini insistencium, suffragantibus oracionum suffragiis, pia nominis nostri sit recordacio apud posteros et in benedictionibus memoria apud Deum. Ne autem tam racionabile factum nostrum, cuiuspiam audacia et temeritas infirmare presumat, schedulam hanc conscribi et sigilli domini Andree Poznaniensis episcopi cum impressione nostri sigilli fecimus communiri. Huius rei testes sunt: reverendus dominus Goslaus procurator domini episcopi predicti, dominus Gerko canonicus Poznaniensis, comes Iesko Scapiz, comes Yco de Nalko, comes Nicolaus Domaslawiz, et alii quam plurimi fide digni. Acta sunt hec anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, in die Purificacionis beate Marie, per manus fratris Hermanni monachi in Obra.

Keblowo, *Kiebłowo.* Rugenzinne gaz, *zamiast młyn Ruchocin.* Neboriz, *Nieborze.* Ercelino, *może Chorzymin lub Reklin.* Obra, *Obra.* Scapiz, *nazwisko familijne, w wieku XV* Scapa, *dziedziców wsi Ujazd p. miast. Grodzisk.* Nalko, *Niałek.*

Nr. 952.

Secund. Henricus Iohannes et Primko duces Silesie etc. 1312 Febr. 29, in Glogovia; Poloniam Maiorem et Silesiam Inferiorem inter se et fratres suos, Conradum et Bolconem, dividunt et modum divisionis ordinant.

Sommersberg, Scriptores, I pag. 869.

In nomine Domini amen. Nos secundus Henricus, Iohannes et Primko, Dei gratia duces Silesie, domini Poznanie et Sagani, tenore presentium notum esse volumus omnibus presentibus et futuris, quod cum negotium divisionis terrarum no-

strarum, una cum fratribus nostris Conrado et Bolkone, fidelibus nostris militibus Wolveramo de Panowitz domino de Sprotavia, Thamoni de Silicz, Wolveramo de Panowicz qui Ruffus dicitur, pro parte nostra, Ienchio de Hugewicz, Iohanni de Crecz-wicz et Wernero de Dere, pro parte dominorum fratrum nostrorum Conradi et Bolconis, comiserimus faciendum, dicti fideles nostri deliberatione diligenti prehabita, in prefato divisionis negotio prout continetur inferius processerunt. Primo terras nostras omnes in duas partes distinguentes, Gneznam, Kalis et Olesnicz cum assignatis ad ipsa que exprimentur inferius, pro una porcione, Poznaniam et Saganum cum adiunctis ad ista que explicabuntur inferius, pro porcione altera assignaverunt; ordinantes, quod Gnezna, Kalis et Olesnicz cum adiunctis ad ea, porcione duorum, Poznania vero et Saganum cum pertinentibus ad ipsa, pro porcione trium debeant remanere, et ordinaverunt, quod illi tres quibus Poznania et Saganum cedet, matri nostre succedere debeant in terra, eidem in donatione propter nuptias assignata. Ista autem que immediate subiunguntur, ad Olesnicz, Kalis et Gneznam determinaverunt pertinere. Primo Lubes claustrum cum omnibus bonis ad ipsum claustrum spectantibus, ex illa parte Oddere ex qua parte claustrum situm est iacentibus. Deinde Wolov cum suo districtu, Winczk cum suo districtu, Hernstat cum suo districtu, Trachinburg cum suo districtu, Milicz cum suo districtu, Uras cum suo districtu, Trebenicz cum suo districtu, Olesnicz cum suo districtu, Beroldistat cum suo districtu, Koly cum suo districtu, Namislavia cum suo districtu, Cunzinstat cum suo districtu, Cruczebune cum suo districtu, Landisberk cum suo districtu, Byzina cum suo districtu, Boleslavicz cum suo districtu, Wartinberg cum suo districtu, Hurla cum suo districtu, Groda cum suo districtu, Pobedist cum suo districtu, Cleczk cum suo districtu, Nakil cum suo districtu, Gnezna cum suo districtu, Pizdri cum suo districtu, Wrimstat ibidem circa cum suo districtu, Conyn cum suo districtu, Nuwinstat cum suo districtu, Kalis cum suo districtu. Ea autem qui inferius subiunguntur, ad Poznaniam et Saganum determinaverunt pertinere: Stinavia cum suo districtu, Lubin cum suo districtu, Sprotavia cum suo districtu, Saganum cum suo districtu, Nuwinburg cum suo districtu, Gruninberg cum suo districtu, Crozna cum suo districtu, Ponecz cum suo districtu, Gora cum suo districtu, Costan cum suo districtu, Srzem cum suo districtu, Poznania cum suo districtu, Rogozno cum suo districtu, Uzek cum suo districtu, Obornik cum suo districtu, Wronit cum suo districtu, Grodis cum suo districtu, Criwin cum suo districtu, Goztyn cum suo districtu, Praemitat cum suo districtu, Brandotindorf cum suo districtu, Benschin cum suo districtu, Slava cum suo districtu, Wrowinstat cum suo districtu, Lubenow cum suo districtu. Item ordinaverunt, quod illi de nobis qui obtinebunt Poznaniam et Saganum, in propriis expensis et super proprium dampnum debent iuvare fratres illos, qui obtinebunt Gneznam et Kalis, cum centum viris armatis infra unum annum ad expugnandum Nakil et Conyn; ita, quod quicunque a die presentis divisionis per eos pro iuvamine monebuntur, infra quatuor septimanas a die monicionis eis debent subsidium prestare prelibatum. Pro quo subsidio prestando, de porcione sua Costan castrum et civitatem cum districtu obligabunt; quam municionem, ille homo de subditis dominorum qui Poznaniam habebunt, quem illi domini, qui Gneznam et Kalis obtinebunt, eligent infra unum annum a die divisionis presentis, tenebit, et si illi tres domini qui Poznaniam habebunt et Saganum, in prestando predicto iuvamine defecerint, predictum castrum Costan cum civitate et districtu, illis dominis quibus subsidium prestare debuerat, presentabit. Item ordinaverunt, quod nos cum fratri-

bus nostris predictis nos mutuo iuvare debemus infra tres annos cum centum viris contra quemlibet hominem, qui nos et terras nostras iniuste vellet destruere, super dampnum proprium, in expensam illius, qui iuvamine indigebit; pro quo firmiter servando, illi de nobis qui Saganum optinebunt, Lubyn civitatem et castrum, et illi qui obtinebunt Olesnicz, Uras civitatem et castrum obligabunt. Item ordinaverunt, quod si super aliquo districtu inter nos contencio orta fuerit, statim debemus eligere duos milites et domini fratres nostri duos, qui domi sine mora expedient negocium, et brigam inter nos amputabunt. Quod de illis debitis, in quibus marchioni Brandinburgensi et ducibus Wratislaviensibus tenemur, pro quibus municiones sunt obligate, et de illis debitis in quibus civibus Wratislaviensibus, civibus Glogoviensibus et civibus in Vrankinwart tenemur, illi tres qui Saganum obtinebunt et Poznaniam, medietatem, et alii duo qui Olesnicz obtinebunt, aliam medietatem solvere tenebuntur. Super pignoribus vero, nostris hominibus obligatis, illi sub quos illi homines et illa pignora ex divisione ceciderint, se cum illis, prout melius de consilio hominum suorum poterint, expedient; ita tamen, quod alii fratres remaneant sine briga. Debita autem in quibus nostris hominibus et subditis obligati sumus, quilibet suis subditis, qui sub eum ex divisione ceciderit, solvet; et si subditus sub diversis dominis diversa haberet bona, ille dominus sub quo plura bona habuerit, de debitis satisfaciat sibi sic, quod alii remaneant sine briga. Debita autem, que extra terras nostras tenemur illis qui nostri homines non sunt, qui de debitis racionabiliter docere poterunt, omnes pariter persolvemus; dampnum eciam et expensam, si quas propter excommunicationes archiepiscopi Gneznensis et episcopi Poznaniensis sustinere nos continget, omnes pariter pati debemus et portare. Item ordinaverunt, quod pecunia super civitates pro redempcione terrarum nostrarum posita, que nondum est soluta, colligi debeat et pro redempcione terrarumm et (sic) quesitus, debet promittere se firmiter servaturum. Item ordinaverunt, quod expense, annone et defendicula, que a feria tercia proxima post dominicam qua cantatur Oculi, in qua presens divisio publicata fuit, in municionibus manserant, in eisdem municionibus debeant remanere, et si aliquid ab eo tempore ablatum esset, iterum deberet restaurari. Et quia ex divisione presenti ad nos, scilicet Henricum, Iohannem et Przemconem, Poznania et Saganum cum omnibus superius expressis, ad dictas civitates spectantibus, ad fratres vero nostros Conradum et Bolconem, Gnezna, Kalis et Olesnicz cum omnibus superius dictis, ad easdem civitates pertinentibus, sunt racionabiliter devoluta, idem fideles nostri sex, iusticia et equitate suadentibus, ordinaverunt, quod prefati fratres nostri Conradus et Bolco, pro pecunia, que nobis duci Henrico post uxorem nostram cedere debebit, dare deberent duo milia marcarum denariorum grossorum, et illa duo milia pro nobis deberent solvere ducibus Wratislaviensibus in illo debito, pro quo sunt ipsis municiones obligate. Item indempnitati nostre et dominorum fratrum nostrorum precaventes ordinaverunt, quod nos dominis fratribus nostris Conrado et Bolkoni, pro medietate pecunie pro qua municiones Wratizlaviensibus ducibus sunt obligate, civitatem nostram Ponecz obligabimus; quam civitatem noster subditus, quem predicti fratres nostri elegerint, tenebit medio tempore et ipsis cum ea promittet, et nos uno anno ante terminum solucionis dominis nostris fratribus notificabimus, utrum medietatem predicte pecunie solvere poterimus, an non. De eadem tamen pecunia, nobis debent decuti duo milia marcarum prelibata. Et e converso ordinaverunt, quod dicti fratres nostri Conradus et Bolco, ne Benschin pro parte pecunie eos contingente perdatur, Pobedisc castrum et civitatem obligaverunt, cum quibus

Gerhardus de Werde et ipsa civitas promittere nobis debent. Item ordinaverunt, quod quidquid nos vel fratres nostri predicti ante Purificacionem beate Marie donavimus, vendidimus vel obligavimus, ac si per felicis recordacionis quondam dominum ducem Henricum patrem nostrum facta essent, firma et stabilia deberent permanere. Ordinaverunt eciam, quod si aliquis subditus noster vel fratrum nostrorum, ad nos de ipsis vel de nobis ad ipsos transire voluerit, eius transitus impediri non debet; et si is a quo transit, contra sic transeuntem aliquid questionis habuerit, coram illo ad quem transit prosequetur. Item ordinaverunt, quod nostros subditos, divites et pauperes, terrigenas et cives, in eorum debemus iuribus conservare, et ipsi nobis e converso iura nostra servare debent inconcussa. Nosque omnia, per prelibatos nostros sex fideles, prout superius sunt expressa, ordinata, considerantes ea esse rite et racionabiliter facta, rata et grata habentes, maturo super hoc nostrorum fidelium adhibito consilio, omni dolo et subtilitate remotis, firma et stabilia bona fide promittimus observare, nec in aliquo venire contra ipsa. Ad quorum omnium et singulorum evidenciam et roboracionem pleniorem, presentem litteram scribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari, et nichilominus ad meliorem et cerciorem omnium et singulorum predictorum observacionem, prenominatis fratribus nostris, Conrado et Bolconi, municionem nostram ex divisione presenti ad nos devolutam, Saganum civitatem et castrum obligavimus, cum qua municione eisdem fratribus nostris, Conrado et Bolconi, fidelis noster miles Iohannes de Bibersten de nostro mandato promisit; et dicti fratres nostri, Conradus et Bolco, pro omnibus et singulis superius expressis, per eos firmiter et inviolabiliter servandis, nobis municionem ipsorum, Namizlaviam civitatem et castrum, viceversa obligaverunt, cum qua municione Theodricus de Wrankinberg nobis promisit de eorum beneplacito et mandato. Que municiones, videlicet Saganum ex parte nostra et Namizlavia ex parte dictorum fratrum, a Penthecosten proxime venturo ad duos annos in obligacione predicta debet remanere; cum Lubyn autem et Ponecz, pro articulis superius expressis fidelis noster Otto Donyn, et cum Costen, Iohannes de Krecwicz pro negocio pro quo Costen fore obligandum expressum est, de nostro mandato prefatis nostris fratribus Conrado et Bolconi promiserunt. Actum in Glogovia tercia feria predicta, scilicet post dominicam qua cantatur Oculi mei semper, anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, presentibus fidelibus nostris militibus: Gunthero de Bibyrsteyn, Iohanne de Bibyrsteyn, Ottone de Donyn, Theodrico de Wrankinberg, Dychero de Drogucz, Theodrico de Silicz, Gelfrado de Rechmberg, Peczcoldo de Thochwicz, Wolveramo de Remnicz, Gerhardo de Werde.

Saganum, *Sagan.* Sprotavia, *z niem. Sprottau.* Olesnicz, *z niem. Oels.* Lubes, *Lubiąż, z niem. Leubus.* Oddera, *Odra rz.* Wołow, *z niem. Wohlau.* Winczk, *Wieniec, z niem. Winzig.* Hernstat, *Wąsosz, z niem. Herrnstadt.* Trachinburg, *Stramburek, z niem. Trachenberg.* Milicz, *z niem. Militsch.* Uras, *Uraz, z niem. Auras.* Trebenicz, *Trzebnica, z niem. Trebnitz.* Boroldistat, *Bierutów, z niem. Bernstadt.* Koly, *z niem. Kaulwitz.* Namislavia, *Niemysłów, z niem. Namslau.* Cunzinstat, *Constadt.* Cruczebune, *Kluczborg, z niem. Kreuzburg.* Landisberk, *Landsberg.* Byzina, *Byczyna, z niem. Pitschen.* Boleslavicz, *Bolesławiec.* Wartinberg, *Syców, z niem. Poln. Wartenberg.* Hurla, *Orle, późniejsze m. Koźmin.* Groda, *mylnie zam. Środa.* Pobedist, *Pobiedziska.* Cleczk, *Kłeck.* Nakil, *Nakło.* Wrimstat, *zapomniane niemieckie przezwisko.* Conyn, *Konin.* Nuwinstat, *Nowe miasto.* Stinavia, *Scieniawa, z niem. Steinau.* Lubin, *z niem. Lüben.* Nuwinburg, *Naumburg.* Gruninberg, *Grünberg.* Crozna,

Krośno, z niem. Krossen. Ponecz, *Poniec.* Gora, *z niem. Guhrau.* Costan, *Kościan.* Srzem, *Śrem.* Uzek, *Ujście.* Wronit, *Wronki.* Grodis, *Grodzisk.* Criwin, *Krzywin.* Goztyn, *Gostyń.* Praemitat, *ma być Przemęt.* Brandotindorf, *czyli* Villa Prandotae, *Przyprostnia.* Benschin, *Zbąszyń.* Slava, *z niem. Schlawe.* Wrowinstat, *Wschowa, z niem. Fraustadt.* Lubenow, *Lubrza, z niem. Liebenau.* Vrankinwart, *Frankfurt.*

Nr. 953.

Woldemarus marchio de Brandenborch etc. 1312 Mart. 24, Spandowe; monasterio de Zemsko villas Bledzewo et Fafold cum certis distinctionibus et limitibus confert.

Pergam. orygin. Na sznurku jedwabn., zielon. przywieszona pieczęć połamana i starta

Poznań. Königl. Staats Arch. Bles. 9. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 85.

Ad geste rei memoriam sempiternam summe necessaria est eius descriptio, ne posteri oblivione moti denegare valeant maturo priorum consilio stabilita. Hinc est quod nos Woldemarus, Dei gracia de Brandenborch, Lusaz et de Landesberghe dominiorum et terrarum marchio tutorque illustris Iohannis de Brandenborch marchionis, notum esse volumus tam presentibus quam posteris, quod de nostro maturo nostrorumque consiliariorum discretorum consilio dedimus et damus, donavimus et donamus religiosis viris, dominis abbati et universis ac singulis confratribus suis in cenobio Someriz Deo famulantibus, has duas villas, videlicet Blesowe et Valkenwalde dictas, cum distinctionibus et limitibus subscriptis, scilicet sitis et distinctis inter Blesowe, Popowe, Somerizque. Primo ab uno cumulo iuxta quandam pinum facto, de illa usque ad montem qui vocatur Caukenberg, de Caukenbergh usque ad paludem que vocata est Gzelkenbude, deinde usque ad quercum circa quam stetit pinus, in qua quondam suspensus est quidam propter limites quos facere volebat ibidem. Item ab hac arbore dicta que est in via que ducit Meseriz, directe usque ad primam vallem super Obram cum itur de Meseriz. Item ab illo termino, Obre totalem per descensum usque ad locum qui vocatus est Pynnove, ubi limites manifeste per dominum Wyzeslaum et Benyamin sunt extensi per cumulos, directe usque ad vallem que est in via de villa Grunciko in Blessowe, ubi limes est in arbore signatus. De hac arbore circa vallem istam, mete per predictos dominos facte extenduntur usque ad rivum Ponekel. Item de hoc rivo, inter Valkenwalde et Blesowe mete sunt extense usque ad arborem que vocatur Civodam, iuxta paludem que vocatur eodem nomine, in via que ducit Landesbergh, et inde usque ad tres arbores, que sunt mete inter magnum Oszez et Valkenwalde. Item de hys arboribus in eadem via, versus Landesbergh ad primum montem ab illa parte silve quercuum, ubi est pinus in se habens crucem. Ab hac, usque ad aliam partem paludis Mezegoze ubi mete sunt signate: nec non cum omnibus utilitatibus, usufructibus et pertinenciis ad ipsas villas spectantibus, iusto proprietatis titulo in perpetuum possidendas. Ita sane eciam, quod in predictis villis ac earum terminis et distinctionibus, nichil iuris nobis aut nostri heredes, si quos Deo dante procreaverimus, vel successores penitus, preterquam precariam communem dumtaxat dandam vel faciendam, de cetero, nisi aliud

intercedat, poterimus aut poterint vendicare. In huiusque nostre donacionis repensam, fideles nostri milites, Betheko de Iagowe et Henningus de Plovene, nobis pro quolibet frusto redituum, de predictis bonis annuatim cedente, quinque marcas Brandenborchici argenti et ponderis in parata pecunia persolverunt, de quibus ipsos omnino quietos dicimus per presentes. Ut (sic) igitur super huiusmodi nostra donacione, per nos rite facta, dubium cuiquam in posterum valeat suboriri, presentes litteras, quas in premissorum omnium et cuiuslibet eorum evidens testimonium, nostri sigilli munimine dictis fratribus sigillatas de nostro consensu et certa scientia tradidimus, effectum presentis privilegii et nostre procuracionis, predictus marchio Iohannes, cuius tutelam ut premittitur gerimus, cum ad annos etati legitime deputatos perveniret, sui sigilli patrocinio confirmabit. Testes vero huius rei sunt nostri fideles, scilicet nobilis vir dominus Gunterus comes de Kevernberg, Droyseko de Crocher, Henningus de Stegeliz, Fredericus de Alvensleve, Wypertus de Barby, milites, Sloteko et Everus nostre curie capellani et notarii, et quam plures alii nichilominus fidei testimonio decorati. Actum et datum Spandowe anno dominice Incarnacionis millesimo trecentesimo XII, in vigilia Annunciacionis beate Marie virginis.

Someriz, *Zemsko.* Blesowe, *Bledzew.* Valkenwalde, *Fafold.* Popowe, *Popowo.* Caukenberg mons, Gzelkenbude palus, *nazwiska zapomniane.* Meseriz, *Międzyrzecz.* Obra, *Obra rz.* Locus Pynnove, *nie odgadnione.* Grunciko, *Gorwisko.* Rivus Ponekel, *Ponikwa strum.* Landesbergh, *Landsberg.* Magnum Oszez, *Osiecko.* Palus Mezegoze, *nazwa zapomniana.* Spandowe, *Spandau.*

Nr. 954.

Clemens Pp. V 1312 Mai. 2, Vienne; universum clerum certiorem facit, se omnia bona sublati per apostolicam ordinationem et Viennensis Concilii approbationem Ordinis militiae Templi, Ordini Hospitalis s. Iohannis Hierosolymitani contulisse; occupatores vero illicitos praedictorum bonorum, excommunicationis vel interdicti poenae subiacere.

Harduin. Acta Conciliorum, VII, p. 1340.

Archiepiscopo Gneznensi, et Caminensi ac Poznaniensi episcopis. Ad providam Christi vicarii presidentis in specula apostolice dignitatis circumspectionem pertinet, vices pensare temporum, emergentium negotiorum causas discutere ac personarum attendere qualitates, ut ad singula debitum dirigens necessarie considerationis intuitum et opportune manum operationis apponens, de agro Domini sic vitiorum tribulos eruat, ut virtutes amplificet, sic prevaricantium spinas tollat, ut evellendo plus plantet quam destruat, et in loca vacua per eradicationem nocentium tribulorum, devota Deo plantamina transferendo, potiorem prebeat de provisa et utili eorum locorum unione et translatione letitiam, quam vera iustitia, que compassionem habet doloris, intulerit detrimentum, personarum et locorum huiusmodi per ruinam. Sic enim, sufferendo quod officit et subrogando quod proficit, virtutum profectus amplificat, et sublata de medio, meliori subrogatione restaurat. Dudum siquidem Ordinem Domus militie Templi Hierosolymitani, propter magistrum et fratres ceterasque personas dicti Ordinis in quibuslibet mundi partibus consistentes, variis et diversis non tam nefandis quam infandis proh dolor errorum et scelerum obscenitatibus, pravi-

tatibus, maculis et labe respersos, que propter tristem et spurcidam eorum memoriam presentibus subticemus, eiusque Ordinis statum, habitum atque nomen, non sine cordis amaritudine et dolore, sacro approbante Concilio, non per modum diffinitive sententie, cum eam super hoc secundum inquisitiones et processus super his habitos non possemus ferre de iure, sed per viam provisionis seu ordinationis apostolice irrefragabili et perpetuo valitura sustulimus sanctione, ipsum prochibitioni perpetue supponentes, districtius inhibendo: ne quis dictum Ordinem de cetero intrare, vel eius habitum suscipere vel portare aut pro Templario se gerere presumeret, quod si quis contra faceret, excommunicationis incurret sententiam ipso facto: universa etiam bona Ordinis prelibati apostolice Sedis ordinationi et dispositioni auctoritate apostolica duximus reservanda, inhibentes districtius: ne quis, cuiuscumque conditionis vel status existeret, se de personis vel bonis huiusmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea, in preiudicium Ordinis seu dispositionis apostolice, per Sedem eamdem ut premittitur facienda, aliquid faceret, innovaret vel etiam attentaret: decernentes extunc irritum et inane, si secus a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari. Ac postmodum: ne dicta bona, que dudum ad subsidium Terre sancte et impugnationem inimicorum fidei Christiane a Christi cultoribus data, legata, concessa et acquisita fuerunt, debita gubernatione carentia, tamquam vacantia deperirent, vel converterentur in usus alios quam in illos ad quos fuerant pia devotione fidelium deputata, vel propter tarditatem ordinationis et dispositionis huiusmodi, eorum destructio vel dilapidatio sequeretur: cum fratribus nostris, sancte Romane ecclesie cardinalibus, nec non patriarchis, archiepiscopis, episcopis et prelatis, ac etiam cum nonnullis excellentibus et illustribus personis, cum reliquorum quoque absentium prelatorum et etiam Capitulorum et conventuum ecclesiarum et monasteriorum procuratoribus, in dicto Concilio constitutis, habuimus ardua, morosa et diversa consilia et tractatus, ut per huiusmodi consiliorum et tractatuum deliberationem prehabitam diligentem, dictorum bonorum ordinatio et dispositio, ad honorem Dei, augméntum fidei, exaltationem Ecclesie, dicte Terre subsidium, salutem quoque fidelium et quietem, salubris et utilis pérveniret. Postque utique longa, premeditata, provisa et matura consilia, suadentibus plurimis iustis causis, nostra et dictorum fratrum, nec non patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et aliorum prelatorum, ac excellentium et illustrium personarum predictorum, in dicto Concilio tunc presentium, deliberationes et consilia in hoc finaliter resederunt, ut predicta bona Ordini Hospitalis sancti Iohannis Hierosolymitani et ipsi Hospitali, ac dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis eiusdem, nomine Hospitalis et Ordinis eorumdem, qui tamquam athlete Domini pro defensione fidei se periculis mortis iugiter exponentes, onerosa nimis et periculosa dispendia continue perferunt in partibus transmarinis, in perpetuum unirentur. Nos igitur inter certa mundi loca, in quibus vigere dignoscitur observantia regularis, dictum Ordinem Hospitalis et ipsum Hospitale sincère caritatis plenitudine prosequentes, ac attendentes, quod, sicut evidentia facti (docet), in eo divinis obsequiis ferventer insistitur, pietatis et misericordie opera vigilantibus studiis exercentur, fratres Hospitalis ipsius, mundanis spretis illecebris, devotum impendentes Altissimo famulatum, ac pro recuperatione Terre predicte, tamquam intrepidi Christi pugiles, ferventibus studiis et desideriis intendentes, quelibet ducunt humana pericula in contemptum; considerantes quoque: quod ex hoc tanto eorumdem magistri et fratrum dictorum Ordinis et Hospitalis crescet strenuitas, animorum fervor augebitur, et ipsorum roborabitur fortitudo ad propulsandas nostri Redemptoris iniurias et hostes eiusdem fidei conte-

rendos, quanto ipsorum potentia, in opulentioribus facultatibus augmentata, opera, que prosecutionis tanti negotii necessitas exigit, levius et facilius poterunt supportare: et propterea non indigne vigiles redditi studiisque sollicitis excitati ut ad sui status augmentum opem et operam impendamus, eodem sacro approbante Concilio, ipsam Domum militie Templi ceterasque domos, ecclesias, capellas, oratoria, civitates, castra, villas, terras, grangias, et loca, possessiones, iurisdictiones, redditus atque iura, omniaque alia bona immobilia et mobilia vel se moventia, cum omnibus membris et iuribus et pertinentiis suis, ultra et citra mare ac in universis et quibuslibet mundi partibus consistentia, que ipse Ordo et dicti magister et fratres ipsius Ordinis militie Templi, tempore quo ipse magister et nonnulli ex eisdem fratribus militie Templi in regno Francie communiter capti fuerunt, videlicet anno Domini M.CCC.VIII, mense Octobri, per se vel quoscumque alios habebant, tenebant et possidebant, vel ad eosdem Domum et Ordinem militie Templi et dictos magistrum et fratres ipsius Ordinis militie Templi quomodolibet pertinebant, necnon nomina, actiones et iura, que predicto tempore captionis ipsorum, eisdem Domui, Ordini vel personis ipsius Ordinis militie Templi quocumque modo competebant vel competere poterant, contra quoscumque, cuiuscumque dignitatis, status vel conditionis existerent, cum omnibus privilegiis, indulgentiis, immunitatibus et libertatibus, quibus prefati magister et fratres dictorum Domus et Ordinis militie Templi et ipsa Domus et Ordo, per Sedem apostolicam, vel per catholicos imperatores, reges et principes et fideles alios, vel quocumque alio modo erant legittime communiti, eidem Ordini Hospitalis sancti Iohannis Hierosolymitani et ipsi Hospitali donamus, concedimus, unimus, incorporamus, applicamus et annectimus in perpetuum de apostolice plenitudine potestatis; exceptis bonis quondam dicti Ordinis ipsius militie Templi, consistentibus in regnis et terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum, Castelle, Aragonie, Portugallie et Maioricarum regum illustrium, extra regnum Francie, que a donatione, concessione, unione, applicatione, incorporatione et annexione predictis, specialiter excipienda duximus et etiam excludenda, ea nichilominus dispositioni et ordinationi Sedis apostolice reservantes; inhibitionem dudum per alios processus nostros factam: nequis videlicet, cuiuscumque conditionis vel status existeret, se de personis et bonis huiusmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea, in preiudicium ordinationis seu dispositionis Sedis eiusdem faciende de illis, necnon decreti nostri interpositionem quoad personas et bona, in dictis regnis et terris eorumdem regum proxime expressorum consistentia: omnino manere volentes in pleno robore firmitatis, quousque de personis et rebus predictis, in eisdem regnis et terris consistentibus, per dispositionem Sedis eiusdem fuerit aliter ordinatum. Occupatores quoque dictorum bonorum aut illicitos detentores, cuiuscumque status, conditionis, excellentie vel dignitatis exstiterint, etiam si pontificali, imperiali vel regali prefulgeant dignitate, nisi infra unius mensi spatium, postquam super hoc per dictum magistrum et fratres ipsius Hospitalis vel ipsorum quemlibet aut procuratorem seu procuratores eorum fuerint requisiti, dicta bona dimiserint illaque plene ac libere restituerint Ordini ipsius Hospitalis et eidem Hospitali aut magistro, seu prioribus vel preceptoribus aut fratribus Hospitalis eiusdem, in quibuscumque partibus et provinciis constitutis, eorumque singulis, vel procuratori seu procuratoribus eorumdem eiusdem Ordinis ipsius Hospitalis nomine, etiamsi dicti priores, preceptores et fratres ipsius Hospitalis et procuratores ipsorum et eorum quilibet, a dicto magistro ipsius Hospitalis mandatum super hoc specialiter non haberent, dummodo procuratores predicti, a dictis prioribus

[illegible] per singula [illegible] Datum [illegible]

[illegible]

[illegible] 1312 Mai. 14, apud [illegible] in oppido [illegible], comiti Michaeli [illegible] vendit.

[illegible] dwie podlugowate pie- [illegible] pod spiczastym laklem, pod [illegible] napis: S. Prepositi [illegible] pod którą pod [illegible] napis: S. Con-

[illegible] divina miseratione Strelnensis [illegible] tam presentibus quam futuris quo-

rum audiencie presens scriptum devenerit, quod de consilio et consensu conventus nostri Strelnensis, nobili viro comiti Michaheli, heredi de Cosonow et castellano de Konin et de Quecisow, vendidimus molendinum quod est situm in Quecisow, cum omnibus utilitatibus que ad illud pertinent iure hereditario perpetuo possidendum, sibi suisque posteris wel successoribus. Cuius rei ordinatores inter nos et ipsum sunt isti adque testes: frater Otto commendator de Nemoiow, comes Sawisa de Tokarow, comes Nicolaus de Snatow et comes Welislaus de Darnow. Et in huius rei evidenciam pleniorem, presentem litteram fecimus scribi, et sigillo nostro ac sigillo conventus Strelnensis roborari. Datum apud Quecisow in die sancti Spiritus, anno Domini millegesimo trecentesimo duodecimo.

Strelnensis, *de Strzelno.* Cosonow, *Koszanowo.* Konin, *Konin.* Quecisow, *Kwieciszewo.* Nemoiow, *Niemojewo.* Tokarow, *Tokarzewo.* Snatow, *Śniaty.* Darnow, *Darnowo.*

Nr. 956.

Andreas Poznaniens. ecclesie episcopus 1312 Iul. 5, Poznanie; una cum Capitulo suo protestatur, comitem Albertum Kyrszonovicz, dictum de Stancik, monasterio de Zemsko, pro damnis eidem illatis, quinque mansos liberos in villa Cieśle contulisse.

Pergam. orygin. Sznurki od dwóch pieczęci, każdy przez dwa wcięcia przewleczony.

Poznań. Archiv. Capituli. III, 6 a.

In nomine Domini amen. Nos Andreas Dei gracia Poznaniensis ecclesie episcopus, una cum fratribus nostris, Capitulo eiusdem ecclesie, presentibus protestamur, quod nobilis vir comes Albertus Kyrszonoviz, dictus de Stancik, in nostra presencia constitutus, libera voluntate pro dampnis monasterio de Sambrizco Ordinis Cisterciensis, Poznaniensis dyocesis, per eum illatis, ac pro remedio peccaminum suorum ac sue uxoris parentumque suorum, dedit sive donavit quinque mansos liberos, sitos in villa Cesle iuxta civitatem Pysdri, eidem monasterio in Sambrizco, sibi et nulli alteri iure hereditario debitos, libere ac perpetuo possidendos; promittens insuper fide bona, quod quando princeps terre illius ad terram ibidem venerit, et se facultas obtulerit, quod iam dictos quinque mansos, quos idem comes dicto monasterio coram nobis publice resignavit et donavit, vult donare et resignare modo simili ut expressum est, coram duce. Et ne de hac resignacione et donacione, facta publice coram nobis, ab aliquibus in posterum dubietatis scrupulus oriatur, presenti littere nostrum nostrique Capituli sigilla duximus apponenda. Datum Poznanie III Nonas Iulii, anno Domini M.CCC.XII, presentibus dominis fratribus nostris: Iohanne preposito, magistro Petro decano, Borizlao archidiacono, Iacobo custode, Sdeslao archidiacono, Frizcone plebano civitatis Poznaniensis, Andrea Gneznensi archidiacono, Radonio, Hynrico, Adam, Gerikone, Gerlibo, Mychaele, Yascone, Tomizlao, Abraham, Matheo et Mathya, Stephano, Wyzlao, et comite Andrea Eustachii, et pluribus aliis ecclesie Poznaniensis canonicis fide dignis.

Stancik, *nie odgadnione, może Sczaniec.* Sambrizco, *Zemsko.* Cesle, *Cieśle.* Pysdri, *Pyzdry.*

Nr. 957.

Iescho advocatus in Pysdra et consules 1312 Sept. 9, in Pisdra; protestantur, Nicolaum, ipsorum concivem, magistro infirmorum monasterii Ląd viginti scotos denariorum legavisse, qui ei de quadam domo, in oppido Pyzdry sita, proveniebant.

Włocławek. Lib. privilegior. monasterii Ląd, pag. 170.

Universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris ad quorum notitiam pervenerit presens scriptum, ego Iescho advocatus in Pysdra et nos consules civitatis eiusdem, sinceram salutem et plenam notitiam subscriptorum. Quoniam ea que geruntur in tempore, ne simul processu temporis dilabantur, oportunum et cautum est ut scripture testimonio roborentur, igitur nos universitati vestre volumus fore notum et tenore presentium publice protestamur, quod Nicolaus dilectus noster concivis, filius quondam advocati de Kosselberch pie recordationis, beneficiorum non immemor paternorum, ob predicti patris sui anime remedium et salutem nec non et omnium progenitorum suorum, legavit, contulit ac etiam resignavit in perpetuum magistro infirmorum Lendensis monasterii Ordinis Cisterciensis, diocesis Gnesnensis, viginti scotos denariorum monete currentis, qui sibi cedebant singulis annis et censu annuo solvebantur de quadam domo in Pisdra sita, in qua quidam nomine Beczoldus, noster concivis, facit ad presens residentiam corporalem inhabitando eandem, que quidem domus contigua est viris religiosis fratribus Minoribus, sola duntaxat domo (*vacuum*) ea videlicet strata, qua ab ipsis fratribus Minoribus ad fluvium Wartham itur. Idemque Nicolaus abrenunciavit omni iuri, solutioni ac etiam pensioni, quod vel quas in ipsis viginti scotis habuit vel habere quomodolibet videbatur; ita sane, quod magister infirmorum prefati monasterii, quicunque pro tempore fuerit, pretaxatos viginti scotos colliget et recipiet termino subnotato, in die videlicet sancto Pasche, ab illo, quicunque domum inhabitasset prelibatam, eosdem viginti scotos in maiores utilitates, et precipue necessarios usus fratrum suorum egrotantium conversurus, ea conditione interiecta, quod nec dominus abbas monasterii memorati nec quecunque alia persona, in colligendis seu recipiendis huiusmodi viginti scotis pro suis usibus vel necessitatibus quoquomodo intermittere se debebunt. Ne autem tam fidelis legatio quoque salubris resignatio a quocumque hominum irritetur, verum ut robur obtineat perpetue firmitatis, ego Iescho advocatus supradictus sigillum meum, et nos consules sigillum civitatis nostre presentibus appendi fecimus in testimonium omnium premissorum. Ego vero Nicolaus memoratus, omnia supraposita et presentis scripti testimonio exarata vera esse protestans et firma atque rata esse volens, sigillum meum una cum sigillis prefatorum duxi presentibus appendendum. Testes huius rei sunt: Gothko magister consulum, Nicolaus magister pontium, Christianus sutor, Conradus dictus de Iarasschin, Thizo de Berwolstath et Hermanus dictus Gelhar, consules; item Thilo de Chanowe, Conradus Luchmeister, Heincinus Mukernos, Hermanus precipuus scriptor, Michael pistor, Conradus de Calissch et Petrus Lupus, scabini Pisdrenses, cum aliis quam plurimis fide dignis. Acta sunt hec in Pisdra, datum anno Domini M.CCC.XII in crastino Nativitatis sancte Marie virginis gloriose.

Pysdra, *Pyzdry.* Kosselberch, *zapomniane niemieckie przezwisko któregoś miasteczka województwa Kaliskiego; może Kotlin.* Lendensis, *de Ląd.* Iarasschin, *pewnie Jarocin.*

Nr. 958.

Woldemarus Brandenborchie etc. marchio 1312 Dec. 27, Lievenwalde; villam Popowo, certis metis limitatam, monasterio de Zemsko confert.

Dwa pergam. orygin., równobrzmiące. U obydwóch sznurki jedwabiu zielonego; pieczęcie znikły.

Poznań. Königl. Staats Arch. Blesen Nr. 10, Nr. 11. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 84.

In nomine Domini amen. Actus humani generis in oblivionis lapsum deciderint, nisi aliqua perhennitate in futurorum noticiam deducantur. Hinc est quod nos Woldemarus, Dei gracia Brandenborchie, Lusatie et de Landesberg marchio tutorque inclyti Iohannis marchionis Brandenborchie, recognoscimus tenore presentium protestantes, quod relligioso ac in Christo devoto viro domino fratri Thiderico abbati, conventui ac monasterio in Somerschen dedimus et per presentes donamus donatione libera proprietatem ville Poppowe cum libertate omnimoda, nichil nobis penitus in ipsa villa iuris reservantes quam precariam, volentesque, ut ipsam villam sub metis et distinctionibus possideant subnotatis. Meta prima est inter villam Poppowe et villam Tragheheim, ac arborem finalem stantem iuxta fundum versus Tragheheim. Ab hac arbore usque ad fontem Studenicz, directe inter Zqueryn et Poppowe, sicut ipse dominus Prymyzel rex Polonie distinxit cum predictis civibus de Zwerin. De Studenicz, directe versus orientem usque ad stagnum Saben, in quo una tractura piscium pertinet ad villam Poppow; et de hoc stagno, versus fossatum argille; et de hoc fossato, usque ad fornacem picis que est post predictum stagnum; et de hac fornace, usque ad pinum directe in qua est cornu cervi, que est in via de Meseritz versus Zwerin, et in hys metis est situm stagnum dictum Glyst. Item directe de hac arbore, usque ad cumulos qui facti sunt inter paludes Zarmblot; et de hys, usque Zarmblot directe; et hec sunt distinctiones metarum inter Poppow et Rugow. Item mete inter Poppowe et Ghoriz: de Zarmblot, usque ad quercum que resecata est, in qua est meta; et hec est iuxta stagnum Glambek. Item de hac quercu, directe inter Blesow et Poppowe et Goriz, usque ad montem ubi sunt duo cumuli extensi et una arbor signata, eaque facta sunt et signata tempore domini ducis Wlodezlay inter dominum Benyamin et Bogemilum in Goriz. De hoc monte, directe usque ad fluvium Obram in quodam fundo, ubi est quercus signata. Obligamus quoque nos ad hoc, ut dum primum dictus Iohannes marchio ad annos discretionis pervenerit, predicta omnia in omni sui parte de verbo ad verbum sua littera confirmabit. Proinde nobis dictus abbas persolvit complete pro quolibet frusto proprietatis quinque marcas, de quibus manere monasterium quietum ipsum penitus nunciamus et dicimus per presentes. In cuius facti evidens testimonium, nostrum sigillum presentibus est appensum presentibus: Droysekino, Arnoldo de Uchtenhaghen, militibus, Slothekino nostre curie prothonotario, cum aliis fidedignis. Datum Lievenwalde per manum Hermani de Luchow, die beati Iohannis evangeliste, anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo.

Landesberg, *Landsberg a. W.* Somerschen, *Zemsko.* Poppowe, *Popowo.* Tragheheim, *znikła osada pomiędzy wsiami Popowo i Stary dworek.* Zqueryn, Zwerin, *Skwie-*

rzyna. Fons Studenicz, *nie odgadnione.* Stagnum Saben, *dziś pewnie jezioro Twierdzielewo.* Meseritz, *Międzyrzecz.* Glyst stagnum, Zarmblot, *jeziora i osada dziś nie do oznaczenia.* Rugow, *Rojewo.* Ghoriz, *Wielkie Gorzyce.* Glambek stagnum, *jezioro Głąbek.* Blesow, *Bledzewo.* Obra fl., *Obra rz.* Lievenwalde, *Liebenwalde.*

Nr. 959.

Wlodemarus et Iohannes de Brandemburch etc. marchiones 1312 Dec. 27, in Vithemsdorph; cum Andrea, episcopo Poznaniensi, decimas de bonis inter fluvios Noteć, Drawa et Gda sitis paciscuntur.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 177. — Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. B 1, p. 338.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Wlodemarus et Iohannes, Dei gratia de Brandemburch et Luszacie marchiones, accedente nostrorum comitum et baronum consilio et assensu, cum venerabili in Christo patre domino Andrea Dei gratia episcopo et suo Capitulo Poznaniensi, super decimis circa novum Kalis, Tempelburch, Arneskrone, Valkenburch, Velene, et omnibus et singulis bonis inter Notszam et Dravam et Notszam iterum et Kuddam fluvios situatis, iam locatis pariter et locandis, nec non de omnibus aliis bonis nostri dominii sub Poznaniensi diocesi constitutis, exceptis bonis super quibus lis inter Poznaniensem et Kamenensem ecclesias ventilatur, et bonis aliis omnibus sub dominio marchionis Iohannis specialiter constitutis, dicto episcopo et suo Capitulo iure dyocesano debitis, emptionem fecimus et contractum; videlicet ut dictus episcopus et suum Capitulum cum suis successoribus, in Arneswald Kamenensis diocesis de annua contributione proprietatem quinquaginta marcarum Brandenburgensis ponderis et monete, in diebus beate Valpurgis viginti quinque et beati Martini episcopi viginti quinque, annis singulis in perpetuum percipiant inconcusse, contradictione et occasione qualibet procul mota. Habebunt etiam dicti episcopus et Capitulum et eorum successores pro dictis decimis, ducentos mansos Theutunicos nondum cultos, in dicto territorio inter dictos fluvios situatos, cum decimis pleno iure nobis debito libere et pacifice iure proprietario perpetuo possidendos; ita quod in bonis predictis, nullum nobis ius et nostris successoribus penitus reservamus, nullo modo ullas exactiones, tallias aut precarias aut aliquas angarias et preangarias in memoratis bonis ullo unquam tempore faciemus aut ab aliis fieri aliquatenus patiemur, sed bona ipsa tuebimur contra quemlibet violentum. Ne autem super premisso tractatu, per nos rite facto, cuiquam hominum in posterum possit dubium suboriri, presentem paginam desuper confici iussimus, et nostrorum sigillorum munimine de nostro consensu et certa scientia communiri presentibus nostris fidelibus, scilicet domino Gunthero de Kevernberg, comite, nobili Conrado de Reden, Drosekino de Grochen, militibus, Slothekino nostre curie prothonotario, et aliis quam pluribus fidei testimonio decoratis. Actum et datum in Vithemsdorph anno Domini M.CCC.XII, in die beati Iohannis apostoli et ewangeliste.

Novum Kalis, *z niemiecka Kalies.* Tempelburch, *z polska Czaplinek.* Arneskrone, *Wałcz.* Valkenburch, *Falkenburg.* Velene, *Wieleń.* Notsza, *rz. Noteć.*

Drava, *rz. Drawa.* Kudda, *rz. Gda.* Kamenensis, *de Kamień, z niemiecka Cammin.* Arneswald, *Arnswalde, dawniéj Choczno.* Vithemsdorph, *u Riedla* Buchszendorph, *nie odgadnione.*

Nr. 960.

Guntherus comes de Kevernberg 1313 Iul. 27, Santhow; Andreae episcopo Poznaniensi nuntiat, se Michaeli canonico Poznaniensi terminum conveniendi cum Heynone de Liebenow, ad consignationem metarum ducentorum mansorum, in terra Wałcz capiendorum, assignasse.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 42.

Venerabili in Christo patri domino Andree Poznaniensi episcopo, Guntherus Dei gratia comes de Kevernberg, ad quevis beneplacita promotionem firmam et servitium semper promptum. Noveritis, quod assignavimus domino Michaeli vestro nuncio, canonico ecclesie Poznaniensis, terminum et diem, videlicet primam feriam sequentem post Nativitatem beate Virginis, conveniendi, ipse vel alius seu alii nomine vestro, cum domino Heynone de Lybenow milite ac nostro vasallo fideli, limites, metas aut distinctiones ducentorum mansorum in terra nostra Arnescrone cum omnibus iuribus suscipiendi; distinctiones videlicet sic nominatas: a Via marchionis, usque trans flumen Plitenys, ulterius trans flumen Scarnazstroge, eandem Viam ulterius super flumen quod dicitur Chudda: inter ista duo flumina, Plitenys et Chudda, ducentos mansos possidendi in agro qui dicitur Gelynyek capiet vel capient nomine vestro. In cuius testimonium, presentes vobis mittimus nostro sigillo roboratas. Datum Santhow anno Domini M.CCC. XIII, feria VI post Iacobi apostoli.

Lybenow, *Liebenow.* Arnescrone, *późniéj Deutsch Krone, z niem. zam. Wałcz.* Via marchionis, *szlak prowadzący z okolicy m. Arnswalde, czyli Choczno, na północwschód, t. j. ku miastu Człuchów.* Flum. Plitenys, *rz. Plitnica.* Flum. Scarnazstroge, *strum. Czarna struga, z niem. Zarnebach.* Flum. Chudda, *rz. Gda.* Gelynyek, *z niem. Glienke.* Santhow, *Zadow, z niem. zam. Cudow. Miejscowość powyżéj określona leży na północ m. Raciborz na Pomorzu.*

Nr. 961.

Michael abbas in Marievalden et ceteri iudices 1313 Aug. 4, s. l.; controversiam, inter conventum de Zemsko et civitatem Skwierzyna super limitibus vertentem, sopiunt.

Transsumpt potwierdzony przez: Stephanus rex Poloniae etc. 1576 Octob. 31, Thorunii; *w pergam. orygin., którego pieczęć znikła.*

Poznań. Königl. Staats Arch. Blesen 25.

In nomine Domini amen. Nos Michael dictus abbas in Marievalden Ordinis Cisterciensis, Petrus decanus Poznaniensis, Hermannus de Bardeleve preceptor curie Groczendorp, Detimarus de Sicher civis in Landsberg, notum facimus universis presencia inspecturis, quod ex iussu et consilio illustris principis Voldemari, marchio-

nis Brandenburgiensis tutorisque inclyti principis domini Iohannis iunioris marchionis Brandenburgensis, et suorum consiliariorum, videlicet dominorum Drozikonis, Friderici de Alvesleven, Slothkonis, qui videntes guerram et controversiam que diutius vertebatur inter conventum et abbatem de Sambriz parte ex una, et universitatem civitatis Nove Squerin parte ex altera, super limitibus et terminis, in nos tanquam in arbitros vel arbitratores seu amicabiles compositores utrique extitit compromissum. Nos itaque auditis iuribus partium in his que per partes proponere curaverunt (sic) plenius intellectis, Christi nomine invocato arbitramur et finaliter pronunciamus, definimus, sub pena ducentarum marcarum argenti Brandenburgensis utrique partium imposita, quod prefati abbas et conventus de Sambriz, fluvium qui vulgariter Obra nuncupatur, prout suis clauditur riperiis, tam in piscacionibus quam in aliis omnibus utilitatibus, prout decurrit ab ipso monasterio usque in Vartam, libere iure perpetuo possidebunt; ita duntaxat, ut neutri parcium inibi aliqua molendina construere aut fundare quoquomodo, nec ingressum ipsius dicti fluvii in Vartam ad usum ipsorum fratrum aliquatenus occupare (sic). Item, pratum quod Monchervise vulgariter dicitur, situm super ipsum fluvium Obram, integraliter ipsi fratres obtinebunt; ita quod termini inter civitatem memoratam Squerin et monasterium prefatum, in fine eiusdem prati versus civitatem sint et incipiant, et protendantur per arbores per nos consignatas usque ad duas arbores pini, in monte prope se stantes seu sitas, quas terra quadrangulatim circumfodimus et cumulavimus, distantes a palude Craweiz per spacium iugeris unius, quas pro terminis assignamus. Post (sic) definimus, ut limites istius monasterii incipiant a gurgite sive Lacha, existente apud silvam que Buswald nuncupatur, versus Squerin, et protendantur directe usque ad quercum in medio metarum Kiweiz, quam terra circumfodimus et cruce signavimus; ita quod eandem latitudinem ex utroque fine supra Vartam et usque ad borram proximam Craweicz, sicut et in medio obtineant plenarie et complete. Et ad eadem eciam bona pateat ipsis fratribus accessus per bona civitatis, prout ipsis fratribus videbitur expedire. Insuper, in fine metarum civitatis Squerin versus Dragheim respicientium, ipsi fratres unum mansum extensum in longum obtineant pleno iure. Item, si aliquis, quod absit, hec bona impeteret, ipsos fratres aut eciam ipsos cives impediendo in his, ipsi cives fratribus iure suo, sicut et ipsi fratres civibus pro obtinendis his omnibus tenebuntur sibi invicem suffragari. Ut igitur hec singula robur habeant perpetuum, que ex iussu principis predicti et consiliariorum domini Iohannis iunioris predictorum et voluntate et consensu parcium utrarumque prodierunt, presentes litteras nostris sigillis appositis duximus roborandas. Testes huius rei sunt: dominus Marsilius prepositus de Santok, dominus Hermannus plebanus in Meseriz, dominus Fridericus plebanus in Weissensese, insuper Pronest capitaneus in Squerim, decanus (sic) de Wencz, Tideko de Genawe, cum aliis quam pluribus fidedignis. Actum et datum anno Domini millesimo trecentesimo tredecimo, in crastino Invencionis sancti Stephani martiris, tercio (sic) Nonas Augusti.

Marievalden, *Marienwalden.* Grossendorf, *Wielawieś, znikła osada i praeceptorium Templarjuszów.* Landsberg, *Landsberg n. W.* Sambriz, *Zemsko.* Nova Squerin, *Skwierzyna.* Fluv. Obra, *rz. Obra.* Dragheim, *osada dziś znikła.* Santok, *Santok.* Meseriz, *Międzyrzecz.* Weissensese, *z niem. zam. Chyciny.* Wencz, *Wentze,* Genawe, *Gennin.*

Nr. 962.

Andreas Poznaniens. episcopus 1313 Oct. 28, in Poznania; consecrat altare, quod Lodwicus, civis de Poznań, in ecclesia maiori in honorem sanctorum Simonis et Iudae et Thomae erexerat et amplis reditibus dotaverat.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 193.

In nomine Domini amen. Nos Andreas Dei gratia Poznaniensis episcopus notum facimus universis presentibus et futuris tenore presentium potituris, quod attendentes devotionem dilecti filii nostri Lodwici et coniugis sue Gertrudis filiorumque ipsorum, Iohannis, Petri, Nicolai et Pauli, civium Poznaniensium, concessimus ipsis de consensu fratrum nostrorum erigere et construere altare in ecclesia nostra, quod etiam consecravimus in honore sanctorum apostolorum Symonis et Iude eodem die et Thome. Itaque predictis diebus per revolutionem anni, xl dierum concedimus indulgentiam perpetuo duraturam. Et ampliorem ipsorum devotioni facere gratiam cupientes, eis, quicunque cum devotione apud idem altare diebus dominicis missam audierint, xl dierum indulgentiam, auctoritate omnipotentis Dei et apostolorum eius Petri et Pauli confisi, perpetuo concedimus et donamus. Et ut serviens apud altare predictum, qualibet dominica per se vel per alium in eo missam dicens, honeste valeat sustentari, predicti filii nostri, Deo devoti, dicto altari suo coram nobis et nostris fratribus redditus assignarunt, videlicet dimidium Unoltovicze cum lacu, agris, seminibus estivalibus et yemalibus, cum quatuor bobus et omni dominio et utilitatibus ibi existentibus et emergentibus successive; in Golenzcovo decimas post aratra Petri et suorum successorum, item dimidium lapidem cere pro luminibus in altari comburendis; in Vico institorum, de area Hermanni et suorum successorum, fertonem puri (sic) pro vino et oblatis, de domo Nicolai institoris et suorum successorum, ad quoscunque devenerit domorum possessio predictarum, missale, libros, calicem constantem septem marcas, duplicem ornatum sacerdotalem, festivum et ferialem, et omnem ornatum pertinentem ad altare. Concedimus preterea, ut predicti filii ecclesie nostre, conferant altare sepedictum infra quinquaginta annos cuicunque ipsis visum fuerit expedire; post quinquaginta annos, pertineat collatio ad ecclesiam nostram altaris nominati. In cuius rei testimonium, hanc litteram conscribi iussimus, nostri sigilli munimine et Capituli nostri solide roboratam. Actum et datum in Poznania anno Domini M.CCC. tercio decimo, in die sanctorum apostolorum Symonis quoque Iude.

Unoltovicze, *Umułtowo.* Golenzcovo, *Goleńczewo.* Vicus institorum, *nie odgadnione.*

Nr. 963.

Nicolaus filius Michaelis quondam advocati (de Zbanzin) 1314 Ian. 5, s. l.; monasterio de Obra partem cuiusdam molendini resignat.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 28.

In nomine Domini amen. Ordinatum fideliter et prudenti consilio testamentum perseverat immobile, si et ipsum litterarum auctoritas confirmabit. Agnoscant ergo

et certum habeant universi tam presentis temporis quam futuri, quod ego Nicolaus filius Michaelis quondam advocati et noverca mea nomine Paze, de consensu et voluntate benevola omnium heredum et amicorum nostrorum, terciam partem molendini que nos contingit, Deo et gloriose virgini Marie et ecclesie sancte in Obra, pro remedio anime patris mei predicti, iure proprietatis et perpetue possessionis contulimus libere possidendam et absolute, ut conventui eiusdem ecclesie de predicta parte nostra libera sit ordinandi facultas, et prout utile sibi iudicaverit expedire. Hoc autem sciendum, quod sepedictam partem molendini non solum divine remuneracionis intuitu, sed eciam pro pecunia eis donavimus: dederunt enim nobis XIII marcas grossorum et amplius pro eadem. Huius rei testes sunt: Iohannes de Evirsbach et Petrus frater suus, Iohannes advocatus in Zbanzin, Rulkinus, Bertuldus, Albertus, Walterus, cives eiusdem oppidi, et alii quam plures fide digni. Acta sunt hec anno Domini millesimo trecentesimo quarto decimo, in vigilia Epiphanie Domini. Ut autem hec rata et inconvulsa permaneant, presentem litteram sigillo sepedicte civitatis Zbanzin duximus erogandam.

Obra, *Obra.* Zbanzin, *Zbąszyń.*

Nr. 964.

Vladislaus rex (sic) Polonie etc. 1314 Ian. 11, in Slupcza; Andreae episcopo Poznaniensi ius cudendi denarios in civitate Słupca concedit.

Raczyński. Codex diplomatic. Maior. Poloniae, Nr. 86.

In nomine Domini amen. Excellentia nostre ingenuitatis exigit et requirit, ut illos prosequimur (sic) speciali prerogativa gratie et honoris, qui se nobis suis serviciis multiplicibus multipliciter recommendant. Igitur nos Vladislaus, Dei gratia rex (sic) Polonie, dux Cracovie, Cuiavie, Lencicie, Sandomirie et Syradie, progenitorum nostrorum vestigiis inherentes, qui ecclesiam Polonicam donis diversis salubriter extulerunt, cupientes nostre saluti in presentia taliter providere, ut retributor omnium bonorum, pro simplici devotionis inpenso, in eterna patria nostre anime centuplum restituere dignaretur, venerabili in Christo patri domino Andree Dei gratia episcopo Posnaniensi suisque successoribus, ob merita et servitia prefati venerabilis patris domini Andree, reverentiam ac devotionem ecclesie beati Petri Posnaniensis, damus et conferimus ius et utilitatem monete, sive cudendi denarios in Slupcza, civitate ecclesie Posnaniensis, iuxta qualitatem quantitatemque monete terre Polonie, iure perpetuo possidendam, et quod dicta moneta Slupcensis ad ecclesiam Posnaniensem pertinens, per omnes civitates terre nostre Polonie et nostrum dominium Polonicum recipi et valere debeatur sicut nostra. In cuius rei testimonium, presentem litteram nostri sigilli appensione mandavimus communiri. Datum in Slupcza tertio Idus Ianuarii, anno Domini millesimo trecentesimo quarto decimo presentibus his testibus: Martino palatino Calissiensi, Pretpelcone Posnaniensi castellano, Lasczone de Przewloky, Alberto de Pelczino, Zegotha de Goluthowo, Sixto de Blisanowo filio quondam Wirzbanthe, et aliis quam plurimis fide dignis.

Przewloky, *niegdyś grod nad jeziorem miasteczka Skulsk; osada znikła, z zamku pozostało grodziszcze.* Pelczino, *Pałczyn.* Goluthowo, *u Raczyńsk. mylnie* Goluchowo, *Gułtowy.* Blisanowo, *Blizanów.*

Nr. 965.

Wladislaus heres regni Polonie etc. 1314 Ian. 11, in Slupcza; confirmat venditionem hereditatis Szeligi, a Nicolao, herede de Bożacin, ecclesiae Poznaniensi factam.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 106.

In nomine Domini amen. Nos Wladislaus, Dei gratia heres regni Polonie, dux Cracovie, Sandomirie, Cuyavie, Lancycie et Syradie, notum facimus universis presentium notitiam habituris, quod constitutus in nostra nostrorumque baronum Polonie presentia nobilis vir Nicolaus de Bozaczino confessus est et publice protestatus, quod hereditatem suam, dictam Szeligi, venerabili in Christo patri domino Andree, Dei gratia episcopo et sue ecclesie Poznaniensi vendidit libere, et quod pecunia pro eadem hereditate pactata et promissa, sibi iam fuit et est plenarie persoluta, et dictam hereditatem Szeligi, cuius pretium iuxta empcionis conventionem se habere plenarie recongnovit, prefato venerabili patri et per eum sue Poznaniensi ecclesie insinuationis modo, cum intentione resignandi et transferendi ius suum in ecclesiam Poznaniensem quod in dicta hereditate habuit, more solito tradidit coram nobis, petens pro prefato domino episcopo et sua ecclesia una cum domino episcopo, ut empcionem et venditionem predictas confirmare iure nostri dominii dignaremur. Nos autem ob reverentiam beatorum Petri et Pauli apostolorum et ecclesie Poznaniensis, et specialiter amore prefati venerabilis patris, nos favore et fidelibus servitiis multipliciter prosequentis, emptionem et venditionem predictas de nostrorum baronum consilio confirmamus, et ius quod predictus Ni. in sepedicta hereditate Szeligi habuit, in dictos dominum episcopum et suam ecclesiam transferimus per presentes. In cuius rei testimonium, presentem litteram nostri sigilli appensione mandavimus communiri. Datum in Slupcza tertio Idus Ianuarii, anno Domini M.CCC.XIIII, presentibus nostris nostrarumque terrarum baronibus: Martino palatino Kalisiensi, Miclone palatino Cuyavie, Pretpelcone castellano Poznaniensi, Alberto de Pelczino, Lasczone de Prevloki et Segotha de Goluthovo, et aliis multis fide dignis.

Bozaczino, *Bożacin.* Szeligi, *nie odgadnione.* Slupcza, *Słupca.* Pelczino, *Pałczyn.* Prevloki, *w Lib. privil. mylnie* Puloki, *osada nad jeziorem miasteczka Skulsk; z grodu dawnego pozostało grodziszcze.* Goluthovo, *Gułtowy.*

Nr. 966.

Fr. Nicolaus abbas de Mogilna 1314 Ian. 21, apud Radcens; villam sui monasterii, dictam Opatowo, Gervardo episcopo Cuiaviensi vendit.

Pergam. orygin., w którego dolnym, założonym brzegu dwa paski pergaminowe, każdy przez dwa wcięcia poprzeczne przewleczony.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 78.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que aguntur in tempore, ne per lapsum temporis a memoria dilabantur, scripturarum testimonio perhennantur, proinde nos

frater Nicolaus, abbas de Mogilna Ordinis sancti Benedicti, habito nostri conventus consilio et assensu et una cum dicto conventu nostro, villam nostram Opathovo vulgariter nuncupatam, contiguam villis Slavsco et Bozislavice, situatam in territorio Iuvenis Wladislavie, cum censu et decima seu maldratis ac cum omnibus pertinenciis, iuribus, iuridicionibus et serviciis ac utilitatibus quibuscunque, que nunc sunt in eadem vel esse poterunt in futurum, venerabili in Christo patri domino Gervardo, Dei gracia episcopo ecclesie Wladislaviensis, in extrema necessitate positi, utpote quia nos et fratres nostri omnino sustentacione victualium carebamus, pro triginta marcis denariorum Thorunensium et sexaginta mensuris seliginis vendidimus, iure hereditario sibi suisque successoribus in perpetuum pacifice possidendam, quas eciam triginta marcas et annonas protestamur a predicto domino episcopo recepisse, nobis plenarie numeratas: faventes potius de eadem villa eidem domino episcopo dyocesano nostro, plus quam persone alicui laycali: et in possessionem corporalem eiusdem ville ipsum duximus inducendum. Renunciamus insuper omnibus privilegiis et instrumentis, nec non consuetudinibus seu quibuscunque iuris canonici vel civilis auxiliis, per que predicta posset ordinacio seu vendicio aliqualiter inpediri. In cuius rei testimonium, presentem litteram sigillis, nostro et nostri conventus, mandavimus communiri. Datum apud Radcens anno Domini M.CCC. quarto decimo, in die beate Agnetis virginis et martiris, presentibus hiis testibus: dominis Stanislao preposito, Mathia decano, Alberto scolastico, Stanislao cantore Wladislaviensibus, Michaele preposito, Panceslao decano, Theodrico archidiacono Crusviciensibus, et fratribus Ordinis nostri Gregorio preposito sancti Adalberti apud Quercum, et Gavlo custode nostro de Mogilna, et aliis quam pluribus fidedignis.

Mogilna, *Mogilno.* Opathovo, *osada znikła.* Slavsco, *Sławsk.* Bozislavice, *Bożejewice.* Iuvenis Wladislavia, *Inowrocław.* Wladislaviensis, *de Włocławek.* Radcens, *Raciążek.* Monasterium s. Adalberti apud Quercum, *klasztor Benedyktynów p. m. Gdańsk, dziś S. Adalbert.*

Nr. 967.

Henricus miles et Iohannes famulus dicti de Wedel 1314 Febr. 2, in civitate Arnscron; civitati Frydland campos in ambitu ipsius sitos, et quosdam fructus de civitate et campis praedictis provenientes conferunt.

Warszawa. Archiw. Główne. Metryki Koron. ks. 99, fol. 197. — Raczyński. Codex diplomatic. Maior. Polon. 87.

In nomine Domini amen. Cum de condicione humane fragilitatis hominum memoria sit labilis, vita brevis, expedit, ut acta rite, litterarum serie ac fidelium testimonio perhenentur. Hinc est quod nos Henricus miles et Iohannes famulus, fratres dicti de Wedel, notum esse volumus universis noticiam presencium percepturis, quod nostre civitati Nuve Vredeland appellate, ut eo melius emendet se, cum unanimi consensu nostrorum heredum et aliorum amicorum maturo consilio dedimus et per presentes damus, quidquam utilitatis intra eandem civitatem, census aut precii de macellis carnium, pannorum, calceorum esse poterit, vel aliarum gasarum, si ibi constructe fuerint, de quibus poterit esse fructus. Eciam damus eidem civitati, quidquid utilitatis de censu agrorum ad aream pertinencium, quod vulgariter dicitur Worden Tins, esse poterit, in quo prefectura iam dicte civitatis percipiet

tertiam partem, alia remaneat civitati. Et quidquid utilitatis de censu areas mensurandi, quod proprie dicitur Worden Tins, esse poterit, ut prefectura eiusdem civitatis percipiet tertiam partem, alie solventur civitati supradicte. Item damus civitati Nuve Fredeland, quidquid utilitatis et fructus intra distinctionem infradictam esse poterit. Hec est distinctio: arbor quadrangularis, proprie dicta ein Hornic Bom, que stat iuxta distinctionem nostrorum bonorum et illorum dominorum de Lybenow, apud quoddam flumen quod dicitur Prilank. Ab illa arbore predicta ein Hornic Bom, directe procedendo deorsum iuxta predictam mediam distinctionem nostrorum bonorum et illorum dominorum de Lybenow, usque terram Boiten. Ab illa quadrangulari arbore, que dicitur ein Hornic Bom, in terra Boiten illud stagnum Nyrocze in processione longitudinis deorsum, usque ad istum finem ville que dicitur Henekenstorp. Ab isto fine stagni procedentes ad villam predictam Hennekenstorp per directum funiculum distributionis, quod proprie dicitur ein Mas, usque ad stagnum quod dicitur Grothen Cadow. Illud flumen, quod de predicto stagno Grothen Cadow fluit, in obliquo et recto deorsum, usque ad flumen quod dicitur Kortenicz Crevle; et illud iam dictum flumen in obliquo et recto deorsum, usque ad locum ubi intrat flumen quod dicitur Kortenicz Wlit; et illud iam dictum flumen sursum, usque ad flumen quod dicitur Kortenic Wlit. Illud iam dictum flumen in obliquo et recto, usque ad illud stagnum quod dicitur Kortenic Se. Illud iam dictum stagnum Kortenic Se in processione longitudinis ab isto fine, usque ad illum finem stagni predicti Kerthenic Se; ab illo fine stagni eiusdem per directum funiculum distributionis, quod proprie dicitur ein Mas, usque ad locum, ubi antiqua Via marchionis protenditur trans montem, qui dicitur Kobelenberch. Illa antiqua Via marchionis in processione longitudinis penitus extra, usque adversus illam arborem quadrangularem predictam ein Hornic Bom, que stat iuxta prehabitam mediam distinctionem nostrorum bonorum et illorum dominorum de Lybenow, apud predictum flumen quod dicitur Prilank. Ab ista antiqua Via marchionis per directum funiculum distributionis, quod proprie dicitur ein Mas, usque ad eandem arborem quadrangularem dictam ein Hornic Bom, que stat iuxta prenominatam mediam distinctionem nostrorum bonorum et illorum dominorum de Lybenow, in eodem loco, ubi presentem distinctionem incepimus. Et damus prenominate civitati Nuve Vredeland, quidquid utilitatis intra metas et limites eius esse poterit, scilicet stagnum quod dicitur Kortenitcs, et stagnum quod dicitur Wolgast, stagnum quod dicitur Kerstigemile, ambo stagna que vocantur Kuves, ambo stagna que dicuntur Zadow, ambo stagna que vocantur Karwes. Etiam damus eidem civitati libertatem venandi intra ipsius metas limitatas, et locum ville qui dicitur Kawrenz las cum lxiii mansis agrorum inter metas iam dictas sitis, cum pleno iure et iusto titulo feudali, utilitate qualibet et proventu. Item damus predicte civitati Nuve Vredeland, quidquam utilitatis intra ipsius metas superius limitatas eiusque campum esse poterit de lignis, aquis, piscinis, mericis, pratis, paludibus, agris cultis et incultis, et quecunque intra premissa opera reperiri poterint, sub terra sive super faciem terre, in aere, melle exquirendo, breviter universa de quibus poterit esse fructus. Eciam damus prefate civitati Nuve Vredeland, quidquam utilitatis et fructus cedet ab universis que extrui poterint super flumine quod dicitur Kortenic Wlit, preter dimidiam partem, quam percipiet prefectura civitatis eiusdem. Verum tamen excipimus flumen molendini, cum palude in qua humulus crescit. Igitur presentem paginam nostrorum sigillorum appendicis roboramus, ut stabile et

ratum habeatur, quidquid in ea cernitur exaratum. Testantur ista: dominus Albertus sacerdos, plebanus in Arnescrone, Ludovicus et Hasso milites, Lambertus famulus, fratres dicti de Wedel. Item Balcze et Heningus Napseale (sic), Heningus Debow, Gerardus Sulstorp; item Henricus, Fridericus fratres, et Fredericus eorum patruus, dicti Sittengrope; item Nicolaus et Iohannes fratres dicti Knokendorp, fundatores premisse civitatis Nuve Vredeland et consules ibidem; item Petrus et Nicolaus fratres dicti Lozienbrok (sic) et Nicolaus Dorphere, eorum patruus; item Hildebrandus et Arnoldus dictus Knuth, Iohannes Dorphere, et quam plures fide digni. Datum in civitate Arnscron anno Domini millesimo trecentesimo decimo quarto, in festo Purificationis Marie virginis gloriose.

Nuve Vredeland, *Frydland, dziś Märk. Friedland.* Lybenow, *Liebenow.* Prilank flum., *strumyk wpadający do str. Mühlenbach.* Terra Boiten, *okolica przyległa jezioru wsi Bytyń, z niem. Böthin See.* Stagnum Nyrocze, *jezioro p. wsią Nierosen.* Henekenstorp, *Henkendorf.* Grothen Cadow stagnum, *jezioro przyległe wsi Cudow.* Kortenicz Crevle flum., *Krebs Bach, wpadający do str. Mühlenbach.* Flum. Kortenicz Wlit, *Körtenizer Fliess, wpadający do rz. Drawa.* Kortenic Se, *jezioro p. wsią Körtenitz.* Antiqua Via marchionis, *droga prowadząca z pod m. Arnswalde, czyli Choczno, na północ-wschód, t. j. ku m. Człuchów, tu zaś od wsi Alt Löbitz do Frydland.* Kobelenberch, *wzgórze na południe-zachód, o pół mili od m. Frydland.* Stagna: Wolgast, Kerstigemile, Kuves, Karwes, *jeziora na około m. Frydland.* Locus Kawrenz las, *nie odgadniony.* Knokendorp, *Knackendorf.* Arnscron, *Wałcz.*

Nr. 968.

Nicolaus Sbicneviz 1314 Mart. 12, s. l.; monasterio de Obra partem clausurae in lacu Rogow resignat.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 26.

In nomine Domini amen. Labi potest cum lapsu temporis quidquid disponitur, nisi literarum caucionibus aut personarum testimoniis confirmetur. Sciant ergo universi tam presentes quam posteri, quod ego Nicolaus dictus Sbicneviz, pro remedio animarum parentum meorum, matris mee filiorumque meorum, ecclesie dedicate in honorem sancte Marie virginis in Obra ac fratribus in ea Domino servientibus contuli cum consensu omnium heredum meorum partem clausure Uscie in lacu nomine Ragav, ad me et ad filios meos spectantem cum partibus sibi adiacentibus et cum iure ad eandem pertinente, videlicet in ea piscandi vel alias qualescunque utilitates faciendi, iure hereditario in perpetuum possidendam. Sciendum vero, quod eis sepedictam clausuram cum prenominatis partibus et utilitatibus non tam divine remuneracionis solius intuitu, quam pro pecunia donavimus; dederunt enim nobis VI marcas grossorum et amplius pro eisdem. Acta sunt hec anno Domini millesimo trecentesimo decimo quarto, in die beati Gregorii Pape, presentibus his testibus, videlicet comite Peregrino de Kumeraw, Paulo Maloskowiz sculteto in Dambrove, Buckfalo de Wronawe, et aliis quam pluribus testibus fide dignis. In cuius rei testimonium, sigillum meum est appensum presentibus.

Obra, *Obra.* Ragav lacus, *zapewne jezioro pod wsią Wioska, p. miast. Wolsztyn.* Kumeraw, *Komorowo.* Dambrove, *Dąbrowa.* Wronawe, *Wroniawy.*

Nr. 969.

Andreas Poznaniens. episcopus 1314 Apr. 14, Poznanie; altaria b. b. Petri et Pauli, Stephani et Nicolai, in ecclesia maiori a se dotata et privilegiata, ecclesiae Poznaniensi incorporat.

Pergam. orygin. Skrawki pergamin. od przywieszenia dwóch pieczęci.
Poznań. Archiv. Capituli. III, 7.

In nomine Domini amen. Nos Andreas Dei gracia Poznaniensis episcopus, Redemptori nostro et beatis eius, intemerate virgini Marie, Petro et Paulo apostolis ipsius, qui nos ad pontificatus apicem dignitatis licet inmeritos provocaverunt, placere, et placatos ob veniam nostrorum habere peccaminum cupientes, et in commemoracionem et remedium omnium fidelium defunctorum, altaria beatorum Petri et Pauli apostolorum, Stephani prothomartyris, Nicholay confessoris et episcopi, dotata et privilegiata per nos, ut inibi crescat cultus divinus nostrique ex hoc devocio successoris et Capituli augeatur et ab ipsis augumentum pietatis senciant et profectum, de unanimi consensu fratrum nostrorum Capituli Poznaniensis ecclesie nostre incorporamus, canonicatus et prebendas personales et sacerdotales de ipsorum altarium reditibus perpetuas facientes; eisdem altaribus deservientibus, iuxta onera ipsorum, stallum in choro et locum in Capitulo assignantes. In cuius rei testimonium, presentibus nostrum sigillum et nostri Capituli mandamus apponenda. Actum et datum Poznanie in loco et sessione Capituli in sacristia beati Stanislay, in dominica qua cantatur Quasi modo, anno Domini M trecentesimo quarto decimo.

Nr. 970.

Wladislaus heres regni Polonie etc. 1314 Mai. 1, in Uneiow; concedit Wolimiro filio Horatii, ut villam ipsius, dictam Grocholice, iure Theutonico locare valeat.

Pergam. orygin., w którego dolnym, założonym brzegu grube pasmo nici jedwabn., czerwon. ucięte.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 79.

In nomine Domini amen. Nos Wladislaus, Dei gracia heres regni Polonie, dux Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie ac Cuiavie, notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris noticiam presencium habituris, quod inspectis fidelitatibus et fidelibus serviciis, que nobis Wolimirus filius Oracii multipliciter exhibuit et inpendit et exhibere paratus est in futurum, villam ipsius in terra Syradiensi, que Grocholice vulgariter nuncupatur, admisimus et concessimus in ius Theutonicum perpetualiter transferendam et eam locandam iure Theutonico, prout omnes alie ville militum in terra Siradiensi sunt locate; dantes incolis prefate ville plenam et omnimodam libertatem ab omnibus solucionibus, exaccionibus, laboribus et serviciis ducalibus, quibuscunque nominibus censeantur, a data presentium, per spacium annorum triginta duraturam. Elapso vero annorum spacio supradicto et expirata libertate prenotata, eadem villa tantum solucionis et servicii nobis tenebitur et progenitoribus nostris,

sicut omnes ville militum in terra Syradie que iure Theutonico sunt locate. In cuius rei testimonium, presens privilegium sibi dari iussimus nostri sigilli munimine roboratum. Actum anno Domini millesimo CCC. quarto decimo, presentibus fidelibus nostris: Lasczone castellano Lendensi, Michaele subiudice Syradiensi, Philippo Peregrini, Andrea dapifero Syradiensi, et aliis pluribus fidedignis. Datum in Uneiow die apostolorum Philippi et Iaccobi per manus Iaccobi notarii curie nostre.

Grocholice, *Grocholice.* Lendensis, *de Ląd.* Uneiow, *Uniejów.*

Nr. 971.

Wladislaus heres regni Polonie etc. 1314 Aug. 19, apud Pizdr; civitati Pyzdry hereditates Rataje, Thulycya, Pietrzykowo et Cieśle confert.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscription. Pyzdrens. a. 1556, fol. 423.

In nomine Domini amen. Dignum est, ut bene meriti in se et in suis successoribus principum beneficiis consolentur, ut eorum exemplo alii ad obsequia reddantur prompciores. Nos igitur Wladislaus, Dei gracia heres regni Polonie, dux Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie ac Cuyavie, notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris noticiam presencium habituris, quod inspectis fidelitatibus et serviciis fidelibus ac utilibus, que nobis discreti viri fidelissimi nostri cives Pizdrenses fideliter, unanimiter et constanter impenderunt et in futurum impendere et exhibere sunt parati tanquam vero domino et heredi, in subsidium dicte civitatis et recompensam meritorum tocius universitatis civium supradicte civitatis, de omnium consilio pariter assensu nostrorum baronum, hereditates nostras, que vulgariter nuncupantur Rathaye, Thulycya, Petricow, Cesle, has et molendinum situatum in Thulycya eidem civitati et civibus omnibus indistincte damus, vendimus et conferimus, iure hereditario inperpetuum possidendas cum omni dominio et iure, utilitatibus et usufructibus, qui nunc sunt vel esse poterunt in futuro, prout dicte hereditates in suis metis a diuturno tempore sunt limitate et distincte. Actum apud Pizdr anno Domini millesimo trecentesimo quarto decimo, quarto decimo Kalendas Septembris, presentibus fidelibus nostris militibus: Martino palatino, Simone subcamerario Kalisiensibus, Venceslao dicto Lis capitaneo Syradiensi et Mathia fratre ipsius, Petro herede de Myloslave, et aliis pluribus fidedignis. In cuius rei testimonium, presentes litteras conscribi iussimus et nostri sigilli munimine roborari. Datum per manus domini Philippi, cancellarii nostri terre Polonie et archidiaconi ecclesie Poznaniensis.

Rathaye, *Rataje.* Thulycya, *w Nrze 904* Thuley, *nie odgadnione.* Petricow, *Pietrzykowo.* Cesle, *Cieśle.* Myloslave, *Miłosław.*

Nr. 972.

Iector comes de Klempsko 1314 Aug. 22, s. l.; una cum uxore sua Hedvige hereditatem Nowe Kramsko monasterio de Obra confert.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 27.

In nomine Domini amen. Quoniam testamentum suum non recte disponit qui terrenis tantum testatur heredibus et Christum non fecerit sue substancie heredem, sciant ergo fideles universi tam presentis temporis quam futuri, quod ego Iector comes dictus de Klempsko et uxor mea Hedvigis diem extreme messionis operibus misericordie et benedictionis prevenire volentes, corpore sano maturisque sensibus, de consensu et voluntate benevola omnium heredum et amicorum nostrorum, hereditatem nostram, vulgariter Krampsko nova nuncupatam, cum omnibus adiacentiis et eius utilitatibus, pro remedio animarum nostrarum ac parentum nostrorum, fraude et dolo penitus exclusis, Deo et gloriose virgini Marie et ecclesie sancte in Obra contulimus in perpetuum possidendam, ut pia nominis nostri sit recordacio apud homines, et in benedictionibus memoria apud Deum. Ne autem tam racionabile factum nostrum cuiuspiam audeat infirmare temeritas, schedulam hanc conscribi et sigilli nostri impressione fecimus muniri. Huius rei testes sunt: reverendus dominus Gerko canonicus Poznaniensis, dominus Andreas plebanus in Wilkow, Bozata avunculus noster heres prefate hereditatis Wilkow, dominus Iohannes de Iagowe prior Obrensis, Conat scultetus in Colosino, et alii quam plures fide digni. Acta sunt hec anno Domini millesimo trecentesimo quarto decimo, in octava Assumpcionis beate Marie virginis.

Klempsko, *z niemiecka Klemzig*. Krampsko novum, *Nowe Kramsko*. Obra, *Obra*. Wilkow, *Wilkowo niemieckie*. Colosino, *nie odgadnione; może Colcino*, dawniéj darowane Templarjuszom, dziś z niem. Költschen p. m. Landsberg n. W.

Nr. 973.

Wladyslaus heres regni Polonie etc. 1314 Aug. 31, apud Kalys; confirmat omnia iura et privilegia, civitati Kalisz a praedecessoribus suis concessa.

Pergam. orygin. Na pasmie nici półjedwabn., zielon. przywieszona połamana pieczęć Władysława księcia, przedstawia stojącą osobę, wspartą prawicą na oszczepie, na którego proporcu Orzeł rozpostarty w koronie; lewa spuszczona na dół. Po prawéj stronie; na trójkątnéj tarczy Orzeł rozpostarty w koronie; po lewéj na takiéż tarczy godło Ziemi Kujawskiéj; na krawędzi tarczy, hełm z ozdobionym szczytem. Napis i głowa osoby odłamane.

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae I, Nr. 105.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que legitime facta sunt, ne longinquitate temporis a memoria hominum elabantur, testium ac litterarum testimonio perhennan-

tur, proinde nos Wladyslaus, Dei gratia heres regni Polonie, dux Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicye et Cuyavie, ad notitiam et testimonium omnium presencium et futurorum harum serie litterarum volumus devenire, quod dum discreti viri, fidelissimi nostri advocatus, consules et tota universitas civitatis Kalysiensis in presencia nostra nostrorumque baronum fuissent constituti, a nobis unanimiter benivole et gratanter postularunt, ut intuitu servitiorum suorum, iura eorum omnia, que privilegiis nostrorum predecessorum possunt ostendere in publico, de speciali gracia et favore gratuita habentes, nostris scriptis autenticis confirmaremus. Et quia dignum est ut bene meriti principum beneficiis consolentur, igitur nos attendentes dictorum civium fidelitates et fidelia servicia que nobis constanter et fideliter ostenderunt, omnia iura et privilegia eorum, que a nostris predecessoribus optenta habuerunt, in publicis nostris scriptis gratanter rata habentes, duximus confirmanda. Actum apud Kalys anno Domini millesimo trecentesimo quartodecimo, in octava sancti Bartholomei. In cuius rei testimonium et evidentiam pleniorem, presentibus sigillum nostrum duximus appendendum presentibus nostris militibus: Martino palatino Kalysiensi, Predpelchone castellano Poznaniensi, Petrchone iudice, Symone subcamerario Kalysiensibus, Wenceslao dicto Lys capitaneo Syradiensi, Petro Stossewycz, et aliis pluribus fidedignis. Datum per manus domini Phylippi cancellarii nostri terre Polonie.

Nr. 974.

Albertus palatini etc. 1315 Ian. 26, in Gostin; protestatur, Ulricum scultetum de Kosowo, cum Swentocha, relicta fratris ipsius, ratione scultetiae in Kosowo esse concordatos.

Pergam. orygin. Skrawek pergamin., przez 2 wcięcia przewleczony, z którego pieczęć znikła.

Poznań. Königl. Staats Arch. Person. 4.

In nomine Domini amen. Nos Albertus palatini de Crostna et dominus de Gostin presencium serie litterarum recognoscimus et testamur, quod in nostra presencia constituti Ulricus scultetus noster de Kozow et relicta fratris sui Wytgonis domina Swentocha, talem inter se fecerunt ordinacionem. Dedit namque iam dictus Ulricus prefate domine VII marcam (sic) denariorum in hunc modum, quod ipsa, de dicta scoltecia Kozow et de aliis bonis mariti sui quondam si quam haberet iuridiccionem, abrenunciavit penitus et resignavit In cuius rei testimonium, presens scriptum sigilli nostri appensione duximus roborandum presentibus hys testibus: domino Syfrido de Cedelicz, Hermanno de Koyen et Ludwigo magistro civium. Datum in Gostin per manus Eberhardi scriptoris curie nostre, anno Domini M.CCC. quinto decimo, secunda feria proxima post dominicam qua cantatur Exurge.

Crostna, *Krosno.* Gostin, *Gostyń.* Kozow, *Kosowo.*

Nr. 975.

Gervardus ecclesie Wladislaviens. episcopus 1315 Mai. 26, apud Radcens; permutat decimas suae ecclesiae in villa Siedlec cum pertinentes pro decimis monasterii de Mogilno in villa Bożejewice et iure patronatus ecclesiae s. Iohannis in Włocławek.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia dwóch pieczęci.

Privil. monasterii Mogilno. S. 20. — Biblioteka X. X. Czartoryskich. Teki Naruszewicza VIII, Nr. 2. (Ten sam dyplomat w nader błędnéj kopji, z dodatkami poniżéj umieszczonymi).

In nomine Domini amen. Quoniam ea que aguntur in tempore, ne per lapsum temporis a memoria dilabantur, scripturarum testimonio perhennantur, ad noticiam igitur universorum tam presencium quam futurorum volumus devenire, quod nos Gervardus, divina miseracione ecclesie Wladislaviensis episcopus, utilitatibus ecclesie nostre intendere cupientes, prehabito nostri Capituli consilio et assensu, cum honorabili viro fratre Nicolao abbate de Mogilna et suo conventu, Ordinis sancti Benedicti, permutacionem decimarum inter nos fecimus sub hac forma. Ita videlicet, quod nos dicto domino abbati et suo conventui decimam mense nostre in villa Sedlce, situata in insula que dicitur Saulow Ostrow, vicina ville ipsorum Krzyte, dedimus et resignavimus iure perpetuo, libere et pacifice possidendam. Prenotatus autem dominus abbas una cum suo conventu, decimam ad monasterium ipsorum pertinentem in villa que dicitur Bozegevice, prout suis certis limitibus est distincta, situata in territorio Wladislavie Iuvenis circa bona nostra Slavsco, dedit et asignavit in recompensam nobis et nostris successoribus, perpetuo, libere et pacifice possidendam. Insuper et ius patronatus ecclesie sancti Iohannis apud Antiquam Wladislaviam cum naulo et theloneo et omnibus aliis pertinenciis, prout ad eum pertinebat, in nos et nostros successores transtulit pleno iure, ita quod presentacio capellani ad ecclesiam memoratam, ad nos et nostros successores perpetuo pertinebit. Et ut hec ordinacio seu permutacio, rite et racionabiliter inter nos facta, firma et inviolabilis perseveret, presentem litteram sigilis, nostro et nostri Capituli, mandavimus communiri. Actum et datum apud Radcens in crastino sancti Urbani, anno Domini M.CCC. decimo quinto, presentibus hiis testibus: fratribus nostris dominis Stanislao preposito, Mathia decano, Alberto scolastico, Iohanne cantore Wladislaviensibus, Michaele preposito, Stanislao decano, Lodvigo cantore, Iohanne custode Crusviciensibus, et aliis quam pluribus fidedignis nostre curie capellanis.

Teki Naruszewicza, inter: libere et pacifice possidendam, *et:* Prenotatus autem dominus abbas *etc., habent:*

Nec non eisdem abbati et conventui, census ac proventus ad preposituram sancti Adalberti ad Quercum in terra Pomoranie, quia a temporibus retroactis ad ipsos dicta prepositura dinoscitur pertinuisse, confirmamus, prout coram nobis sufficienter approbavit per privilegia eorum; videlicet in villis Purszy (*vacuum*) marcam monete Prutenicalis, in Nochowo et Iarossevo tres fertones examinati, in Lipere, Czyplowo, Bandziesno, Koczyne et Bartolino racione missalium ipsi ecclesie debitos.

Inter testes, post: Iohanne cantore, *habent:* Octavio custode Wladislaviensibus.

Wladislaviensis, *de Włocławek.* Mogilna, *Mogilno.* Sedlce, *Silec.* Insula Saulow Ostrow, *półwysep utworzony przez zakręt rzeki Noteć, obejmujący wsie Ostrów,*

Kołuda mała i wielka, i Silec. Krzyte, *osada znikła na tymże półwyspie.* Bożejewice, Sławsko, *dziś tak samo.* Wladislavia Iuvenis, *Inowrocław.* Antiqua Wladislavia, *Włocławek.* Radcens, *Raciążek.*

Prepositura s. Adalberti ad Quercum, *niegdyś klasztor Benedyktynów p. m. Gdańsk, dziś S. Adalbert.* Purszy, *z niem. Praust.* Nochowo, Iarossevo, Lipere, *w téj okolicy nie odgadnione.* Czyplowo, *z niem. Zipplau.* Bandziesno, *z niem. Bangschin.* Koczyne, *z niem. Goschin.* Bartolino, *Bartlin.*

Nr. 976.

Woldislavus Cracoviė etc. totiusque regni Polonie dux 1315 Iun. 27, apud Cracoviam; cum regibus Daniae, Sueciae et Norvegiae, nec non cum principibus Rugiae, Sclaviae et Meklenburgiae contra marchiones Brandenburgenses foedus init.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. B 1, p. 372. (Kopja).

In nomine Domini amen. Cum sincera concordie unio principum inter ipsos verum amorem nutriat, odium tollat, tranquillitatem et pacem subditis generet terrisque ipsorum profectum augeat et salutem, hinc est quod nos Woldislavus, Dei gratia Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie totiusque regni Polonie dux nec non heres Pomeranie, omnibus presentibus et futuris ad quos presens scriptum pervenerit volumus constare, quod cum victoriosissimis principibus, amicis nostris pre cunctis precordialibus et dilectis dominis, Dacie, Suecie et Norwegie regibus, et magnificis principibus, Ruyensi, Sclavie, Mekelburgensi et cum omnibus eorum coadiutoribus, ordinationem inter eos habitam ex una parte et nos ex altera, omni dolo procul moto, inconvulsam irrevocabiliter et inviolabiliter volumus observare, quemadmodum inter nos utrinque per nostrum fidelem capellanum, dominum Stanitzlaum, extitit hactenus ordinatum; per patentes literas nos firmiter et districte obligando, quod prefatos nostros dominos et amicos in nullo penitus volumus deserere, sed contra omnem hominem et personam eis inimicam vel inimicari volentem adstabimus. Et precipue contra marchiones Brandenburgenses promittimus ipsos iuvare et spondemus omni consilio, auxilio et favore, quo poterimus ampliori, et nunquam cum eis pacem aut aliquam concordiam faciemus, nisi de ipsorum consilio, favore pariter et consensu: unde, si ipsorum excellentie adhuc de nobis aliquid hesitarent, requisiti tempore et occasione se offerente, opportuna auxilia prestabimus, cum nuntium, cui fidem adhibuerint, ad nos duxerint destinandum. Ex superabundanti, ordinationem habitam inter nos, iuramento et nostrorum coadiutorio promittimus roborare. Promittimus etiam bona fide pro excellentissimo rege Ungarie, affine nostro charissimo, et pro omnibus nostris filiolis, Dei gratia principibus Cuiavie, Masovie, Osvantime, Bythonie et Raziborie, pro nostrisque nepotibus Russie principibus, quod prehabitam ordinationem initam nobiscum, tenebunt et inviolabiliter observabunt. Actum et datum apud Cracoviam anno Domini MCCCXV, V Calendas Iulii. Ad cuius rei evidentiam pleniorem, presentibus nostrum sigillum authenticum duximus apponendum.

Lancicie, *u Riedla* Lutitie. Dacia, *Dania.* Ruyensis, *de Rugia insula.* Osvantime, *Oświecim.* Bythonia, *Bytoń, z niem. Beuthen.* Raziboria, *Raciborz, z niem. Ratibor.*

Nr. 977.

Albertus Nicolaus Iassco et Petrus filii condam Nicolay palatini Kalyziensis 1315 Aug. 23, in Gostyn; dant fratri suo seniori Iacobo, scolastico Gneznensi, pro patrimonio eidem in Polonia contingenti, bona ipsorum indivisa, in Pomorania sita.

Pergam. orygin. Na paskach pergamin. przywieszono dwie pieczęcie. Pierwsza Wojciecha przedstawia na trójkątnéj tarczy godło rodu Łodzia; napis: S. Comitis Alberti de Crozna. *Druga Mikołaja;* (pieczęć XLI).

Königsberg. Königl. Staats Arch.

In nomine Domini amen. Nichil firmum et stabile esse dignoscitur, nisi litterarum apicibus sciencia conprobetur et testium confirmetur (sic). Nos igitur Albertus, Nicolaus, Iassco et Petrus, filii condam Nicolay palatini Kalyziensis, universis presentes litteras inspecturis, et principaliter domino nostro excellentissimo fratri Karulo, Ordinis domus Theutonicorum summo magistro generali et eius confratribus ceteris, dominis nostris, esse volumus manifestum, per quem et quos suffragante Dei potencia terra Pomoranie nunc regitur et hereditarie possidetur, quot cupientes honorare personam fratris nostri senioris domini Iacobi heredis Gluzen., scolastici ecclesie Gnezdensis, in unum concordantes equaliter et ex toto, adhibito amicorum nobis consilio, inclinati eius voluntati, de mera nostra liberalitate, pro sorte in Polonia post patrem contingente et insuper pro pecunia aliqua per ipsum nobis data, sibi bona nostra in Pomorania situata que possidebamus indivisa, vulgariter dicta Kyssew, Mressino, Lubnam, Domianowam Dobrovam, cum suis limitibus, cum omnibus adiacenciis, pertinenciis, utilitatibus, lacubus, mellificiis et structuris fluviorum, et aliis universis que nunc sunt vel exoriri poterunt in futurum, confirmamus et contulimus integraliter in personam ipsius et suorum successorum, dominium utile et directum in eundem transferentes, ipsum possessorem vel quasi constituentes bonorum omnium prefatorum. Et nos ratum et gratum habentes donacionem sive alienacionem dictorum bonorum, in hiis scriptis damus sibi auctoritatem de nostro beneplacito et consensum plenarium prebemus, dicta bona dandi cui videbitur, tam in vita quam in morte, vendendi cui sibi placuerit, infeudandi, dandi vel legandi pro anima sua ecclesie cuicumque, cenobiis, crucesignatis, et quibuscumque aliis piis locis. Quibus omnibus bonis iam nominatis, spontanei in manus ipsius renunciamus, prout et renunciamus coram nostris amicis et aliis viris dignis, ad hoc studiose vocatis. Hac autem ordinacione inter nos peracta, magnificenciam domini nostri, quem divina clemencia nominate terre constituit heredem, humiliter exoramus, ut cum ad resignacionem propter legitima inpedimenta astare presencia non valemus, quatenus litteris nostris fidem adhibendo, iura in bonis sibi concedatis sicut in privilegiis continetur, et fieri faciatis verum, legittimum et perpetuum possessorem sive heredem. Et ne in posterum super hiis dubitetur, presens instrumentum fieri iussimus, sigillis nostris muniendo presentibus hiis testibus: Scarbimiro de Scorossewicz et Clemente de Ponecz, nostris cognatis, domino Preczslao plebano de Gostyn, domino Andrea rectore ecclesie de Stossewo, Wyrzbota filio Iacobi Domarathowicz, Stancone, Nicolao, Pribcone Bohemo, nostris vasallis, Nicolao dicto Stygar et Treborio Pomorano. Datum in Gostyn in vigilia sancti Bartholomei apostoli gloriosi, sub anno Domini millesimo CCC quinto decimo.

Gluzen. (ensis), *de Głuszyna.* Kyssew, *Kiszów.* Mressino, *nie odgadnione; może dziś Mrose.* Lubna, *Lubnia.* Domianowa Dobrova, *Dąbrowo.* Scorossewicz, *Skoraszewice.* Ponecz, *Poniec.* Gostyn, *Gostyń.* Stossewo, *nie odgadnione*; może zam. *Scossewo,* t. j. Skorzewo.

Nr. 978.

Iohannes Brandenborchie etc. marchio 1315 Sept. 8, s. l.; villam Popowo monasterio de Zemsko confert.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabiu zielonego przywieszona pieczęć podłużna wyobraża męża zbrojnego, wspartego prawicą o oszczep, a lewicą na tarczy, na któréj Orzeł; napis zatarty.

Poznań. Königl. Staats Arch. Blesen 12.

In nomine Domini amen. Actus humani generis in oblivionis lapsum deciderent, nisi aliqua perhennitate in futurorum noticiam deducantur. Hinc est quod nos Iohannes, Dei gracia Brandenborchie, Lusacie et de Landesberg marchio, dedimus et damus religioso viro domino Mathie abbati et conventui in Samberz, et per presentes donamus donacione libera perpetuo villam Popowe cum libertate omnimoda, nichil nobis penitus in ipsa villa iuris reservantes quam precariam, volentesque, ut ipsam villam sub metis et distinctionibus possideant subnotatis. Meta prima est inter villam Popowe et villam Drageheym ad arborem finalem, stantem iuxta fundum versus Drageheym. Ab hac arbore, usque ad fontem Studeniz directe inter Zveryn et Popowe, sicut ipse dominus Premyzel, rex Polonie, distinxit cum predictis civibus de Zveryn. De Studeniz, directe versus orientem usque ad stagnum Saben, in quo una tractura piscium pertinet ad villam Popowe; et de hoc stagno, versus fossatum argille; et de hoc fossato, usque ad fornacem picis, que est post predictum stagnum; et de hac fornace, usque ad pinum directe in qua est cornu cervi, que est in via de Meseriz versus Zveryn, et in his metis est situm stagnum dictum Glyst. Item directe de hac arbore, usque ad cumulos qui facti sunt inter paludes Zarmblot; et de hys, usque Zarmblot directe; et hec sunt distinctiones metarum inter Popowe et Rugow. Item mete inter Popowe et Goriz. De Zarmblot, usque ad quercum que resecata est, in qua est meta, et hec est iuxta stagnum Glambeke. Item de hac quercu, directe inter Blesowe et Popowe et Goriz usque ad montem, ubi sunt duo cumuli extensi et una arbor signata, que facta sunt et signata tempore domini ducis Wlodezlay inter dominum Benyamyn et Bogemilum in Goriz. De hoc monte, directe usque ad fluvium Obram in quodam fundo, ubi est quercus signata. Proinde nobis abbas predicti monasterii persolvit complete pro quolibet frusto proprietatis quinque marcas, de quibus manere idem monasterium quietum, ipsum penitus nunctiamus et dicimus per presentes. In cuius facti evidens testimonium, nostrum sigillum presentibus est appensum presentibus: Slotkone nostro dapifero, et dominis militibus, nostris consiliariis: Bussone Gruwelhut, Ottone, Sgenke de Sgenkendorp, Henrico de Cracowe, Henningo de Vorlant, Pezkone de Lossowe, Bussone de Milo, Hermano de Luchowe, cum aliis pluribus ornatu fidei decoratis. Datum anno Domini M.CCC.XV, in die Nativitatis beate Marie virginis, VI Ydus Septembris, Indictione XIII.

Landesberg, *Landsberg n. W.* Samberz, *Zemsko.* Popowe, *Popowo.* Drageheym, *osada znikła.* Zveryn, *Skwierzyna.* Saben, *może jezioro wsi Twierdzielewo.* Meseriz, *Międzyrzecz.* Glyst, Zarmblot stagna, *nie odgadnione.* Zarmblot, *osada znikła.* Rugow, *Rojewo.* Goriz, *Gorzyca wielka.* Glambeke stagnum, *Głęboch jezioro.* Fluv. Obra, *rz. Obra.*

Nr. 979.

Wladislaus Cracovie tociusque Polonie dux 1315 Dec. 29, in Chanczin; civitati Słupca concedit, ut forum annuale imponere valeat.

Transsumpt orygin., potwierdzony przez: Elizabeth senior regina Ungarie et Polonie 1372 Iun. 12, Poznanie.

Kalisz. Archiw. Rządowe, Diplomata.

In nomine Domini amen. Ut gesta mortalium, que mutabilitati subiacent temporum, cum defluxu temporis oblivionis non defluant in abyssum, sed in memoriam deducantur legittime posterorum, sanxit auctoritas, ea scriptis auctenticis cum subscripcione testium perhennare. Hinc est quod nos Wladislaus, Dei gracia Cracovie, Sandomirie tociusque regni Polonie dux, notum esse cupimus presentibus et futuris ad quorum noticiam pervenerit scriptum presens, inspectis fidelitatibus utilibusque promocionibus quam pluribus et obsequiis venerabilis in Christo patris domini Andree, divina miseracione Poznaniensis ecclesie episcopi, suorumque civium de Slupcza in Polonia, nobis crebrius impensis et imposterum impendendis Domino sufragante, ut sua civitas prefata Slupcza, post varia disturbia terre Polonie hactenus perpessa, aliquatenus valeat reformari, damus et concedimus eidem domino episcopo et suis civibus de Slupcza annuale forum, quando elegerint, infra triduum annuatim plenam potestatem perpetuo imponendi; eximentes et absolventes eosdem cives de Slupcza cum posteris eorundem in nostris ducatibus universis, quandocumque et quocienscumque ipsos negociare contigerit, a qualibet thelonearia pensione, solucione et exaccione perhenniter in hys scriptis. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, nostrum sigillum autenticum presentibus duximus appendendum. Actum et datum in Chanczin in die beati Thome martiris, anno Domini MCCCXV, infra octavas Nativitatis Domini, presentibus hys: magnifico principe filiollo nostro karissimo domino Kazimiro, Dei gracia duce Cuyavie, Nankero archidiacono Sandomiriensi, Bronissio capitaneo, Niclone palatino Cuyavie, Clemente Syradiensi castellano, Wenczslao dicto Lis, et alys multis fide dignis.

Slupcza, *Słupca.* Chanczin, *Chęciny.*

Nr. 980.

Iohannes prepositus Poznaniens. 1316 Mart. 24, Poznanie; litteram venditionis partis scultetiae villae Kicin, Nicolao servitori suo renovat.

Transsumpt orygin., potwierdzony przez: Iohannes episcopus Poznaniens. 1330 Oct. 1, in domo Voyslai cantoris Poznaniens.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 96.

In nomine Domini amen. Omnia que in tempore fiunt, cum tempore labuntur; nos igitur Iohannes prepositus Poznaniensis notum facimus universis tam pre-

sentibus quam futuris, quod cum redemissemus sculteciam nostre preposituro de Kycin a Vilkone et Bogusa, filiis Deblonis, cum VI mansis, de quibus duos vendidimus servitori nostro Nicolao dicto Kiczino et eius successoribus, inspectis suis fidelibus serviciis absolvimus eosdem mansos de consensu fratrum, qui tunc interfuerunt, ab omni exaccione et dominatu preposituro nostre, libere possidendos. Et quia propter mala tempora litteram priorem per suum infortunium perdiderat, per presentem vendičionem superius nominatam de consensu fratrum nostrorum qui ad presens sunt, domini Ade et Stephani canonicorum ecclesie nostre, confirmamus. In cuius rei testimonium, presens scriptum nostri sigilli munimine iussimus roborari. Actum et datum Poznanie anno Domini M.CCC.XVI, in vigilia Annunciacionis virginis Marie gloriose.

Kycin, *Kicin.*

Nr. 981.

Wladislaus heres regni Polonie etc. 1316 Mart. 28, in Walewicz; colonis villae Kazanie plurimas libertates largitur.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny, zielony, przez 2 wcięcia przewleczony; pieczęć znikła.

Poznań. Archiv. Capituli. III, 8.

Noverint universi presencium notitiam habituri, quod nos Wladislaus, Dei gratia heres regni Polonie, dominus Cracovie, dux Sandomirie, Siradie, Lancicie Cuiavieque, intuentes fidelia servitia venerabilis in Christo patris domini Andree episcopi Poznaniensis, sibi in sua villa Kazome, sita iuxta Brest civitatem nostram, et colonis suis ibidem manentibus, ab omnibus solucionibus, exaccionibus, serviciis ducalibus, angariis et perangariis, quibuscunque nominibus censeantur vel in posterum censebuntur, et a citatione castellanorum et officialium ipsorum, et capitaneorum qui per nos ibidem fuerint constituti: ita quod coram nullo nisi coram nobis tantum, cum nostro anulo et litteris fuerint evocati, et dicto domino An. vel suis successoribus tenebuntur respondere: damus, concedimus plenam et plenariam libertatem. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum presentibus est appensum. Actum et datum in Walewicz in dominica Iudica me, anno Domini MCCCXVI.

Kazome, *Kazanie.* Brest, *Brześć Kujawski.* Walewicz, *Walewo.*

Nr. 982.

Wladislaus dux Cracovie etc. 1316 Apr. 18, in civitate Brestensi; ad petitionem magistri Nicolai physici, privilegia ipsius deperdita super donatione quorundam bonorum eorumque libertatibus renovat.

Pergam. orygin., u którego na sznurku jedwabnym, zielon. i czerwon. przywieszona większa pieczęć księcia Władysława; cnfr. Nr. 973.

(Własność Cyp. Walewskiego).

In nomine Domini amen. Quoniam que legittime facta sunt, longinquitate temporis, que mater est oblivionis, a multis multociens in dubium revocantur, igitur

nos Wladislaus, Dei gracia dux Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie Cuyavieque necnon heres totius regni Polonie, cupientes quod gestorum nostrorum certa et indubitata apud posteros memoria habeatur, notum esse volumus universis hanc paginam inspecturis. Cum per magnam depopulacionem et impyam devastacionem civitatis Poznaniensis, infinite res et varie fuissent perempte hostiliter per manus terrigenarum et inimicorum diverse nacionis, inter quas honorabilis viri ac famosi magistri Nicolay phisici multe res, maxime privilegia continencia donaciones, confirmaciones hereditatum domini regis pie recordacionis Premisly, et immunitates earumdem ipsius domini regis et nostras, proch dolor, sunt recepta et amissa: quamobrem idem magister Nicolaus, coram nobis nostrisque baronibus presencialiter constitutus, intuitu sui servicii nobis humiliter supplicavit, ut hereditates ex patre ipsum contingentes, videlicet Dassevice, Sweczke, et donacionem eiusdem domini regis, hereditatum videlicet Czolovice et Slavsco, confirmacionem et ratificacionem villarum empticiarum, scilicet Bencowo, quam a Petro de Stara Lanka iure hereditario pro quinquaginta marcis grossorum sibi et suis liberis comparavit, et Spitcowo in foribus civitatis supradicte, de novo ratas habentes, confirmaremus. Nos vero eundem magistrum Nicolaum de hys consolatum habere volentes, ut pro suis meritis et fidelibus serviciis se noscat aliquod premium in vita sua a nobis recepisse, iam dictas donaciones, confirmaciones et immunitates dictarum hereditatum presenti privilegio ratificantes, donamus et confirmamus eidem magistro Nicolao et per eum ipsius posteritati iure hereditario cum omnibus suis pertinenciis possidendas. Absolvimus eciam villanos eorumdem bonorum ab opole, a porco, a bove, a vacca, a curru feni, a poradlne, a stroza, a naraz, a prevod, a podworowe et ab aliis solucionibus quocumque nomine censeantur, et a castri citacione et officialium, ita, quod coram eis citati non respondebunt, nisi coram nobis, dum per nostras literas nostro sigillo consignatas fuerint evocati. Preterea, si in dictis hereditatibus inter villanos homicidium fuerit perpetratum, magister Nicholaus tantum et posteri eius penam recipient ex integro. Admittimus eciam eidem Nicholao et suis liberis, dicta bona locare iure Theuthonico pro libito sue voluntatis, omnia iura magna et parva, non obstante aliquo, pro se integro percipiendo. In cuius rei testimonium, presentibus nostrum sigillum duximus appendendum presentibus hys testibus: comite Miroslao castellano de Bnin, domino Sandiwogio castellano Poznaniensi, Nicolao de Lubome, nec non Stephano dicto Opalis de Siroslawe. Actum et datum in civitate Brestensi per manus domini Sbignei subcancellarii curie nostre, anno Domini millesimo trecentesimo sextodecimo, in conductu Pasche.

Dassevice, *Daszewice.* Sweczke, *pewnie zam. Szewce.* Czolovice, *Czołowo.* Slavsco, *nie odgadnione.* Bencowo, *dawniéj* Bunthowo, *nie odgadnione.* Spitcowo, *znikła osada na przedmieściu m. Poznań, na prawym brzegu rz. Warta.* Bnin, *Bnin.* Lubome, *Luboń.* Siroslawe, *Sierosław.* Civitas Brestensis, *Brześć Kujawski.*

Nr. 983.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1316 Apr. 22, apud Brzescie; hereditatem Łęg monasterio Ląd contra petitionem ministri Zyrae adiudicat.

Włocławek. Lib. privilegior. monasterii Ląd, pag. 7.

Nos Wladislaus, Dei gratia dux regni Polonie, Cracovie, Syradie, Sandomirie, Lancicie Cuiavieque, notum facimus universis presens scriptum inspecturis. Cum pro negotiis nostris actorys (sic) occurrentibus moraremur in civitate Brestensi, dominus Iacobus abbas de Landa Ordinis Cisterciensis coram nobis querelam suam proposuit in hec verba. Conquerimus domine dux, quod minister Zira cum uxore sua, filia quondam Dobeslai de Lapidea ecclesia, manu violenta nos eiecit de possessione hereditatis nostre dicte Lang, quam ex donatione prefati Dobeslai et ex vestra confirmatione et pacifice (sic) possedimus multis annis; unde rogamus humiliter et devote, quatinus hanc violentiam iusto iudicio examinetis, et quidquid verius inventum fuerit, vestrorum baronum fidelium consilio terminetis. Inito igitur iudicio, nobis presidentibus et nostro iudice Polubono Cuiaviensi, causa ventilata est ex utraque parte; et inventus est predictus abbas iustus in sua querela, Zira vero et uxor eius iniusti, quos iam removimus et abiudicavimus a possessione dicte hereditatis Lang iudicio mediante, dominum autem abbatem restituimus ad eandem, prout fuerat ab eodem iudice et baronibus circumsedentibus iudicatum. Et ne tractu temporis hec missio in possessionem domini abbatis a memoria elabatur, presentes conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum et actum apud Brzescie anno Domini M.CCCXVI in vigilia sancti Adalberti, presentibus nostris fidelibus: comite Bronissio capitaneo Brestensi, domino Philippo cancellario Polonie, comite Petro castellano in Konin, Petro castellano Gneznensi, comite Venceslao castellano de Gniewkowo, et aliis pluribus fide dignis.

Civitas Brestensis, *Brześć Kujawski.* Landa, *Ląd.* Lapidea ecclesia, *Kościelec.* Lang, *Łęg.* Konin, Gniewkowo, *dziś t. s.*

Nr. 984.

Wladislaus dux regni Polonie etc. 1316 Mai. 1, aput Gneznam; Martino Tayzicz, civi Gneznensi, allodium Lednica iure militali possidendum confert.

Pergam. orygin. Dwie dziurki od przywieszenia pieczęci.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 80.

In nomine Domini amen. Largitas principum multipliciter commendatur, si ex facto benivolencia subsequitur. Ideo nos Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie Cuyavieque, ad noticiam tam presencium quam futurorum volumus presentibus devenire, quod accedens ad nostram nostrorumque baronum presenciam fidelis noster Martinus dictus Tayzicz, civis Gneznensis, nobis tam humiliter quam instanter suplicavit, ut privilegium sibi dudum per nos seu antecessores nostros datum, quod per corrupcionem et antiquitatem ulterius du-

rare non poterat, mandaremus eidem renovare; cuius quidem privilegii de verbo ad verbum tenor talis est:

In nomine Domini amen. Quod magnifica principum decrevit auctoritas, ratum ac stabiliter perpetuo debet permanere. Nos itaque Wladislaus, Dei gracia dux regni Polonie, ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum volumus devenire, quod inspectis peticionibus et fidelibus serviciis, que nobis Martinus fidelis noster civis Gneznensis fideliter exhibuit et impendit, eidem Martino nostro civi et liberis ipsius legitimis, natis et nascendis, damus et tradimus ortum vel allodium nostrum vulgariter Lednicza nuncupatum, ante civitatem Gneznam situm inter montem antiqui castri vel fossatum molendini ex parte una, et inter montem qui dicitur Lubuzka ex parte altera, usque ad littus lacy nostri qui dicitur Gelene, cum omnibus utilitatibus et proventibus, que nunc sunt vel in posterum poterunt reperiri. Damus eciam eidem Martino suisque liberis libertatem ab omnibus exactionibus, precariis, angariis et perangariis, et ab aliis, videlicet a poradlne, a bove, a vacca, a porco, ab opole, a capete siliginis, a curru feni, et a castri citacione, a stroza, contulimus in perpetuum. Kmetonem eciam dicti allodii iudicabit, dictumque allodium iure militali possidebit. Si eciam quis in dicto allodio occisus fuerit, eidem Martino et suis posteris committimus iudicandum, et penas sive emendas que ab hoc derivaverint, receptabunt. Et ne hec nostra donacio per quempiam nostrorum posterorum valeat irritari, presentes conscribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Actum aput Gneznam anno Domini M.CCC.XVI, die beatorum Philippi et Iacobi apostolorum, presentibus nostris fidelibus, videlicet Paulo dapifero Gneznensi, Andrea de Modlizevo, Thoma de Vilczyno, Pervoldo castellano de Prsevloky, Iacobo capellano nostro, et aliis pluribus fide dignis. Datum per manus Zbignegy vicecancellarii Cracoviensis.

Allodium Lednicza, *ogród leżący pomiędzy Końskiem targowiskiem, podnóżem wzgórza, na którem stoi pałac arcybiskupi i dwie kurye kanonickie, i jeziorem Jelonek.* Mons antiqui castri, *nasyp ziemi nad jeziorem Jelonek w ogrodzie kuryi kanonickiej.* Fossatum molendini, *dziś rów zaledwie sączący wodę, według wzmiankowanego podnóża, obok którego jednakże wykopywano, jak dziś to jeszcze pamiętają, szczątki wodnego młyna.* Mons Lubuzka, *dziś Końskie targowisko.* Lacus Gelene, *jez. Jelonek.* Modlizevo, *Modliszewo.* Vilczyno, *Wilczyn.* Prsevloky, *osada i gród nad jeziorem m. Ślesin; z grodu pozostało grodziszcze.*

Nr. 985.

Nicolaus advocatus de Slawa 1316 Mai. 12, in Slawa monasterio de Obra molendinum in suburbio oppidi Zbąszyń situm confert

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 28.

Noverint universi tam presentes quam posteri hanc litteram inspecturi, quod nos Nicolaus advocatus de Slawa, filius Hartmani fratris Guntheri felicis memorie, assignamus et porrigimus molendinum prope Benzchin ex illa parte littoris vel aque, quod vulgariter nuncupatur eyn Hamirstat, pro testamento et salute anime patris nostri. In cuius rei testimonium, hanc literam sigillo domini Friczchonis de Tre-

plin fecimus roborari. Actum presentibus dominis, Friczchone nec non fratre suo Iohanne de Trepplin, et magistro civium de Slawa Hurd de Himelow, cive ibidem, et aliis quam plurimis fidedignis. Datum in Slawa anno Domini millesimo trecentesimo decimo sexto, feria quarta ante dominicam qua cantatur Vocem iucunditatis.

Slawa, *z niemiecka Schlawe.* Benzcbin, *Zbąszyń.* Treplin, *wieś okolicy m. Frankfort; familja od niéj się nazywająca występuje jeszcze w Wielkopolsce za czasów Jagiełły.* Himelow, *zam. Kiebłów.*

Nr. 986.

Fr. David commendator Gdanens. 1316 Iun. 6, in Gdancz; confirmat cessionem sortis hereditatis Rosciszewo, a Sulislao, Domaslao et Hieronimo, fratribus, in favorem monasterii Ląd factam.

Włocławek. Lib. privilegior. monasterii Ląd, pag. 130.

Nos frater David commendator Gdanensis coram universis presentium notitiam habituris publice protestamur, quod Sulislaus, Domaslaus et Ieronimus fratres, sani mente et corpore sunt confessi, quod pater eorum Ieronimus, dum imminentiam mortis in agone positus presentiret, volens errata corrigere et nexum mortis perpetue declinare, ipsis et universe domui sue pluribusque astantibus idoneis sexus utriusque lachrymabiliter declaravit, se sortem hereditatis que Rochizchowo dicitur, contra Deum et iustitiam possedisse, quia eadem sors ad hereditatem Clodaviensem iure legittimo pertinebat, ipse autem eam usurpasset fallente diabolo minus iuste; unde omni qua potuit instantia eis et omni posteritati sue dederit suppliciter in commisso, quatenus ob salutem anime sue eandem sortem eidem hereditati Clodaviensi reunirent, ab eius possessione ac impetitione perpetuo quiescentes. Verum, quia pretaxatos fratres, Sulislaum, Domaslaum, Ieronimum, paterne salutis amor et fidelitatis integritas stimulavit, patris petitionibus satisfacere cupientes, in audientia nostra fratrumque nostrorum dictam sortem fratribus de Clodawa, modica perinde nichilominus accepta pecunia, resignarunt, se et omnes suos successores et liberos ab eius possessione et impetitione facientes eternaliter alienos. Mete sepedicte sortis currunt a fluvio qui Clodawa dicitur, usque ad rivulum Wolzchinam, et per ascensum eiusdem, usque ad lapidem positum subter montem; deinde a lapide, directe usque ad paludem in qua sunt mete inter predictam Clodaviensem hereditatem et bona Stanislai. Ne autem protestatio nostra super omnibus scriptis, alicuius temeritate possit in posterum infirmari, et ut fratres predicti de Clodawa in sorte prenarrata possessione gaudeant libera et quieta, confirmamus ipsis plenum dominium in eadem, in robur firmitatis perpetue presens scriptum ipsis conferentes nostri sigilli munimine insignitum. Datum et actum in Gdancz anno Domini M.CCC.XVI, in die sancte et individue Trinitatis, coram fratre Nicolao vicecommendatore de Gdanez, fratre Reinardo magistro piscature, Sventone procuratore commendatoris, Iescone de Plenichow et Woislao castellano de Puck, et aliis pluribus fide dignis.

Gdanensis, *de Gdańsk.* Rochizchowo, *Rosciszewo.* Clodawa, *z niem. Kladau, posiadłość klasztoru Ląd.* Rivul. Wolzchina, *Wolsza strum., lewy przypływ rz. Wisła.* Plenichow, *zam. Plänendorf.* Puck, *Puck.*

Nr. 987.

Iohannes Brandenburgens. et Lusacie marchio 1316 Iun. 26, Everswolde; cum approbatione Woldemari marchionis, Arnoldo de Uchtenhagen castrum et civitatem Międzyrzecz cum pertinentiis certa conditione vendit.

Pergam. orygin., u którego przywieszone pieczęcie obu margrabiów, pokruszone. Königsberg. Königl. Staats Arch. Schiebl. 46, Nr. 26. — Voigt, Cod. diplom. Pruss.

In nomine Domini amen. Nos Iohannes, Dei gracia Brandenburgensis et Lusacie marchio, recognoscimus et ad universorum noticiam tenore presencium publice volumus pervenire, quod nostro fideli militi domino Arnoldo de Uchtenhagen ac eius veris heredibus contulimus et presenti serie conferimus castrum et civitatem Meseritz cum omnibus suis pertinenciis, scilicet distinctionibus, terminis et limitibus, cum omnibus villis ad territorium que pertinent Meseritcz, cum agris cultis et incultis, lignis, pratis, pascuis, paludibus, aquis et aquarum decursibus, molendinis, piscaturis, cum omni castellania et iure castrensi quod vulgariter dicitur Borchwere, et universis bonis sicut predicte castellanie antiquitus adherebant, et cum omni iure et utilitate et omni iure patronatus, ac cum omnimoda pheudalitate seu iure conferendi tam bona temporalia tamque spiritualia, quod in vulgo Leenwere dicitur, cum iudiciis supremis et ymis, et omnibus precariis et serviciis, quocunque nomine censeantur, cum omni iure et comodo et honore, prout nobis, dum dicta bona nostra essent, competebant, debito et consueto pheudi tytulo possidenda; excepta tamen civitate nostra Zweryn cum hiis quatuor villis: Mornowe, Ochos, Ulym, Desna, cum distinccionibus et pertinenciis singularum. Proinde idem Arnoldus nobis dedit duo milia marcarum argenti et ponderis Brandenburgensis in pecunia numerata, de quibus ipsum et suos veros heredes solutos et quitos in presentibus omnimode nunciamus. Eorundem tamen castri Meseritz et civitatis, villarum et suorum attinencium, competit nobis reemendi libera facultas, ita, si predicto domino Arnoldo de Uchtenhagen, aut suis veris heredibus ipso non exstante, predicti summam argenti a data presencium ulterius per octo annos, in antea continue computandos, restituerimus, extunc predicta, scilicet castrum, civitas, omnes ville hiis adiacentes, cum suis pertinenciis ad nos devolventur omnimode, velud prius. Si vero, quod absit, huiusmodi summe pecuniam in prehabito termino non persolverimus, predicti Arnoldus et sui heredes effectu presentis privilegii dictorum bonorum omnium manebunt perpetui et legittimi possessores. Preterea, quidquid sepedicti Arnoldus et sui heredes in edificiis seu structuris ad dicti castri conservacionem exposuerint, totum eis cum maiori summa, scilicet cum duobus milibus marcarum dictis, reddemus, cum ipsum castrum reemere voluerimus ab eisdem, dummodo hoc racionabiliter ostendere potuerint et probare.

Nos quoque Woldemarus, Dei gracia Brandenburgensis eciam et Lusacie marchio, non ignari huius collacionis contractus, per predictum marchionem Iohannem rite facti, ipsum in omni parte sua quantum in nobis est approbamus, ratificamus, nostri sigilli patrocinio confirmantes. In omnium igitur premissorum et cuiuslibet eorum evidenciam firmiorem, presentes nostro sigillo dedimus sigillatas hiis testibus presentibus: nobili viro domino Hermano de Barven, Burchardo de Berchensleve, Bussone Gruvelhut, Petczkone de Lossaw, Cristiano de Gherardestorp, Iohanne de Vorlant, militibus, et Slotekone nostre curie tunc temporis dapifero et aliis pluribus

fide dignis. Actum et datum Everswolde anno Domini M.CCC. sexto decimo, die beatorum Iohannis et Pauli martyrum.

Uchtenhagen, *Uchtenhagen*, *posiadłość familji Wedel*. Meseritz, *Międzyrzecz*. Zweryn, *Skwierzyna*. Mornowe, *Murzynow*. Ochos, *Osieck*. Ulym, *z niem. Eulam*. Desna, *z niem. Dechsel*. Everswolde, *Eberswalde*.

Nr. 988.

Wladislaus heres regni Polonie etc. 1316 Aug. 16, in Pysdri; confirmat donationem hereditatis Łuszkowo, ab Iohanne et Dobrogostio monasterio de Lubin factam.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny, czerwony, przez 2 wcięcia przewleczony; pieczęć znikła.

Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin 10.

In nomine Domini amen. Cum donaciones, ordinaciones et resignaciones robur obtinere nequeant firmitatis si consensu principum et literarum testimonio non roborentur, proinde nos Wladislaus, Dei gracia heres regni Polonie terrarumque Cracovie, Sandomirie, Cuiavie, Lanczicie, Siradie dux, ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum presens scriptum volumus devenire, quod fideles nostri Ioannes et Dobrogost, heredes de Luschovo, in nostra nostrorumque baronum presencia constituti corporali, sani mente et optima corporis valitudine, non coacti nec compulsi, sed sponte, predictam hereditatem eorum, Luschovo vulgariter dictam, iure paternali ipsos contingentem, de consensu suorum omnium amicorum religioso viro fratri Paulo, abbati monasterii sancte Marie in Lubin Ordinis sancti Benedicti, ac fratribus ibidem militantibus, cum omnibus utilitatibus et proventibus et toto dominio sicut soli tenuerunt, prout in suis gadibus et limitibus, limitatis et errectis per medium luti iacentis inter hereditates seu villas, Ranbino et Luschovo vulgariter nuncupatas, circumferencialiter est distincta, ob salutem et remedium animarum ipsorum necnon parentum, predecessorum, iure hereditario donaverunt et resignaverunt. Nos vero precibus eorum ex utraque parte benignius inclinati, prefatam donacionem et resignacionem ratam et gratam habentes, iam dicto abbati et suo conventui ipsam hereditatem Luschow integraliter et ex toto, cum omnibus utilitatibus, proventibus et dominio, prout superius est expressum, iure hereditario in perpetuum conferimus et confirmamus. In huius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presentem paginam conscribi fecimus et nostri sigilli apensione roborari. Actum in Pysdri feria secunda infra octavam Assumcionis beate virginis Marie, anno Domini millesimo CCCmo sedecimo, presentibus his magnificis et honorabilibus viris: fideli nostro Stephano capitaneo Polonie, comite Dobrogostio palatino Poznaniensi, comite Martino palatino Calisiensi, domino Philipo canonico et cancellario Poznaniensi, et aliis multis fide dignis, per manus Ioannis notarii curie nostre.

Luschovo, *Łuszkowo*. Lubin, *Lubin*. Ranbino, *Rąbin*. Pysdri, *Pyzdry*.

Nr. 989.

Iohannes Pp. XXII 1317 Ian. 15, Avinione; Borislaum ecclesiae Gneznensi in archiepiscopum praeficit, et Capitulo et suffraganeis commendat.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I. 211.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Borislao archiepiscopo Gneznensi salutem et apostolicam benedictionem. Suscepta cura regiminis assidua pulsat instantia mentem nostram, ut solicitudinis debitum, ad quod ecclesiis universis iugo apostolice servitutis astringimur, circa earum singulas persolvamus: sed strictius a nobis exigitur, ut ecclesiis viduatis consulamus propensius et promptius succurramus eis de substitutionibus pastorum utilium celeriter providendo, ne propter illarum vacationem diutinam, lupina rapacitas invadat subiectas ecclesiis ipsis oves, eedemque ecclesie in suis facultatibus collabantur. Dudum siquidem ecclesia Gneznensi per obitum bone memorie Iacobi archiepiscopi Gneznensis vacante, dilecti filii.. prepositus et Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus qui debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, ac deliberantes in huiusmodi electionis negotio per viam procedere compromissi, tribus ex se ipsis, videlicet Thome predicte Gneznensis, et Floriano Plochensis prepositis, ac tibi, tunc archidiacono Poznaniensis, ipsius Gneznensis ecclesiarum canonicis, eligendi quinque ex aliis de dicto Capitulo, qui ea vice providerent, de gremio dumtaxat ipsius ecclesie Gneznensis, eidem ecclesie Gneznensi usque ad consumptionem cuiusdam candele, que ibidem accensa fuerat, per electionem canonicam de pastore, concesserunt unanimiter liberam potestatem. Cumque tu, Thomas et Florianus predicti, potestate huiusmodi recepta, predictos quinque, scilicet Stanislaum prepositum Vladislaviensis, Petrum decanum Poznaniensis, Ianislaum archidiaconum dicte Gneznensis, Franciscum cancellarium Cracoviensis, et Andream iuris canonici professorem eiusdem Gneznensis, ecclesiarum canonicos propter hoc concorditer elegissetis, iidem Stanislaus, Petrus, Ianislaus, Franciscus et Andreas, compromissarii sic electi, scendentes in partem, post diligentem quem super hoc inter se habuere tractatum, in te, in diaconatus ordine ac etate legitima constitutum, direxerunt unanimiter vota sua, et deinde prefatus Petrus, ex potestate sibi et predictis aliis compromissariis collegis suis ut premittitur tradita, de ipsorum collegarum ibidem presentium mandato, vice sua et eorundem collegarum dictique Capituli, te ante consumptionem predicte candele in archiepiscopum Gneznensem elegit, et electionem huiusmodi, a dictis Capitulo concorditer acceptatam, solemniter publicavit. Tuque post consensum, huiusmodi electioni de te facte ac tibi ex parte dictorum Capituli presentate ad instantiam eorundem Capituli a te legitime prestitum, ad Sedem apostolicam, dum per obitum felicis recordationis Clementis Pape V, predecessoris nostri, Sedes ipsa vacabat, presentialiter accessisti, ac deinde tam tu per te ipsum, quam.., procuratorem substitutum a certis procuratoribus ab ipsis Capitulo specialiter destinatis, ad id speciale mandatum habentibus, qui tunc ad eandem Sedem propter hoc venerant una tecum, quique de curia Romana ex causis necessariis discesserant antequam ecclesie Romane esset de pastore provisum, a nobis, ad apicem summi apostolatus assumptis, confirmari electionem predictam, illius nobis presentato decreto, humiliter postulastis, in hiis omnibus per te et ipsum Capitulum statutis a

iure temporibus observatis. Nos itaque tam electionem eandem quam personam tuam, per venerabilem fratrem Berengarium episcopum Tusculanensem, et dilectos filios nostros, Guillelmum tituli sancte Cecilie presbiterum ac Arnaldum sancte Marie in Porticu diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter, et facta nobis ab episcopo et cardinalibus antedictis super hiis relatione fideli, quia invenimus electionem eandem de te, persona ydonea, quem nobilitas generis, litterarum scientia, morum ac vite honestas, aliarumque virtutum insignium dona tibi desuper attributa, nobis et fratribus nostris acceptabilem representant, canonice celebratam, illam de prefatorum episcopi et cardinalium aliorumque predictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmavimus, te ipsi ecclesie Gneznensi prefecimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, teque per venerabiles fratres, Arnaldum Sabinensem, statutis temporibus in presbiterum ordinari, et deinde per Nicholaum Ostiensem episcopos munus tibi consecrationis impendi, ac subsequenter per dilectos filios nostros, Neapoleonem sancti Adriani et Iacobum sancti Georgii ad Velum aureum dyaconos cardinales, palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet pontificalis officii, a te cum ea qua decuit instantia postulatum, tibi fecimus exhiberi, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod prefata ecclesia Gneznensis sub tuo felici regimine, dextera Domini tibi assistente propicia, salubriter ac prospere dirigetur, et grata in utrisque suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a Domino supportans humiliter, ac ipsam ecclesiam Gneznensem recognoscens et diligens velut sponsam divinitus tibi datam, curam et administrationem huiusmodi sic geras fideliter et solicite prosequaris, quod eadem ecclesia Gneznensis per tue diligentie studium votivis, auctore Domino, amplietur comodis et felicibus proficiat incrementis, tuque proinde nostram eiusdemque Sedis benedictionem et gratiam consequi uberius merearis, et demum apud retributorem bonorum omnium premium percipias cum electis. Datum Avinione XVIII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Gneznensis, Universis suffraganeis ecclesie Gneznensis: ut eidem archiepiscopo obedientiam et reverentiam debitam et devotam exhibeant, *etc.*

Vladislaviensis, de *Włocławek*.

Nr. 990.

Woldemar Marcgreve tu Brandenburg 1317 Febr. 2, to Levenwolde; verkauft den Rittern Heinrich und Burchard von der Ost die Burg und Stadt Drzeń als Lehn.

Transsumpt potwierdzony przez: Fr. Paulus de Rustorff Ordinis b. Marie dom. Theuton. etc. magist. general. 1428 Ian. 20, in domo principali castri Marienburg.

Königsberg. Königl. Staats Arch. — Riedel. Cod. diplom. Brandenburgens. A 18 p. 282.

Wie Woldemar, von der Gnade Godes Marcgreve tu Brandenburg und tu Lusitcz, bekennen und betughen in desem Breve, dat wi den erbarn Riddern Hinrik

und Burcarde von der Ost, und eren Brudern und eren Erfnamen und erer Kinder Erfnamen, hebben geleghen dat Hus und de Stadt tu Driesen eweliken to eme rechten Lene to besittende, mit den Molen, de dar sint und noch buwen mach, mit al deme dat dartu behort, mit Tollen, Water Tol und Lant Tol, mit alleme Rechte, mit allem Make, mit aller Nuth, mit aller Vrocht, de to deme vorbenomeden Huse horen. Vortmer late wi en de Heide und de Dorpe de to der Poleneschen Syde licht, mit al den Seen, mit al den Vliten, mit al den Scheiden, also wie se vor hebben gehat. Vortmer late wi desen vorbenomeden und eren Erfnamen de Heyde de to der Dudeschen Syde lycht, de dar heiten de Berghe to Dreisen, mit allen Seen, mit allen Vleiten, mit allen Molen, mit allen Holten, mit allen Bruken, mit aller Nuth, mit aller Vrucht, to ewigliken Tiden vrie to besittende. Dit Gut, dat late wie em mit sodaner Scheide: von Gotzun wente to Curow, van Curow wente an dat Vlet to der Czuchen, von der Czuchen de Heide up wente an de Drawe, de Drawe nedir wente an de Netcze, und de Necze went an Gotzun. Vortmer late wi desen vorsproken Riddern und eren Erven dat vorbenante Goet mit allen Rechten, mit den hogesten und sydesten, mit Bede und mit allirhande Bede, mit Deneste und mit Waghendeneste, mit Kerklenen, mit allerhande Nuth und mit allir Vriheit, als wi dat ghehat hebben, to eme rechten Lene to besittende ewichliken, als hir vor beschreben is. Vor dit vorbenumede Guet geven us desse Riddere und ere Brudere mit Willen twe Dusent Marc Brandenburgischen Silvers. Dessir Lehunge und dessir Ding sint Tuch: Greve Gunther von Kevernberg, Conrad von Redern, Bertolt Schenke, Friderik von Alvensleve, Ebelle von Widderhaw use Vogeth, und Henning Botel use Riddere. Up dat desse Liunghe gancz und stede blive, so geve wi dessen Briff, geseghelt mit unseme Ingheseghelle. Dat is gescheen to Levenwolde, na der Bort Godes Tusent Iar und drehundert Iar, in dem seventeinden Iare, in dem helighen Daghe to Lichtmessen unser leven Vrovwen.

Driesen, *Drzeń, później nazwane Drezdenko.* Gotzun, *Gottschimm.* Curow, *Gurkow.* Dat Vlet to der Czuchen, *zapewne strumień, nad którym leży m. Friedeberg.* Drawe, *Drawa rzeczka.* Netcze, *Noteć rz.* Levenwolde, *Liebenwalde.*

Nr. 991.

Iohannes Pp. XXII 1317 Febr. 3, Avinione; archiepiscopo Gneznensi et episcopo Wratislaviensi mandat, ut inhabitatores Kaminensis et Chełmnensis dioecesium, quarum episcopi se ab iurisdictione metropolitica archiepiscopi praedicti subtraxerant, ad solutionem denarii s. Petri compellant.

Königsberg. Königl. Staats Archiv. Schiebl. 7, Nr. 1. (Transsumpt oryginalny).

Iohannes episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus . . archiepiscopo Gneznensi et . . episcopo Wratislaviensi salutem et apostolicam benedictionem. Inter curas multiplices et immensas quibus frequenter angimur supra vires, illa precipue sollicitat mentem nostram, ut ecclesie Romane iura non pereant, sed in statu debito conserventur nostre ministerio servitutis. Sane, licet census qui vocatur denarius sancti Petri, in toto ducatu Polonie, ecclesie Romane subiecto, in signum subiectionis eidem ecclesie debeatur et multis retroactis temporibus ipsi ecclesie fuerit

integraliter persolutus, nonnulli tamen, minus veraciter pretendentes, se ad solucionem census huiusmodi seu denarii non teneri, ab huiusmodi solucione cessaverunt indebite, illumque minus racionabiliter solvere contradicunt. Preterea, bone memorie Caminensis et Culmensis .. episcopi, qui tunc erant, se, videlicet idem .. Caminensis una cum ecclesia sua Caminensi, qui infra dictum ducatum Polonie consistunt, a iurisdicione tua frater .. archiepiscope et ecclesie tue Gneznensis, quibus erant metropolitico iure subiecti per Sedis apostolice litteras, nec non et idem .. Culmensis episcopus una cum dicta ecclesia Culmensi per legatum dicte Sedis, qui legacionis in partibus illis fungebatur officio, se a dicto ducatu, infra quem constituti noscuntur, eximi fraudulenter, et provincie Rygensi, ut ipsi ac nobiles et populares Caminensis et Culmensis civitatum et dyocesium possent dictam Romanam ecclesiam eiusdem census seu denarii solucione fraudare, annecti procurans tacita veritate, dictum censum seu denarium ab huiusmodi exempcionum temporibus non solverunt sicut adhuc solvere contradicunt, in iuris ipsius ecclesie Romane preiudicium manifestum. Nos igitur, ad quos huiusmodi iurium noscitur pertinere defensio, tante fraudis maliciam nequeuntes sicut eciam non debemus sub dissimulacione transire, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, ab omnibus infra dicti ducatus antiquos limites nec non et per Caminensem et Culmensem civitates et dyoceses supradictas constitutis, cuiuscunque nacionis, condicionis, status et dignitatis existant, clericis vel laycis, secularibus et religiosis, exemptis et non exemptis, predictum censum seu denarium, ab eo tempore quo fuit ab ipsius solucione cessatum, nec non et in posterum usque ad beneplacitum apostolice Sedis, quocunque privilegio seu exempcione aut consuetudine contrariis nequaquam obstantibus, petere, exigere et recipere nostro et predicte ecclesie Romane nomine studeatis; nos enim vobis et cuilibet vestrum, petendi, exigendi et recipiendi, per vos vel alium seu alios, censum seu denarium supradictum, contradictores insuper ac rebelles per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendi, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, non obstantibus, si aliquibus a Sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Sedis eiusdem, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et eos eciam, a quibus censum seu denarium receperitis supradictum, de eo quod ab eis recipere vos continget quitandi ac eciam absolvendi, et eis, qui excommunicacionis et alias spirituales sentencias propter censum seu denarium huiusmodi in prefixis terminis non solutum incurrerint, postquam de illo fuerit satisfactum, integre absolucionis beneficium inpendendi, plenam concedimus tenore presencium potestatem. Volumus autem, quod de illa pecunie summa, quam pro dicto denario sancti Petri annuatim recipere vos continget, nos reddatis per vestras litteras annis singulis cerciores. Datum Avinione III Nonas Februarii, pontificatus nostri anno primo.

Caminensis, *de Kamień*, *z niemiecka Kammin*. Culmensis, *de Chełmno*.

Nr. 992.

Iohannes Pp. XXII 1317 Febr. 3, Avinione; episcopo Plocensi et collegae eius mandat, ut nobiles et clericos, ecclesias provinciae Gneznensis nequiter occupantes, ad satisfaciendum compellant.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 212.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri.. episcopo Plocensi et dilecto filio.. abbati monasterii Populinensis, Wladislaviensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Lamentabilem venerabilis fratris nostri archiepiscopi Gneznensis querelam accepimus, continentem, quod nonnulli nobiles et alii clerici de provincia Gneznensi, qui gloriantur cum malefecerint et exultant in rebus pessimis, quampluries ecclesias eiusdem provincie nequiter occupantes, illas, eiectis inde personis ecclesiasticis et eis gravibus iniuriis irrogatis, detinent per violentiam occupatas, et ipsas, ut in eis se cum rapinis et latrociniis fortius teneantur, incastellant et muniunt in divine maiestatis offensam et grave dispendium ecclesiastice libertatis, sicque, ut perditionis filii, in prefatis ecclesiis, que domus orationis vocantur, latronum speluncas constituere moliuntur; propter quod datur clerus ipsarum partium in contemptum, et cultus divini nominis in eisdem ecclesiis traditus neglectui reperitur. Nos igitur, tam detestande presumptionis audaciam nolentes, prout etiam nec debemus, sub dissimulatione transire, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, dictos occupatores: quod prefatas ecclesias personis eisdem omnino restituant et de bonis subtractis et illatis iniuriis debitam satisfactionem impendant: per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstante, si aliquibus a Sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione III Nonas Februarii, pontificatus nostri anno primo.

Populinensis, *de Pelplin.* Wladislaviensis, *de Włocławek.*

Nr. 993.

Stephanus dictus Pankawca capitaneus Polonie et Cuyavie 1317 Sept. 9—14, in Pysdr; protestatur, Nicolaum, Bodzantam et Iacobum, filios quondam Bodzantae de Września, portiones ipsorum in villis Iankowo et Wełna comiti Bogufalo, fratri ipsorum, vendidisse.

Pergam. orygin., u którego na skrawku pergaminowym przywieszona pieczęć Stefana; (pieczęć XLII).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 81.

Nos Stephanus dictus Pankawca, capitaneus Polonie et Cuyavie, notum esse volumus universis presentes litteras inspecturis, quod constituti coram nobis nobiles et discreti viri, Nicholaus, Boczotha et Iacobus, filii quondam Boczathe de Wressna,

porciones suas, quas habuerunt in Nanchow et in Welma prope Gnezdnam, nobili et discreto viro comiti Bogufalo fratri suo vendiderunt pro certa pecunie quantitate, videlicet Nicholaus pro VI marcis, Boczotha et Iacobus pro VIII marcis monete Thoronensis; et renunciantes omni iuri quod in porcionibus predictis habebant, resignaverunt eas sibi et suis successoribus legittimis cum omnibus et singulis utilitatibus ad eas pertinentibus, in perpetuum pacifice possidendas. In cuius rei testimonium, presentes fieri ad peticionem ipsorum fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Actum et datum in Pysdr infra octavas Nativitatis beate Marie virginis, anno Domini M.CCC.XVII, presentibus nobilibus et discretis viris: Alberto Samsonis, Petro quondam Grzmislay, Nicholao dicto Dlugoss, et aliis quam pluribus fidedignis.

Wressna, *Września.* Nanchow, *Jankowo.* Welma, *Wełna.* Pysdr, *Pyzdry.*

Nr. 994.

Henricus dux Slesie etc. 1317 Oct. 6, in castris ante Brandatindorf; ratam habet donationem hereditatis Nowe Kramsko, quam Hedwigis, relicta Hectoris de Klemsko, in rem monasterii de Obra fecerat.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 29.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripturarum presidio aut testium adminiculo fuerit roborata. Ideoque nos Henricus, Dei gracia dux Slesie et dominus Glogovie, scire volumus universos presencium noticiam habituros, quod domina Hedvigis, relicta quondam Hectoris felicis recordacionis de Klemsco, in nostra nostrorumque procerum presencia constituta, hereditatem suam, Novum Kramsko dictam, de consensu et voluntate benevola omnium heredum suorum, cum omnibus utilitatibus et fructibus suis qui in ea sunt et in posterum Deo dante fieri possunt, cum agris utique cultis et incultis, cum lacubus, paludibus, rivulis, molendinis, silvis, lignis, virgultis, mellificiis, pratis, pascuis, aquis, piscariis et non piscariis, et omnibus attinentiis secundum quod in suis terminis circumferencialiter sunt distincte, et cum omni iure quo ipsa et maritus eius predictus et antecessores sui predictam hereditatem possidebant, pro remedio ac salute anime mariti iam dicti et sue anime, ob reverenciam omnipotentis Dei et gloriose matris sue Marie, domino Theodorico abbati et conventui suo monasterii in Obra, Ordinis Cisterciensis, racione testamenti dedit, tradidit et resignavit, iure hereditario, fraude ac dolo penitus exclusis, in perpetuum possidendam. Nos vero sepedicte domine ac baronum nostrorum precibus favorabiliter inclinati, et precipue ob divini numinis amorem, predictam donacionem, prelibato monasterio et conventui ibidem factam, ratam et gratam habentes, eam presenti patrocinio confirmamus, et sepedictam hereditatem in ius et proprietatem supradicti monasterii duximus redigendam, volentes, quod predicta bona, ut alia bona ecclesiarum et monasteriorum, libertate perpetua perfrui debeant et gaudeant. In cuius rei evidenciam et memoriam firmiorem, presencia nostri sigilli munimine duximus roboranda. Datum per manus Zacharie nostri prothonotarii, actum in castris ante Brandatindorf in octava beati Michaelis archangeli, anno Domini millesimo trecentesimo decimo septimo, presentibus his: Sulkone de Lessotendorf, Ditmaro de Panewiz, Vernero de Dere, Conrado de Lo-

bele, Friczkone et fratre suo Botone de Treplin, Ieskone de Koslowe, domino Simone plebano de Zbenzin, et aliis quam pluribus fidedignis.

Klemsco, *z niemiecka Klemzig.* Novum Kramsko, *Nowe Kramsko.* Obra, *Obra.* Brandatindorf, *czyli* villa Prandothe, *z czego późniéj powstało niemieckie* Brandorf, *dziś Przyprostnia. Lessotendorf,* Lasocice. Koslowe, *Kozłowo.* Zbenzin, *Zbąszyń.*

Nr. 995.

Iohannes Pp. XXII 1317 Nov. 7, Avinione; Ianislaum ecclesiae Gneznensi praeficit in archiepiscopum, et Capitulo et suffraganeis commendat.
Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 213.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Ianislao, electo Gneznensi, salutem et apostolicam benedictionem. Pastoralis officii debitum exigit, ut inter sollicitudines varias quibus assidue premimur, circa statum ecclesiarum omnium solertiam adhibentes ipsarum utilitatibus intendamus, in eo maxime, ut viduatis, ne longe vacationis dispendia patiantur, de talium celeriter nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter et temporaliter, auctore Domino, continuum suscipiant incrementum: ad hoc enim nostre tendit intentio, circa id instantia nostre cogitationis invigilat, ut tales in partem sollicitudinis evocemus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum verbo, sed opere informare, prudenter regere, ac in viam dirigere salubrium actionum, commissasque illis ecclesias velint et valeant utiliter et salubriter gubernare. Sane Gneznensi ecclesia per obitum bone memorie Borislai archiepiscopi Gneznensis, qui apud Sedem apostolicam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos ad ipsius ecclesie statum tranquillum et prosperum paternis studiis intendentes, et cupientes propterea virum secundum cor nostrum ydoneum eidem preficere in pastorem, volentes quoque obviare dispendiis que solent ecclesiis ex vacatione diutina imminere, provisionem eiusdem ecclesie dispositioni et ordinationi apostolice Sedis hac vice auctoritate apostolica duximus reservandam, decernentes irritum et inane, si secus super hoc scienter vel ignoranter per quoscunque quavis auctoritate contingeret attemptari; et tandem elevantes in circuitu oculos mentis nostre et sollicita meditatione pensantes, quod, sicut habet fide dignorum assertio, tu dono superni numinis preditus litterarum elegantia, morum conspicuus, nitidus vite munditia, conversationis honestate decorus ac in spiritualibus et temporalibus circumspectus, dictam ecclesiam scies et poteris salubriter gubernare: in te archidiaconum eiusdem ecclesie direximus oculos nostre mentis, propter quod de persona tua eidem ecclesie providemus, teque, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, preficimus eidem ecclesie in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, firma spe fiduciaque tenentes, quod dicta ecclesia, Deo auctore, per tue industrie ac circumspectionis fructuosum studium preservabitur a noxiis et adversis, ac spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Reverenter itaque suscipe iugum Domini et tua eius oneri humiliter colla submitte, manumque viriliter mittens ad fortia, curam et administrationem eiusdem ecclesie prudenter exequi studeas et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter, solerter et constanter, oppositurus te murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso, ut lau-

dabili de ipsa reddita in die districti examinis ratione, regnum Patris eterni, ab origine mundi paratum electis, accipias letabundus in eterna Domini tabernacula intraturus. Datum Avinione VII Idus Novembris, pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Capitulo ecclesie Gneznensis, Universis suffraganeis ecclesie' Gneznensis *etc.*

Nr. 996.

Iohannes Pp. XXII 1317 Dec. 19, Avinione; Ianislao archiepiscopo Gneznensi pallium concedit.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 216.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Ianislao archiepiscopo Gneznensi salutem et apostolicam benedictionem. Dudum circa statum ecclesie Gneznensis, tunc pastoris regimine destitute, paterna sollicitudine vigilantes, ac cogitantes attentius, quod per tue circumspectionis industriam eadem Gneznensis ecclesia poterat relevari a noxiis et salutaribus proficere incrementis, te, quem de litterarum scientia, honestate morum, conversatione laudabili, vite munditia aliisque virtutum meritis fidedignorum testimonia commendant, ipsi Gneznensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio prefecimus in archiepiscopum et pastorem; postmodum vero per venerabilem fratrem nostrum Berengarium, episcopum Portuensem, tibi munus consecrationis impendi, et subsequenter pallcum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet pontificalis officii, a te cum ea qua decuit instantia postulatum, per dilectos filios nostros Neapoleonem sancti Adriani, Iacobum sancti Georgii ad Velum aureum, Galhardum sancte Lucie in Silice et Bertrandum sancte Marie in Acquiro, diaconos cardinales, recepto a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solito iuramento, fecimus assignari, ut eo intra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus attentius et hortamur per apostolicas tibi litteras mandantes, quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino qui dat munera et premia elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et Gneznensem ecclesiam sponsam tuam, cures sollicite auctore Domino in spiritualibus et temporalibus augmentare. Datum Avinione XIIII Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.

Nr. 997.

Fr. Martinus una cum conventu Domus Tremesnensis 1318 Febr. 25, apud Tremesnam; Gervardo episcopo Kujaviensi hereditatem Włostowo et decimas de villa Likmanow vendit.

Pergam. orygin. Na sznurkach jedwabn, zielon. wiszą ułamki dwóch pieczęci bez wycisku.

Włocławek. Archiv. Capituli. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. dipl. Poloniae II, Nr. 226.

In nomine Domini amen. Temporalis exspirat accio, nisi robur accipiat a voce testium et scripturarum. Noverint igitur universi ad quos pervenerit presens scri-

ptum, quod nos frater Martinus prepositus una cum conventu nostro domus Tremesnensis, Ordinis sancti Augustini, in extrema necessitate positi ob defectum victualium, propter quem conventus noster predictus dispergi debuit, hereditatem domus nostre predicte que Wlostowo vulgariter nuncupatur, circa Goplo in territorio Crusficiensi situatam, reverendo in Christo patri domino Gervardo, ecclesie Wladislaviensis episcopo, pro quadraginta marcis denariorum monete Thorunensis vendidimus cum decima hereditatis eiusdem, et cum decima de Likmanow, villa predicti domini circa Wladislaviam Iuvenem situata: pro qua quidem decima, inter nos et eundem dominum episcopum questio fuit et ambiguitas vertebatur, cui questioni et impeticioni cessimus et cedimus per presentes. Predictam autem villam Wlostowo vendidimus siquidem cum lacubus, insulis, pratis, et omnibus pertinenciis ad eandem ac universis utilitatibus et usufructibus quibuslibet, qui in eadem sunt et esse poterunt in futurum, cum omnibus iuribus et libertatibus, quibus eadem hereditas frui noscitur et gaudere. Cuius quidem hereditatis possessionem, cum omni iure et dominio quod in eadem ad nos pertinere dinoscitur predicto domino episcopo et suis successoribus resignantes, ipsam sibi assignavimus et tenore presencium assignamus; renunciantes in scriptis eisdem omni accioni, impeticioni, privilegiis seu indulgenciis quibuscumque a Sede apostolica impetratis seu eciam impetrandis, aut ab aliquo alio seculari vel ecclesiastico iudice optentis vel optinendis, omni beneficio iuris civilis et canonici, restitucionis in integrum, et omnibus aliis auxiliis, per que predicta vendicio et empcio posset imposterum aliqualiter impediri. Et ne super hoc procedente tempore cuiquam dubium oriatur, presentes nostro et conventus nostri predicti sigillis duximus roborandas. Actum et datum apud Tremesnam in crastino beati Mathie apostoli, anno Domini millesimo CCC decimo octavo, presentibus fratribus nostris: fratre Nicolao priore, fratre Godyno custode Tremesnensibus, comite Sandzyvoio iudice Naklensi, dominis Mathia decano Wladislaviensis, Michaele preposito, Stanislao decano Crusficiensis ecclesiarum, Svantoslao de Polenna, et aliis quam pluribus fide dignis.

Tremesnensis, *de Trzemeszno.* Wlostowo, *Włostowo.* Goplo, *jezioro Gopło.* Wladislaviensis, *de Włocławek.* Likmanow, *osada znikła.* Wladislavia Iuvenis, *Inowrocław.* Polenna, *Polanowice.*

Nr. 998.

Dirsicraius heres de Mokronos 1318 Iun. 6, in Cozmino; villam Chocieszewice civibus de Koźmin vendit.

Poznań. Königl. Staats Arch. Lib. civium a. 1577, fol. 383 v.

In nomine Christi Iesu amen. Quitquid litterarum et testium fidelium firmatur testimonio, stabile ac immobile perpetuo debet permanere. Igitur notum sit universis presentibus et posteris litteras presentes inspecturis, quod nos Dirsicraius, dominus ac heres de Mokronos, habito maturo consilio et bona deliberacione nec non unanimi consensu fratris nostri Daskonis, hereditatem seu villam vendidimus discretis viris civibus Cozminensibus, ibidem predicto fratre nostro exeunte, ad nos iure patrimonii pertinentem, nulli alteri debitam, nomine Choczieszewicze, cum pra-

tis Cziegliny vulgariter nuncupatis, prout in suis gadibus circumferencialiter continentur, absque eo, quod demptum est de eadem et iniunctum ville que Stanievo nominatur; ipsos et eorum heredes sive successores, nominate hereditatis et prati constituentes perpetuo legittimos possessores et heredes, pronunciamus eos spontanee et voluntarie ab omni impedimento exbrigare, si per amicos nostros vel cognatos impeterentur pro hereditate sepedicta. In cuius rei testimonium maioremque memoriam, presentibus litteris nostrum sigillum duximus appendendum. Actum et datum in Cozmino feria tercia infra octavam Ascensionis Domini nostri, sub anno Domini millesimo trecentesimo octavo decimo, presentibus honorabilibus viris: comite Petro Stoszevic, comite Mathia Lisovicz, Giza, Stephano Prusinovic, et aliis multis probis et honestis.

Mokronos, *Mokronos.* Cozminensis, *de Koźmin.* Chocziеszewicze, *Chocieszewice.* Prata Cziegliny, *nie odgadnione.* Stanievo, *Staniewo.* Prusinovic, *de Prusinow.*

Nr. 999.

Wladislaus dux Cracowie Sandomirie etc. 1318 Iun. 18, in colloquio aput Suleyow celebrato; confirmat privilegia, monasterio de Wąchock sub antiquo suo sigillo data, vigore quorum civitatem forensem Kazimierz, cum villa monasterii supradicti nomine Witaszewice, villam suam Babice, cum villa Smolice, et partem hereditatis Prawęcice, cum theloneo in civitatibus Kazimierz et Zgierz eiusdem monasterii, commutaverat.

Transsumpt orygin. potwierdzony przez: Wladislaus rex Polon. etc. 1401 Iun. 21, in Nova Civitate, alias Corczin; *u oryginału dziurki dwie od przywiesz. pieczęci poprzerywane.*

Trzemeszno. Priv. Conv. Canon. Regul. Lateran.

In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo trecentesimo decimo octavo, die sancte Trinitatis, in colloquio aput Suleyow celebrato, veniens ad nos vir religiosus dominus Petrus nosterque capellanus fidelis, abbas de Wanchoczsko, nobis humiliter et devote supplicavit, ut privilegia hereditatum domus predicte super commutacione, donacione et iure Theutunico, cum quibusdam iuribus et immunitatibus a nobis obtentis, dignaremur sub appensione modernorum nostrorum sigillorum renovare; cum sit de nostro mandato publice proclamatum, quod omnia privilegia sub antiquo nostro sigillo, nullius debeant esse auctoritatis aut valoris. Quorum privilegiorum tenor erat talis:

In nomine Domini amen. Quia rerum temporalium disposicio tempore labente sepius malum oblivionis dimergitur, necessarium est, ut que temporaliter aguntur legittime, litterarum et proborum virorum testimonio roborentur. Noverit igitur presens et futura fidelium Christi universitas, quod nos Wladislaus, Dei gracia dux Cracowie, Sandomirie, Siradie, Lancicie Cuyavieque nec non heres regni Polonie, intencione ac deliberacione bona nostra nostrorumque baronum, civitatem nostram forensem que Kasimir vulgariter nominatur, domino abbati de Wanchoczsko cum suo capitulo domus Cisterciensis Ordinis, commutacione nobis facta, pro eadem civitate villam Wittowicze que in foribus civitatis Lanciciensis iacet recipientes, dictam ci-

vitatem Kasimir domino abbati de Wanchoczsko iure Theutunico locandam suisque successoribus in perpetuum possidendam contulimus, sub tali libertate, qualem hospites de Sroda habere dinoscuntur, omnibus iuribus, usibus et utilitatibus, secundum idem ius plene et integre nostro dominio observatis. Item, de consensu, nutu et voluntate fratris nostri domini ducis Kasimiri, cum bona deliberacione nostra et dicti fratris nostri ac omnium baronum nostrorum, per commutacionem voluntariam et pacificam, villam Smolicze vulgariter dictam, quam prius Simon, quondam abbas de Wanchoczsko, quondam de consensu eiusdem domus cum Allexio milite nostro pro Iarochowo voluntarie et pacifice commutavit, tandem villam Smolicze dictam a domino Egidio abbate de Wanchoczsko et a conventu domus eiusdem recipientes, eidem abbati et suo conventui villam nostram, que Babicze vulgariter nuncupatur, contulimus cum omnibus utilitatibus, videlicet pratis, aquis, molendinis et hys que de novo exstirpari poterint, ac ceteris utilitatibus que in eadem haberi vel inveniri possint, eidem abbati et conventui, iure Theutunico locandam sub eadem libertate Theutunica quam cives de Kasimir dinoscuntur habere, donavimus, exceptis mellificiis, que pro nobis excipimus, de quibus eciam mellificiis, dictis fratribus partem de gracia iuxta quod nobis videbitur tribuemus. Preterea, attendentes quanto karitatis affectu pater noster Kasimirus bone memorie, dux illustris, domum sancte Marie de Wanchoczsko fratresque ibidem Deo famulantes Ordinis Cisterciensis dilexerit, ob eiusdem patris nostri felicis recordacionis anime remedium ob salutemque animarum ceterorum nostrorum progenitorum, et ob salutem generose matris nostre Eufrosine nostramque, perpetue paci eiusdem domus providere cupientes et quieti, ad preces abbatis et conventus domus supradicte, pro theloneo de Kazimir ipsorum civitate et Shegrz civitate nostra, quod ad eos racione commutacionis dicte civitatis Kazimir pro Vitowicz et suis pertinenciis, cum dictis abbate et conventu per nos facte, pertinebat pleno iure, partem hereditatis nostre Prawyanczicze vulgariter nuncupate, pro commutacione dicti thelonei predicte domui, abbati et fratribus contulimus; reliquam vero partem cum metis suis ex toto, in memorati patris nostri ceterorumque predictorum progenitorum nostrorum peccaminum remissionem, et ob prefate matris nostre nostramque salutem, mere et pure in elemosinam perpetuo donavimus abbati et conventui abbacie sepedicte. Et ut donacionis nostre munificencia liberalis circa Christi servitores in suis amplioribus amplietur beneficiis, eandem hereditatem totaliter cum silvis, mellificiis, pratis, aquis, castoribus, venacionibus, molendinis, et cum utilitatibus aliis universis, eisdem abbati et conventui iure Theutuniko locandam contulimus sub eadem libertate Theutunica, quam hospites de Sroda habent. Inhabitatores igitur predictarum hereditatum, cuiuscunque nacionis fuerint, eximimus perpetuo a iurisdicione palatinorum, castellanorum et omnium iudicum aliorum cuiuscunque existant dignitatis, a monetariis, theolonariis, angariis, perangariis, ab omnibusque penis sive culpis, ac ab universis exaccionibus et solucionibus, et ab omni iugo tributarie servitutis, quocunque vocabulo censeantur; nec pro aliqua causa criminali vel civili, coram aliquo qualicunque iudice citentur nec respondere teneantur, nisi tantum coram ipso abbate, vel sculteto qui ibidem ab abbate vel fratribus iudex fuerit constitutus. Ad castra autem firmanda, linienda, vel de novo edificanda, nullatenus compellentur, nec ire cogentur ad expedicionem aliquam, nisi cum gens aliena hostiliter intraverit terram nostram, ad quam ire sicut ducis civitates cetere tenebuntur. Et ne in futurum de dictis donacionibus, commutacionibus et immunitatibus nostris ambiguitas generetur, easdem donaciones, commuta-

ciones et immunitates nostras presentis scripti testimonio innovantes communimus, et nostrorum modernorum sigillorum munimine roboramus presentibus hys testibus: comite Borzuyone palatino, Paulo dicto Ogon castellano, Chwalone subcamerario, domino Iaszkone cancellario et Iankone gladifero, Lanciciensibus. Datum per manus domini Sbignei subcancellarii Cracoviensis, scriptum autem per Fflorianum de Bala.

Suleyow, *Sulejów*. Wanchoczsko, *Wąchock*. Kasimir, *Kazimierz*. Wittowicze, *Witaszewice*. Sroda, *z niem. Neumarkt na Szlązku*. Smolicze, *Smolice*. Iarochowo, Babice, *dziś t. s.* Shegrz, *Zgierz*. Prawyanczicze, *Prawencice*. Bala, *Biała*.

Nr. 1000.

Wladislaus heres regni Polonie etc. 1318 Iun. 29, apud Pisdir; confirmat donationem hereditatis Swiączyn, a Nicolao et Manczone, filiis Jagnae, monasterio de Lubin factam.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabnych, czerwonych przewleczonych przez zrobioną w nim dziurkę, wisi dolny ułamek pieczęci Bolesława księcia; (pieczęć XVI). *Pergamin zdaje się bydź niepodejrzany. Ten sam dokument potwierdził Kazimierz król 1364 Maja 27 w Krakowie.*

Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin 11.

In nomine Domini amen. Cum donaciones, ordinaciones et resignaciones robur obtinere nequeant firmitatis, si consensu principum et litterarum testimonio non fuerint roborate, proinde nos Wladislaus, Dei gracia heres regni Polonie terrarumque Cracovie, Sandomirie, Cuiavie, Lancicie, Siradie dux, ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum presens scriptum volumus devenire, quod fideles nostri Niclaus et Mancz una cum matre ipsorum Iagna, heredes de Swenczecz, in nostra nostrorumque baronum presencia constituti corporali, sani mente et in optima corporis valetudine, non coacti nec compulsi, sed sponte, predictam hereditatem eorum, Swenczecz vulgariter dictam, iure paternali ipsos contingentem, de consensu suorum omnium amicorum reverendo viro fratri Paulo, abbati monasterii sancte Marie in Lubin Ordinis sancti Benedicti, ac fratribus ibidem Deo militantibus, cum omnibus utilitatibus et proventibus et toto dominio, sicut soli tenuerunt, prout in suis gadibus, limitibus et terminis circumferencialiter est distincta, ob salutem et remedium animarum ipsorum nec non parentum predecessorum, iure hereditario in perpetuum donaverunt et resignaverunt. Nos vero precibus ipsorum ex utraque parte benignius inclinati, prefatam donacionem et resignacionem ratam et gratam habentes, iam dicto abbati et suo conventui ipsam hereditatem Swenczecz, integraliter et ex toto, cum omnibus utilitatibus, proventibus et dominio, prout superius est expressum, iure hereditario in perpetuum presentibus conferimus et confirmamus. In huius rey testimonium et evidenciam pleniorem, presentem paginam conscribi fecimus et sigilli nostri appensione roborari. Actum apud Pisdir in octava Corporis Cristi, anno Domini MCCC decimo octavo, presentibus hys honorabilibus viris et discretis: fidele nostro Stephano capitaneo Polonie, comite Dobrogostio palatino Poznaniensi, comite Martino palatino Kalisiensi, comite Alberto Krczonowicz, comite Petro de Miloslave,

domino Philippo canonico et cancellario Poznaniensi, et aliis multis fide dignis, per manus Iohannis notarii curie nostre.

Swenczecz, *Świączyn*. Lubin, *Lubin*. Pisdir, *Pyzdry*. Miloslave, *Miłosław*.

Nr. 1001.

Stephanus dictus Pancavcus capitaneus tocius regni Polonie etc. 1318 Aug. 29, in Kalis; concedit civibus de Toruń liberum et securum transitum, sed tantum versus Konin et Kalisz, donec de hoc negotio cum commendatore de Toruń convenerit.

Voigt. Cod. diplomatic. Prussic. II, Nr. 86. (Z pergam. orygin., znajdującego się niegdyś w archiw. miasta Toruń).

Noverint huniversi presentium noticiam habituri, quod Stephanus dictus Pancavcus, capitaneus tocius regni Polonie ac Cuiavie, civibus Toruniensis civitatis, vectoribus et quoscumque alios duxerit, damus plenam et omnimodam libertatem sine omni scrupulo falsitatis, per terram nostre procurationis versus Conin et Kalis transeundi et revertendi, et non aliunde, salvis rebus pariter et personis, tam diu, donec nos conveniemus cum cuntore predicte civitatis nostris litteris vel personis melius roborando, ad (sic) data presentium, a Decollatione sancti Iohannis, usque ad diem sancti Martini. In cuius rei testimonio, nostri sigilli munimine iussimus communiri. Datum in Kalis, anno Domini M.CCC.XVIII.

Conin, *Konin*.

Nr. 1002.

Sanziwugius iudex territorii Naklensis s. a. Nov. 2, in Nakil; protestatur, militem Vithoma una cum fratribus, hereditatem Dambegor monasterio de Byszewo vendidisse.

Pergam. orygin. Skrawki pergam. od dwóch pieczęci, każdy przez 2 wcięcia przewleczony.

Poznań. Königl. Staats Arch. Koronowo 28.

Nos Sanziwugius, iudex territorii Naklensis, una cum fratre nostro Henrico castellano de Nakil per presentes protestamur universis presentibus et futuris, quod coram nobis in Nakil miles quidam Vithoma nomine et fratres eius, videlicet Nimirus et Bogus, cum quibusdam eorum consanguinibus constituti recognoverunt, se summam pecunie quinquaginta marcarum et quinquaginta mensuras siliginis a domino Bertoldo abbate de Byssovia ex integro recepisse, pro qua prenominati viri dicto abbati et eius conventui hereditatem suam, Dambegor vulgariter nuncupatam, vendiderunt; promittentes, quod quum dicti fratres de Byssovia oportunitatem limitandi illam hereditatem haberent, ipsi eis eandem omni retractione postposita limi-

tarent. In cuius rei evidenciam, presentem cartam nostrorum sigillorum munimine contulimus roboratam. Datum in Nakil in die Omnium Animarum.

Nakil, *Nakło.* Byssovia, *Byszewo.* Dambegor, *osada znikła, leżała nad rz. Sempolna w okolicy m. Sempolno, już za czasów Kazimierza W.* deserta.

Nr. 1003.

Stephanus capitaneus regni Polonie 1318 Dec. 11, in Kalis; ratam habet donationem hereditatis Wierzbiczany, a comite Pribislao, filio Borkonis, ecclesiae Gneznensi pro damnis eidem illatis factam.

Transsumpt potwierdzony przez: Kazimirus rex Polonie etc. 1335 Nov. 25, Poznanie.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 105.

In nomine Domini amen. Nos Stephanus capitaneus regni Polonie notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod constitutus in nostra presencia nobilis vir comes Pribislaus filius Borconis, memor salutis proprie, in remedium anime sue, ac eciam pro trecentis marcis grossorum in quibus dampnificavit ecclesiam Gneznensem, hereditatem suam dictam Wirzbiczani, sitam prope Gneznam, cum toto lacu et prout in suis circumferenciis continetur, venerabili in Christo patri domino Ianislao Gneznensi archiepiscopo et ecclesie sue libere contulit, et coram nobis possidendam in perpetuum resignavit. Nos vero quantum in nobis est prefatam donacionem ratam et gratam habentes, presentibus confirmamus. In cuius rei testimonium, nostrum et ipsius comitis Pribislai ac Philippi cancellarii infrascripti sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum in Kalis tercio Ydus Decembris, anno Domini millesimo trecentesimo decimo octavo, presentibus: comite Martino palatino Kalisiensi, Philippo cancellario Polonie, Alberto castellano, Potrkone iudice, Ottone subcamerario, Kalisiensibus, et aliis quam plurimis fide dignis.

Wirzbiczani, *Wierzbiczany.*

Nr. 1004.

Zulco comes dominus de Lessotendorph 1319 Ian. 23, in Glogow; monasterio de Obra hereditatem Nowe Kramsko donat.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 30.

In nomine Domini amen. Testamentum suum non recte disponit, qui terrenis tantum testatur heredibus et Christum non fecerit sue substancie heredem. Sciant ergo fideles universi tam presentis temporis quam futuri, presentem literam inspecturi, quod nos Zulco comes, dominus de Lessotendorph, diem messionis extreme operibus misericordie et divine benedictionis misericorditer prevenire volentes, hereditatem nostram Novum Cramsko vulgariter nuncupatam, quam iuste empcionis titulo nobis comparavimus, de consensu et voluntate benevola omnium heredum nostrorum, cum

omni iure et iurisdictione, terris videlicet cultis et incultis, agris, pascuis, silvis, pratis, aquis piscariis et non piscariis, paludibus, et omnibus utilitatibus et attinenciis suis, Deo et gloriose virgini Marie et fratribus in Obra Deo servientibus contulimus in ipsius proprietatem et perpetuam possessionem, libere possidendam et absolute, ut eidem ecclesie et fratribus predictis de eisdem bonis libera sit ordinandi facultas, prout sibi utile iudicaverint et expedire. Acta sunt hec in Glogow anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono, in die Emerenciane virginis. Huius rei testes sunt: dominus Th. prepositus de Bencin, dominus Nicolaus de Sandvel notarius domini ducis; Nicolaus Symonis, Hermanus iuvenis, Iacobus scultetus de Quelez et filius suus Th., cives Glogovienses, et alii quam plures fide digni. Ut autem hec rata et inconvulsa permaneant, literam hanc nostro sigillo signatam duximus erogandam.

Lessotendorph, *niegdyś* Villa Lassothe, *dziś Lasocice.* Novum Cramsko, *Nowe Kramsko.* Obra, *Obra.* Bencin, *Zbąszyń.* Sandvel, *dziś Sandelwalde.* Quelez, *Kwilitz.*

Nr. 1005.

Pribislaus dictus Chocholecz capitaneus regni Polonie 1319 Febr. 15, in Radzegevo; confirmat venditionem hereditatis Szczytniki, a Stephano herede de Kopaszyn in rem ecclesiae Gneznensis factam.

Pergam. orygin. Paski pergamin. od przywieszenia dwóch pieczęci.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 82.

Noverint universi presencium noticiam habituri, quod constitutus coram nobis Pribislao dicto Chocholecz, capitaneo regni Polonie, Stephanus heres de Copassino, confessus est ac eciam recognovit, quod hereditatem suam, Scithniki vulgariter nuncupatam, pro viginti marcis Thorunensium venerabili in Christo patri domino Ianislao, sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, vendidit, recognoscens dictas viginti marcas sibi ex integro persolutas, renuncians omni iuri quod in villa sibi compeciit iam prefata, et eam sibi per suum capucium coram nobis, vices gerentibus illustris principis Wladislai ducis Cracovie ac heredis tocius regni Polonie, libere resignando; promittens nichilominus eidem domino archiepiscopo predictam hereditatem ab omni homine evincere, si quis forte ius aliquot sibi competere diceret ad eandem. Nos autem auctoritate qua fungimur in hac parte predictas vendicionem et tradicionem ratas et gratas habentes, ipsas tenore presencium confirmamus. In cuius rei testimonium, sigilla, nostrum videlicet et predicti Stephani, presentibus sunt appensa. Datum in Radzegevo XV Kalendas Marcii, anno Domini M.CCC decimo nono, presentibus nobilibus viris: dominis Iohanne castellano Cruswiciensi, comite Vincencio de Velen, Iaroslao de Gywna, Gerkone advocato de Radzegewo, Rycholdo scolteto de Byscupicz, et aliis pluribus fide dignis.

Copassino, *Kopaszyn.* Scithniki, *Szczytniki.* Velen, *Wieleń.* Gywna, *Iwno.* Radzegewo, *Radziejów.* Byscupicz, *Biskupice.*

Nr. 1006.

Bartko advocatus consules et scabini civitatis Pizdrensis 1319 Febr. 23, s. l.; protestantur, Hildebrandum, filium quondam Heinkini, macellum ipsius monasterio Ląd contulisse.

Włocławek. Lib. privilegior. monasterii Ląd, pag. 161.

Nos Bartko advocatus, consules et scabini civitatis Pizdrensis, notum facimus universis ad quos presens litera pervenerit, quod dilectus noster concivis Hildebrandus, filius quondam Heinkini, coram nostro firmato iudicio constitutus, macellum suum proprium, ab omni impeditione liberum et quietum, pro remedio anime Iohannis dicti Salche, quondam sororii sui, fratribus domus Lyndensis Ordinis Cisterciensis dedit, contulit et vive vocis oraculo assignavit iure hereditario perpetue possidendum; protestans coram nobis, quod nullus suorum successorum ius aliquod in eodem macello impugnationis vel impetitionis habeat vel habere valeat in futurum, sed predicti fratres de Lynda pleno iure dominii omni tempore possideant pacifice et quiete. Et ne super his dubium in posterum oriatur, presentem literam sigillis advocati prefati et nostre civitatis dedimus fratribus communitam. Actum et datum anno Domini M.CCC.XIX, in vigilia beati Matthie apostoli, presentibus civibus et scabinis nostris: Petro dicto Wolf, Henkino Valterkini, Hermano scriptore, Iohanne filio Arnoldi, et aliis pluribus fide dignis.

Domus Lyndensis, *klasztor Ląd.*

Nr. 1007.

Comes Martinus terre Calisiens. palatinus 1319 Mart. 4, Kalis; confirmat una cum suis confratribus monasterio de Łekno possessionem hereditatis Łęgowo, quam frater suus patruelis Sandivogius, sine prole defunctus, monasterio praedicto resignaverat.

Wągrowiec. Archiv. monasterii. Protocollum tertium, pag. 16. — Poznań. Königl. Staats Arch. Relation. Gnesnens. a. 1782 I, fol. 290. (Kopja z pergaminu orygin., przy którym było 5 pieczęci zawieszonych).

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assertio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos comes Martinus, terre Calisiensis palatinus, una cum omnibus nostris confratribus subnotatis, scilicet Nicolao filio quondam comitis Nicolai Pomeraniensis terre palatini, patrui nostri, tum Philippo, Beniamin, fratribus nostris, Nicolao filio Ianchonis, filiolo nostro, notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod nos veri coheredes quondam nostri chari nomine Sandivogii, filii quondam comitis Alberti, absque prole decedentis, quendam contractum, rite et legitime inter ipsum ex una, et virum religiosum dominum Godschalcum abbatem ac conventum de Lukna ex altera parte super quamdam hereditatem nomine Langowo,

situatam super flumen Welmam, iusto venditionis sive emptionis titulo celebratam, ratificamus in his scriptis et approbamus, confirmantes predictam hereditatem Langowo supradictis abbati et conventui de Lukna cum omnibus suis attinentiis, scilicet silvis, agris, pratis, pascuis, fluviis, nemoribus, molendinis, duobus lacubus et sortibus adiacentibus, videlicet Ianchowo, Maslowo, Prostynie et Znosze; insuper et ecclesiam cum omnibus decimis ad eandem pertinentibus et cum iure patronatus, ac cum omnibus utilitatibus que nunc et in posterum poterunt in eadem hereditate provenire, nichil nobis iuris reservantes, sed totum sepedicte ecclesie de Lukna et fratribus ibidem Deo servientibus plane et simpliciter resignantes, iure hereditario in perpetuum possidendum. Ita quod nos, nec aliquis de fratribus nostris aut filiis sive filiolis supradictis ac aliquibus liberorum nostrorum, in posterum habeamus ius aliquod in eadem aliquibus privilegiis requirendi. In cuius rei evidentiam, presentem paginam ipsis fratribus ac conventui conscribi fecimus, et sigillo nostro, domini Stephani capitanei regni Polonie, domini Venceslai dicti Lisowicz, Nicolai dicti Nuga, et Philippi fratris nostri de Berocino, roborari. Datum et actum Kalis in dominica Reminiscere, anno domini millesimo trecentesimo decimo nono, presentibus omnibus supradictis qui sigilla sua apposuerunt, Venceslao de Gostyczyna, Nicolao de Dobrycz, Henrico scriptore, civibus de Kalis, ac aliis multis fidedignis.

Lukna, *Łekno.* Langowo, *Łęgowo.* Flumen Welma, *Wełna.* Ianchowo, *Jankowo.* Maslowo, Prostynie, Znosze, *osady znikłe.* Berocino, *Brończyn.* Gostyczyna, *Gostyczyn.* Dobrycz, *Dobrzec.*

Nr. 1008.

Stephanus capitaneus regni Polonie et Cuyavie 1319 Mart. 4, Kalis; confirmat ratificationem resignationis hereditatis Łęgowo cum attinentiis, quondam a Sandivogio Zaręba monasterio de Łekno factae.

Pergam. orygin., u którego trzy pieczęcie przywieszono. Pierwsza na sznurku jedwabnym, czerwonym, połamana; ułamek okazuje część pieczęci starosty Stefana; (pieczęć XLII). *Druga na takimże sznurku zupełnie połamana; zachowany ułamek przedstawia dolny kąt tarczy, na którym rozpoznaje się dolna połowa godła rodu Zarębów, t. j. 3 otwory w murze, w sposób szachownicy ułożone. Trzecia zupełnie zgnieciona, bez wycisku.*

Wągrowiec. Archiv. monasterii. Diplomata.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et accio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos Stephanus, capitaneus regni Polonie et terre Cuyavie a domino nostro duce Cracovie constitutus, ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum volumus devenire, quod coram nobis comes Martinus, palatinus Kalisiensis, una cum confratribus suis, scilicet Nycolao filio quondam comitis Nycolai Pomeraniensis terre palatini, Philippo, Beniamin, fratribus ipsius, Nycolao filio Ienchonis, filiollo suo, bona voluntate, omnis doli specie procul mota, sani mentis (sic) et de maturo consilio, quendam contractum, per dilectum patrem et patruum ipsorum, felicis recordacionis dominum Zansivogium, ex parte una, et dominum abbatem virum religiosum Gotsalchum de

Luckna ac conventum ybidem pro quadam hereditate, vulgariter nuncupata Langovo, ex parte altera, empcionis sive vendicionis titulo rite et racionabiliter factum, ratificarunt; ita, quod predicto domino abbati et conventui de Luckna, ipsam hereditatem Langovo cum omnibus suis atinenciis, scilicet silvis, agris, pratis, pascuis, fluviis, nemoribus, molendinis, duobus lacubus et sortibus adiacentibus, videlicet Ienchowo, Maslowo, Prostnici et Znose, ecclesiam ybidem cum omnibus decimis ad ipsam pertinentibus et cum iure patronatus, plane cum omnibus utilitatibus iure hereditario duxerunt resignandam. Nos vero predictam empcionem, vendicionem et resignacionem ratam ac gratam habentes, sepedicto abbati ac conventui de Luckna ipsam hereditatem Langovo cum omnibus utilitatibus, prout supra dictum est, iure hereditario presentibus possidendam cum eorum successoribus confirmamus. In cuius rei testimonium, presentem paginam conscribi fecimus, sigillo nostro, comitis Wenceslay dicti Lyssowicz, et sigillo civitatis Calissiensis roboratam. Datum et actum Kalis in dominica Reminiscere, anno Domini M.CCC. decimo nono, presentibus hiis: comite Wenceslao dicto Lis, comite Wenceslao de Gosticzin, Nycolao dicto Nuga; Nycolao, Bertoldo, dictis de Dobricz, et Henrico scriptore, civibus de Kalis, ac aliis multis fidedignis.

Luckna, *Łekno.* Langovo, *Łęgowo.* Ienchowo, *Jankowo.* Maslowo, Prostnici, Znose, *osady znikłe.* Gosticzin, *Gostyczyn.* Dobricz, *Dobrzec.*

Nr. 1009.

Symon custos ecclesie Poznaniens. 1319 Mart. 6, in Koslow; hereditatem Czaplice cum sortibus adiacentibus ecclesiae Poznaniensi resignat.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 138.

Noverint universi presencium noticiam potituri, quod ego Symon custos ecclesie Poznaniensis, filius comitis Nicolai dicti Czapla, ad honorem Dei et meorum peccaminum remissionem parentumque meorum salutem, cum bona voluntate et deliberacione superius habita diligenti, hereditatem meam, que Czaplici vulgariter dicitur, cum sortibus pro pecunia mea comparatis, eidem hereditati contiguis, que sortes Chrosti et Gola de Kamencz communiter nuncupantur, que se extendunt a silva dicta Reczicza et Brzescze, usque ad metas Lubnicze et Trczenicz, sorte ex alia parte dictarum silvarum, videlicet Rzeczicze et Brzescze, pro me reservata, dono et confero et resigno cum omnibus fructibus et proventibus, qui nunc sunt et in posterum possunt exoriri, ecclesie maiori in Poznania sanctorum Petri et Pauli apostolorum perpetuo possidendam. In cuius rei testimonium, presentes mandavi conscribi et nostri consueti sigilli munimine roborari. Datum in Koslow presentibus dominis, videlicet venerabili in Christo patre domino Domarato, Dei gracia Poznaniensis ecclesie episcopo, domino Gerlibo scolastico Gneznensi, domino Mathia decano Wladislaviensi et Alberto scolastico eiusdem ecclesie Wladislaviensis, domino Philippo archidiacono Poznaniensi, Iohanne cantore (cancellario?) ibidem, canonicis ecclesie Poznaniensis, et aliis quam plurimis fidedignis, proxima tercia feria post dominicam qua cantatur Reminiscere etc., anno Domini M.CCC.XIX.

Czaplici, Chrosti, Gola, *osady znikłe.* Kamencz, *Kamieniec.* Lubnicze, *Lubnica.* Trczenicz, *Trzcinica.* Koslow, *Kozłów biskupi.* Wladislaviensis, *de Włocławek.*

Nr. 1010.

Wladislaus dux Cracoviens. etc. 1319 Iun. 7, in Zarnow; confirmat venditionem hereditatis Łęgowo, quam Martinus palatinus Kalisiens. et proximi ipsius in rem monasterii de Łekno fecerant.

Wągrowiec. Archiv. monasterii. Protocollum tertium, p. 18. — Poznań. Königl. Staats Arch. Relation. Gnesnens. a. 1782 I, fol. 290. (Kopja z pergaminu orygin., u którego była 1 pieczęć przywieszona).

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria, nisi testibus veridicis et litteris publicis fuerint roborata. Igitur nos Wladislaus, dux Cracoviensis, Sandomiriensis, Lanciciensis, Cuiaviensis ac regni Polonie, scire cupimus universos ac singulos, tam presentes quam futuros presentem litteram inspecturos, quod strenui viri, videlicet Martinus palatinus Calisiensis, Nicolaus filius Nicolai palatini Pomeraniensis quondam, Philippus et Beniamin fratres uterini, Nicolaus dictus Zareba, nec non pueri iam dictorum, offerentes se conspectui comitis nostri Stephani capitanei terrarum Polonie et Cuiavie, sani mente, corpore et ratione, non compulsi, sed de mera voluntate, unanimi consensu pariter et assensu, hereditatem que Langowo vulgariter nuncupatur, cum omnibus utilitatibus ad eandem hereditatem pertinentibus, tam in piscinis quam in pascuis, in venationibus, in melificiis, in molendinis construendis, et cum duobus lacubus, prout est in suis gadibus limitata, religioso viro et discreto domino Goczalko abbati et toti conventui de Lukna Ordinis Cisterciensis, professi sunt predictam hereditatem iure hereditario in perpetuum pro septuaginta marcis grossorum vendidisse. Et cum de re certa nobis hec venditio perfecte sit cognita, eandem confirmamus perpetuo valituram, nec non etiam damus et concedimus predicte hereditati et incolis eiusdem ville frui generaliter omni iure, quo et singule hereditates eiusdem monasterii mediantibus eorum privilegiis valeant congaudere. In cuius rei testimonium, presentibus nostrum sigillum duximus appendendum presentibus his testibus: comite Navogio palatino Sandomiriensi, Petro castellano Sandomiriensi, Wenceslao dicto Liss castellano Siradiensi, Petro iudice Poznaniensi, Segneo subdapifero Sandomiriensi, Zdyrskone subiudice Sandomiriensi. Datum et actum in Zarnow feria quinta infra octavam sanctissime Trinitatis, anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono. Datum per magistri Francisci manus, cancellarii et canonici Cracoviensis.

Langowo, *Łęgowo.* Lukna, *Łekno.* Zarnow, *Żarnow.*

Nr. 1011.

Nicolaus dictus Bozata comes de Kiblow 1319 Iun. 11, s. l.; una cum collegis protestatur, comitem Mathiam de Zielęcin hereditatem Borzysław, cum hereditate monasterii de Obra, dicta Siekowo, quadam conditione commutasse.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 39.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentem literam inspecturi, quod nos Nicolaus dictus Bozata, comes de Kiblow, una cum comite Peregrino dicto de

Kumerowo et fratre suo Grimislavo publice protestamur, quod comes Mathias dictus Zelankowiz, cum duobus filiis suis, Iectore et Laurencio, de consensu benevolo etiam omnium suorum heredum, cum venerabili patre domino Hermano abbate de Obra et suo conventu ibidem commutacionem benevolam facientes cum hereditate sua, nomine Boryslawo, et omnibus utilitatibus hereditatis prefate, videlicet silvis, virgultis, pratis, pascuis, paludibus ceterisque quibuslibet attinenciis, et ipsorum hereditate nomine antiquum Zekow: quam quidem hereditatem predicti fratres iam dudum iusto empcionis titulo comparaverunt pro XX marcis grossorum: et ad commemoratam commutacionem predicti fratres VI marcas addiderunt eidem tali condicione, quod si aliquis hanc commutacionem infringere vel in posterum impedire vellet, predictus comes Mathias in nostra presencia irritare permutacionem, et prefatam hereditatem, videlicet Boryslawo, libere et absolute et sine aliqua infestacione domino abbati et conventui, coram domino terre vel eius capitaneo, iusto iudicio sine aliquo damno vel periculo libere revocare poterit. Si autem conventus hereditatem revocare non sufficeret, predicta commutacio irrita manebit et inanis, et antiquum Zekow cum omnibus suis utilitatibus et attinenciis integraliter perpetue possidebunt. Acta sunt hec anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono, in die beati Barnabe apostoli. In cuius rei testimonium, sigilla nostra cum sigillo sepedicti comitis Mathie huic schedule sunt appensa.

Kiblow, *Kiebłowo.* Kumerowo, *Komorowo.* Zelankowiz, *t. j. heres de Zielęcin.* Obra, *Obra.* Boryslawo, *Borzysław.* Antiquum Zekow, *Siekowo.*

Nr. 1012.

Henrich und Prymke Herzogen zu Slesien 1319 Aug. 10, s. l.; treten das Land am rechten Ufer der Faulen Obra, von deren Mündung in die Oder an, und das Land am linken Ufer der Obra bis Międzyrzecz, an den Markgrafen Woldemar von Brandenburg ab, und empfangen dafür Sagan, Krośno und Międzyrzecz.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. B 1, p. 437. (Kopja).

In Gotis Namen amen. Wir Henrich und Prymke, van Gotis Gnaden Herzogen zu Slesien und Herren cu Glogow, bekennen und betugen an disem offen Briven, daz wir mit dem edeln Fursten unsem liben Oheim Marggraven Woldemare von Brandenburg haben getedinget als hir na gescriben stet, daz wir alle di Lant, Vestenn und Schedunge als hirna gescriben stet, haben im und sinen Erben gelaten mit gutem Willen und haben uns der vorzighen. Irst da der Ober went zu Kopanitz, und da die uterste Brücke went kein Glogow mit dem Wirder, da di buden uffe ligen, vort von Kopanitz den Ober nyder biz an Brandatendorf, und daz selbe Hus mit dem Dorffe mit alle sinen Grenitzten, die von Aldere darzu gelegen sint, daz scal bliven bi unsem Omen. Vorbaz von Brandatendorf bis zu Bentzin, also daz Bentzin Hus und Stad und waz zu der Stad gehoret an Ackere, an Holtze, an Grase, an Weyde, an Honekzinse, an Wischerie, daz sol auch by unsem Omen bliben. Vorbaz van Bentzin den Ober nyder als der Wluz went biz an die Burgwere zu Meseriz, als iz unsez Omen Eldern vore haben gehat, und da wirt inne begriffen Forstetel und Rybiac und waz dar zu gehoret beidersit des Obers, daz scal ouch

bliben by unsem Omen. Aber vorbaz von Kopaniz den Vulen Ober nyder biz in die Odere, daz scol sin die Grenitze zwischen uns beidersit; also waz Dörfere uf dem Ober unses Omen von Brandenburg ligen und ire Acker haben an der Sit, da scal der Acker, Holtz, Graz, Wazcer, Weide, Honic und waz darzu gehoret, volgen den Dorfern. Waz Dorfere ouch uf unsen Ober liegen und iren Acker haben an der Sit, da scal Acker, Holtz, Graz, Wazcer, Weide, Honic und waz dar zu gehoret, volgen den Dorfern. Mer von der Stat, dar der Vule Ober velt in die Oder, nyder biz in die Landisscheyde zu Drozen, daz scal use Landisscheyd beydersit sin; waz Dorfere ligen beydersit der Odere, die scullen bliben mit alme Rechte und mit den Stücken, als die Dörfere die beidersit des Obers ligen, als vor gescriben stet. Diz sind die Vesten die wir unsem Omen von Brandenburg haben gelaten und abgetreten mit gutem Willen: Tczülchov Hus und Stat ledeg und vorlyghen, als wir und die Burger daz haben gehabet biz an dyzen Tac. Wir laten im ouch Swebozin di Stat und waz dazu gehoret, und Lubynen Hus und Stat, als iz Henczt von Wisenburg von uns hat gehabet, und ouch daz Hus zw Wytin, als iz herr Tame van Sydlitz von uns hat gehat. Umme dise vorbenumten Lant und Vesten, hat uns use Ome von Brandenburg und usen Erben gelaten und vortzigen den Saghen mit allen dem daz dazu gehoret, und scal unse und unser Erben rechte Gut sin. Her hat ouch uns laten hulden Crossen Hus und Stat und alle die Man di darzu gehoren; also ginge he abe an Erben, so scal daz unse und unser Erben rechte Gut sin. Her hat ouch uns laten hulden Meseritz mit der Burgwere. Ginge her abe ane Erben, daz scal ouch unse rechte Gut sin. Her hat uns ouch laten hulden alle die vorgescriben Lant und Vesten, di wir im nu gelaten vor den Sagan, daz die ouch unse rechte Gut scullin sin, ab her abeginge an Erben; daz scullen die geloben uns, di di Huser und die Stete inne haben. Seyzet aber unse Ome andere, di scullen uns daz selbe geloben. Um die Greniz zwischen den Sagan und Görliz, das haben wir gelaten zu Hern Diteriche von Sydlitz und zu Heren Wolferame von Panewitz von der Sprotav, und unse Ome von Brandenburg zu Heren Christan von Gerhardestorp und zu Hern Meinharde von der Luben; die viere scullin daz in Truwen geloben, daz sie daz scullen intscheiden nach den Altseyzen beyder Sit, als sie sich beste bevragen kunnen mit iren Eyden twischen hir und sand Mertins Tag; und wi si daz entscheiden, so scullen wir daz bedersit halden. Daz haben wir mit einander in Truwen gelobet und haben diesen Brief dar uber gegeyben, vorinsigelt mit unserme Insigel. Actum anno Domini M.CCC.XIX, in die Laurentii.

Ober, *Obra rzeka.* Kopanitz, *Kopanica.* Brandatendorf, *w wieku XIII* Villa Prandotae, *Przyprostnia, z niemiecka Brandorf.* Bentzin, *Zbąszyń.* Meseriz, *Międzyrzecz.* Rybiac, *Rybiak.* Der Vule Ober, *die Faule Obra, zgniła Obra, odpływ do rz. Odra pod wsią Cygańczyce.* Oder, *Odra rzeka.* Drozen, *Drossen, z niem. zam. Ośno.* Tczülchov, *Züllichau, zam. Cylichowa.* Swebozin, *Świebodzin.* Lubynen, *Liebenau, zam. Lubrza.* Wytin, *Witten.* Saghen, *Sagan, zam. Żegań.* Crossen, *Krośno.* Görliz, *Görlitz, zam. Zgorzelice.* Sprotav, *Sprottau, zam. Sprotawa.*

Nr. 1013.

Iohannes Pp. XXII 1319 Aug. 20, Avinione; archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis et aliis qui petebant, ut Wladislaum, ducem Poloniae, regem nuntiari et coronari mandaret, quam ob causam hoc differatur, scribit.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 226.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis salutem et apostolicam benedictionem. Dudum venerabilis frater noster Gerwardus episcopus Wladislaviensis, vester et dilectorum filiorum abbatum monasteriorum, priorum Predicatorum et guardianorum Minorum Ordinum et conventuum eorundem, nec non et Capitulorum ecclesiarum, ac nobilium virorum ducum, comitum, baronum, ac universitatum civitatum et castrorum per regnum Polonie consistencium nuncius ad hoc specialiter destinatus, ad presentiam nostram accedens nobis vestras et eorum litteras presentavit, per quas apostolatui nostro inter cetera significare curastis: quod ab olim post obitum bone memorie .. regis Polonie, qui tunc erat, sedicionibus et dissidiis ac guerrarum discriminibus intestinis inter ipsius habitatores regni, peccatis exigentibus, suscitatis, regni status eiusdem, quod solebat florere divitiis, tam propter hoc, quam eciam propter crebros Tartarorum, Lithuanorum, Ruthenorum et aliorum paganorum incursus, qui Polonorum gentem, quasi novellam in fide, captivam diversis vicibus abducentes, in miserabilem redegerant servitutem, et lumine fidei derelicto, in nostri contumeliam Redemptoris idolatrie servire cogebant, nec non et propter occupationes diversarum eiusdem regni partium et locorum defensore carentis, que nonnulli alienigene violenter invaserant, erat gravissima depressione collapsus; in ecclesiis vero, monasteriis et aliis Deo dicatis locis, fidelium devocione constructis, in quibus devotis laudibus colebatur Omnipotens, cultus divini nominis neglectui tradebatur, quorum aliqua spelunce latronum effecta, aliqua solitudini derelicta, et multa ipsorum ruine vastitatibus subiacebant; adicientes nichilominus in litteris supradictis, quod nisi per Sedis apostolice providentiam circumspectam super hiis occurreretur celeriter de remedio oportuno, verisimiliter poterat formidari, ne terra ipsa ad exinanitionem irreparabilem deveniret: propter quod tam vos per episcopum et litteras supradictas, quam idem episcopus per se ipsum cum multa nobis instantia supplicastis, ut cum regnum predictum esset nobis et ecclesie Romane nullo mediante subiectum, et in signum subieccionis huiusmodi, census, qui denarius beati Petri vocatur, nobis et eidem ecclesie annis singulis deberetur, eiusdem regni fidelibus aperientes viscera pietatis, et eorum calamitatibus ac pressuris paterno compacientes affectu et illud clementis propiciacionis oculis intuentes, de tali rege provideremus eisdem, qui se patenter exemplum ostenderet, qualiter subditos oporteret per iustitie semitas ambulare, quique in potentia virtutis Altissimi dirigeret indirecta, insolentes reprimeret, restauraret deperdita, dictumque regnum, tante calamitatis angustiis, quibus subicitur incessanter, Deo auxiliante, subductum, statum resumeret quietis et dulcedinis primitive, dilectum filium nobilem virum Wladislaum, Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancitie, Cuiavie regnique Polonie ac terre Pomeranie ducem et heredem et eciam possessorem, strenuitate sublimem, industria providum, militia stipatum, multitudine vassallorum onustum, divitiis, munitionibus et fortelitiis prepotentem, promovendum

per nos in regem Polonie concorditer nominando, supplicantes instanter, ut prefatum ducem in regem dignaremur ipsius regni Polonie de benignitate apostolica promovere, et coronari diademate regio mandaremus. Quia vero nobis ex premissis firme spei fidutia suggerebat: quod prefatum regnum, per promotionem huiusmodi ad virium suarum potentiam restauratum, fortius dictorum paganorum prevaleret incursibus et facilius pestiferos conatus reprimeret eorumdem, ubertate pacis, cultu servato iustitie, frueretur, libertas ecclesiastica, ex premissis dissidiis conculcata, suum resumeret Deo propiciante vigorem, ecclesiastice dicti regni persone eciam, ecclesiis eorundem ab oppressionibus relevatis, possent vacare commodius circa cultum divini nominis ampliandum, ipsiusque regni fideles in divinis beneplacitis prosequendis et eiusdem ecclesie Romane, quam ipsi matrem eorum et dominam recognoscunt, fidelitatis et devotionis firmius stabiliri constantia: predictos episcopum et litteras benigne recepimus, et ea, que idem episcopus super eiusdem promotione ducis proponere voluit coram nobis, libenter audivimus, dictarumque litterarum tenorem cum multa iocunditate perspeximus diligenter. Demum autem carissimi in Christo filii nostri Iohannis, regis Boemie illustris, supervenientibus nuntiis, per eos apostolatui nostro fuit humiliter supplicatum, ut cum eidem regi ius in dicto Polonie regno competeret, quod se offerebant suo loco et tempore probaturos, abstinere ab ipsius promotione ducis Polonie dignaremur; sed idem episcopus post nunciorum ipsorum instantiam, sicut prius, crebris vicibus contrarium certitudinaliter affirmando proposuit: quod rex prefatus nullum in dicto regno Polonie ius proprietatis seu possessionis sibi poterat vindicare, cum plenum ius predicto duci tanquam ipsius regni domino naturali et heredi legitimo, cui successio iure nature a suis progenitoribus debebatur, in regno competeret supradicto: pro huiusmodi sepedicti promotione ducis tam pro parte vestra, quam per seipsum suppliciter insistendo. Nos igitur volentes unicuique iura sua servari, ab huiusmodi promotione petita, ad presens providimus abstinendum, non intendentes per hoc iuri vestro et aliorum supplicantium predictorum preiudicium aliquod generari; quin illo sic uti, si et quando vobis expedire videbitur, valeatis, quod tamen cuiusvis alterius non ledatur. Datum Avinione XIII Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno tercio.

Nr. 1014.

Wladyslaus heres regni Polonie etc. 1319 Octob. 16, in Kalis; confirmat resignationem hereditatis Garby, a Mathia, fratre Iohannis de Świerczyna, monasterio de Lubin pro damnis ei illatis factam.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny, zielony, przez 2 wcięcia przewleczony. Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin 12.

In nomine Domini amen. Cum donaciones et resignaciones robur optinere non valeant firmitatis, si consensu principum et literarum testimonio non fuerint roborate, proinde nos Wladyslaus Dei gracia heres regni Polonie, nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Cuyavie, Lancicie Syradieque dux, ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum volumus devenire, quod fidelis noster comes Iohannes de Swirchina in nostra nostrorumque baronum constitutus presencia corporali, sanus mente ac corpore, non coactus, sed sponte professus est, fratrem suum uterinum,

nomine Mathiam, hereditatem suam Garbi, non ex paternali iure ipsum contingentem neque sumptibus paternalibus comparatam, sed propria pecunia emptam, nullum fratrem suum seu affinem in dicta hereditate vel in aliqua sui parte aliquod ius patronatus habentem, domino Martino abbati domus beate Marie virginis monasterii de Lubyn, Ordinis sancti Benedicti, et fratribus ibidem, pro dampnis quam plurimis domui et fratribus predictis illatis, ceterum eciam pro remedio anime sue, publice contulisse; et, ne in posterum liberi prefati Iohannis, sive propinquiores vel amici eorundem, asserentes se legitimos heredes et successores predictorum bonorum, vellent ac (sic) aliquando de eisdem bonis intromittere, aut abbatem et fratres impetere de restituenda sibi dicta hereditate Garbi, cum eos in nulla prorsus sui parte contingat iure paternali, finem coniecturis imponens futuris et querelis, sollempnem donacionem fratris sui memorati Mathie predicte hereditatis tanquam legitimus successor renovans, ipsam hereditatem Garbi coram nobis et nostris fidelibus, domino Paulo abbati, fratribus et domui dicti monasterii, pro dampnis que dictus Mathias prefatis fratribus intulit, et remedio anime ipsius suorumque omnium, iure hereditario in perpetuum sollempniter contulit ac libere resignavit. Nos vero precibus ipsorum ex utraque parte benignis inclinati, cupientes cum nostra posteritate oracionum fratrum plenius fieri participes, prefatam donacionem et resignacionem ratam et gratam acceptamus, ipsamque hereditatem Garbi cum omnibus utilitatibus, proventibus et dominio, prout iam dudum est iure Theutonico locata, et suis gadibus, limitibus et terminis circumferencialiter distincta, abbati, fratribus et domui dicti monasterii iure hereditario possidendam perpetuis temporibus presentibus confirmamus. Excipimus eciam dictam hereditatem et villanos eiusdem de vicinia Drsechcza et a castro Gedche, et adiungimus eandem et villanos hominibus abbatis predicti monasterii, ut cum vicinia iam dicta nichil commune ulterius, prout ante, habeant nec disponant, et citati ad castrum Gedche, ulterius non compareant nec respondeant, sed tantummodo coram abbate suo astent querelantibus responsuri. In cuius rei testimonium, presentem literam sibi dari fecimus, nostro sigillo roboratam. Actum in Kalis in die beati Galli confessoris, presentibus hiis: Martino palatino Kalissiensi, Petro Drogoslavicz iudice curie nostre, Prsedpelcone castellano Poznaniensi, Petro Symanovicz, et aliis multis fidedignis. Datum per manus Iohannis scriptoris curie nostre, anno Domini M.CCC. decimo nono.

Swirchina, *Świerczyna*. Garbi, *Garby*. Drsechcza, *pewnie Nietrzanów*. Gedche, *Giecz*.

Nr. 1015.

Heningus dictus Benstede 1319 Nov. 19, s. l.; villam parvum Wyszanów monasterio Paradyż vendit.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 71.

In nomine Domini amen. Cum pravarum mencium temeritas soleat interdum per calumpniam ea que racionabiliter a fidelibus disponuntur immutare, oportet per industriam hominum eorum pravitati occurrere, et gesta temporalia perhenni litterarum firmitate et idoneitate testium roborare. Proinde ego Heningus dictus Benstede notum esse cupio tam presentibus quam futuris universis Christi fidelibus pre-

sens scriptum inspecturis, quod habito tractatu sollempni cum dilecto fratre meo Henrico et aliis consanguineis, coheredibus meis, de eorum voluntate ac unanimi consensu vendidi domino abbati ac conventui, religiosis viris monasterii de Paradiso Cisterciensis Ordinis, Poznaniensis diocesis, hereditatem et possessionem, villam meam que Parvum Wischenow vulgariter nuncupatur, pro septuaginta sexagenis grossorum, cum pratis, pascuis, lignis, nemoribus, rubetis, paludibus, aquis, piscacionibus, molendinis, mellificiis, agris cultis et incultis, cum omni utilitate ac iuris integritate pacifice et quiete in perpetuum possidendam. Si vero, quod absit, futuris temporibus quisquam hominum, nobilis vel ignobilis, liber aut libertinus, dominus vel servus, religiosus vel irreligiosus, cuiuscunque condicionis aut status existat, predicto domino abbati et conventui super iam dicta possessione et villa questionem sive litem moverit, et coram iudice, ecclesiastico sive seculari, dictam villam impetierit, causa impetitoris vel impetitorum legittima sive illegittima existente, ego et pro meis heredibus sive successoribus, quocunque eciam nomine iuris censeantur, spondeo meis sumptibus et expensis responsurum pro dicto domino abbate et conventu, me interponendo pro eis voluntarie, donec querele et controversie, si que eisdem in futurum mote fuerint, et super ipsis eciam limitacionibus effectum debitum sorciantur. Ut autem huiusmodi contractus firmus et inviolabilis perpetuo perseveret, sigilli mei appensione duxi presentem paginam muniendam. Acta sunt hec millesimo trecentesimo decimo nono anno Incarnacionis Domini, coram testibus quorum nomina sunt hec: Conradus scultetus de Nova Landesberg, Conradus de Servuns, Helewicus, Heyno Rufus, Fritzo de . . . emunz, Tydike de Tsychyr, et alii fide digni. Datum XIII Kalendas Decembris per manum fratris Henrici presencium notatoris, Concurrente VII, Epacta XXVIII, Indiccione secunda.

Paradisus, *zam. Paradyż.* Parvum Wischenow, *dziś Wyszanowo.* Nova Landesberg, *miasto Landsberg n. W.* Servuns, *nie odgadnione.* Tsychyr, *Zicher.*

Nr. 1016.

Abbatissa una cum conventu etc. de Oloboch 1319 Dec. 9, aput Kalish; in causa vertente inter monasterium suum et monasterium de Staniątki super hereditate Uszew, Bernardum, priorem domus suae, procuratorem constituunt.

Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplomatic. Poloniae III, Nr. 78. (*Z pergam. oryg., u którego pozostał pasek pergam. od przywiesz. pieczęci*).

Noverint universi ac singuli ad quorum audienciam presens pagina devolvetur, quod ego abbatissa una cum meo conventu Ordinis Cisterciensium sanctimonialium domus de Olobоch, causam que vertitur inter nos ex una parte, et sorores deodicatas in monasterio Stanatky Ordinis sancti Benedicti, ex altera, super hereditate Wshva in wlgari nominata, quam propria in persona fovere deberemus effectum mancipantes, sed non valemus propter multa viarum discrimina et aliis causis racionabilibus prepedite, virum religiosum ac devotum, fratrem Bernardum priorem nostre domus Olobocensis supradicte, presencium ostensorem, posuimus, fecimus, ordinavimus et constituimus nostrum procuratorem ydoneum et valentem, sponte ac de mera liberaque voluntate nostram commissionem recipientem et mandatum in causa heredi-

tatis supradicte. Cui omnimodam potestatem damus et concedimus, in causa sepedicta procedendi, ordinandi, concordandi et alia omnia faciendi, que ipsius consilio videbuntur opportuna; et quicquid ydem frater Bernardus, noster procurator, de causa hereditatis supradicte fecerit, constituerit et diffiniverit, omnia firma et inconcussa promittimus irrevocabiliter observare. In cuius rey evidenciam pleniorem, sigillum nostri predicti conventus duximus appendendum. Datum aput Kalish anno Domini M.CCC.XIX, die dominico infra octavas beati Nicolay.

Oloboch, *Ołobok.* Stanatky, *Staniątki.* Wshva, *Uszew.* Kalish, *Kalisz.*

Nr. 1017.

Iohannes de Uchtenhayn et fratres 1319 Dec. 17, in Sunnenberch; concedunt Heningo et Henrico, fratribus de Benstede, ut villam Wyszanowo monasterio Paradyż vendere possint.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia jednéj pieczęci, która osobno zachowana przedstawia na trójkątnéj tarczy godło rodu Wedell; (Koło zębate o 4 ramionach;) napis odłamany.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 9.

Noverint universi tenorem presencium audituri, quod nos Iohannes de Uchtenhayn et fratres nostri favemus et concedimus Hennigho et Henrico fratribus, de Benstede dictis, quod villam Wissenow dictam, quam a nobis iure pheodali possiderunt (sic), dominis seu fratribus claustri seu conventus Paradisi vendant cum omni iure et dominio, sicut nobis et eis conpetebat, libere possidendam. Nam servicium et omne ius quod in ea habuimus, resingnamus et omni dominio renunciamus in hys scriptis, quam abrenunciationem presencium testimonio approbamus. Acta sunt hec in Sunnenberch anno Domini m.ccc.xix, proxima secunda feria ante festum beati Thome apostoli, hys presentibus: domino Henrico de Werbyn, Arnoldo de Iagow, Iohanne de Ztorbindorf, Iohanne Dannenberch, et aliis pluribus fide dingnis.

Uchtenhayn, *Uchtenhagen.* Wissenow, *Wyszanowo.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Sunnenberch, *Sonnenburg.*

Nr. 1018.

Henricus dux Silesie et dominus Glogowie 1320 Mart. 27, Glogowie; ratam habet donationem villae Nowe Kramsko, quondam a Zulcone de villa Lasocice monasterio de Obra factam, et nunc a Mirone et Andava, filiis praedicti, confirmatam; nec non et resignationem villae Stare Kramsko, ab eodem Mirone praedicto monasterio porrectae, confirmat.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 31. Inscription. Poznan. a. 1547, fol. 357.

In nomine Domini amen. Licet principatus nostri excellenciam ad universos et singulos dexteram sue liberalitatis deceat extendere, in illos tamen pocius sue pietatis dulcedinem debet effundere, qui contempta huius seculi vanitate, divino se stu-

dent adaptare servicio, et Deo iugiter in sinceritate mentis et corporis famulari. Nos itaque Henricus, Dei gracia dux Silesie et dominus Glogowie, ad noticiam universorum cupimus pervenire, quod cum Zulco miles noster de Lessotendorf in extremis ageret, et tanquam Deo devotus partem suam in villa dicta Novum Kramsko prout in suis terminis et metis est distincta, videlicet in agris, pratis, pascuis, paludibus, silvis, rubetis, molendinis, mellificiis, lacubus, aquis et omnibus suis attinenciis, de consensu et bona voluntate Mironis, Andave, et aliorum heredum suorum monasterio monachorum Cisterciensium in Obra legaret seu testamenti nomine assignaret, dicti heredes sui, Miron et Andave, in nostra constituti presencia, cupientes, prout non solum ex laudabili et approbata consuetudine, verum eciam ex iuris debito tenebantur, piam ac ultimam dicti patris eorum voluntatem diligencius adimplere, dictam partem in villa Nowa Cramsko nuncupata, cum omnibus suis attinenciis curabant eidem monasterio devote, humiliter ac liberaliter resignare. Nos quidem eandem resignacionem ratam et gratam habentes, sepedictam partem prefato monasterio contulimus, ab ipso nec non monachis qui ibidem pro tempore fuerint, iure proprietatis in perpetuum possidendam. Preterea dictus Miron, eiusdem Zulconis bone memorie heres et filius, ob specialem devocionem quam ad idem gessit monasterium, sanus mente et corpore villam suam dictam Antiquum Cramsko, prout in suis terminis est posita, videlicet in agris, pratis, pascuis, paludibus, rubetis, mellificiis, lacubus et omnibus suis pertinenciis, in remedium peccaminum parentum, fratrum ac sui ipsius, sepedicto monasterio monachorum Cisterciensium in Obra contulit, tradidit et coram nobis liberaliter resignavit. Nos quidem eandem donacionem et resignacionem gratificantes et ratificantes, dictam villam Antiquum Cramsko cum omnibus attinenciis sepedicto monasterio in Obra contulimus, ab ipso monasterio, monachis quoque qui ibidem pro tempore fuerint, iure proprietatis in perpetuum possidendam, tradentes in testimonium huius nostre collacionis presentes litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Actum et datum Glogowie anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo, sexto Kalendas Aprilis, presentibus Vernero de Deir, Schibcone Grelle, Ticzcone de Rederin, Nicolao de Kimblow, Iescone Scapiz; Petermano, Tilone Nisonis, civibus nostris Glogoviensibus, Nicolao de Sandvel nostro prothonotario, et aliis quam pluribus fide dignis.

Lessotendorf, *czyli villa Lassotae*, *Lasocice.* Novum Kramsko, *Nowe Kramsko.* Obra, *Obra.* Antiquum Cramsko, *Stare Kramsko.* Kimblow, *Kiebłowa.* Scapiz, *w XV wieku* Scapa, *nazwisko rodowe dziedziców wsi Ujazd p. miast. Grodzisk.* Sandvel, *Sandelwalde.*

Nr. 1019.

Hinricus schultetus in Schebewz 1320 Apr. 2, Lubnowe; scultetiam suam in Schebewys pignoraticia cautione monasterio Paradyż exponit.

Pergam. orygin. Brzegi bardzo obcięte, bez śladu przywieszenia pieczęci, która osobno zachowana przedstawia na trójkątnéj tarczy, pomiędzy dwoma, końcami do góry postawionemi rogami jeleniemi, dwie ryby wiszące. Napis: S. Civitatis Lubelow.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 10.

Ego Hinricus cum filio meo Bernardo schultetus in villa Schebewz, sita prope Grodyz civitatem, notum facio universis Christi fidelibus et presentibus publice re-

cognosco, quod non coactus nec per aliquem errorem inductus, sed motus proprio arbitrio exposui pignoraticia caucione schulteciam sive iudicium meum in iam dicta villa Schebewys, cum omnibus pertinenciis et proprietate, cum pleno iure, pro quinque solidis grossorum, redimendo (sic) illud a festo beati Iohannis Baptiste proxime nunc venturo ultra ad annum, domino abbati et aliis dominis meis, conventui de Paradyso Cysterciensis Ordinis, Poznaniensis dyocesis, non reservans michi villam vendendi seu alienandi a iam dictis meis dominis potestatem. Quod si infra terminum antedictum meum iudicium redimere forte, quod absit, redimere non potuero, extunc predicti mei domini iudicium meum cum omni iuris integritate perpetuo possidebunt. In cuius rei testimonium, appensione sigilli civitatis Lubnowe feci presentem litteram communiri. Testes huius sunt: dominus Breseko plebanus in Lubnow; Nicolaus scultethus, Reynoldus pistor, Mathias sutor, Iohannes Knoche, Paulus pistor, consules civitatis eiusdem, et alii quam plures fide digni. Actum et datum Lubnowe anno Domini m.ccc.xx, feria quarta infra octavas Pasche.

Schebewz, *w Nr. 351* Sobewetz, *nie odgadnione; może Szewce, lub też osada znikła.* Grodyz, *Grodzisk.* Paradysus, *klasztor Paradyż.* Lubnowe, *z niemiecka zam. Liebenau, t. j. Lubrza.*

Nr. 1020.

Henricus dux Silesie et dominus Glogovie 1320 Apr. 19, Glogovie; ratificat collationem villae Schoenborn, a Drogano, filio Simonis, monasterio Paradyż factam.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 74.

In nomine Domini amen. Licet principatus nostri excellenciam ad universos et singulos dexteram sue liberalitatis deceat extendere, in illos tamen pocius sue pietatis debet dulcedinem effundere, qui contempta huius seculi vanitate, divino se student adaptare servicio, et Deo iugiter in synceritate mentis et corporis famulari. Ea propter nos Henricus, Dei gracia dux Silesie et dominus Glogovie, ad noticiam universorum cupimus pervenire, quod Droganus filius Simonis sanus corpore et mentis valetudine in nostra constitutus presencia, villam Schonenburn, in districtu civitatis Zulchow sitam, prout in suis limitibus et terminis est distincta, videlicet in agris, pratis, pascuis, paludibus, rubetis et omnibus suis pertinenciis, de consensu fratrum suorum, Bogusconis, Nicolai et aliorum heredum, in remedium peccaminum parentum suorum ac dictorum heredum nec non sui ipsius, monasterio monachorum Cisterciensium in Paradiso donavit, tradidit, ac coram nobis eidem monasterio liberaliter resignavit. Nos quidem ob devocionem quam ad ipsum monasterium gerimus dictam donacionem et resignacionem gratificantes et ratificantes, prefatam villam Schonenburn, prout in suis est posita terminis, dicto monasterio contulimus, ab ipso monachisque Cisterciensibus inibi Deo deservientibus, qui pro tempore fuerint, iure proprietatis, sicut alia bona idem monasterium possidet, in perpetuum possidendam, tradentes in testimonium huius nostre collacionis presentes litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Actum et datum Glogovie anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo, decimo tercio Kalendas Maii, presentibus nostris fidelibus: domino Gunce-

lino abbate Saganensi, Theoderico de Sidelitz, Iohanne Unru, Wernero de Deyr, Nicolao de Kivelow, Zwacone de Swynyn, Lessota de Damickow, Nicolao de Sandwel nostro protonotario, et aliis pluribus fide dignis.

Schonenburn, *Schoenborn.* Zulchow, *Cylichowa.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Saganensis, *de Sagan.* Kivelow, *Kiebłowa.* Sandwel, *Sandelwalde.*

Nr. 1021.

Willislaus comes dictus de Nanden 1320 Iun. 5, Nanden; bona sua Zakrzew monasterio Paradyż confert.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 75.

In nomine Domini amen. Ne acciones humane a nonnullis successoribus immutentur, sed magis vigorem perpetuitatis obtineant, expedit eas scripturis autenticis ac personarum idonearum testimoniis perennari. Proinde nos Willislaus comes, dictus de Nanden, recognoscimus publice in subscriptis, notum fore cupientes universis Christi fidelibus presencia audituris vel visuris, quod intimis quidem affeccionibus moti, participari ultra nullo modo differentes piis oracionum beneficiis dominorum et fratrum conventus monasterii de Paradiso Cisterciensis Ordinis, Poznaniensis diocesis, ob respectum divinum et anime nostre in iuge remedium, in ceterorumque amicorum seu consanguineorum nostrorum piam ac perpetuam memoriam, non coacti nec per aliquem errorem inducti, sed matura ac diutina deliberacione prehabita meraque voluntate et beneplacita, contulimus ac liberaliter in elemosinam dedimus dictis dominis et fratribus monasterii de Paradiso bona nostra hereditaria, dudum habita in possessione pacifica, Sacrow nuncupata, prope Zbansyn sita, cum omnium pertinenciarum generibus et speciebus, videlicet pascuis, pratis, nemoribus, lignis, paludibus, rubetis, aquis, molendinis, mellificiis, graminibus, terris cultis et incultis, cum omnibus aliis utilitatibus, eisdem bonis iam dictis nunc et in perpetuum accrescentibus secundum suas proprias et distinctas limitaciones, pacifice et quiete et cum omni iuris integritate in perpetuum possidenda. Ut autem nostra elemosyna et donacio huiusmodi, firma et illibata predicto conventui monasterii de Paradiso iugiter perseveret, sigilli nostri appensione presentem paginam duximus muniendam. Actum Kyblow coram testibus quorum nomina sunt hec: venerabiles in Christo patres dominus Hermannus et dominus Mathias, abbates de Obra et de Sambriz, frater Bertramus cantor in Sambriz sacerdos et monachus, comes Pribislaus dictus Borkowyz, Niklas de Kiblow, Pilgrimus de Cumrow, Woyszak Siyk, et quam plures alii fide digni. Datum Nanden anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo, Nonas Iunii, Indiccione tercia, Epacta nona, Concurrente secundo, per manum fratris Hinrici.

Nanden, *Nądno.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Sacrow, *Zakrzew.* Zbansyn, *Zbąszyń.* Kyblow, *Kiebłowa.* Obra, *Obra.* Sambriz, *Zemsko.* Cumrow, *Komorowo.*

Nr. 1022.

Laurencius Symonis heres de Crolicovo 1320 Oct. 8, in Zneyno; hereditatem suam Miecierzyn, cum hereditate ecclesiae Gneznensis, dicta Pątnów, commutat.

Pergam. orygin. Pasek pergamin. od przywieszenia jednéj pieczęci.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 83.

In nomine Domini amen. Ut non possint in posterum attemptari calumpnia que geruntur nostris temporibus, consueverunt serie litterarum et subscripcione testium commendari noticie posterorum. Igitur ego Laurencius Symonis, heres de Crolicovo, notum facio universis tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris, quod ego affectus senio, temporibus malis exigentibus non valens aliunde meam inopiam supportare, hereditatem meam, nulli alteri debitam, dictam Maczerzino, sitam circa Lubcze, cum venerabili patre domino Ianislao Gneznensi archiepiscopo commutavi, et per modum commutacionis eandem hereditatem dicto domino archiepiscopo et sue Gneznensi ecclesie assignavi, et per presentes assigno cum omni iure et dominio in perpetuum possidendam; recipiens a prefato venerabili patre hereditatem suam dictam Panthnovice, sitam prope Conyn, in quantum ipsum et ecclesiam suam contingit, per me et meos successores hereditarie possidendam. Profiteor eciam, quod a sepedicto domino archiepiscopo, pro eo quod dicta hereditas Panthnovice videtur aliqualiter esse minor, decem marcas grossorum Pragensium in supplementum recepi. Promitto insuper, quod prefatus dominus archiepiscopus in iam dicta hereditate Maczerzino non debeat per quempiam inpediri, et ad eviccionem me obligo in hiis scriptis. In cuius rei testimonium, sigillum meum presentibus est appensum presentibus honorabilibus viris: dominis Iohanne preposito Rudensi, Potenciano archidiacono Uneyoviensi, Petro thesaurario domini archiepiscopi, Benedicto, canonicis Gneznensibus, ac nobilibus viris: comitibus Bervoldo pincerna Gneznensi, Iancone Czestkonis, Bogufalo de Crolicovo, Iacobo de Zorave, et aliis pluribus fide dignis. Actum et datum in Zneyno VIII Ydus Octobris, anno Domini M.CCC. vicesimo.

Crolicovo, *Krolikowo.* Maczerzino, *Miecierzyn.* Lubcze, *Lubcz.* Panthnovice, *Pątnów.* Conyn, *Konin.* Rudensis, *de Ruda.* Uneyoviensis, *de Uniejów.* Zorave, *Żorawia.* Zneyno, *Żnin.*

Nr. 1023.

Pribislaus filius Borkonis palatinus et capitaneus terre Polonie 1321 Apr. 16, in choro Poznaniensi; nomine relictae et filii senioris Dobrogostii, quondam palatini Poznaniensis, cum alio filio pro damnis ecclesiae Poznaniensi illatis in vinculo maioris excommunicationis mortui et sepulti, eidem ecclesiae hereditatem Górka confert.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 40.

In nomine Domini amen. Quoniam humane condicionis operacio nunquam in eodem statu permanet, sed tanquam fenum, quod priusquam evellatur, fluxibilitate

temporis evanescit, sapientum decrevit auctoritas, acta queque hominum litterarum testimonio perhennari. Hinc est quod nos Pribislaus filius Borkonis, palatinus et capitaneus terre Polonie, universis presencium noticia potituris profitemur et eciam protestamur, quod avuncula nostra, relicta Dobrogostii quondam palatini Poznaniensis, una cum filio seniore eiusdem Dobrogostii Dirsicrayo, privigno suo, in presencia venerabilis patris domini Domaradi, Dei gracia episcopi Poznaniensis, et sui Capituli in Poznania in choro ecclesie maioris, et in presencia Martini palatini Kalisiensis et Przepelci castellani Poznaniensis et aliorum baronum, ad nos personaliter accedentes tamquam ad capitaneum terre, coram nobis eidem domino episcopo Poznaniensi et Capitulo suo hereditatem ipsorum Gorkam, que sita est circa Iaskovo hereditatem eiusdem domini episcopi versus Srem, prout suis limitibus est contenta, dabant et libere assignabant pro iniuriis et dampnis, illatis per eundem comitem Dobrogostium palatinum bonis ecclesie Poznaniensis, pro quibus iniuriis et dampnis idem Dobrogostius et filius suus in maioris excommunicacionis vinculo sunt mortui et sepulti, petentes eos absolvi, et loca, in quibus sunt sepulti, reconciliari. Et quia dominus episcopus et suum Capitulum satisfactionem modicam asserebant, nobis et omnibus baronibus nobiscum existentibus humiliter supplicarunt, ut pro eis intercedere ad dominum episcopum dignaremur, obligantes se ibidem pro omnibus suis filiis et fratribus, et nos una secum, quod hanc donacionem ratam et firmam tenebunt perpetuis temporibus et evincent liberam a quolibet impediente. Et quia cum instancia omnes petivimus pro eisdem, dominus episcopus et suum Capitulum annuit votis nostris; unde nos Pribislaus, palatinus et capitaneus terre, recipientes pileum eiusdem Dirsicray ab eodem et domina relicta Dobrogostii, per quem nobis conferendam dictam hereditatem Gorcam nomine eorum et fratrum suorum et filiorum dicte domine libere conferebat et de eviccione promittebat, dictam hereditatem Gorkam eidem episcopo et sue ecclesie, tamquam capitaneus terre, per idem pileum contulimus pro eisdem dampnis et iniuriis perpetuis temporibus possidendam, facientes eam pro ecclesia Poznaniensi publice proclamari. In cuius rei testimonium, nos Pribislaus Poznaniensis et Martinus Kalisiensis palatini, et Przetpelcus castellanus Poznaniensis, nostra sigilla huic littere duximus apponenda. Actum et datum in choro Poznaniensi magna quinta feria, anno Domini M. trecentesimo vicesimo primo.

Gorka, *Górka*. Iaskovo, *Jaszkowo*. Srem, *Śrem*.

Nr. 1024.

Wladislaus rex Polonie 1321 Iun. 29, in Brescze; ratam habet commutationem hereditatum ecclesiae Gneznensis, dictarum Leszno Kotowice et Nagorki, pro hereditate Wislai filii Wincencii, dicta Korytkowo.

Pergam. orygin. Na sznurku jedwabn., czerwon. przywieszona pieczęć Władysława króla; (pieczęć XLIV).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 84.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que aguntur in tempore simul cum decursu temporis evanescunt, sapientum decrevit auctoritas, facta hominum digna memoria, serie litterarum et subscripcione testium posterorum noticie commendare. Nos

igitur Wladislaus, Dei gracia rex Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris ad quos devenerit scriptum presens, quod in nostra nostrorumque baronum presencia venerabilis in Christo pater dominus Ianislaus, archiepiscopus Gneznensis, suo et eiusdem sue Gneznensis ecclesie nomine cum Wysslao filio Wincencii talem fecit super hereditatibus commutacionem. Dedit enim idem venerabilis pater dicto Wysslao hereditates suas et ecclesie sue, dictas vulgariter Lesczno integraliter et Nagorczicze, sitas in territorio Lanchiciensi circa fluvium Nyr, et recepit ab eo per modum commutacionis hereditatem suam dictam Corithkovo, sitam in territorio Syradiensi prope Thurek, cum omnibus suis pertinenciis prout in suis antiquis limitibus est distincta. Nos vero eorum precibus inclinati dictam commutacionem ratam et gratam habentes, ipsam tenore presencium in perpetuum utrilibet confirmamus; adicientes, quod prefatus dominus archiepiscopus et sua ecclesia dictam hereditatem Corithkovo ita libere possideat et tali gaudeat libertate, qualem in aliis antiquis hereditatibus ecclesia Gneznensis optinet ab antiquo; dictus vero Wysslaus, id, quod nobis de Corithkovo tenebatur, de predictis hereditatibus Lesczno et Nagorczicze nobis tenebitur exibere. Ut autem hec ordinacio robur optineat perpetue firmitatis, presentes scribi mandavimus, et nostro minori sigillo, quo ad presens utimur, munimine roborari. Actum in Brescze in die beatorum apostolorum Petri et Pauli, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo primo, presentibus nobilibus viris: domino Iohanne cancellario Lanchiciensi, comite Sandone castellano Lublinensi, comite Adam castellano Wysliciensi, Pelka pincerna Cracoviensi, Bervoldo pincerna Gneznensi, Wenceslao vexillifero Siradiensi, et aliis pluribus fidedignis.

Lesczno, *Leszno Kotowice.* Nagorczicze, *dziś Nagorki.* Nyr fluv., *rz. Ner.* Corithkovo, *Korytkowo.* Thurek, *Turek.* Brescze, *Brześć Kujawski.*

Nr. 1025.

Iohannes Pp. XXII 1321 Sept. 22, Avinione; Hedvigi reginae Poloniae indulget, ut monasteria monialium s. Clarae in Gniezno et Sandecz devotionis causa ingredi valeat.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 258.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, carissime in Christo filie Hedwigi, regine Polonie illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Tue celsitudinis preclara devotio, per quam tibi apostolice Sedis benivolentiam vindicasti, digne mentem nostram excitat et inducit, ut petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, celsitudini tue, quod sancte Clare Gneznense, et de Sandek monasterium monialium Ordinis eiusdem sancte Cracoviensis diocesis, cum decenti mulierum comitiva causa devotionis ingredi libere valeas, constitutione felicis recordationis Bonifacii Pape VIII, predecessoris nostri, et quibuscumque, monasteriorum et Ordinum ipsorum contrariis consuetudinibus vel statutis, nequaquam obstantibus, auctoritate presentium indulgemus; ita tamen, quod tu et mulieres predicte, in eisdem monasteriis et locis non comedatis nec etiam pernoctetis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc

attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Avinione X Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno sexto.

Sandek, *Sandecz, czyli Sącz.*

Nr. 1026.

Hinricus dux Silesie et dominus Glogovie 1322 Febr. 11, in Paradiso; ratam habet donationem hereditatis Zyrsk, a fratribus, dictis Benewyz, monasterio Paradyż factam.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 76.

In nomine Domini amen. Licet principatus nostri excellenciam ad universos et singulos dexteram sue liberalitatis deceat extendere, in illos tamen pocius sue pietatis debet dulcedinem effundere, qui contempta huius seculi vanitate, Christi se iugo subiiciunt et Deo iugiter in synceritate mentis et corporis famulantur. Nos igitur Hinricus, Dei gracia dux Silesie et dominus Glogovie, ad noticiam universorum cupimus pervenire, quod cum Iacobus, Nicolaus et Beenen, fratres dicti Benewyz, in remissionem peccaminum suorum ac progenitorum eorundem hereditatem dictam Zyrsk, sitam in districtu Mezerecensi, cum omnibus suis pertinenciis, agris cultis et incultis, mellificiis, aquis, piscacionibus, pratis, pascuis, silvis, rubetis, paludibus et omnibus suis usufructibus, sicut in suis terminis et circumferenciis ab antiquis temporibus est distincta, monasterio sancte Marie virginis in Paradiso Ordinis Cisterciensis, Poznaniensis diocesis, nec non monachis inibi Deo deservientibus tradidissent et coram nobis bona voluntate ac liberaliter resignassent, nos quidem eandem donacionem et resignacionem gratam et ratam habentes, ipsam presentis scripti patrocinio confirmamus, conferentes eidem monasterio nec non monachis qui ibidem pro tempore fuerint dictam hereditatem Zyrzk cum omnibus suis pertinenciis iure proprietatis, sicut alia eorum bona tenent, in perpetuum possidendam. In cuius rei testimonium, presentes ipsis dedimus nostri sigilli munimine roboratas. Actum et datum in Paradiso anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo secundo, tercio Idus Februarii, presentibus nostris fidelibus: Conrado de Clepzsz, Ramvoldo de Kethlyz, Iohanne de Sonnenwalde, Ottone de Grunenberch, Matzone de Gurigowe, Iohanne de Lusitz, et Nicolao de Sandwel nostro protonotario et aliis plurimis fide dignis.

Zyrsk, *z niemiecka Seeren.* Mezerecensis, *de Międzyrzecz.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Clepzsz, *zam. Klepzig, nazwisko wymarłéj Saskiéj familji.* Sandwel, *Sandelwalde.*

Nr. 1027.

Pribislaus filius quondam Burchonis palatinus Poznaniens. et capitaneus regni Polonie 1322 Iun. 30, in Poznania; conquestiones kmethonum de villa Dolany, quod ab abbate de Ląd servitiis non consuetis gravarentur, iniustas invenit.

Pergam. orygin. Na skrawkach pergamin. przywieszono cztery pieczęcie. Z tych pierwsze 3 znikły; pozostały ułamek czwartéj przedstawia na trójkątnéj tarczy godło rodu Drogosławów; napis: ... tri. dci. Bitino ...

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata.

Pribislaus filius quondam Burchonis palatinus Poznaniensis et capitaneus regni Polonie, universis presentem litteram inspecturis salutem et cognoscere veritatem. Universitati vestre notum facimus, quod quidam kemetones de Dolan accedentes ad nos in Poznania in crastino apostolorum Petri et Pauli, celebrantibus nobis colloqium cum communitate baronum terre superscripte, de domino .. abbate Lendensi Ordinis Cysterciensis coram nobis querimoniam deposuerunt, asserentes se serviciis non consuetis et aliis iniuriis indebite se gravari. Nos itaque, cognita veritate cause merito tam per fratres domus Lendensis quam per milites circumsedentes, una cum venerabili patre domino .. episcopo Poznaniensi, qui tunc personaliter interfuit, et cum universis baronibus terre obiectiones kemetonum maturo consilio discucientes, predictos kemetones iniustos invenimus, tum quia libertatem a servitute eis innata querere nitebantur, tum quia eorum processus contra commune ius terre fuerat; et sic eis omnem viam actionis contra predictam domum, .. Lendensem abbatem, per sentenciam iudiciariam auferentes, ipsis perpetuum silencium inposuimus et cum pena pecuniaria, secundum arbitrium .. abbatis, predictos kemetones in perpetuam transmisimus servitutem. Et ne super hiis in posterum dubium oriatur vel iudicata a nobis modo aliquo renoventur, presentem litteram appensione sigillorum honestorum virorum qui interfuerunt, videlicet domini Domerati episcopi Poznaniensis, comitis Martini palatini Kalisiensis, comitis Petri Drogoslavich iudicis regis Polonie, qui tulit sentenciam in premissis, nec non et nostro sigillo duximus roborandam. Datum et actum anno Domini MCCCXXII, die supradicta, presentibus nichilominus viris nobilibus: comite Pretpelcone castellano Poznaniensi, Petro de Miroslave castellano Gneznensi, Petro de Dampna castellano Lendensi, et aliis quam pluribus fide dignis.

Dolan, *Dolany.* Lendensis, *de Ląd.* Miroslave, *Mirosław.* Dampna, *Dębno.*

Nr. 1028.

Domaratus episcopus ecclesie Poznaniens. 1322 Iun. 30, in Poznan; protestatur, comitem Albertum, dictum Krczonowicz, hereditatem Lubrza monasterio Paradyż contulisse.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 77.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentem litteram inspecturi, quod nos Domaratus Dei gracia episcopus ecclesie Poznaniensis tenore presencium profite-

mur et firmiter protestamur, quod veniens ad nostram presenciam comes Albertus, dictus Crconovicz, sana mente et bona voluntate in remissionem peccatorum suorum, pro saluteque sua ac progenitorum suorum, hereditatem suam legittimam, a predecessoribus suis iure successionis hereditario ab antiquo possessam, videlicet civitatem que Lubolow vulgariter nuncupatur, cum omnibus pertinenciis, possessionibus et fructibus, que nunc sunt et in posterum possunt exoriri, claustro et domui seu cenobio quod Goscichovo dicitur contulit, concessit et dedit perpetuo possidendam, nec unquam ab ipso aut ab aliquo alio propinquo suo quoquo modo repetendam sive requirendam. In cuius rei testimonium, presentem litteram nostri suique sigilli procuravimus communiri monimento. Datum in Poznan in crastino beatorum Petri et Pauli apostolorum, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo secundo, presentibus hys testibus, videlicet domino Iohanne archidiacono, Adam cantore, Woislao, Iacobo, canonicis Poznaniensibus; comite Michaele de Derszanowo, Zibcone dicto de Grelle, et aliis quam plurimis fide dignis.

Lubolow, *Lubrza, dziś z niemiecka Liebenau.* Goscichovo, *nazwisko osady w któréj stanął klasztor Paradyż, dziś znikłe.* Derszanowo, *Dzierzanowo.*

Nr. 1029.

Domaratus episcopus ecclesie Poznaniens. 1322 Iun. 30, in Poznania; villas ecclesiae Poznaniensis, dictas Gołkowo et Dziedzice, Venceslao Nagodni, Ianoni, Ianiconi et Woiconi, fratribus uterinis dictis Sczykowicz, ad locandum iure Theutonico confert.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. D, Nr. 165.

In nomine Domini amen. Quoniam memoria fragilitate humana de facili homine labitur cum labente una vice, ideo ad perpetuam rei memoriam necesse est, ut ordo seu exitus gestarum rerum, litterarum aut testium firmitate roboretur, ut in posterum omnis controversie et dubietatis materia sopiatur ac omnino licium iurgia terminentur. Noverint ergo universi tam presentes quam futuri hanc paginam inspecturi, quod nos Domaratus, Dei gracia episcopus ecclesie Poznaniensis, cupientes ac totis viribus affectantes bona ecclesie nostre in melius commutare, deliberacione prehabita diligenti, cum consilio fratrum nostrorum de Capitulo et consensu hereditates eiusdem ecclesie, que Golkovici et Czecziczi vulgariter nuncupantur, in unum concludentes, Venceslao Nagodni, Ianoni, Ianiconi et Woiconi, fratribus uterinis dictis Sczykowicz, pro sexto manso libero iure Theutonico contulimus locandam, ipsis ipsorumque successoribus perpetuo possidendam sub hac forma; quod coloni dicte hereditatis habebunt octo annorum libertatem, qua evulsa, solvent nobis et successoribus nostris singulis annis de quolibet manso maldratam frumenti triplicis grani, videlicet duas mensuras tritici, quinque siliginis et quinque avene fertonemque usualis argenti; hunc vero censum ad curiam nostram in *(vacuum)* deducere tenebuntur. Idem vero Venceslaus ac fratres eius prefati cum posteris suis, in eadem villa tabernam, pistrinam, macellum carnium, fabricinam (sic) et sutorinam libere perpetuo possidebunt. Et ut idem Venceslaus cum fratribus prenominatis suis in locacione dictorum bonorum et melioracione diligenciam adhibeat meliorem, permittimus eis

cum posteris eorum molendinum construere ac piscari in piscina molendini nostri quod est in Chotuna villa nostra, ita tamen, quod constructura eiusdem molendini nullum nostro molendino afferat impedimentum. Damus eciam eisdem et in futurum concedimus lucifugulum habere, quisculas et perdices capere, capreolos, vulpes et lepores venari et asperiollos. De solucionibus vero penarum, duo denarii domino et tercius cedet sculteto. Preterea excipimus pro nobis agrum qui est contra molendinum nostrum nominatum in Chotuna villa nostra, circa rivulum qui dicitur Powicznicza, et argillam fodere, de qua ollee parantur lucifugulo nostro. In cuius rei testimonium, presentem litteram conscribi et nostro nostrique Capituli sigillorum munimine fecimus roborari. Datum in Poznania in crastino beatorum Petri et Pauli apostolorum, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo secundo, presentibus honorabilibus dominis, videlicet domino Abraam scolastico, Iohanne archidiacono, Adam cantore, Nicolao custode, Iacobo, Wogislao, Iascone dicto Bonum mane, Visemiro, canonicis ecclesie nostre Poznaniensis, et aliis quam plurimis fidedignis, per manus domini Iohannis archidiaconi nostri. Volumus eciam et irrefragabiliter addicimus, ut dicta villa nostra cum aliis solucionibus nobis debitis et serviciis, sicut alie ville nostre ecclesie censentur locate iure Theutonico, sit equalis.

Golkovici, *Gołkowo.* Czecziczi, *Dziedzice.* Chotuna, *Kotunia.* Powicznicza, *strumień wypływający z jeziora Powidz, lewy przypływ strum. Wierzbiec.*

Nr. 1030.

Iohannes dux Slezie et dominus Sthynavie 1322 Iul. 29, in Drosna; protestatur, monasterium Paradyż villas Hermanshof et Langsow, cum castello et civitate Lubrza, Pezkoni de Lossow pertinentibus, commutasse, certa tamen conditione adiecta.

Pergam. orygin. Brzegi obcięte wraz z śladem przywieszenia pieczęci, która osobno zachowana; jest okrągła, mała, i wyobraża Orła rozpostartego; z napisu pozostało: . . . Stinavie.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 11.

Nos Iohannes Dei gracia dux Slezie et dominus Sthynavie recognoscimus et in hys scriptis publice protestamur, quod cum viri religiosi, abbas et conventus monasterii de Paradiso Cysterciensis Ordinis, villam eorum Hermanstorph et Lankensow pro castello et civitate Lubnow cum Pezkone iuniore de Lossow rite et racionabiliter permutassent, in ipso permutacionis exordio ita conceptum et ex utraque parte conclusum fuit, quod quicunque in futurum, nobilis aut ignobilis, liber aut libertinus, religiosus sive irreligiosus, dominus sive servus, predicta bona inpeteret, in parte vel in toto, iure canonico vel civili, coram quibuscunque iudicibus, ordinariis sive delegatis, in causis ceptis et non ceptis, abbas et conventus ex parte castelli et civitatis Lubnow tantum pro se suo starent iuri et inpetitoribus suis propriis sumptibus responderent, Pez vero ex parte ville sue Hermansdorph et Lankensow sue staret defensioni, similiter se disbrigando a suis inpetitoribus sub rerum suarum ypotheca. Ut autem voluntaria permutacio et huiusmodi apposita condicio immutabiliter perseveret, sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Actum et datum in

Drosna anno Domini M.CCC. XXII, quarto Kalendas Augusti, presentibus nostris fidelibus: Conrado de Clepzk, Nycolao de Eversbach, Thyzkone de Reederen, Iohanne de Sunnewalde, magistro Grinberto nostro notario, et multis aliis fide dignis.

Sthynavia, *Scieniawa, z niemiecka Steinau.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Hermanstorph, *Hermanshof.* Lankensow, *Langsow.* Lubnow, *Lubrza, z niemiecka Liebenau.* Lossow, *Lossow.* Drosna, *Ośno, z niem. Drossen.* Clepzk, *zam. Klepzig, nazwisko wymartéj Saskiéj familji.*

Nr. 1031.

Theodericus dictus de Stentz 1322 Oct. 3, Sthenz; lacum Likmich monasterio Paradyż pro quibusdam debitis resignat.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 79.

In nomine Domini amen. Noverint universi ad quos presencia devolventur, quod ego Theodericus una cum heredibus meis presentibus et futuris, dictus de Stentz, rite et racionabili contractu vendidi lacum meum Likmich nuncupatum, intra fines et limites civitatis et castri Lubnow situm, domino abbati et conventui de Paradiso, monachis Cisterciensis Ordinis Poznaniensis diocesis, pro uno stamine ac ceteris debitis quibus fui eis obligatus, octo marcarum taxacione, et dampnis si qua intuli eisdem a retroactis temporibus, et ob devocionem quam habui ad dictum Ordinem, eundem lacum dicto conventui reliqui cum omni iuris integritate et usufructu perpetuo possidendum. Predictum igitur lacum eisdem tradidi et resignavi coram honestis viris: fratre Ekhardo priore de Paradiso, domino Alberto plebano in villa Sthenz, Iohanne schulteto et Hermanno Slavygen ibidem, et multis aliis fidedignis. Datum Sthenz anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo secundo, quinto Nonas Octobris. Ut autem presencia robur perpetue firmitatis obtineant, sigillum meum duxi presentibus appendendum. Actum in Paradiso, anno quo supra, coram fratre Vernero camerario, fratre Nicolao vinitore dicto de Steyndal, et aliis multis. Datum per manus fratris Henrici de Gerwisth.

Stentz, *Sczaniec.* Likmich lacus, *dziś Gast See.* Lubnow, *Lubrza, z niemiecka Liebenau.* Paradisus, *klasztor Paradyż.*

Nr. 1032.

Remschil von Opaln und Hauptmann zur Frawenstad 1322 Dec. 1, s. l.; urkundet sammt den Landschöppen, dass Conrad Vogt und Anna Susanna Lorstai, die Vogtei und das Gericht zu Wschowa an die Stadt verkauft haben.

Wuttke. Staedtebuch Nr. 17.

Wir Her Remschil von Opaln — — und Hauptmann zur Frawenstad mit den nach gasagten Landschoeppen do selbst: sy sind Klothewig von Sedelitz, Tyzhe Qualak, Hanze Erkeburg, Niklas Langenau, Stephan von Wilkau, Hans Empnaw von der Luba und Hans Kaufman: bekenne uffentlich mit disem Briffe allen den dy dys

sehen, horen oder lesen, das vor dem gehegetenn Hoffgedinge haebens gestanden haben Conrad Foit und Anna Susanna Lorstai, zwey dez aldei Niklas seiner Kynd, in frischen, gesunden Leyb und Herzen, in wohlbedachtane Gemuthe und mit guthen Christlichen Rathe, und sinde unbeschwigen sunder wirklich vor uns ufgegeben, gesatzen vor Recht und vor langer Gabe das Gericht und Fogtey zu Frawenstad, das in göttlich Wohl und Gnad gekauft ist ganz und gar mit aller Liegenschaft und Rechten, Nuzen und Zugehoerig, keins sunderlich davon behalden und gezogen dem Rathe und der Stadt zu Frawenstadt, und haben des darum dafür genommen fünfzik Mark Groschen Basch Münze und Polnisch Prange und habens sich des — — — — — — — — Als habe ich obgenanter Remschil dem vorbenanten Rathe und Stad das gedachte Gericht abgetreten nach gegeben und im Gebod unsers gnaedigen Herr Koenigs Wladislaus. Des zu Bekenntniss, haben wir, abgescriebenen Remschil von Opaln und Lantshoeppen, unser Ingesigill an disen Briff lassen hangen an dem ersten Mitwoch nach Katharina der haylichen Iungfrawe, nach Christi Geburt tausend dreihundert und in dem zwei und zwanziksten Iare.

Frawenstad, *Wschowa.* Sedelitz, *Świdnica.* Wilkau, *Wilkowo.*

Nr. 1033.

Prybyslaus capitaneus et palatinus Poznaniens. 1322 Dec. 9, in Pyzdry; monasterio de Łekno hereditates Bukowie duże et Bukowie małe contra petitionem Virbentae et Vincentii, filiorum Petri heredis quondam de Redgoszcz, adiudicat.

Wągrowiec. Archiv. monasterii. Protocollum tertium, pag. 12.

Nos Prybyslaus capitaneus et palatinus Poznaniensis notum facimus universis presentibus et futuris ad quorum notitiam devenerit scriptum presens, quod religiosus vir frater Nicolaus, abbas de Lukna Cisterciensis Ordinis, coram nobis et baronibus terrarum Gneznensis et Poznaniensis personaliter constitutus, cum Virbenta et Vincentio, filiis Petri heredis quondam de Radgost, pro hereditatibus, scilicet Bukow et Bukowecz, in iudicio litigavit, dicens, hereditates predictas a prefatis Vincentio et Petricone, fratre quondam ipsorum, per commutationem villarum domus Leknensis, videlicet Kluczewo et Balosliwe, suo de Lekna monasterio accessisse. Et quia memorati Virbenta et Vincentius in termino ipsis prefixo suos filiolos, quos causam eandem contigere asserebant, statuere nullo modo valuerunt, nos habito consilio venerabilis patris domini Ianislai, Gneznensis ecclesie archiepiscopi, et aliorum nobilium, scilicet Petri Drogoslawicz iudicis Poznaniensis, Petri castellani Gneznensis, Nicolai decani Gneznensis, Iohannis succamerarii Poznaniensis, qui tunc presentes aderant, supradicto domino abbati et de Lukna domui iam dictas hereditates Bukow et Bukowecz cum omnibus ipsarum utilitatibus et terminis adiudicamus Christi nomine invocato, iure hereditario in perpetuum possidendas; predictis Virbente et Vincentio et eorum filiolis super hereditatibus memoratis perpetuum silentium imponentes. In cuius rei testimonium et certitudinem pleniorem, presentes litteras supradicto domino Nicolao abbati de Lukna scribi mandavimus, nostrorum

sigillorum charactere communitas. Actum et datum in Pyzdry quinto Idus Decembris, anno Domini M.CCC. vigesimo secundo.

Lukna, *Łekno.* Radgost, *Redgoszcz.* Bukow, *Bukowie duże.* Bukowecz, *Bukowie małe.* Kluczewo, *nie odgadnione.* Balosliwe, *Białośliwie.*

Nr. 1034.

Petrus Drogoslai iudex terre Kalisiens. 1323 Mart. 5, in Kalis; hereditatem Wojnowice ecclesiae Gneznensi contra petitionem Iohannis, filii Sulislai, adiudicat.

Pergam. orygin. W dolnym założonym brzegu paski pergamin. od przywieszenia dwóch pieczęci, każdy przez dwa wcięcia poprzeczne przewleczony.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 85.

In nomine Domini amen. Noverint universi presencium noticiam habituri, quod nos Petrus Drogoslai, iudex terre Kalisiensis, in hiis scriptis recognoscimus et publice protestamur, quod cum Iohannes filius Sulislai venerabilem in Christo patrem dominum Ianislaum, divina providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopum, super hereditate Voynovicze vulgariter dicta coram nobis in iudicio convenisset, nos de mandato domini nostri Wladislai regis Polonie auditis que fuerunt parte proposita ab utraque, in presencia nobilis viri Crivosandii capitanei terrarum Kalisiensis et Lanchiciensis ac aliorum baronum terre Polonie dictam hereditatem Voynovicze prefato domino archiepiscopo et sue ecclesie sentencialiter adiudicavimus iusticia exigente; in cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, nostrum et predicti capitanei sigilla huic littere sunt annexa. Actum et datum in Kalis sabbato proximo ante dominicam Letare, anno Domini M.CCC.XX. tercio, presentibus nobilibus viris: Woyslao Poznaniensi, Nassegneo Cuyaviensi iudicibus, et Michaele subiudice Siradiensi et aliis multis.

Voynovicze, *Wojnowice.*

Nr. 1035.

Bartholomeus advocatus civitatis de Piser 1323 Apr. 22, s. l. monasterio Ląd medietatem sui macelli donat.

Włocławek. Lib. privilegior. monasterii Ląd, pag. 163.

Notum sit universis presentem literam inspecturis, quod nos Bartholomeus, advocatus civitatis de Piser, sana mente ac libera voluntate dedimus et assignavimus pro remedio anime nostre ac dilecte quondam uxoris nostre Catherine proprietatem macelli nostri per medium cum censu perpetuo profuturo, quod Iohannes dictus Cereser possidet, quod ad nos ex successione paternorum bonorum pertinebat, fratribus domus Lindensis Ordinis Cisterciensis iure hereditario perpetuo possidendum; tenore presentium protestantes, quod idem macellum nulli unquam servituti vel

solutioni subiacuit: sed cum eadem libertate qua nostri progenitores possederunt idem macellum, et nos ascribimus per medium monasterio antedicto. Datum anno Domini M.CCC.XXIII in vigilia beati Adalberti episcopi et martyris, presentibus viris discretis: Iohanne patruo nostro advocato, Petro dicto Lupo, Hermano scriptore, Andrea filio Gotfridi, Hencino filio Valterkini, et aliis quam pluribus fide dignis. Et ne super his in posterum dubium aliquod oriatur, presentem literam sigillo nostro et sigillo civitatis iussimus communiri.

Piser, *Pyzdry*. Domus Lindensis, *klasztor Ląd.*

Nr. 1036.

Pribislaus palatinus Poznaniens. n. n. capitaneus regni Polonie 1323 Apr. 24, in Gnezna; una cum iudicibus hereditatem Garby tali conditione Bozatae dicto Mlezcovicz contra petitionem monasterii de Lubin adiudicat, ut pretium eiusdem, a patre Bozatae acceptum, eidem monasterio infra spatium duorum annorum restituat.

Pergam. orygin. Na skrawkach pergamin. przywieszono dwie pieczęcie. Z pierwszéj pozostał ułamek bez wycisku; druga znikła.

Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin 13.

Noverint universi presentem paginam inspecturi, quod nos Pribislaus, palatinus Poznaniensis nec non capitaneus regni Polonie, profitemur et protestamur, quod Bozata, dictus Mlezcovicz, una cum fratre suo uterino coram nobis et iudicibus terrarum, videlicet Woyslao de Griszina iudice Poznaniensi et Iacobo Drogoslavicz iudice Kalisiensi, dominum Paulum abbatem monasterii Lubinensis iudicio aggressus est, repetentes ab eo septuaginta marcas grossorum pro hereditate que wlgariter Garbi nuncupatur, quam Mathias, filius quondam Iohannis heredis de Swirczina, aput patrem supradicti Bozate emit, pro dampnis et pro anima sua suorumque omnium parentum predecessorum monasterio supra notato Lubinensi et fratribus ibidem Deo militantibus contulit atque dedit iure hereditario in perpetuum possidendam; et tunc prefatus Bozata est per nos interrogatus, quantam pecuniam recepisset pro iam dicta hereditate Garbi, dixit, se septuaginta marcas grossorum recepisse. Tunc utentes consilio iudicum et baronum circumsedencium adiudicavimus, quod pecuniam memoratam, septuaginta marcas grossorum, domino abbati et monasterio sepius dicto Lubinensi infra spacium duorum annorum det, et tunc se de hereditate sepius dicta Garbi intromittat. Quod si prefatam pecuniam infra spacium duorum annorum non dederit, adiudicavimus eidem monasterio Lubinensi, abbati et fratribus ibidem, hereditatem Garbi iure hereditario perpetuo possidendam, sibique, sepius dicto Bozate, pro pecunia prescripta silencium perpetuum inponentes presentibus hiis testibus: Peregrino pincerna Poznaniensi, Benessio subiudice Kalisiensi, Nicolao herede de Brodowo, Potrchone herede de Caczcovo, et aliis quam plurimis fide dignis. In huius rei testimonium et evidenciam cerciorem, presentem litteram nostrorum sigillorum munimine duximus roborandam. Actum et datum in Gnezna in crastino

sancti Adalberti episcopi et martyris per manus Helie notarii curie nostre, anno Incarnacionis Domini MCCCXXIII.

Griszina, *Gryżyna.* Lubinensis, *de Lubin.* Garbi, *Garby.* Swirczina, *Świerczyna.* Brodowo, Kaczkowo, *dziś tak samo.*

Nr. 1037.

Wladislaus rex Polonie 1323 Iun. 25, Poznanie; confirmat ad petitionem Sandivogii comitis a Czarnkow (sic) privilegium, quod dederat Sandivogio comiti a Czarnkow (sic): **Boleslaus dux Polonie 1245 s. d., in Poznania.**
Warszawa. Archiw. Główne. Ks. M. 76, f. 136 v.

In nomine Domini amen. Quoniam oblivio, que est mater errorum, plerumque facta hominum digna memoria lapsu temporis abolire consuevit, sapientum decrevit authoritas circumspecta, laudabilis et honesta, ea scriptis autenticis aminiculo perhennare. Hinc est quod nos Wladislaus Dei gracia rex Polonie notum facimus universis presentibus et futuris presencium noticiam habituris, quomodo ad nostre maiestatis et nostrorum prelatorum et baronum, tum lateri nostro assidencium, accedens presenciam generosus Sandivogius comes a Czarnkow (sic), sincere nobis dilectus, exhibuitque nobis literas pergameneas clarissimi principis domini Boleslai, olim ducis Polonie, insigni illius, fune sericeo suspenso munitas, salvas, sanas et non falsificatas, super donacionem villarum Goliaza, Bialla et Rosdraszga, sic nuncupatarum, et earum metarum determinacione nec non libertatem, subnixeque supplicavit maiestati nostre, ut eas approbare, confirmare et ratificare dignaremur. Quarum tenor est talis: *(Sequitur diploma Nr. 249).*

Nos ergo Wladislaus Dei gracia rex Polonie attendentes eiusdem generosi Sandivogii comitis a Czarnkow preces, et intuentes illius priorum semper fidelia et eius eciam servicia, has presentes, ut in suo sunt tenore, approbandas et confirmandas duximus, prout presentibus approbamus, ratificamus et in perpetuum robur firmitatis confirmamus; quibus ob firmius et stabilius rei testimonium, nostre maiestatis sigilli robur addere mandavimus presentibus hiis fidedignis, reverendissimo et reverendis (sic) in Christo patribus Ianussio Gneznensi archiepiscopo, nostre Polonie capitaneo, Gervardo Wladislaviensi, Zawissio (sic) Poznaniensi episcopis, Przethposzono (sic) castellano Poznaniensi, domino Philippo cancellario nostro regni Polonie, Iohanne palatino Brzestensi, Petro Drogoslawycz iudice Poznaniensi, Ubislao castellano Brzestensi, et aliis quam plurimis fidedignis testibus. Datum in nostra civitate regali (sic) Poznanie, sabbato post diem beati Iohannis Baptiste, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo tercio.

Czarnkow, *Czarnków.* Goliaza, *pewnie zam. Gołańcza.* Bialla, *Biała.* Rosdraszga, *pewnie zam. Trzcianka.* Wladislaviensis, *de Włocławek. Dokument powyższy wraz z swym transsumptem podaliśmy jako dowód, że do ksiąg metrycznych podawano i wciągano niekiedy grube falsyfikaty. Potwierdzony jest tenże r. 1546 Iun. 19, Cracoviae, przez Zygmunta, a r. 1548 w Piotrkowie przez Zygmunta Augusta, królów.*

Nr. 1038.

Ianislaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1323 Octob. ?, in Cozlow; protestatur, episcopos Poznaniensem, Plocensem et Wladislaviensem confessos esse, episcopum Cracoviensem de facto, non de iure, praerogativa sedendi ad dexteram archiepiscopi Gneznensis usum fuisse.

Piekosiński. Kodeks Katedry Krakowskiéj I, 131. (Z kopji zawartéj w Liber antiquus fol. 30 v.)

In nomine Domini amen. Noverint universi presentes literas inspecturi, quod cum coram nobis Ianislao, divina et apostolice Sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, in congregacione facta consuffraganeorum nostrorum pro consecracione Iohannis electi Poznaniensis in civitate Sochaczow wlgariter nuncupata, inter venerabiles in Christo fratres nostros, dominos Dei gracia Florianum Plocensem, Mathiam Wladislaviensem et Iohannem prefatum iam consecratum Poznaniensem, Gneznensis provincie ecclesiarum episcopos, actores ex una parte, et venerabilem in Christo fratrem nostrum Nankerum, eadem gracia episcopum Cracoviensem eiusdem provincie, reum parte ex altera, super sessione ad dexteram nostram quoquomodolibet in congregacione episcoporum provincie supradicte fuisset exorta materia questionis: asserebant enim episcopi predicti, quod iure communi limitatum permaneret, ut quicumque episcoporum prior esset vocacione, primum locum obtineret in omni episcoporum congregacione: petentes, tam per se quam per procuratores ad hoc legittime constitutos, super eadem assercione per nos pronunciari. Prefati vero episcopi Cracoviensis procuratores, legittime ad hoc eciam constituti, animo litem contestandi responderunt, quod de iure primatus episcopus Cracoviensis et sui predecessores in possessione sedendi ad dexteram nostram pre ceteris episcopis dicte provincie extiterunt, super qua possessione ante omnia a nobis pronunciacionem fieri postulabant. Super quibus peticionibus per procuratores et advocatos fratrum nostrorum predictorum hincinde altercacionibus et controversiis variis suscitatis, procuratores fratrum nostrorum predictorum, Plocensis, Wladislaviensis et Poznaniensis episcoporum, lites abreviare cupientes, et ut in eorum peticione iudicialiter procederetur, in iure confessi sunt, predictum fratrem nostrum Cracoviensem episcopum esse in possessione iuris sedendi ad nostram dexteram, quam possessionem de facto et non de iure fore dicebant; procuratores vero sepedicti fratris nostri Cracoviensis episcopi de confessione huiusmodi contenti, a sua questione super possessorio quieverunt. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum presentibus est annexum. Actum in Cozlow decimo nono (sic) Kalendas Novembris, anno Domini M.CCC.XXIII, presentibus: magistro Francisco preposito Wysliciensi, Iohanne cancellario Lanciciensi, Przibislao scolastico, Petro cantore, Lanciciensibus, Iohanne officiali et Benedicto, nostris canonicis Gneznensibus, et aliis multis.

Wladislaviensis, *de Włocławek.* Cozlow, *Kozłów.*

Nr. 1039.

Falibogus filius quondam Stanislay heres de Gacz 1324 Mai. 21, in Gosczanovicz; sortem suam Śmiechów, cum sorte ecclesiae Gneznensis in villa Kwiatków commutat.

Pergam. orygin., u którego z dwóch pieczęci, zawieszonych na paskach pergamin., pozostał z pierwszéj ułamek bez wycisku, druga zaś znikła.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 86.

In nomine Domini amen. Noverint universi quibus nosse fuerit opportunum, quod ego Falibogus filius quondam Stanislay, heres de Gacz, per modum commutacionis cum venerabili in Christo patre domino Ianislao, Gneznensis ecclesie archiepiscopo, recepta ab ipso et ecclesia sua sorte in Quatcow prope Dobrow cum omnibus utilitatibus et pertinenciis ad ipsam, sortem meam Smescow vulgariter nuncupatam, sitam circa hereditatem dictam Grambcovicy, quam a nobili viro domino Ottone dicto Bralin, subcamerario Kalisiensi, nomine commutacionis obtineo, cum omnibus utilitatibus, prout in suis limitibus est distincta, eidem domino archiepiscopo et ecclesie sue do et assigno libera et spontanea voluntate, in perpetuum possidendam. Promitto insuper una cum patruo meo, comite Iohanne herede de Gacz, dictam sortem Smescow coram domino rege Polonie prefato domino archiepiscopo tradere ac eciam assignare, nec non evincere, si predictus dominus archiepiscopus in pretacta sorte per quempiam in posterum fuerit inpeditus. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, meum et predicti patrui mei sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum in Gosczanovicz duodecimo Kalendas Iunii, anno Domini millesimo CCC. vicesimo quarto, presentibus nobilibus viris, comitibus Wolimiro herede de Gezersco, Preczlao vicecapitaneo Calisiensi, Swentoslao herede de Semenczino, Wincencio cancellario Gneznensi, Petro cantore Lanciciensi, Iohanne preposito Rudensi et Thomislao archidiacono Uneinensi, ac aliis pluribus fide dignis.

Gacz, *Gać.* Quatcow, *Kwiatków.* Dobrow, *Dobrów.* Smescow, *Śmiechów.* Grambcovicy, *Grąbków.* Bralin, *Bralin.* Gosczanovicz, *Goszczanów.* Gezersco, *Jeziersko.* Semenczino, *Ziemięcin.* Rudensis, *de Ruda.* Uneinensis, *de Uniejów.*

Nr. 1040.

Iacobus iudex Gneznens. et Kalisiens. 1324 Iun. 18, in Nakel; Ianislao archiepiscopo Gneznensi hereditatem Pszczołczyn contra impetitionem Iohannis Wysczelicz adiudicat.

Pergam. orygin., w środku przetlały, w którego dolnym, założonym brzegu skrawek pergaminowy, przez dwie dziurki przewleczony; pieczęci nie masz.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 89.

In nomine Domini amen. Nos Iacobus iudex Gneznensis et Kalisiensis notum facimus universis ad quorum noticiam devenerit scriptum presens, quod cum coram serenissimo domino nostro Wladyslao rege Polonie per Iohannem dictum Wysczelicz

ac aliis pluribus fide dignis. Datum per manus Elye nostri notarii, presencium confectore.

Moscessice, *Mosciszki.* Lubin, *Lubin.* Dambice, *osada znikła, leżała nad jeziorem Mosciszki.* Gostyn, Iarocin, Gora, Ostrowiecko, *dziś t. s.*

Nr. 1042.

Wladizlaus rex Polonie etc. 1324 Iul. 25, apud Poznaniam; confirmat partem privilegii, quod monasterio de Ląd dederat: **Bolezlavus dux Polonie 1261 Dec. 10, in Sechova.**

Rzyszczew. Muczkow. Codex diplom. Poloniae I, Nr. 107. (*Z pergaminu orygin., którego pieczęć znikła*).

In nomine Domini amen. Cum oblivio sit mater calumpnie, noverca pacis et licium suscitatrix, expedit, ut racionabiles contractus hominum, ad veritatis indicium per scripti memoriam transmittantur. Proinde nos Wladizlaus, Dei gratia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Lancicie, Cuyavie Syradieque dux, ad noticiam tam presencium quam futurorum volumus devenire, quod religiosus vir dominus Mathias, abbas de Lenda Ordinis Cisterciensis, ad nostram accedens presenciam nobis humiliter supplicavit, ut confirmacionem privilegii gloriosi principis proavi nostri, ducis quondam bone memorie Meschonis, per serenissimum principem olim Boleslaum, sororinum nostrum dilectum, factam, modernorum privilegiorum nostrorum confirmacione faceremus innovari. Cuius quidem confirmacionis et privilegii de verbo ad verbum tenor erat talis: *(Sequitur diploma Nr. 393, ab:* anno Domini M.C.XL.V, *etc. usque ad:* Ut autem hoc nostrum factum in honorem Dei *etc.).*

Insuper addimus predicte domui de gracia speciali, quod nullus omnino hominum predictum abbatem in causis hereditariis, aut rusticos seu ascripticios suos iudicare presumat, sicut in privilegio superius est expressum, et cum hoc omnes hereditates, quas nunc iuste possident, presentibus confirmamus. Volumus eciam, quod nullus ipsum abbatem et fratres in venacione, que kloda wlgariter dicitur, impedire presumat. Ut autem hoc nostrum factum in honorem Dei sancteque Genitricis eiusdem ratum et inviolabiliter observetur, presentem paginam sigilli nostri munimine duximus roborandam. Actum et datum apud Poznaniam in die beati Iacobi apostoli, anno Domini MCCC vicesimo quarto, presentibus hiis nobilibus nostris: Martino palatino, Slaventa castellano Kalisiensibus, Petro castellano Poznaniensi, Clemente palatino Syradiensi, Woyslao iudice Poznaniensi, Iacobo dicto Drogoslavicz iudice Kalisiensi, et aliis multis fide dignis. Datum per manus Petri canonici Cracoviensis et vicecancellarii curie nostre.

Lenda, *Ląd.*

Nr. 1043.

Wladislaus rex Polonie etc. 1324 Aug. 1, Poznanie; monasterium de Obra in suam recipit protectionem, villasque eius plurimis libertatibus dotat.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 32.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Wladislaus Dei gracia rex Polonie, dominus Cracovie, Cuyavie, Lancicie et Siradie, ob salutem nostre anime ac eciam nostrorum progenitorum recepimus fratres et conventum totum domus de Obra ac omnia bona ipsorum, mobilia et immobilia, ad nostram protectionem et tutellam, mandantes singulariter omnibus et universaliter singulis, ut predictos fratres et dominum abbatem et bona ipsorum nullis molestiis aut gravaminibus perturbare presumatis; qui vero secus attentare presumpserint, nostram proinde offensam extunc senciant se incurrisse. Damus insuper eidem domino abbati super omnes ipsius domus villas omnimodam libertatem ab omnibus nostris solucionibus et exactionibus Polonicalibus, videlicet a poradlne, a prewod, a powoz, a stroza, a bove, a vacca, a porco, et generaliter ab omnibus angariis et perangariis esse volumus absolutas, prout a nostris antecessoribus eandem habuerunt libertatem; et insuper a castellano, palatino et ipsorum officialibus in totum et in perpetuum liberamus, ita, quod ad ipsorum presenciam nec citari nec respondere predictus abbas una cum suo conventu debeat pro hereditatibus et causa qualicunque, nec incole dicte domus de Obra minime teneantur, nisi si necesse fuerit, per nostram litteram citabuntur et in nostra presencia respondebunt. Ut autem predicta omnia robur obtineant perpetue firmitatis, presentes scribi iussimus, nostri sigilli munimine roboratas presentibus his testibus: comite Martino palatino Kalisiensi, comite Slawota castellano Kalisiensi, domino Ywano cantore Gneznensi, domino Iohanne cancellario Chuyaviensi et canonico Cracoviensi et aliis quam plurimis fide dignis, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quarto. Datum Poznanie Vincula Petri apostoli, per manus Petri canonici Cracoviensis et nostre curie vicecancellarii.

Obra, *Obra.*

Nr. 1044.

Wladizlaws rex Polonie etc. 1324 Aug. 9, in Pyser; monasterio de Ląd locum molendini navalis in fluvio Warta sub castro de Pyzdry confert, et possessionem quarundam villarum confirmat.

Pergam. orygin. Na sznurze z nici jedwabn., zielon. przywieszona pieczęć Władysława króla; (pieczęć XLIV).

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata.

In nomine Domini amen. Sicut fragilitas humane conditionis mortem nequit vitare temporalem, sic nec ullum actum quod in fluctuoso geritur tempore robur firmitatis valet obtinere, nisi scripto reformetur et sigilli munimine roboretur. Hinc est quod nos Wladizlaws Dei gracia rex Polonie, Cracovie, Sandomirie, Syradie,

Cuiavie Lancicieque dux, notum facimus tam presentibus quam futuris, quod ob honorem Domini nostri Ihesu Christi nec non pie ac gloriose genitricis sue semper virginis Marie, in remissionem peccaminum nostrorum omniumque progenitorum nostrorum, et propter nimiam desolacionem et destructionem quam fecimus domui Lendensi Ordinis Cysterciensis cum essemus cum exercitu in Polonia, contulimus eidem domui et . . fratribus locum molendini navalis sub castro Pysdrensi in fluvio Warta, qui nostro dominio et regno dinoscitur pertinere, iure hereditario possidendum, indulgentes fratribus de domo iam dicta omnimodam obcionem, in eodem loco molendinum construere pro libito ipsorum voluntatis, aut antiquum molendinum, quod pertinet ad ipsos, denuo reparare. Ne igitur hec nostra donacio per aliquem in posterum molestetur, volumus et mandamus omnibus capitaneis, castellanis, procuratoribus, advocatis, consulibus, scabinis et singulis civibus in civitate Pysdrensi constitutis, quatenus eosdem fratres in construendo vel reparando molendino, ubi velint in prefatis duobus locis, ullatenus impedire non debeant nec presumant. Item solo divine remuneracionis intuitu confirmamus eidem domui Lendensi has subscriptas hereditates, eis per nobiles Polonie hereditario iure collatas, vel ab ipsis fratribus racionabiliter emptas, in nostram nichillominus defensionem recipientes, videlicet Mynzelino, Zramlyz, Bronchowo, Cysowo, Wardosino, Wszonowo, Wronchyno cum lacu qui Seborowo dicitur. Volumus eciam, ut homines dictarum villarum eadem libertate gaudeant, que in privilegio fundacionis beate memorie proavi nostri Mesichonis magni, illustris ducis Polonie, plenius continetur. Datum et actum in Pyser sub testibus ydoneis: Clemente palatino Syradiensi, comite Petro castellano Poznaniensi, comite Slavanta castellano Kalisiensi, comite Nycolao castellano Bechoviensi, et Petro vicecancellario et canonico Cracoviensi, anno Domini M.CCC vicesimo quarto, in vigilia beati Laurencii martiris et Levite. In cuius rei testimonium, presens scriptum sigilli nostri munimine iussimus roborari.

Lendensis, *de Ląd.* Mynzelino, *Mycielin.* Zramlyz, *Chrzamlice.* Bronchowo, *Bronki.* Cysowo, *Czyżew.* Wardosino, *Wardężyn.* Wszonowo, *Sczonów.* Wronchyno, *Wrąbczyn.* Lacus Seborowo, *dziś bagno na północ Wrąbczyna.* Pyser, *Pyzdry.* Bechoviensis, *de Biechów.*

Nr. 1045.

Wladislaus rex Polonie etc. 1324 Aug. 27, aput Kalis; ratam habet commutationem partis hereditatis Chwalibogii de Gać, dictae Śmiechów, cum parte hereditatis ecclesiae Gneznensis, nomine Kwiatków.

Pergam. orygin., w dolnym brzegu przetlały, u którego na sznurku z nici jedwabn., zielonych przywieszona pieczęć Władysława króla; (pieczęć XLIV).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 87.

In nomine Domini amen. Quia commutaciones et resignaciones robur firmitatis nequeunt obtinere, nisi protestacione principum et subscripcione testium fuerint roborate, proinde nos Wladislaus, Dei gracia rex Polonie nec non Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lanczicie Cuyavieque dux, universis presentibus et futuris hanc litteram inspecturis notum facimus, quod honorabiles viri, dominus Wlosto archydiaconus ecclesie Gneznensis, de voluntate et mandato domini Ianislai, divina et apostolice

Sedis providencia archyepiscopi, et consensu tocius Capituli ecclesie predicte ex una parte, et nobilis vir Wchalibosius heres de Gacz ex altera, ad nostram et nostrorum baronum presenciam accedentes, talem inter se commutacionem coram nobis ordinarunt: quod dominus archidiaconus prefatus nomine domini archiepiscopi et ecclesie Gneznensis sortem hereditatis in Quatkow cum omnibus fructibus et proventibus ibidem, iure et dominio, predicto Wchalibosio et suis successoribus, Wchalibosius vero prefatus partem hereditatis sue quam habuit in Smeszcovo, domino archiepiscopo predicto et ecclesie Gneznensi iure hereditario ac in perpetuum resignavit. Quam commutacionem legitimam et utrique parti conpetentem, ratam et gratam habentes, de baronum nostrorum consilio presentibus confirmamus. In cuius rei testimonium et evidenciam clariorem, presentem litteram confici et sigillo nostro iussimus roborari. Actum aput Kalis anno Domini M.CCC. vicesimo quarto, sexto Kalendas Septembris, presentibus hiis testibus: Clemente palatino Syradiensi, Crivosandio capitaneo regni Polonie, Philippo castellano Lendensi, Stephano filio Sventopelkonis, et aliis quam plurimis fidedignis. (*11 lit. des.*) Petri canonici Cracoviensis et subcancelarii curie nostre.

Gacz, *Gać.* Quatkow, *Kwiatków.* Smeszcovo, *Śmiechów.* Lendensis, *de Ląd.*

Nr. 1046.

Wladislaus rex Polonie 1324 Dec. 4, apud Cracoviam; protestatur: licet Iohannes episcopus Poznaniensis civitatem Pyzdry ad suam petitionem reformaverit, se tamen per hoc iuribus ecclesiae Poznaniensis nolle derogare.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 38.

Wladislaus Dei gratia rex Polonie, universis ad quorum notitiam presens littera deferetur salutem in auctore salutis. Ad vestram notitiam volumus pervenire, quod licet venerabilis in Christo pater dominus Iohannes, eadem gratia episcopus ecclesie Poznaniensis, instantiis nostrarum petitionibus (sic) victus, nostram affectu benivolo necessitatem considerans pro hac vice, civitatem nostram in Pizdr per homines suos, ultra quam de iure teneatur, duxerit reformandam, per hoc tamen iuribus et privilegiis ecclesie Poznaniensis prefate nolumus nec intendimus aliqualiter derogare, sed potius omnia iura ecclesie et episcopi prenominati nostris maxime temporibus inviolabiliter conservare cupientes, hoc quod nunc propter incumbentem necessitatem factum est in premissis, inde exemplum trahi per nostros successores et per quoslibet alios, sanctione et confirmatione perpetua penitus prohibemus. In cuius testimonium et evidentiam rei clariorem, presentem litteram confici et sigillo nostro mandavimus roborari. Actum apud Cracoviam anno Domini M.CCCXXIIII, feria tertia infra octavas sancti Andree apostoli, presentibus: Przibislao castellano in Kovale, Paulo dapifero nostro dicto Nossek, et Nicolao procuratore Brzestensi. Datum per manus Petri vicecancellarii curie nostre.

Pizdr, *Pyzdry.* Kovale, *Kowal.* Brzestensis, *de Brześć Kujawski.*

Nr. 1047.

Ianislaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1324 s. d., Poznanie; electionem Iohannis archidiaconi in episcopum Poznaniensem confirmat.

Pergam. orygin. Sznur z nici jedwabn., żółt., zielon. i niebiesk., z którego pieczęć znikła.

Poznań. Archiv. Capituli. III, 9.

Ianislaus, divina et apostolice Sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, discretis et prudentibus viris, dominis Abrahe scolastico et Capitulo ecclesie Poznaniensis, salutem cum sincera in Domino karitate. Cum per obitum felicis memorie domini Domarati, vestre ecclesie quondam episcopi, ecclesia ipsa pastoris esset solacio destituta, vos nolentes quod ex diutina vacacione eadem ecclesia in spiritualibus et temporalibus aliquot incurreret detrimentum, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt comode interesse, decrevistis ipsi ecclesie de pastore futuro et pontifice providere; congregatis igitur vobis in ecclesia vestra supradicta, placuit omnibus et singulis, quod per formam scrutinii in ipso electionis negocio procedi deberet, et ecclesie desolate de episcopo provideri. Demum vero, iuxta statuta concilii generalis, tres fidedignos de vestro collegio assumpsistis, videlicet dominos Iohannem archidiaconum Poznaniensem, Nicolaum decanum Gneznensem, et magistrum Petrum cantorem Wladislaviensem, canonicos Poznanienses, quibus omnes et singuli dedistis unanimiter potestatem, quod vota singulorum, sua videlicet ac aliorum, secreto et sigillatim examinarent ac conscriberent seu conscribi facerent, et conscripta mox in communi publicarent, ut collacione diligenti premissa, is in episcopum et pastorem eligeretur ecclesie supradicte, in quem maior et sanior pars Capituli reperta foret in scrutinio consensisse. Predicti igitur scrutatores iniunctum sibi officium fideliter exequentes, votis omnium vestrum, prout eis commissum extitit, exquisitis et examinatis diligenter ac in scriptis redactis, ea mox in communi publicarunt. Verum, quia collacione debita numeri ad numerum, meriti ad meritum et zeli ad zelum subsecuta, repertum extitit, maiorem et saniorem partem Capituli in predictum Iohannem archidiaconum direxisse vota sua, Vincentius, cancellarius Gneznensis et Poznaniensis canonicus, ex commissione et mandato vestro eundem archidiaconum, invocata Spiritus sancti gratia, elegit in vestre ecclesie episcopum et pastorem; quam quidem electionem nostra auctoritate petiistis humiliter confirmari, prout in decreto electionis eiusdem, presentato nobis ex parte vestra, evidencius continetur. Nos igitur, iuris ordinem cupientes in eodem negocio prout convenit observare, citacionis edictum in ipsa vestra ecclesia publice proponi fecimus, omnibus et singulis quorum interest innotescentes: ut, si quispiam foret, qui contra ipsorum, electi videlicet ac eligencium, personas aut formam electionis aliquit opponere vel obicere vellet, coram nobis Poznanie in ecclesia beate Marie Magdalene quarto die exeunte mense Iulio compareret, facturus et dicturus, quod iuris ordo et racio postularet. Verum, quia in ipso termino nullus coram nobis apparuit contradictorum, nos eundem electum et electionis formam iuxta statuta canonum examinavimus diligenter, et quia personam ipsius electi ydoneam in omnibus invenimus, et in eleccionis ipsius negocio formam generalis concilii debite observatam, votis vestris paterno affectu annuere cupientes, Spiritus sancti gratia invocata, communicato fratrum

nostrorum consilio, electionem ipsam tenore presencium confirmamus et per inpositionem nostre manus ipsi electo benedictionem inpertimur, committentes sibi administracionem in spiritualibus et temporalibus Poznaniensis ecclesie supradicte. In cuius rei testimonium, presentes litteras fieri fecimus et nostri sigilli appensione muniri. Actum et datum Poznanie in ecclesia beate Marie Magdalene, anno Domini MCCC. vicesimo quarto, presentibus honorabilibus viris, dominis Nicolao decano, Wlostone archidiacono, Yvano cantore, Vincentio cancellario Gneznensibus, Petro cantore Lanchicyensi, Thomislao archidiacono Unieviensi, Iohanne officiali, canonicis Gneznensibus.

Wladislaviensis, *de Włocławek.* Unieviensis, *de Uniejów.*

Nr. 1048.

Primislaus dux Slezie etc. 1325 Febr. 17, in Richenbach; civitati Wschowa possessionem duorum molendinorum et quorundam pascuorum, civitati praedictae adiacentium, confirmat.

Pergam. orygin. Na grubym sznurze nici jedwabn., zielon. i amarantowych przywieszona wielka pieczęć, któréj wycisk odłupany. Na odwrotnéj stronie contra sigillum przedstawia rozpostartego Orła; napis zatarty.

Warszawa. Archiwum Główne. Dypl. 599.

In nomine Domini amen. Ut rei geste habeatur firmior ubilibet certitudo, nos Primislaus, Dei gracia dux Slezie et dominus Glogovie, recognoscimus publice tenore presencium volentes ad universorum noticiam pervenire, quod cum coram Henrico de Guryn, fideli nostro et dilecto iudici (sic) curie et capitaneo Glogoviensi, fidelibus nostris et dilectis civibus de Vrowenstat de pascuis ad civitatem eandem pertinentibus necnon de duobus molendinis, que Rossemuel vocantur vulgariter, et uno molendino venti, quod Wyntmuel dicitur, lis et causa in iudicio moveretur, cives predicti probaverunt vivo testimonio sufficienti proborum virorum, videlicet militum et vasallorum nostrorum, pascua et molendina predicta pertinuisse ad prenominatam civitatem Vrowenstat ab antiquo. Nos vero, audito et intellecto dicto sufficienti testimonio, volentes eciam utilitati et profectui prenominate civitatis nostre atque civium nostrorum intendere semper, ut digne merito quoque debemus, approbamus et confirmamus supradictum testimonium, concedentes favorabiliter et innovantes pascua et molendina memorate civitati et civibus nostris sepedictis, ut ea ad usus suos habere debeant in perpetuum et sine inpedimento quolibet possidere. Continent autem pascua sepedicta decem mansos taliter situatos: duo enim mansi iacent in longum ad viam pecudum et incipiunt ante civitatem Vrowenstat; in fine illorum incipit tercius mansus, extensus similiter in longum versus Rudegeri villam, in fine cuius iacent alii septem mansi in longum latumque, prout limitibus suis et terminis locati sunt pariter et distincti. Ne autem in predictis dubium aliquod valeat suboriri, presentes fieri et dari iussimus literas, sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Richenbach anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo quinto, tredecimo Kalendas Martii. Testes huius sunt: dominus Franciscus de Bork, Hen-

ricus de Guryn, Andreas de Wyrbna, Nicolaus de Sarovia, Iohannes de Wyldov, Ulricus de Cothewicz, Iohannes de Rommeren notarius noster, et alii.

Vrowenstat, *Wschowa.* Rudegeri villa, *Röhrsdorf, czyli Osowa sień.* Richenbach, *Reichenbach.*

Nr. 1049.

Wlodislaus Polonie rex 1325 Apr. 14, in Brescz; omnia privilegia, monasterio de Byszewo a praedecessoribus suis concessa, rata habet, possessiones ipsius, in castellania de Nakło constitutas, confirmat et amplis immunitatibus dotat.

Pergam. orygin. Na sznurze nici jedwabnych, zielonych przywieszona pieczęć Władysława króla; (pieczęć XLIV).

Warszawa. Biblioteka prywatna. Diplomata.

In nomine Domini amen. Cum inter cetera virtutum insignia, potissime regalem faciat prefulgere maiestatem munificencia largitatis et ad pia opera animi promptitudo, nos igitur Wlodislaus, Dei gracia Polonie rex, meritis sacre religionis Ordinis Cysterciensis inducimur, ut favoris gracia ipsum pre ceteris Ordinibus iugiter prosequentes, paci et tranquillitati ipsius monasteriis, videlicet sub umbra nostre dominacionis constitutis, de benignitate solita consulamus, ne iurgiorum in posterum concuciatur procellis. Supplicacionibus siquidem piis religiosorum virorum et nobis dilectorum, videlicet abbatis et conventus de Byssovia predicti Ordinis, Wladislaviensis dyocesis, favorabiliter inclinati, ipsis ac monasterio eorum omnes donaciones, gracias, libertates et emunitates, a predecessoribus nostris, principibus Polonie seu Cuiavie, eisdem abbati et conventui monasterioque eorum iam dicto factas seu concessas, gratas et ratas habentes, eis presencium patrocinio confirmamus, et possessiones, hereditates et bona omnia que ad dictum monasterium pertinent in districtu castellature de Nakel constituta, hiis nostris litteris inserenda duximus et inscribenda, cupientes memoratum monasterium et fratres inibi Deo famulantes super dictis bonis et possessionibus graciis et libertatibus specialibus munerare, quorum ista sunt nomina: Runovo, Thuscovo, Wirchocino cum sortibus sive bonis sibi attinentibus, videlicet Rybino et Popelevo, dimidium Sanzechno, Comorsa, Lucime, Mankowarsco, Zedno, Crampevo, Slupow. Conferimus autem dicto monasterio, abbati et conventui plenum ius ac iurisdicionem in omnibus locis dictarum hereditatum seu villarum, tam in semitis quam in viis publicis et privatis, ac plenissimam ac perfectam libertatem cum hominibus earum, ut nos apud Deum plenam peccatorum consequi indulgenciam mereamur. Damus eciam eis potestatem locandi easdem hereditates sive villas iure Theutonico, vel alio quocumque, prout domui sue viderint melius convenire, et quod omnes causas civiles et criminales in eisdem bonis habeant iudicare. Insuper, ut prefatus abbas et fratres de Byssovia sollicicius Deum pro nobis interpellent, nos eorum ampliori intendentes paci et quieti, ipsas sepedictas hereditates, possessiones, villas, liberas perpetuo facimus et quietas cum omnibus pertinenciis et utilitatibus suis, videlicet terris cultis et incultis, stagnis, rivis, pratis, lacubus, silvis, pascuis et paludibus, rubetis et nemoribus, mellificiis et piscacionibus, castoribus et venacionibus, molendinis et tabernis, ab omnibus Polonicalibus servi-

ciis, exactionibus, solucionibus, angariis et perangariis, a prevod, a povoz, a vivoz, a vimeth, a nastava, a veznica, a naraz, a mostne, a poradlne, a povorove, a povolove, a stroza, a bove, a vacca, a porco, et ab omnibus aliis quocumque vocabulo censeantur, sive secundum antiquas sive secundum novas debeantur consuetudines, cum incolis in prenominatis villis commorantibus absoluti sint semper et exempti. Omnia quoque bona, quocunque tytulo a nostris subditis acquisita, sive per empcionem seu commutacionem, sepe dicto monasterio et fratribus inibi degentibus, cum graciis, libertatibus et iuribus presencium patrocinio confirmamus. In cuius rei robur et evidenciam, presentibus sigillum nostrum minus est appensum, volentes illud illum habere vigorem, quem sigillum obtinet nostre maiestatis, quia illud ea vice artifici traditum fuerat emendandum. Actum et datum in Brescz in die beatorum martirum Tyburcii et Valeriani, anno Domini M.CCC. vicesimo quinto, presentibus hiis nobilibus nostris: Martino palatino Kalisiensi, Petro dicto Symanovicz castellano Poznaniensi, Iohanne castellano Redzeoviensi, Ysbeluthone dicto Troyanovicz, Zyre kamerario Brescensi, Petro canonico Cracoviensi et vicecancellario curie nostre, et aliis multis fide dignis.

Byssovia, *Byszewo.* Wladislaviensis, *de Włocławek.* Nakel, *Nakło.* Runovo, *Runowo.* Thuscovo, *Tuszkowo.* Wirchocino, *Wierzchucin.* Rybino, *nie odgadnione.* Popelevo, *Popielewo.* Sanzechno, *Samsieczno.* Comorsa, *nie odgadnione.* Lucime, *Luczmin.* Mankowarsco, *Mąkowarsk.* Zedno, *Sitno.* Crampevo, *Krąpiewo.* Slupow, *Słupowo.* Brescz, *Brześć Kujawski.* Redzeoviensis, *de Radziejów.*

Nr. 1050.

Wladyzlaus rex Polonie etc. 1325 Apr. 14, in Brest; legatum bonorum Tuszkowo, a comite Wit de Łubowo in rem monasterii de Byszewo factum, roborat et possessionem aliorum confirmat.

Pergam. orygin. Na sznurku jedwabn., wypłowiałym wiszą ułamki pieczęci bez wycisku.

Poznań. Königl. Staats Arch. Koronowo 71.

In nomine Domini amen. Cum facta, ordinaciones et resignaciones tutorum et castellanorum robur obtinere nequeant firmitatis, si consensu regum vel principum non fuerint roborate, vel ipsa facta non fuerint confirmata; proinde nos Wladyzlaus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Lancicie, Cuyavie et Syradie (sic), religiosorum virorum, abbatis et conventus monasterii Byssoviensis, devotis precibus inclinati, ut sollicicius Deum pro nobis interpellent, bona que Tuschovo nominantur, in territorio castri de Nakel sita, dicto monasterio testamenti tytulo collata per comitem Wit de Lubow et filios eius, videlicet Petrum, Nycolaum, Bodzetam et Iohannem, nec non per dominum Andream archidyaconem (sic) Gneznensem et cancellarium Polonie, et per fratres et filiolos suos, Albertum iudicem Poznaniensem et germanum suum Cristinum, Mathiam et Bodzetam filios comitis Petri, et per Andream filiolum suum; et quippe cum pia sit donacio, ipsa bona prelibato monasterio graciose presencium patrocinio, cum bonis nichilominus, videlicet dimidio Sanseczno et cum lacu qui eciam Sanseczno dicitur, nec non cum bonis Zedno et cum

lacubus, videlicet Zedno magno et Zedno parvo, Gedyne, Ossovo et Gogolincz parvo, et cum aliis utilitatibus omnibus et pertinenciis, secundum quod in suis gadibus et terminis antiquitus sunt limitata: predicta omnia bona in perpetuum confirmamus, dantes dicto abbati et conventui monasterii prescripti bona premissa cum omni iure et proprietate ac dominio, libera et exempta ab omni servitute et vexacione, scilicet a prewod, povos, vyvoz, wymeth, nastava, vesnica, naras, mostne, poradlne, podvorove, povolove, stroza, a bove, a vacca, a porco, et ab aliis quibuslibet servitutibus, quibuscunque nominibus censeantur. In cuius rei testimonium, presentem paginam conscribi fecimus et sigillo nostro communiri. Actum in Brest in die beatorum martyrum Tyburcii et Valeriani, anno Domini M.CCC vicesimo quinto, presentibus hiis nobilibus nostris: Martino palatino Kalisiensi, Iohanne castellano Radzoviensi, Isbelutkone dicto Troyanovicz, Zyre camerario Brestensi, et aliis multis fidedignis.

Tuschovo, *Tuszkowo.* Nakel, *Nakło.* Lubow, *Łubowo.* Sanseczno, *Samsieczno.* Zedno, *Sitno.* Lacus Zedno magnus et parvus, *jeziora pod wsiami małe i wielkie Sitno.* Gedyne, Ossovo *et* Gogolincz parvus, lacus, *małe jeziora pomiędzy wsiami Goncerzewo i Sitno.* Brest, *Brześć Kujawski.* Radzoviensis, *de Radziejów.*

Nr. 1051.

Ianislaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1325 Apr. 26, apud Gneznam; Petro cancellario Gneznensi mandat, ut Nankero episcopo Cracoviensi primum locum et ius sedendi ad dexteram archiepiscopi adiudicet.

Piekosiński. Kodeks Katedry Krakowsk. I, 137. (Z pergaminu orygin., u którego pozostał od przywieszenia pieczęci pasek pergaminowy).

Ianislaus, divina et apostolice Sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, dilecto sibi in Christo fratri, Petro cancellario suo Gneznensi, salutem cum sincera in Domino karitate. Orta inter venerabiles comprovinciales fratres nostros, dominos Florianum Plocensem (sic), Mathiam Wladyslaviensem (sic) et Iohannem Poznaniensem (sic) ecclesiarum episcopos, actores, ex una, et venerabilem fratrem nostrum dominum Nankerum, Cracoviensem episcopum, reum, ex parte altera, super primo loco et iure sessionis ad nostram dextram coram nobis materia questionis, utrimque ipsis placuit, ut (in) ipsa causa sumarie et de plano ac sine strepitu et figura iudiciorum procederetur; liteque inter ipsos legitime contestata, probacionibus ac instrumentis pro parte dicti Cracoviensis episcopi productis, testium deposicionibus publicatis, procuratorum et advocatorum racionibus et iuribus auditis, ipsius quoque cause meritis plene congnitis et discussis, insuper nobiscum et cum peritis super illis deliberacione prehabita diligenti, comperimus evidenter, intencionem dicti Cracoviensis episcopi esse fundatam et probatam, et ad eum et successores suos, primum locum iusque sedendi ad nostram dextram pertinere iuxta consuetudinem antiquam, in provincia Polonie hactenus observatam, que quidem per Sedis apostolice literas, videlicet Urbani Pape et Alexandri Pape, prout ex earum inspectione apparet, extitit confirmata. Et quia in termino ad audiendam sentenciam diffinitivam partibus prefixo, videlicet in crastino beati Marci ewangeliste nunc

presenti, propter negocia incumbencia nostre ecclesie et tocius regni Polonie, apud Gneznam non possumus aliquatenus inmorari, discrecioni vestre tenore presencium duximus committendum, speciale ad hoc vobis mandatum tradentes, quatenus vice et auctoritate nostra, super primo loco et iure sessionis ad (sic) dextris nostris pro prefato domino Nankero et eius successoribus diffinitivam sentenciam in scriptis proferatis, ipsamque nostro et vestro sigillis consignetis, super hiis procuratoribus dictorum fratrum nostrorum, et predictis fratribus nostris, Floriano Plocensis, Mathie Wladislaviensis et Iohanni Poznaniensis ecclesiarum episcopis et eorum successoribus perpetuum silencium inponentes, et nichilominus eosdem condempnare curetis dicto Cracoviensi episcopo et procuratori ipsius legitimis in expensis, taxacione ipsarum nobis in posterum reservata. Datum et actum anno Domini M.CCC. vicesimo quinto, in predicto crastino, hora prima, apud Gneznam. In cuius rei testimonium, presens scriptum nostro sigillo fecimus communiri.

Wladyslaviensis, *de Włocławek.*

Nr. 1052.

Ianislaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1325 Apr. 26, apud Gneznam; commutat villam mensae suae, dictam Dębnica, cum villa Capituli Gneznensis, nomine Cotuń.

Pergam. orygin. Na pasku pergamin. przywieszona pieczęć podługowata, zupełnie zatarta.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 88.

In nomine Domini amen. Nos Ianislaus, divina et apostolice Sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, notum facimus universis presencium noticiam habituris, quod attendentes comoditatem Capituli nostri et nostram, commutacionem villarum infra scriptarum de consensu et libera voluntate honorabilium virorum fratrum nostrorum, dominorum Andree prepositi, Nicholai decani, Iwani cantoris, Thomislay custodis, Petri cancellarii, et aliorum multorum canonicorum congregatorum in Capitulo ista vice, duximus faciendam habita deliberacione matura, perpetuis temporibus duraturam. Assignamus enim predicto nostro Capitulo hereditatem mense nostre dictam Dambnicyam, cum lacu et decima, et recipimus ab eodem Capitulo hereditatem ipsorum dictam Czatome, similiter cum lacu et decima; ita, quod eedem hereditates possideantur hinc et inde cum earum pertinenciis, fructibus, utilitatibus, que sunt et que esse poterunt in futurum, et quod eadem olim nostra hereditas, in ius et proprietatem deinceps dicti nostri Capituli convertatur, et eorum olim hereditas Czatome, nostre mense usibus applicetur. In cuius rei testimonium, ad perpetuam rei memoriam fieri fecimus presentes litteras et nostri sigilli munimine roborari. Actum et datum apud Gneznam in crastino beati Marci ewangeliste, anno Domini M.CCC. vicesimo quinto, presentibus dominis supradictis, per manus Nicolay notarii.

Dambnicya, *Dębnica.* Czatome, *Cotuń.*

Nr. 1053.

Wladislaus rex Polonie 1325 Apr. 28, in Pyser; confirmat resignationem iuris in hereditate Koszuty, quam Bogusza, filius Hectoris, in favorem monasterii Ląd fecerat.

Włocławek. Lib. privilegior. monasterii Ląd, pag. 22.

Nos Wladislaus Dei gratia rex Polonie notum facimus universis presentem litteram inspecturis et audituris, quod accedens ad nos Boguscha, filius quondam Hectoris, coram nobis ac nostris baronibus resignavit in remissionem suorum peccatorum ac progenitorum suorum omni iuri, quod habuit vel habere potuit ex paterna successione in hereditate dicta Koszuty, monasterio de Landa Ordinis Cisterciensis, privilegium, quod super eandem hereditatem habuit, domino abbati Matthie liberaliter offerendo. Nos vero monasterium predictum pio prosequentes affectu ac eius paci et tranquillitati providere volentes, resignationem prefati Bogusche presentibus confirmamus, prefatum monasterium ab interpellatione cuiuscunque super eadem hereditate deinceps absolventes, eosque, veros heredes et possessores hereditatis de Koszuty esse dicimus, sicut in privilegio, quod prefatis fratribus super eandem hereditatem dedimus, plenius continetur. Datum et actum in Pyser, anno Domini M.CCC.XXV, in die sancti Vitalis martyris, presentibus: Martino palatino Calissiensi, Alberto palatino Brestensi, Slavanta castellano Calissiensi, Wenzeslao castellano Siradiensi, et aliis quam plurimis fide dignis.

Koszuty, *Koszuty.* Landa, *Ląd.* Pyser, *Pyzdry.*

Nr. 1054.

Mathias episcopus Wladislaviens. 1325 Mai. 25, in Racczens; litteras, quas **Wlodizlaus dux Polonie 1211 Apr. 16, in Gnezna; Wladizlaus dux Polonie 1214 Aug. 10, in Gnezna;** et **Bolezlavus dux Polonie 1259 Apr. 16, in Rogosna** monasterio de Łekno dederant, transscribi facit.

Pergam. orygin. Pieczęć znikła, pozostały skrawki pergaminu, na których była przywieszona.

Kurnik. Biblioteka. Diploma Nr. 10.

Nos Mathias, divina et apostolice Sedis providencia episcopus Wladislaviensis, presentibus profitemur, nos vidisse quasdam litteras, nobis exhibitas et ostensas per discretum et religiosum virum fratrem Nicolaum, abbatem de Lukna Ordinis Cisterciensis, et coram nobis lectas audivisse, sigillorum appensione, primam domini Wlodislay quondam ducis Polonie et Zlavnici antiqui Zlavnici filii, secundam Wlodislay quondam eciam ducis Polonie, et terciam domini Boleslay similiter olim ducis Polonie et Petri roboratas; quarum prime tenor dinoscitur esse talis: (*Sequitur diploma Nr. 69*).

Item secunde talis: (*Sequitur diploma Nr. 82*).

Item tercie et ultime talis: (*Sequitur diploma Nr. 373*).

Quibus litteris visis et auditis, eas ad peticionem predicti fratris Nicolay abbatis hoc modo transscribi fecimus de verbo ad verbum, sine aliqua diminucione aut eciam addicione. In cuius rei evidenciam, presentes litteras nostri sigilli munimine duximus roborandas. Actum et datum in Racczens in vigilia Penthecostes, anno Domini millesimo CCC.XX. quinto.

Wladislaviensis, *de Włocławek.* Lukna, *Łekno.* Racczens, *Raciążek.*

Nr. 1055.

Wladislaus rex Polonie 1325 Mai. 29, in Poznania; decernit, ut kmetones de villa Dolany tributa et servitia, monasterio Ląd antiquitus debita, praestent; officialibus insuper interdicit, ne de querelis eorundem kmetonum se deinceps intromittant, sed iudicio abbatis tradant.

Włocławek. Lib. privilegior. monasterii Ląd, pag. 10.

Nos Wladislaus Dei gratia rex Polonie notum facimus universis presentem litteram inspecturis, quod kmetones de Dolany, asscripticii domus Landensis Ordinis Cisterciensis, coram nobis querimoniam deposuerunt, quod per dominum abbatem domus eiusdem iniuriis molestarentur et ad servitia indebita cogerentur. Nos igitur, volentes eis facere iusticie complementum, mandavimus privilegium fundationis coram nobis ac nostris baronibus presentari ac diligenter exponi, in quo privilegio continebatur: quod kmetones predicti de Dolani, singuli, tenentur solvere in festo sancti Michaelis de singulis mansis sexaginta manipulos siliginis, modium avene, mensuram tritici, tres urnas brasii, quinque capetia annone, metere tria plaustra feni totidemque lignorum, duos truncos de pino, per tres continuos dies cum tota familia segetes purgare, per unum diem singuli triturare, tres schitas lini dare, ac mandata fratrum dirigere. Quibus cognitis, mandavimus domino Matthie abbati domus eiusdem ac eius successoribus, ut predictos kmetones in eisdem servitiis ac tributis prenotatis conservare perpetuo debeant. Sed quia kmetones predicti de Dolany coram nobis conquesti fuerunt: quod abbas predictus et fratres sui alienassent ab eis partem hereditatis predicte de Dolany et eam Theutonicis collocassent, scilicet Wolany vel villam Gerlaci, et quod abstulissent ab eis Wartham cum piscationibus: prefatus abbas coram nobis per sua privilegia sufficienter demonstravit, quod kmetones in Warta nullum ius habebant piscandi, et quod de permissione et gratia regis Premislai villam Theutonicalem locaverat pleno iure. Quapropter, volentes paci monasterii predicti in posterum providere, mandamus nostris capitaneis, castellanis, iudicibus universis, per Poloniam substituendis, sub obtentu nostre gracie, ne quis se deinceps de iudicio et querela kmetonum predictorum intromittat, sed abbas tanquam verus dominus eos corrigat et iudicet secundum eorum demerita, secundumque in suo privilegio continetur. Et ne super his in posterum dubium oriatur, presentem litteram scribi iussimus et appensione nostri sigilli fecimus communiri. Datum et actum in Poznania anno Domini M.CCC.XXV, feria quarta infra octavam Pentecostes, presentibus nostris baronibus: Pribislao palatino Poznaniensi, Martino palatino Calissiensi,

Clemente palatino Siradiensi, Vochechone palatino Cuiaviensi, et quam pluribus aliis fide dignis.

Dolany, *Dolany.* Domus Landensis, *klasztor Ląd.* Wolany vel villa Gerlaci, *Wola Lądzka; (cnfr. Nr. 600).*

Nr. 1056.

Iohannes Pp. XXII 1325 Iun. 17, Avinione; executoribus mandat, ut Andreae de Vislicia praepositaram in ecclesia Poznaniensi conferri curent.
Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 315.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Cracoviensi, et dilectis filiis .. preposito, et Petro dicto Militi, canonico Cracoviensis ecclesie, salutem et apostolicam benedictionem. Digne agere credimus, cum illis nostre provisionis ianuam aperimus, quibus litterarum scientia, vite ac morum honestas, et alia virtutum dona laudabiliter suffragantur. Cum itaque, sicut exhibita nobis dilecti filii Andree de Wislicia, rectoris ecclesie sancti Martini de Wislicia Cracoviensis diocesis, petitio continebat, prepositura et canonicatus ac prebenda ecclesie Poznaniensis, quos quondam Phylippus Marcutii, ecclesie predicte prepositus et canonicus, in eadem ecclesia dum viveret obtinebat, per ipsius obitum, qui apud Sedem apostolicam diem clausit extremum, apud eandem sedem vacare noscantur ad presens, quorum fructus et proventus modernis temporibus ad valorem annuum octuaginta florenorum auri, ut asserit, vix ascendunt: nos volentes dicto Andree meritorum suorum obtentu, super quibus apud nos laudabiliter commendatur, gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, si est ita, preposituram, canonicatum et prebendam predictos, de quibus, si apud dictam sedem ut premittitur vacant, nullus preter nos hac vice disponere potuit neque potest, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes dignitates, personatus et officia et canonicatus ac prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica, tunc apud sedem ipsam vacantia et imposterum vacatura, collationi nostre duximus specialiter reservanda, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari, cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Andree vel procuratori suo eius nomine auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel dictum procuratorem suum eius nomine, per vos vel alium seu alios, in illorum corporalem possessionem et defendentes inductum, ac facientes eundem Andream, vel procuratorem predictum pro eo, in eadem ecclesia ad preposituram, ut est moris, admitti et ad prebendam predictas in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie assignatis, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, sibique facientes de ipsorum prepositure, canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores (*etc.*) auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus quibuscumque statutis (*etc.*), seu quod idem Andreas dictam ecclesiam sancti Martini de Wislicia noscitur obtinere, quodque sibi nuper de curata ecclesia de Igolonia dicte diocesis mandavimus per nostras certi tenoris litteras pro-

videri. Volumus autem, quod postquam idem Andreas prepositure predicte possessionem pacificam extiterit assecutus, prefatam ecclesiam de Igolonia, si adhuc eius possessionem pacificam forsitan habuit vel eam ipsum habere contingat, quamque ecclesiam nos extunc vacare decernimus, omnino dimittere teneatur (*etc.*). Datum Avinione XV Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno nono.

Igolonia, *nie odgadnione.*

Nr. 1057.

Iohannes Pp. XXII 1325 Iun. 22, Avinione; praelatis Poloniae mandat, ut decimam sexennalem pro subsidio Terrae sanctae exigant et solvant.
Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 323.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, .. archiepiscopo Gneznensi, et .. Cracoviensi, .. Wratislaviensi, .. Poznaniensi, .. Wladislaviensi, .. Plocensi, .. Lubucensi, .. Caminensi et .. Culmensi episcopis, et dilectis filiis, electis, abbatibus et prioribus etc., nec non et sancti Iohannis Ierosolimitani ac sancte Marie Theutonicorum magistris, prioribus et preceptoribus eorumque locatenentibus, per Gneznensem, Cracoviensem, Wratislaviensem, Poznaniensem, Wladislaviensem, Plocensem, Lubucensem, Caminensem et Culmensem civitates et dioceses constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Dudum felicis recordationis Clemens Papa V, predecessor noster, ad Terram sanctam pie dirigens compassionis affectum, decimam omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum, per diversas mundi partes consistentium, auctoritate apostolica in concilio Viennensi pro dicte Terre subsidio et alias contra inimicos et rebelles catholice fidei dispensandam, duxit per sex annos, eodem approbante concilio, imponendam; et licet predicta decima in diversis partibus collecta fuerit et exacta, tamen in vestris civitatibus et diocesibus, fratres archiepiscope et episcopi, certis ex causis usque nunc suspensa extitit: (ne) collectio, quam tam dicte Terre sancte necessitas quam rebellium predictorum immanitas, que plus solito invalescit, expetere noscitur, ulterius retardetur, dilectos filios magistros Andream de Verulis canonicum Wratislaviensem, scriptorem nostrum, et Petrum de Alvernhia iuris peritum, clericum Lemovicensem, apostolice Sedis nuncios, de quorum circumspectione et fidelitate confidimus, ad petendum, exigendum, colligendum et recipiendum per se ac subcollectores, deputandos ab eis in singulis civitatibus et diocesibus supradictis, a vobis et vestrum singulis per sex annos, competentibus terminis ad hoc statuendis per eos, decimam antedictam, per alias nostras certi tenoris litteras duximus deputandos. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur in Domino, vobis nichilominus per apostolica scripta districtius precipiendo mandantes, quatinus decimam memoratam de vestris redditibus et proventibus supradictis, in terminis per eosdem collectores aut eorum alterum statuendis, sine difficultatis obstaculo persolvatis. Nos enim eisdem collectoribus et cuilibet ipsorum, petendi, exigendi et recipiendi per se ac subcollectores eosdem decimam supradictam, contradictores quoque ac impedientes quoslibet et rebelles, cuiuscunque preminentie, dignitatis, Ordinis, status vel conditionis existant, etiam si pontificali vel quavis alia dignitate prefulgeant, auctoritate nostra, appellatione postposita, compellendi: non obstantibus, si vobis aut vestrum aliquibus aut

quibuscumque aliis, communiter vel divisim, a dicta sit Sede indultum, quod ad solutionem alicuius minime teneamini et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possitis per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi et toto eius tenore de verbo ad verbum, ac propriis, Ordinum, locorum et personarum vestrarum, nominibus plenam et expressam non fecerint mentionem, et quibuslibet privilegiis, indulgentiis, exemptionibus et litteris apostolicis, quibuscunque dignitatibus, Ordinibus, locis vel personis, generaliter vel specialiter, sub quacumque forma vel conceptione verborum a Sede memorata concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis, plena et expressa mentio sit habenda: plenam per alias nostras litteras concessimus potestatem. Datum Avinione X Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno nono.

Wladislaviensis, *de Włocławek.* Lubucensis, *de Lubusz, z niemiecka Lebus.* Caminensis, *de Kamień, z niem. Cammin.* Culmensis, *de Chełmno.*

Nr. 1058.

Iohannes Pp. XXII 1325 Iul. 17, Avinione; executoribus mandat, ut Dominico de Zarow, canonico Poznaniensi, decanatum dictae ecclesiae conferant. *Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 336.*

Iohannes episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri . . archiepiscopo Gneznensi, et dilectis filiis Iacobo de Mutina scolastico Tullensis, capellano nostro, ac Petro dicto Militi, canonico Cracoviensis ecclesiarum, salutem et apostolicam benedictionem. Nobilitas generis, morum decor et alia probitatis merita, quibus personam dilecti filii Dominici, nati dilecti filii Iohannis de Zarow, canonici Poznaniensis fidedignorum testimonio preditam percepimus, nos inducunt, ut ipsam prerogativa specialis favoris et gracie prosequamur. Cum itaque decanatus ecclesie Poznaniensis ex eo de iure vacare dicatur ad presens, quod dilectus filius Petrus dictus Schila, qui decanatum ipsum detinet, quoddam altare curatum in ecclesia in Templin Brandeburgensis diocesis una cum dicto decanatu tenuit, sicut adhuc tenet, annis pluribus iam elapsis, dispensatione super hoc apostolica non obtenta: nos volentes personam dicti Dominici premissorum meritorum suorum intuitu favore prosequi gratioso, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, decanatum, si ut premittitur vacat et tempore date presentium ius in eo non sit alicui alteri specialiter acquisitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Dominico, vel procuratori suo pro eo, auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum, vel dictum procuratorem suum eius nomine, per vos vel per alium seu alios in corporalem possessionem decanatus, iurium et pertinentiarum predictorum et defendentes inductum, amoto ab eo quolibet illicito detentore, ac facientes eum, vel dictum procuratorem pro ipso, ad dictum decanatum in eadem ecclesia ut est moris admitti, sibique de ipsius decanatus fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus quibuscunque statutis (*etc.*). Datum Avinione XVI Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno nono.

Zarow, *nie odgadnione.* Templin, *Templin.*

Nr. 1059.

Iohannes episcopus ecclesie Poznaniens. 1325 Aug. 6, Poznanie; ecclesiam parochialem in villa Gać fundat et parochiam ipsius instituit.

Poznań. Archiv. Consistorii. A. C. anni 1441.

In nomine Domini amen. Quoniam memoria hominum labilis est, cum homo sit labilis et mortalis, ideo inventum est scripture ministerium, ut ea que in presenti existerent hominum disparencium ordinacione, possint in posterum ad perpetuam rei memoriam liquide comprobari. Noverint igitur universi, quod nos Iohannes, Dei gracia episcopus ecclesie Poznaniensis, cupientes cultum divini nominis eviternis temporibus non minui sed augeri, ecclesiam in Gaczy nostre diocesis fundandam duximus in nomine Domini, et eidem ecclesie villas subscriptas, videlicet ipsarum villarum Gaczy cum suis adiacenciis, Woynowo, Lopuchowo, Brzeszno, Loszcun et Wlokna, nomine parrochie adiungendas, nostri ad hoc Poznaniensis consensu Capituli specialiter accedente. In cuius rei testimonium, presentes conscribi fecimus et nostri ac predicti Capituli nostri sigillorum appensione muniri. Datum Poznanie in crastino beati Dominici, anno Domini millesimo trecentesimo XX quinto, presentibus et consencientibus fratribus nostris de Capitulo, dominis Boguslao decano, Woyslao cantore, Iohanne custode, Clemente cancellario, Stephano decano Wratislaviensi, Andrea preposito sancti Spiritus, Iacobo de Srzoda, Iaskone, Nicolao, Andrea, Mathia, Paulo, canonicis nostris, et aliis.

Gaczy, *Gać.* Wojnowo, Łopuchowo, Brzeźno, Łoskuń, Włokna, *dziś tak samo.*

Nr. 1060.

Iohannes Pp. XXII 1325 Oct. 16, Avinione; abbatissae et conventui in Owińska conservatores constituit.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 349.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri . . episcopo Poznaniensi, et dilectis filiis, . . Wratislaviensis ac . . sancte Crucis prope Wratislaviam ecclesiarum prepositis, salutem et apostolicam benedictionem. Militanti Ecclesie licet immeriti, disponente Domino, presidentes, circa curam ecclesiarum et monasteriorum omnium solertia reddimur indefessa soliciti, ut iuxta debitum pastoralis officii eorum occurramus dispendiis, et profectibus, divina cooperante clementia, salubriter intendamus. Sane dilectarum in Christo filiarum abbatisse et conventus monasterii in Ovenz Cisterciensis Ordinis, Poznaniensis diocesis, conquestione percepimus, quod nonnulli venerabiles fratres nostri, archiepiscopi et episcopi ceterique ecclesiarum prelati ac clerici, ecclesiasticeque persone tam religiose quam etiam seculares, nec non duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites, communia civitatum, universitates, castrorum, villarum et aliorum locorum iudices, baiuli, officiales, advocati et eorum ministri, ac alie singulares persone tam ipsorum quam vicinarum et aliarum partium, in quibus dictum monasterium nec non prioratus, grangie, domus et

alia loca et membra, eisdem abbatisse et monasterio ac conventui in Ovenz subiecta, consistere dinoscuntur, occuparunt et occupari fecerunt ecclesias, capellas, grangias, castra, villas, casalia et alia loca, terras, domos, mayneria, vineas, ortos, prata, pascua, nemora, molendina, piscarias, possessiones, dominia, iura et iurisdictiones, ac pecuniarum summas, necnon pensiones, decimas, obedientias, legata sive relicta, fructus, census, redditus et proventus eorumdem et nonnullas alias res, et bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia, ad dictos abbatissam et conventum ac monasterium spectantia, et ea detinent indebite occupata, seu eadem detinentibus prestant auxilium, consilium et favorem; nonnulli etiam civitatum et diocesium ac partium predictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, eisdem abbatisse et conventui ac monasterio, in predictis ecclesiis, capellis, grangiis, castris, villis, terris, domibus, mayneriis, casalibus, vineis, ortis, pratis, pascuis, nemoribus, molendinis, piscariis, possessionibus, dominiis, locis, iuribus et iurisdictionibus, ac pecuniarum summis, pensionibus, decimis, obedientiis, legatis sive relictis, fructibus, censibus, redditibus, proventibus et bonis aliis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ac aliis rebus, ad abbatissam et conventum ac monasterium predictos spectantibus, multiplices molestias et iniurias inferunt et iacturas; quare prefate abbatissa et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut cum valde difficile reddatur eisdem, pro singulis querelis ad apostolicam Sedem habere recursum, providere sibi super hiis paterna diligentia dignaremur. Nos igitur adversus occupatores, detentores, presumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eis remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas et aliis aditus committendi similia precludatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, etiam si sint extra loca in quibus deputati estis conservatores et iudices, eisdem abbatisse et conventui ac monasterio efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eosdem super hiis et quibuslibet aliis bonis et iuribus, ad abbatissam et conventum ac monasterium eosdem spectantibus, ab eisdem vel quibuscumque aliis indebite molestari, vel sibi gravamina seu dampna vel iniurias irrogari; facturi eisdem abbatisse et conventui ac monasterio, cum ab eis vel eorum procuratore seu procuratoribus fueritis requisiti, de predictis et aliis personis quibuslibet, super restitutione ecclesiarum, capellarum, castrorum, villarum, grangiarum, casalium, terrarum, domorum, possessionum, vinearum, pratorum, pascuorum, piscariarum, nemorum, molendinorum, censuum, dominiorum, iurium, iurisdictionum, pecuniarum summarum, decimarum, obedientiarum, legatorum sive relictorum, reddituum quoque, fructuum et proventuum et aliorum quoruncunque bonorum et rerum mobilium et immobilium, nec non et de quibuslibet molestiis, iniuriis atque dampnis, presentibus et futuris, sibi tam in personis quam bonis predictis illatis et etiam inferendis, in hiis videlicet que iudicialem requirunt indaginem, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit, iusticie complementum; occupatores seu detentores, molestatores, presumptores, et iniuratores huiusmodi, nec non contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, ordinis vel condicionis, etiam si archiepiscopalis vel episcopalis dignitatis extiterint, quandocumque et quotienscumque expedierit, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii Pape VIII, predecessoris nostri, in quibus cavetur: ne aliquis extra suam civitatem seu diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam

a fine sue diocesis ad iudicium evocetur; seu ne iudices et conservatores a Sede deputati predicta, extra civitatem seu diocesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant; sive quod de aliis quam de manifestis iniuriis et molestiis, aliis, que iudicialem indaginem exigunt, penis in eos, si secus egerint, et in id procurantes adiectis, conservatores se nullatenus intromittant, dummodo ultra duas dietas aliquis extra suam civitatem seu diocesim auctoritate presentium ad iudicium non trahatur: quam aliis quibuscumque constitutionibus, a predecessoribus nostris Romanis pontificibus, quam de iudicibus delegatis et conservatoribus: quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis: et aliis editis que vestre possent in hac parte iurisdictioni ac potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare; seu in aliquibus, comuniter vel divisim, a prefata sit Sede indultum: quod excomunicari, suspendi vel interdici, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, et eorum personis, locis, Ordinibus et nominibus propriis mentionem: et qualibet alia prefate Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam, presentibus non expressam vel totaliter non insertam, vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus; quodque a data presentium, sit vobis et unicuique vestrum (licitum), in premissis omnibus et eorum singulis, ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, ac in predictis et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent, et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis, per citationem vel modum alium perpetuata legitimum, extitisset, constitutione predicta super conservatoribus, et alia qualibet in contrarium edita, non obstante; presentibus post quinquennium minime valituris. Datum Avinione XVII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno decimo.

Ovenz, *Owińska.*

Nr. 1061.

Ianislaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1326 Febr. 19, Uneovia; edit Statuta synodalia, per ecclesiam Poloniae observanda.

Transsumpt potwierdzony przez: Iaroslaus sancte Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1357 Ian. 10, in Kalis.

Helcel. Starodawne prawa Polsk. pomniki, I, p. 397.

Incipiunt constituciones domini Ianislai, olim archiepiscopi Gneznensis. Ianislaus, divina et apostolice Sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, ad perpetuam rei memoriam. Humane condicionis effrenis cupiditas, quamquam prophetarum ac sanctorum patrum legibus, non tam mirifice quam provide divinitus promulgatis, sub equitatis et iusticie regula sit constricta, ad peiora tamen semper

proclivior, viciorum fomentis, veluti vitis inutilis et acerba, ultro citroque radicitus circumducta, palmites sue cupiditatis in altum lateque protendere mollitur ad vetita, nisi severitatis et animadversionis sarculo precidatur. Ideoque in partem sollicitudinis, licet immeriti, Deo propicio vocati, assidua meditacione urgemur et curis innumeris angimur supra modum, ut iuxta credite nobis dispensacionis officium, una cum fratribus nostris, qui utique nobiscum pastoralis solercie honera efficaciter parciuntur, subditorum commodis et quieti, quantum nobis ex alto concessum extiterit, intendamus. In ipsorum etenim quiete quiescimus, pace letamur, scandalis atterimur, et inpedimento permaxime inpedimur. Propter quod censuimus expedire, ne absque medicamentis novis novi morbi pestifere ac gravius intumescant, contra huiuscemodi inordinatos et noxios appetitus, aliqua sub brevitate, ad correccionem morum et quietem subditorum, per que humana coherceatur audacia et tuta sit inter inprobos innocencia, quodque metu pene, mali boni, et boni meliores spe premiorum efficiantur, communi necessitate et utilitate suadentibus, de consilio et consensu venerabilium fratrum nostrorum, videlicet Nankeri Cracoviensis, Floriani Plocensis, Mathie Wladislaviensis, et Iohannis Posnaniensis episcoporum conprovincialium, ac nunciorum et procuratorum Wratislaviensis et Lubucensis Capitulorum tociusque sinodi approbacione, in Uneovia sub anno Domini MCCCXX sexto, XI Kalendas Marcii per nos cum eisdem fratribus celebrate, duximus statuenda.

Constitucio de vita et honestate clericorum, quatenus in conspectu Dei puro corde et mundo corpore Sacramenta ecclesiastica valeant ministrare. Cum divinis cultibus mancipandi tales esse debeant qui digne possint tractare dominica Sacramenta, ideoque statuimus et hortamur in Domino, ut clerici a vita wlgari seclusi, a mundi voluptatibus et deliciis lubricis, crapula et ebrietate, prorsus abstineant, non spectaculis nec pompis intersint, ioculatoribus, ystrionibus, goliardis et buffonibus non intendant, nullaque eis, sub pena excommunicacionis, dona tribuant, turpium lucrorum occupaciones fraudisque cuiusvis studium non appetant, amorem pecunie, quasi cunctorum materiam criminum fugiant, secularia officia et negocia abnuant, honoris gradum per ambicionem non querant, et se in officiis ecclesiasticis et aliis bonis studiis exerceant diligenter, doctrine, leccionibus, psalmis, ymnis, canticis et aliis divinis laudibus iugiter incumbant, pro beneficiis medicine Dei munera non capiant, dolos et coniuraciones caveant, odium, emulaciones, obtrectacionem atque invidiam fugiant, non vagis oculis, unde qualitas cordis designatur, non petulanti fluidoque gestu incedant, sed pudorem ac verecundiam mentis simplici habitu pudicoque incessu ostentent, non lingua effreni vocibus perstrepent, sed mitissima verborum prolacione utantur, coronam, tonsuram, et vestes deferant suo proposito congruentes, feminarum suspectarum frequentaciones et cohabitaciones fugiant, castimoniam quoque inviolati corporis perpetuo conservare studeant; sollicite sathagentes, ut in se ostentent splendorem pietatis ac virtutum graciam renitentem, per quod bene vivendi doctrinam populis administrent.

Qui impedit homines transeuntes ad bona ecclesie de bonis militum, excommunicatus est ipso facto. Licet sacrorum canonum provisione utiliter sit statutum: quod omnes, qui contra libertatem ecclesiasticam vel utilitatem Ecclesie aliqua presumunt condere statuta, excommunicacionis sint ipso facto sentencia innodati: tamen quia nichil prodest esse iura in civitate nisi sit qui ea tueatur, statuimus, ut quicunque iuxta statutum, quod ex pravitate pocius quam ex equitate in terris Polonie introductum est, homines libere condicionis, de bonis quibuscunque ad bona ecclesie trans-

ire volentes, bonis eorum spoliare aut aliqualiter presumpserit inpedire: cum ipso facto excommunicatus existat si commonitus ablata que abstulit non restituerit, vel ab impedimento huiusmodi cessare noluerit infra certum terminum, sibi per dyocesanum episcopum statuendum: excommunicatus publice authoritate eiusdem dyocesani tamdiu debeat nunciari, donec ablata restituat, et ab impedimento, quod prestitit, resipiscat.

Quamvis in omnibus peragendis causis et negociis procurator legittime constitutus personam sui domini representet, tamen potestates et iudices seculares, in causis quarum cognicio ad ipsos pertinet, prelatorum ecclesie et aliarum personarum ecclesiasticarum, ac ipsarum ecclesiarum, Capitulorum, collegiorum, conventuum seu monasteriorum procuratores, per litteras authenticas sufficientissime constitutos, agere coram ipsis vel defendere non admittunt, iuris beneficium et defensionis copiam predictis omnibus iniuste et indebite auferentes, et nichilominus principales personas, talium procuratorum presencia, defensione seu contradicione non obstantibus, pronunciant contumaces proque contumacia huiusmodi interdum condempnant, vel absolvunt hos contra quos fuerat accio dirigenda; nos itaque talibus abusibus viam precludere cupientes statuimus: quod quecumque potestates seu iudices seculares, procuratoribus, modo superius pretacto constitutis, non admissis in causis de quibus cognoscere possunt, in preiudicium dictorum ecclesie prelatorum, aut ecclesiarum personarumve ecclesiasticarum, Capitulorum, collegiorum, conventuum seu monasteriorum deinceps processerint, ad dampna et interesse, iuramento eius cui iniuriam fecerint declaranda, virtute presentis constitucionis teneantur, de quibus nisi infra mensem satisfecerint ex integro, maioris excommunicacionis sentencie subiaceant ipso facto, et sentencia, si quam protulerint, sit irrita et inanis: cum contumax dici non possit, qui per procuratorem sufficientem in iudicio conparuit ut debebat. Is autem pro quo lata fuerit huiusmodi sentencia, si sentencia dici potest, si ea uti voluerit res sibi sic adiudicatas occupando, excommunicacionis sentencie se noverit subiacere, donec ab huiusmodi occupacione temeraria resipiscat.

Quia nonnuli seculares iudices, terminos proprie iurisdicionis transgredientes, nec advertentes, quod nemo debeat falcem suam in messem mittere alienam, homines degentes in bonis ecclesie, in preiudicium ipsarum ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum ad sua iudicia pertrahere, et penam, nisi paruerint, infligere non verentur, ideoque censuimus statuendum: quod nulli secularium principum iudices, procuratores seu officiales quicunque, habitantes in bonis ecclesiarum ad sua iudicia pertrahant seu iudicent invitos, aut penas ex causa quacunque infligant eisdem, sentenciam maioris excommunicacionis, si secus presumpserint, ipso facto, nisi ab hiis cum effectu destiterint et infra unius mensis spacium sic exacta restituerint, incursuri, quod ad eos qui ipsos pertrahi seu citari procuraverint duximus extendendum, sentencieque eorum, si quas protulerint, viribus non subsistant. Quod si habitatores predictos captivaverint ut eorum pareant iudicio, locus in quo tenebuntur, ecclesiastico tamdiu donec illos de ipsa captivitate dimiserint subiaceat interdicto.

Quia per experienciam, que est rerum magistra, veraciter didicimus, quod plerique iniqui, salutis proprie obliti, avaricie cecitate vel gule fervore, aut alias gracia, favore, odio, precio vel timore seducti, veteres limites seu terminos, et precipue in bonis, possessionibus seu hereditatibus ecclesie, in suarum animarum detrimentum subprimunt, et alios novos, non sine salutis sue periculo, mendaciter confingere non formidant; nos huic pesti in quantum possumus occurere cupientes, presentis appro-

bacione concilii statuimus: ut quicunque de cetero veteres limites seu terminos, et maxime bonorum seu possessionum ecclesie, destruere, subprimere, aut novos confingere, vel sic confictis uti presumpserit, ipso facto excommunicatus existat, nec ab excommunicacione huiusmodi absolvi debeat, donec sic nequiter facta, quantum in eo fuerit, revocet, et hac occasione occupata, restitucione debita corrigat et emendet.

Statuimus, ne potestates seculares aut officiales vel iusticiarii, quocunque nomine censeantur, per se vel per alios hominibus degentibus in bonis ecclesie tallias, exacciones in pecuniis, pecoribus, pecudibus seu frumentis, et alia honera seu gravamina, utpote in edificacione castrorum vel civitatum, contra libertatem ipsius Ecclesie et iura canonica imponant, aut imposita exigant ab eisdem: alioquin contrafacientes, eo ipso, presentis concilii approbacione, maioris excommunicacionis vinculo innodamus.

Cum ad ministrorum Ecclesie sustentacionem et subvencionem egenorum, sint proventus et res ecclesiastice deputate, prohibemus, ut nulli cum turba vel exercitu in bonis et villis ecclesie, que utique absque gravi dispendio ecclesiarum et inibi habitancium destruccione non modica nequaquam fieri possunt, faciant staciones: alioquin principales persone turbarum et exercituum predictorum, ipso facto sentenciam maioris excommunicacionis incurrant, et loca, civitates, castra, districtus et opida quibus presunt, tamdiu, donec satisfecerint, ecclesiastico subiaceant interdicto.

Cum facientes et consencientes par debeat pena constringere, et hos, qui consilium, auxilium et favorem aliquibus inpendunt, eis non sit dubium consentire, statuimus et sub anathematis interminacione firmiter prohibemus: ne aliqui clerici et persone ecclesiastice aut eciam laici, secularibus principibus seu potestatibus aut aliis quibuscunque consilium, auxilium, et favorem inpendant in dampnum vel contra libertatem Ecclesie, per se vel per alium, publice vel occulte. Si quis vero obstinacione dampnali id facere presumpserit, excommunicacionis sentenciam incurrat, et ad dampna et interesse, que ex huiusmodi consilio, auxilio, et favore ecclesia pertulerit, ipsi ecclesie teneatur: de quibus nisi infra duos menses iidem clerici satisfecerint, ecclesiasticis beneficiis, si que obtinent, eo ipso privati sint, et inabiles ad alia assequenda; laici autem tamdiu sint et maneant ac denuncientur publice excommunicati, donec de predictis satisfaccionem condignam inpendant. Porro, quia advocatos suis clientulis consilium inpendere dubium non existit, huic constitucioni adiicimus, quod nulli advocati, clerici vel laici, causas manifeste iniustas presumant assumere contra ecclesias, vel cuipiam patrocinium exibere: quod si secus fecerint, sint excommunicati ipso facto.

Quamvis per sacrorum canonum instituta sit provide et salubriter institutum, quod clericus clericum ad iudicium non debeat pertrahere seculare, alioquin in causa criminali locum suum amittat, in civili vero causam perdat, si locum suum maluerit obtinere; quia tamen solet plus timeri quod specialiter iniungitur quam quod generaliter imperatur, statuimus et irrefragabiliter observari mandamus: ut nullus clericus clericum, cuiuscunque condicionis, preeminencie aut status existat, in qualicunque causa, criminali vel civili, super rebus mobilibus vel immobilibus, quas clericus conventus ab ecclesia possidet, ad seculare iudicium trahere seu citare presumat. Si quis autem ausu temerario hoc facere presumpserit, tamquam proprii et clericalis honoris persecutor ac iudicii ecclesiastici inprobus contemptor, ultra penas predictas a canonibus inflictas, excommunicacionis sentencie ipso facto se noverit subiacere. Simili pena excommunicacionis omnes clericos et laicos decernimus constringi, qui hominem ecclesie coram dicto seculari iudicio presumpserit, contempto ecclesiastico

iudice, convenire: cum res et homines seu mancipia clericorum eodem fori privilegio gaudeant, quo gaudere ipsi clerici dinoscuntur.

Cum bona decedencium clericorum in usus ecclesie seu ecclesiarum, quarum fuerunt ipsi clerici, converti vel futuris successoribus de iure debeant reservari, decernimus statuendo, quod nullus patronus, clericus vel laicus, vel quivis alius, res seu bona rectorum ecclesiarum seu quorumlibet clericorum, vivorum aut decedencium, occupare, rapere, vel in usus suos convertere presumat: qui autem id ceca cupiditate repertus fuerit peregisse, excommunicacionis vinculo ipso facto se noverit innodatum.

Statuimus, ut locus, ad quem clericorum vel ecclesiarum res, seu habitancium in bonis et villis eorundem, ablate seu accepte per violenciam deducuntur, donec sic ablata restituantur vel satisfactum fuerit de eisdem, ecclesiastico subiaceant interdicto. Quod si inibi ecclesia non fuerit, tunc illa, in qua, (qui) dampnum dedit huiusmodi, iuspatronatus obtinet, usque ad satisfaccionem condignam remaneat interdicta.

Cum is, qui potest suo vicino vel proximo pro sua repellenda iniuria suum auxilium impertiri, si id non faciat, precipue ab ipso requisitus, videatur iniuriantem fovere ac esse particeps eius culpe, et excommunicatus in una ecclesia, in aliis ecclesiis pro excommunicato debeat haberi, cum sit una Ecclesia per orbem diffusa, statuimus: ut si nos aut aliquis fratrum seu episcoporum aut suffraganeorum nostrorum quempiam, eciam in alia dyocesi constitutum, pro suis excessibus, pro defensione iurium sue ecclesie, servato iuris ordine, canonica monicione premissa, auctoritate ordinaria aut delegata, seu laudi virtute, excommunicacionis sentencia duxerimus innodandum, vel locum illius excommunicati, qui fuerit culpabilis, subposuerimus ecclesiastico interdicto, omnes episcopi, et precipue ille in cuius dyocesi sic excommunicatus commoratur, eum pro excommunicato habere debeant, et ad requisicionem excommunicatoris, ipsum faciant in ecclesiis kathedralibus, collegiatis et parrochialibus, per suos subditos excommunicatum publice nunciari, et usque ad satisfaccionem condignam a Christi fidelibus in participacione qualibet evitari, ipsique subditi id teneantur exequi diligenter. Quod si quispiam in hiis exequendis negligens repertus fuerit aut remissus, episcopi, suspensionis ab ingressu ecclesie, eorum vero subditi, excommunicacionis incurrant sentencias ipso facto.

Cum iuxta sacrorum canonum statuta non liceat alicui cum excommunicato orare, loqui, nisi que ad eandem excommunicacionem pertinent, aut vesci; alias, si quis cum eo palam aut absconse fuerit locutus, statim cum eo communem, id est minorem, excommunicacionis contrahit penam, statuimus: ut nullus excommunicatus iudex iudicare, aut actor coram excommunicato iudice agere, vel reus respondere quoquomodo presumat, et iudex secularis, in curiis et iudiciis quibuscunque, excommunicatos ab agendo, patrocinando et testificando repellere teneatur. Quod si quispiam iudex excommunicatus iudicare presumpserit, ad arbitrium excommunicatoris debita pena mulktetur, ecclesie, cuius claves contempserit, persolvenda. Iudex vero non excommunicatus, qui excommunicatum actorem ad agendum, patronum ad patrocinandum, et testem ad testificandum scienter admiserit, excommunicacionis incurrat sentenciam ipso facto.

Quia quorundam perversorum, claves Ecclesie contempnencium, in tantum excrevit temeritas, ut per eorum obstinatam maliciam Ecclesie videatur authoritas villipendi, cum excommunicacionis sentenciam, in se pro manifestis et notoriis causis racionabiliter prolatam, in suarum animarum periculum et plurimorum scandalum

animo sustinent pertinaci, non attendentes, quod tanto sunt graviora peccata, quanto diucius infelicem animam detinent alligatam; propter quod huic morbo necessariam quantum possumus volentes adhibere medelam statuimus: ut quicunque excommunicacionis sentenciam, ex iusta causa modo predicto in se prolatam, infra spacium sex mensium, a die prolate in eum sentencie conputandum, animo sustinuerit indurato, ad arbitrium excommunicatoris pro huiusmodi pertinacia puniatur. Si vero in ea infra spacium unius anni obstinacione dampnabili presumpserit perdurare, anno elapso, dominus ipsius temporalis bona eius mobilia teneatur confiscare, ea in usus proprios convertendo, et de eis illi, pro quo fuit sentencia ipsa lata, satisfaciendo. Quod si dominus ipse in hiis exequendis negligens inventus fuerit aut remissus, ad id exequendum, per loci dyocesanum censura ecclesiastica conpellatur.

Quoniam, sicut ad decepcionem, nonnunquam angelus sathane in lucis angelum transformatur, sic profecto ad defuscacionem ymaginis paterne substancie, creatura racionalis, in qua divine operacionis effigies per graciam dinoscitur elucere, assumere censetur formas spirituum immundorum. Statuimus igitur: ut nulli omnino clerici vel laici, induti monstris larvarum, ecclesias aut cimitheria ipsarum ingredi presumant, presertim dum in illis divina officia peraguntur; cum per huiusmodi ludibriorum spectacula, et fervor devocionis tepescat, et honestas ecclesie et decor clericalis ordinis inquinetur; decernentes clericos quoslibet et laicos, monstruosas et detestabiles ymagines huiusmodi deferentes, ipso facto excommunicacionis sentencie subiacere, ab illa, nisi penituerint, nullatenus absolvendos. Addicimus insuper, quod clerici seu laici, ludos supersticiosos iuxta quorundam locorum abusum in processionibus ecclesiarum ante Natale Domini exercentes, eo ipso pena simili sint constricti.

Veteris testamenti serie ac sacrorum canonum sanccionibus attestantibus, Deus in signum universalis dominii sibi decimas reddi precepit, suas esse decimas et primicias asseverans atque monens et precipiens, ut deferantur decime in horrea sua, hoc est in thesauros templi, ut habeant sacerdotes atque Levite, qui sibi ministrant, cibos, non sibi, sed nobis sine dubio profuturos. Hoc tamen quidam principes, seu capithanei, procuratores ac officiales eorum et alii milites et temporales domini, minime attendentes, decimas, ecclesiis ac ministris ecclesiarum debitas, Dei timore postposito occupant, aut per suos subditos occupari mandant vel mandari procurant, et alii eciam inpedimentum prestant, ne clerici aut procuratores eorum decimas sibi debitas pro sua voluntate cui maluerint vendere valeant, eas in suis villis locari, ac per homines suos qui ad eas dandas teneantur, conduci indebite prohibentes. Huiusmodi igitur temerariis abusibus adhibere medelam quantum possumus cupientes, statuimus et prohibemus: ne aliqui principes, qualicumque dignitate seu honoris prerogativa prefulgentes, ac capitanei et procuratores seu officiales eorum vel milites et quicunque domini alii temporales, decimas de cetero occupent seu occupari mandent, vel liberam vendicionem decimarum inpediant, aut eas in suis villis locari, vel per homines suos duci prohibere presumant. Quod si aliqui deinceps predicta vel aliquod eorum presumpserint attemptare, excommunicacionis incurrant sentenciam ipso facto; et nichilominus terre, civitates et districtus huiusmodi principum et quibus presunt capitanei et officiales predicti, opida quoque et ville militum et aliorum temporalium dominorum, si huiusmodi excessus infra spacium unius mensis non curaverint emendare ab huiusmodi inpedimentis desistendo, ipso facto ecclesiastico subiaceant interdicto.

Cum ius ecclesiasticum, et precipue solucio decimarum Deo debita, quas ipsė clėricis exibendas pro suo cultu concessit, diminui non debeat qualibet malicia seu fraude excogitata, sed pocius augmentari, ne officium divini cultus, propter quod beneficium ecclesiasticum et decime ipse dantur, obmittatur, statuimus: ut si milites seu heredes ac temporales domini aliquarum possessionum, quorum maiores libere ad quam volebant ecclesiam decimam solvebant ex privilegio militali, multiplicari contingat, senior aut unus eorum eam libere solvat, alii omnes et singuli, ecclesie seu prebende cui decima illius hereditatis seu possessionis ascripta est, ipsam solvere teneantur; ne, si quilibet eorum eam libere solveret, ius ecclesie seu prebende ipsius ac cultum divinum propter hoc contingeret absorberi. Adiicimus insuper, quod milites seu heredes huiusmodi, quibus privilegium hoc conpetit (ut) dent ecclesie cui volunt, eam ipsi ecclesie decimam, tali videlicet in quam cadit percepcio decimarum, integre solvant, nichil de ea suis usibus applicando. Quod si quispiam repertus fuerit aliquid de ipsa pro se retinuisse fraudulenter, privilegium perdat; cum privilegium mereatur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Porro, si acciderit, quod possessio seu hereditas, quam miles tenebat decimam de ea libere solvendo, in inferioris persone tytulo empcionis, vendicionis, permutacionis, donacionis seu quocunque alio, dominium perveniret, persona huiusmodi decimam solvat ecclesie seu prebende, cui ipsius hereditatis seu possessionis decima est ascripta. E contra vero, si miles aliquis, gaudens privilegio huiusmodi militali, possessionem seu hereditatem aliquam, in qua persone inferiores residebant decimam ecclesie seu prebende alicui ex debito solvendo, tytulorum predictorum aliquo assequatur, decimam illuc teneatur solvere, ubi eam persone huiusmodi hactenus persolverunt; cum res transire cum suo honere dinoscantur.

Precipimus, quod statutum felicis recordacionis domini Iacobi quondam Gneznensis archiepiscopi, nostri predecessoris: De non recipiendis alienigenis in provincia Polonie ad beneficia ecclesiarum curam animarum habencia, et magistris ad regimen scolarum non assumendis, nisi linguam Polonicam sciant, cum inibi se nequeant utiliter exercere: ab omnibus inviolabiliter observetur; alioquin, ad quos institucio seu disposicio pertinet eorundem, si contravenerint, ingressum ecclesie fore sibi noverint interdictum.

Cum inter opera tenebrarum apostolus ebrietatem connumerans, ab illa, que utique omne bonum opus dissolvit mentisque inducit exilium ac libidinis provocat incentivum, filios lucis precipiat abstinere; ideoque statuimus: ut omnes Christi fideles, clerici et laici, presertim in sacris ordinibus constituti, a crapula et ebrietate abstineant diligenter, nec thabernas absque causa racionabili frequentare, aut ad equales potus quenquam invitare vel pocius incitare, aut se obligare presumant. Alioquin, si secus egerint, si clerici sint et ex ebrietate huiusmodi aliqua fecerint que non conveniant honestati modestie clericalis, per superiorem ad quem pertinet talium correccio pena trium marcarum usualis pecunie mulktentur, et nichilominus penis aliis spiritualibus, prout facti qualitas suaserit, castigentur; qui si non fuerint in solvendo, in arto loco per unum mensem ad peragendam penitenciam detrudantur. Laicis vero, in foro penitencie pro huiusmodi inordinata ingluvie iniungatur penitencia salutaris, super quo confessorum audiencium consciencias honeramus.

Prohibemus, ne apostate vel cuiusvis religionis professores, habitum sui Ordinis inmutantes, cum ex eo excommunicacionis dinoscantur sentenciam contraxisse, ad ecclesias regendas vel earum vicarias aliquatenus admittantur.

Ad nostram audienciam ex insinuacione clamosa pervenit, quod nonnulli ecclesiarum prelati et alie persone ecclesiastice, ad quas de iure vel de consuetudine visitacionis officium dignoscitur pertinere, sue cupiditatis laxantes habenas, a locis visitatis procuracionem sumptuosam, per quam victus longi temporis brevi hora consumitur, vel pro ipsa procuracione pecuniam a nolentibus, et a locis non visitatis procuracionem nullo modo eis debitam, dumque una die plura loca visitaverint, plures procuraciones, cum eis unica et sola pro die illa in qua spiritualia seminaverint tantummodo debeatur, petere et exigere non verentur contra sacrorum canonum sanccciones; que, si ad votum eorum prestita non fuerint, contra personas ecclesiasticas et ecclesias et loca alia sentencias iniuste fulminant et promulgant. Nos huiusmodi ausis temerariis viam precludere cupientes, quamvis eo ipso penas inciderint a iure inflictas, sentencias quas ob hoc protulerint, approbacione presentis concilii fore decrevimus irritas et inanes.

Cum per conpaternitates, que plerunque per inportunitatem petencium, et precipue potentum, a clericis extorquentur, res ecclesie inaniter diminui et inutiliter contingat expendi, que pocius ad utilitatem ecclesie converti aut ex eis pauperum deberet necessitatibus provideri, statuimus et sub excommunicacionis pena firmiter prohibemus: quod nullus clericus, cuiuscunque gradus, condicionis, aut status existat, conpater cuiuspiam, nisi regibus et principibus, de cetero fieri presumat; per dictam penam et alias, ad arbitrium sui superioris, si contrarium facere presumpserit puniendus.

Quia res ecclesie, et precipue predia seu possessiones, absque solempnitate debita, in sacris canonibus constituta, alienari neque debent neque possint, presentis approbacione concilii statuimus, quod nullus clericus secularis vel regularis, et precipue abbas seu prepositus, aliqua predia seu possessiones sue ecclesie seu monasterii, absque consensu dyocesani, et maxime in personam laici, quocunque tytulo alienare presumat. Quod si presumpcione dampnabili hoc fecerit, factum suum irritum et nullius momenti habeatur; ipse vero, tamquam vinee Domini cultor inutilis, ab aministracione sua, quam sic nequiter gessit, suis exigentibus demeritis debeat ammoveri, aliusque in locum eius, qui utilius gerat negocia ecclesie, per eos ad quos spectat eleccio eligatur. Concessa vero per eos vel eorum predecessores, a personis laicis infra annum, sub pena premissa, cum effectu, quantum in eis fuerit studeant revocare.

Cum turpis sit pars que suo non congruit universo, et quidam scoltheti, vicinis seu villanis eorum in eadem villa decimas absque contradiccione solventibus, ipsi eas minus racionabiliter solvere contradicunt, statuimus igitur: quod scoltheti huiusmodi suis vicinis seu villanis equales esse debeant in solucione decimarum, nisi aliquo sint muniti privilegio speciali: quod si racionabiliter eis concessum extiterit, inviolabiliter observetur.

Statuimus, quod violatores et transgressores harum nostrarum constitucionum, vel hii qui ad requisicionem passorum iniurias, dum de hoc constiterit, ipsas exequi contempserint aut non curaverint, pena synodali, quam trium marcarum et excommunicacionis ferende fore presentis approbacione concilii declaramus, per suos superiores puniantur. Quas in omnibus ecclesiis nostre provincie, kathedralibus, colle-

giatis et aliis quibuscunque, infra sex mensium spacium parietibus affigi precipimus, ne pretextu ignorancie ab observacione earum quispiam valeat excusari.

Scripte sunt in die sancte Trinitatis in . . Zneiina.

Zneiina, *Żnin.*

Nr. 1062.

Henricus dux Silesie et dominus Glogovie 1326 Mart. 15, Glogovie; confirmat donationem quinque mansorum in villa Przyczyna, a Lutoldo de Malewice monasterio de Wieleń factam.

Poznań. Königl. Staats Arch. Fraustadt, Liber privil. pars 2da, fol. 1.

In nomine Domini amen. Cum, secundum ius et approbatam consuetudinem, ultimas ac pias voluntates parentum teneantur heredes fideliter adimplere, cum nichil est quod magis deceat hominibus, quam ut supreme voluntatis liber sit stylus, eapropter nos Henricus, Dei gracia dux Silesie et dominus Glogovie, ad noticiam universorum cupimus pervenire, quod cum Lutoldus miles de Malewitz in extremis eger, de anime sue salute cogitans ut decebat, et quinque mansos in villa Przyczyny positos, sita iuxta civitatem Frovenstadt, quorum mansorum Weleylinus et Maranus, fratres de Cedelitz, tres mansos, Guncelinus de Triwny unum mansum, Hermanus de Wellersdorf unum mansum possident, in remedium ipsius anime monasterio sancte Marie in Felen monachorum Cisterciensium legaret humiliter et devote, Lutoldus heres ipsius, volens, ut debuit, ultimam sui patris voluntatem cum fidei constancia adimplere, in nostra constitutus presencia dictos quinque mansos eidem monasterio coram nobis liberaliter resignavit. Nos quidem eandem resignacionem gratam et ratam habentes, sepedictos mansos prefato monasterio contulimus, ab ipso et fratribus qui ibidem pro tempore fuerint iure proprietatis in perpetuum possidendos. In cuius rei testimonium, presentibus nostrum sigillum duximus appendendum. Actum et datum Glogovie anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo sexto, Idibus Martii, presentibus: domino Iordano plebano in Frovenstadt, Iohanne Unru, Guntero de Deir, Schibcone Grelle, Swatone, militibus nostris, Iohanne de Panewitz, Nicolao de Sandvel nostro prothonotario, et aliis pluribus fidedignis.

Malewitz, *Mallwitz.* Przyczyny, *Przyczyna.* Frovenstadt, *Wschowa.* Cedelitz, *z niemiecka, zam. Świdnica.* Triwny, *nie odgadnione.* Wellersdorf, *dziś t. s.* Felen, *Wieleń.* Sandvel, *Sandelwalde.*

Nr. 1063.

Henricus dux Slesie et dominus Glogovie 1326 Apr. 1, Glogovie; confirmat donationem villae Nowe Kramsko, quam b. m. Czulcho de Lasocice, et villae Stare Kramsko, quam filius praedicti militis, dictus Miron, monasterio de Obra fecerant.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscript. Posnaniens. a. 1547 fol. 357.

In nomine Domini amen. Licet principatus nostri excellenciam ad universos et singulos dextram sue liberalitatis deceat extendere, in illos tamen pocius sue pie-

tatis debet dulcedinem effundere, qui contempta huius seculi vanitate, divino se student adaptare servicio et Deo iugiter in sinceritate mentis et corporis famulari. Nos itaque Henricus, Dei gracia dux Slesie et dominus Glogovie, ad noticiam universorum cupimus pervenire, quod cum Czulcho, miles noster de Lessotendorf, in extremis agens et tanquam Deo devotus partem suam in villa dicta nomine Crampzko, prout in suis terminis et metis est distincta, videlicet agris, pratis, pascuis, paludibus, silvis, rubetis, molendinis, melificiis, lacubus, aquis, et omnibus suis attinenciis, de consensu et bona voluntate Mironis, Andane et aliorum heredum suorum monasterio monachorum Cisterciensium in Obra legaret seu testamenti nominis assignaret, dicti heredes sui, Miron et Andane, in nostra constituti presencia, cupientes, prout non solum ex laudabili et approbata consuetudine, verum eciam ex iuris debito tenebantur, piam ac ultimam dicti patris eorum voluntatem diligencius adimplere, dictam partem in villa Novum Crampzko nuncupata, cum omnibus suis attinenciis curaverunt eidem monasterio devote, humiliter ac liberaliter resignare. Nos quidem eandem resignacionem gratam et ratam habentes, sepedictam partem prefato monasterio contulimus, ab ipso nec non monachis qui ibidem pro tempore fuerint iure proprietatis in perpetuum possidendam. Preterea dictus Miron, eiusdem Czulconis bone memorie heres et filius, ob specialem devocionem quam ad id gessit monasterium, sanus mente et corpore, villam suam dictam Antiquum Crampzko, prout in suis terminis est posita, videlicet agris, pratis, pascuis, paludibus, rubetis, melificiis, lacubus, et omnibus suis pertinenciis, in remedium pecaminum parentum, fratrum ac sui ipsius, sepedicto monasterio monachorum Cisterciensium in Obra donavit, tradidit et coram nobis liberaliter resignavit. Nos quidem eandem donacionem et resignacionem gratificantes et ratificantes, dictam villam Antiquum Crampzko cum omnibus suis attinenciis sepedicto monasterio in Obra contulimus, ab ipso monasterio, monachis quoque qui ibidem pro tempore fuerint iure proprietatis in perpetuum possidendam, tradentes in testimonium huius nostre collacionis presentes literas, sigilli nostri munimine roboratas. Actum et datum Glogovie anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo sexto, Kalendas Aprilis, presentibus: Wernhero de Deyr, Schibcone Grelle, Tizcone de Rederin, Nicolao de Kimblow, Iescone Scapiz, Petermanno, Tilone Nisonis, civibus nostris Glogoviensibus, Nicolao de Sandvel nostro prothonotario, et aliis pluribus fidedignis.

Lessotendorf, *Lasocice.* Novum et Antiquum Crampzko, *Kramsko nowe i stare.* Kimblow, *Kiebłowa.* Scapiz, *w XV w. Scapa, nazwisko rodziny osiedlonéj w okolicy m. Grodzisk.* Sandvel, *Sandelwalde.*

Nr. 1064.

Ianislaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1326 Apr. 25, Gnezdne; commutat hereditatem ecclesiae suae, dictam Wełna, et decimas ibidem ac in villa Arcugowo, cum hereditate conventus de Trzemeszno, nomine Kwieciszewo.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia dwóch pieczęci.
Trzemeszno. Privil. Conv. Canon. Regul. Lateran.

In nomine Domini amen. Quoniam fides instrumentorum excludit materiam iurgiorum, et facta mortalium transitoria per seriem scripturarum posteris innote-

scunt, noverint igitur universi tam presentes quam futuri ad quorum noticiam devenerit scriptum presens, quod nos Ianislaus, divina et apostolice Sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, de communi consensu et voluntate fratrum nostrorum Capituli Gneznensis, cum religioso viro fratre Woyslao preposito Tremesnensi et suo conventu Ordinis sancti Augustini Arroasiensis, super hereditatibus commutacionem fecimus infrascriptam. Damus etenim dicto preposito et fratribus suis hereditatem ecclesie nostre dictam in vulgari Welma, sitam prope Gneznam, cum pleno iure et decima ibidem, et aliam decimam mense nostre in villa ipsorum dicta Iarczogowo, perpetuo libere possidendas; et recipimus per modum commutacionis a prefato preposito et conventu suo hereditatem ipsorum dictam Quecysow, sitam iuxta civitatem ecclesie nostre dictam similiter Quecysowo, cum pleno iure et dominio ac decima, per nos et successores nostros perpetuo possidendam. Promittimus eciam supradicto preposito et fratribus suis, quod, si quis eis super predictis hereditate ac decimis iuris questionem moverit, ipsos reddemus indempnes, et ad evictionem in presentibus obligamur. In cuius rei testimonium, nostrum et prefati Capituli nostri sigilla presentibus sunt appensa. Actum Gnezdne in die sancti Marci ewangeliste, anno Domini M.CCC vicesimo sexto, presentibus honorabilibus viris: dominis Andrea preposito, Nicolao decano, Ywone cantore, Wyncencio archidiacono, Thomislao custode, Petro cancellario et aliis multis canonicis Gneznensibus, tunc in Capitulo congregatis.

Welma, *Wełna*. Iarczogowo, *Arcugowo*. Quecysow, *Kwieciszewo*.

Nr. 1065.

Woyslaus prepositus Tremesnensis. 1326 Apr. 23, Gnezdne; commutat hereditatem sui monasterii, dictam Kwiecisewo, cum hereditatibus ecclesiae Gneznensis, dictis Welma et Arcugowo.

Pergam. oryginał, z którego dwie pieczęcie przywieszone. Pierwsza na sznurku jedwabnym, żółtym, w odłamkach bez napisu; druga klasztoru Trzemeszeńskiego; pieczęć XLIII.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 90.

In nomine Domini amen. Quoniam fides instrumentorum excludit materiam iurgiorum, et facta mortalium transitoria per seriem scripturarum posteris innotescunt, noverint igitur universi tam presentes quam futuri ad quorum noticiam devenerit scriptum presens, quod nos Woyslaus prepositus Tremesnensis, Ordinis sancti Augustini Arroasiensis, de communi consensu et voluntate fratrum nostrorum, conventus videlicet Tremesnensis, cum venerabili in Christo patre domino Ianislao, archiepiscopo Gneznensi, super hereditatibus commutacionem fecimus infrascriptam. Damus etenim dicto domino archiepiscopo et ecclesie sue hereditatem nostram dictam Quecysowo, sitam iuxta civitatem ecclesie Gneznensis dictam similiter Quecysowo, cum pleno iure et dominio ac decima, per ipsum et ecclesiam suam perpetuo possidendam; et recipimus per modum commutacionis a prefato domino archiepiscopo et suo Capitulo hereditatem ipsius et ecclesie sue dictam in vulgari Welma, sitam prope Gneznam, cum pleno iure et decima ibidem, et aliam decimam mense sue in villa

nostra dicta Iarczogowo, per nos et domum nostram perpetuo libere possidendas. Promittimus eciam supradicto domino archiepiscopo et suis successoribus, quod, si quis eis super predictis hereditate et decima iuris questionem moverit, ipsos reddemus indempnes, et ad evictionem in presentibus obligamur. In cuius rei testimonium, nostrum et prefati nostri conventus sigilla presentibus litteris sunt appensa. Actum Gnezdne in die sancti Marci ewangeliste, anno Domini M.CCC.XX sexto, presentibus religiosis viris: Nicolao priore, Godyno custode, Iacobo, Ade, Iohanne, et iterum Iacobo, et Vito, fratribus nostris, aliisque multis fide dignis.

Quecysowo, *Kwieciszewo.* Welma, *Wełna.* Iarczogowo, *Arcugowo.*

Nr. 1066.

Ianislaus archiepiscopus Gneznensis 1326 Apr. 25, Gnezne; cuidam Nicolao privilegium advocatiae in civitate Kwieciszewo (?) renovat.

Pergam. orygin., w dwóch miejscach wytlały, u którego dwie pieczęcie przywieszono. Pierwsza podługowata, zawieszona na sznurze nici jedwabn., wypłowiałych, przedstawia biskupa błogosławiącego, z pastorałem w lewéj, siedzącego na tronie. Napis: S. Ianislai Dei Gra ... *Druga na takimże sznurze koloru ciemnego Kapituły Gnieźnieńskiéj;* (pieczęć XXIV).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 91.

In nomine Domini amen. Quoniam omnium habere memoriam divinum est pocius quam humanum, sapientum decrevit provida *(32 lit. des.)* cum annotacione testium posterorum noticie commendentur. Nos igitur Ianislaus (*35 lit. des.*) archiepiscopus notum facimus universis presentibus et futuris ad quos presens *(38 lit. des.)* de Pczew filii Bartoldi nobis exhibita et in .. (*45 lit. des.*) advocaciam in civitate nostra dicta Quecysow eidem (*50 lit. des.*) .. tibus Quecysow et Falancyno est iure Sredensi (*51 lit. des.*) .. ie quatuor mansos liberos terciam partem (*49 lit. des.*) cuiuslibet iudicati. Preterea incolis civitatis (*45 lit. des.*) quinque annorum spacio concedimus libertatem Q.. (*42 lit. des.*) .. ampis. Expirante autem quinque annorum libertate, predictus Nicolaus civium (*23 lit. des.*) manso modium tritici, modium siliginis, modium avene ad mensuram Gneznensem, et fertonem (*14 lit. des.*) .. diensem terre Gneznensis, annis singulis, racione census et decime nobis solvere tenebuntur. Ut autem hec nostra donacio robur perpetue firmitatis obtineat, presens privilegium scribi fecimus et nostri ac predicti nostri Capituli sigillorum munimine roborari. Actum et datum Gnezne in die beati Marci ewangeliste, anno Domini M.CCC. vicesimo sexto, presentibus honorabilibus viris, dominis Andrea preposito, Nicolao decano, Iwano cantore, Vincencio archidiacono, Thomislao custode, Petro cancelario, et aliis multis canonicis Gneznensibus, tunc in Capitulo congregatis.

Pczew, *Psczew.* Quecysow, *Kwieciszewo.* Falancyno, *osada znikła, leżała pod m. Kwieciszewo.* Sredensis, *de Środa na Szlązku, z niemiecka Neumarkt.*

Nr. 1067.

Troidinus dux Mazovie etc. 1326 Mai. 30, in Warzeva; villam suam Domaniew, cum villa ecclesiae Poznaniensis, dicta Rękawica, commutat.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 37.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que fiunt in tempore, ne simul labantur cum decursu temporis, expedit ut scripturarum et testium amminiculo roborentur, hinc est quod nos Troidinus, Dei gracia dux Mazovie et dominus Cirnensis, correccionem bonorum nostrorum et ecclesie Poznaniensis intendentes et eorundem propensius utilitatem pensantes, considerantesque ad hec voluntatem venerabilis in Christo patris nostri domini Iohannis episcopi Poznaniensis et Capituli ipsius eiusdem ecclesie, quam erga nos nostrosque liberos habere more solito consueverunt, commutacionem nostre hereditatis fecimus perpetuam de nostra bona deliberacione nostrorumque maturo consilio baronum pariter et assensu, que villa Domanevo vulgariter nuncupatur, sitam circa Sebicowo dicti domini episcopi, gubernatam commissione nostra per Boguslaum dictum Cowszonem, pro Recovicze villa ecclesie Poznaniensis ex illa parte fluvii dicti Pilcza circa Mnezew iacentem, prefato domino Iohanni et successoribus eius nec non iam dicte ecclesie Poznaniensi perpetuo possidendam. Ita tamen, quod eadem villa Domanevo pacifice possideatur per ecclesiam Poznaniensem, eademque libertate et eodem iure servetur, quo iure Sebicowo, Biscupici, Vrocysowo, et alie omnes ville in dominio nostro situate, sub proteccione dicte ecclesie Poznaniensis existentes, fruuntur consuetudine et iure antiquo observato. In cuius rei testimonium, presentes litteras dari iussimus, nostri sigilli munimine roboratas presentibus nobilibus viris: Venceslao palatino, Vazilone castellano, Sassino iudice, Dascone subcamerario et Andrea subpincerna Cirnensibus, et aliis multis. Actum et datum in Warzeva tercio Kalendas Iuny, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo sexto.

Cirnensis, *de Czersk.* Domanevo, *Domaniew.* Sebicowo, *Zbików.* Recovicze, *Rękawica.* Pilcza fluv., *rz. Pilica.* Mnezew, *Mniszew.* Biscupici, *Biskupice.* Vrocysowo, *Wrociszewo.* Warzeva, *Warszawa.*

Nr. 1068.

Wladislaus rex Polonie etc. 1326 Iun. 24, Poznanie; malleum conflationis ferri in Rogoźno magistro Iohanni confert.

Pergam. orygin. Na skrawku pergam. przywieszona pieczęć Władysława króla; (pieczęć XLIV).

Poznań. Własność J. Lekszyckiego.

In nomine Domini amen. Tunc calumpnie via precluditur et omnis ambiguitas tolli solet, cum id quod agitur et debet perpetuo permanere, confirmacione regum seu principum et literarum testimonio roboratur. Proinde nos Wladislaus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Lancicie, Cuyavie Syradieque dux, ad noticiam tam presencium quam futurorum presentibus volumus devenire,

quod nos de maturo consilio baronum nostrorum discreto viro magistro Iohanni conflacionis ferri malleum nostrum in Rogosna, qui vulgariter Ruda dicitur, cum omnibus utilitatibus, usibus, proventibus, et omnibus solucionibus que pro provisione ipsius ybidem fieri poterint, pro eo quod primitus post longam desolacionem reedificavit, iure hereditario cum suis legitimis heredibus et successoribus damus, concedimus et conferimus, in perpetuum pacifice possidendum. De quo malleo, predictus magister Iohannes et sui heredes ac successores nobis et nostris legitimis heredibus ac successoribus singulis septimanis, semper sabbato, duo aratra de ferro et unum unccum, qui dicitur vulgariter redlizca, integraliter persolvent, et deinceps ab omnibus solucionibus erunt liberi et exempti. Omnes causas magnas seu parvas, in verberibus, sive in vulneribus seu in aliis quibuscunque que in ipso maleo per familiam ipsius evenerint, ipse magister totaliter iudicabit, et tercium denarium de ipso iudicio pro se recipiet et duos pro se servabit. Si vero predictus magister Iohannes in malleo sive alias personaliter excesserit vel delinquerit, coram nullo alio, nisi coram nobis, vel coram nostro capitaneo seu wlodario tenebitur respondere, et omnes pene ex ipso iudicio ad nos spectabunt et pertinebunt. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presentem paginam conscribi fecimus et sigillo nostro roborari. Actum Poznanie in die beati Iohannis Baptiste, anno Domini M.CCC vigesimo sexto, presentibus hiis nobilibus nostris: Vincencio castellano Spremantensi, Dobrogostio dapifero Poznaniensi, Paulo dapifero Gneznensi, Cesantha wlodario Poznaniensi, Pakoslao plebano de Rogosna, et aliis multis fidedignis. Datum per manus Petri, canonici Wratislaviensis et vicecancellarii curie nostre.

Rogosna, *Rogożno.* Spremantensis, *de Przemęt.*

Nr. 1069.

Wladislaus rex Polonie etc. 1326 Iun. 29, apud Poznan; hereditatem Martini Domaslavicz, dictam Adamowo, ab omni solutione Polonicali absolvit.
Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 37.

In nomine Domini amen. Largitas regum seu principum multipliciter commendatur, si ex grata donacione confirmacio benivola subsequatur. Proinde nos Wladislaus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Lancicie, Cuyavie Syradieque dux, ad noticiam tam presencium quam futurorum volumus devenire, quod ad nostram nostrorumque baronum presenciam accedentes nobiles domini, nostri fideles Pribislaus palatinus Poznaniensis et Woyslaus iudex, una cum aliis militibus terre nostre Polonie venerunt supplicantes nomine Martini fidelis nostri, Domaslavicz dicti, filii Nicolai, ipsum commendantes et fideliter affirmantes: nobis terreque nostre Polonie utilitates et profectus plurimos per sua fidelia servicia intulisse, in ipsorum nostro nomine serviciis, promptum et gratum se ubilibet exhibentem: et ut se in omnibus oportunis redderet prompciorem, petentes cum fideli instancia, de nostra benignitate ipsum in aliquo consolari. Nos itaque de nostra regali magnificencia ipsorum precibus inclinati, et nostra non ficta voluntate, sed salubri habito nostrorum baronum consilio, in recompensam suorum fidelium meritorum absolventes dictum Martinum et suos successores, seu heredes legittimos, in heredi-

tate sua Adamowice cum aliis particulis adiacentibus et ad eandem pertinentibus, videlicet Czartkowice nomine, Tobaczno et Panthczyce, sita in districtu (*vacuum*).... ab omni solucione Polonica que nostro dignoscitur dominio pertinere, confirmantes ipsum penitus absolvendum, scilicet a naraz, a powoz, a stroza, ab opole, a bove, a vacca, a porco, a podworowe, a citacione castri; ita, quod incole in eadem hereditate Adamowice residentes, non nisi nostro sigillo coram nobis compareant provocati. Homicidium eciam inter ipsos incolas perpetratum tempore procedente, dictus Martinus et sua posteritas integraliter percipiant pacifice et quiete. Ut autem hec nostra donacio et confirmacio in sepe dicto Martino et suis successoribus legittimis perpetuo inviolabiliter perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine confirmamus presentibus his testibus: Pribislao palatino et Woyslao iudice predicto, Peregrino subpincerna dicto de Komorowo, Nicolao dicto Bozacicz, et aliis multis fide dignis. Actum apud Poznan in die sancti Petri et Pauli apostolorum, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo sexto. Datum per manus Petri canonici Wratislaviensis et vicecancellarii curie nostre.

Adamowice, *Adamowo*. Czartkowice, Tobaczno, Panthczyce, *osady znikłe*. Komorowo, *Komorowo*.

Nr. 1070.

Iohannes prepositus s. Laurencii prope Caliss 1326 Iun. 29, s. l.; vendit scultetiam in villa Pietrowo Adalberto et fratribus eius, ut eam iure Novi fori locent.

Kalisz. Archiw. Rządowe. Inscription. Castrens. Kalissiens. a. 1545, Lib. 8, fol. 269. (Transsumpt potwierdzony przez: Henricus abbas Teinciensis 1348 s. d. et l.).

In nomine Domini amen. Evanescit actio temporalis, nisi firmetur testibus idoneis et literis sigillatis. Noverint igitur universi tam presentes quam futuri presens scriptum inspecturi, quod nos Iohannes, prepositus sancti Laurencii prope Caliss fraterque Ordinis sancti Benedicti, de consensu et bona voluntate fratrum nostrorum vendidimus sculteciam in villa nostra, dicta Petrowo, pro quatuor marcis usualis monete discretis viris Adalberto et fratribus suis Paulo et Ceslao, iure Theutonico locandam, eo videlizet iure, quo et omnes alie ville prope Caliss sunt locate iuxta ius Novi fori: quam sculteciam ipse et ipsorum liberi, nati et nascendi, libere et perpetue possidebunt. Racione vero ipsorum locacionis, tres mansos liberos, cum duobus ortis, taberna, pistrino, macella carnium, maccella panum, sutoriam fabricam, cum omni iure, prout in aliis villis Theutonicalibus optinebunt: exceptis tantum duobus mansis, quos pro nobis reservamus. Et si quid ultra viginti duos mansos mensuratos invenerint, sextam partem et septimam pro se suisque habebunt. Libertatem vero eius incolis concedimus a domino nostro, rege Wladislao Dei gracia, duodecim annorum, et a nostro dominio octo annis: ita tamen includendo, quod primis quinque annis libertate durante, prefati sculteti decimam pro se tollant, et aliis tribus annis, omni anno dimidiam marcam nobis dabunt. Evlsa vero totali nostra libertate, quam nos ipsi contulimus, incole prefate ville nobis singulis annis unam maldratam de quolibet manso solvent triplicis frumenti, videlizet quatuor mensuras tritici, quatuor si-

liginis et totidem avene et fertonem usualis argenti, aut, si voluerint, manipulatim nobis in campis decimabunt. Concedimus etiam eis pratum octo annorum; ager insuper, qui dicitur paschiecova gora, cum eis decimabit sive censuabit: nominatus vero ager, quia stat in pignoracione, sancimus, ut sibi prefati sculteti ipsum redimere poterint, et tam diu sui utantur, donec a nobis aut a nostris successoribus apud ipsos fuerit pro eadem peccunia redemptus. Excipimus insuper ipsos scultetos ab omnibus citationibus, que fieri possunt (*vacuum*) annulo domini regis seu nostro sigillo fuerint evocati. Damus etiam eis ipsorumque successoribus omnem voluntatem vendendi, cambiendi, donandi et alienandi. Et ut hec libertas incolis ibi residere volentibus magis complaceat, ab eo tempore quo ibidem se locaverint, semper octo annorum libertatem quam supra nominavimus obtinebunt. Ut autem hec empcio et ordinacio firma et rata permaneat, presentem eis paginam conscribi fecimus, nostri sigilli munimine roboratam. Acta sunt hec coram testibus subnotatis, videlizet Andrea Borcowicz castellano Calissiensi, Iohanne dicto Podcocz, Miroslao Podcocz, Thomasio pistore, Gablone sartore, Cuathcone, civibus de Caliss, Stephano cmethone de Sathkowo, Nicolao de Sathkowo, Martino de Zagorzino, et aliis quam plurimis fidedignis qui huic ordinacioni affuerunt. Acta sunt hec sub anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo sexto, scriptum per manus magistri Iacobi in die Petri et Pauli apostolorum.

Petrowo, *Pietrowo.* Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szlązku.* Podcocz, *Podkoce.* Sathkowo, *Szadek.* Zagorzino, *Zagorzyn.*

Nr. 1071.

Wartyzlaus dux Slavorum etc. et fr. Fridericus de Wyldinberch Ordinis domus Theuthonicorum etc. magister per Prusciam 1326 Iul. 7, in Pomerania prope fluvium Leba; cum Conrado, episcopo de Kamień, foedus contra duces Poloniae sub certis stipulationibus ineunt.

Königsberg. Königl. Staats Arch. Schiebl. 50, Nr. 22. (Kopja na pergaminie).

Nos Wartyzlaus, Dei gracia dux Slavorum, Cassubie et Pomeranorum, et nos frater Fridericus de Wyldinberch, Ordinis domus Theuthonicorum hospitalis sancte Marie Ierosolimitane magister per Prusciam, universis Christi fidelibus presens scriptum cernentibus, aut quorum auditui recitari contigerit, cupimus propalare, quod cum terra Pomeranie ad nos spectare et ipsius regimen in nostris dependere manibus dinoscitur, que ut eciam terra iam dicta nec non ipsius incole quiete pacifica gaudere ac frui et persistere in statu congruo valeant, una cum venerabili in Christo patre ac domino, domino Conrado Kamynensi episcopo, in talem inter nos mutuo habendam et tenendam firmiter devenimus unionem: quod si quis vel qui princeps vel principes regni Polonie nos omnes simul, vel nostrum alterum singulariter, suo in dominio seu iurisdicione, quod absit, maliciose inpugnare presumpserint, quod alter alterum ad reprimendam invasorum seviciam coadiuvabit manu valida et potenti; preterea, si alicuius nostrum terra sive dominium, quod solum notamus in terra Pomeranie, invaderetur, extunc ceteri duo, quamprimum id perceperint aut eis intimatum fuerit, eorum sub expensis, sumptibus et dampnis, spontanee opitulamen cum viribus illico conprestabunt. Sin autem, quod Deus avertat, aliquis exer-

citus Polonorum terram prenominati domini episcopi citra Persantam introierit, extunc nos duo tocius Pomeranie cum viribus idem amminiculamen propinabimus sibi benigne sine mora. Insuper, quod si aliqui spoliatores Polonicales, aut de Nakil profluentes, dominia incliti ducis Wartyzlai aut Kamynensis episcopi latenter seu furtive subintraverint, extunc, si fratribus Pruscie intimatum fuerit, ipsis latronibus et talibus maleficis suis cum hominibus usque Wyritz sine protelacione venient in occursum. Item, si aliqui spoliatores spolia in eisdem terris commissa deducerent, quos quidem nostri persequerentur usque ad municiones fratrum predictorum, extunc conmendator municionis eiusdem, aut vices eius ibidem gerens, subsidium sequele ipsis incunctanter ministrabit. Ceterum, patrocinante Domino castrum Nakil expugnari per nos si contingerit (sic), volumus, ut ipsum ad nos spectare dinoscatur indifferenter, nec per unum nostrum seu duos solum, sed per nos debet unanimiter possideri. Si vero aliquis nostrum expugnatum ipsum castrum singulariter habere affectaverit, hic reliquis duobus in expensis et laboribus, prout concordare poterunt, satisfaciat conpetenter. Insuper volumus, quod nullus nostrum aliquod fedus amicicie seu unionis cum inhabitatoribus de Nakil ineat, seu conposicionem aliquam faciat, ceteris irrequisitis seu eciam inconsultis. Item si contingerit (sic), quod quicunque duo nostrum vicissim, quod Deus nolit, brigaverint seu modo quocumque discordaverint, tercius huius brige insons amicicie seu conposicionis quidquid ordinaverit, debite ab utrisque litigantibus ratum simul et inviolatum servetur, contradicione qualibet propulsata. Demum, si permissione divini numinis aliquod nostris cum adversariis bellum inire nos contingerit (sic), ita quod Deus nobis prosperaretur ut in triumpho aliquas personas autenticas sive spolium caperemus notabile, illud equidem spolium sorcione pari, prout expedit, inter nos amicabilius dividatur: presentibus, a festo beati Mychahelis proxime venturo post triennium, minime valituris. Testes huius sunt nobiles viri, dominus Hermannus comes de Evirsten, Henningus Bere marscalcus et Henningus Bere filius eius, dominus Petrus de Nuwinburch, Ganzko, Petrus Putcummir, milites; dominus Iohan Walchgolcz, dominus Conr(adus) de Nuwinkyrchin, Kamynen(sis) ecclesie canonici, et dominus Olricus in Gutscowe plebanus et in Stetin canonicus, et quamplures fide digni. Datum in Pomerania prope fluvium Leba vulgariter nuncupatum, anno Domini MCCCXXVI, Nonis Iulii.

Ego Henningus Bere miles, incliti ducis Wartizlai Slavorum, Cassubie et Pomeranorum marscalcus, in evidenciam presencium lucide protestor et promitto, quod totam ordinacionem similiter et placita, inter predictum dominum ducem et venerabilem patrem nostrum dominum Conradum, Kamynensis ecclesie episcopum, et dominos Pruscie terre prope fluvium Leba in Pomerania habita et legittime diffinita, idem dominus dux ante nominatus inviolabiliter conservabit et illese. Insuper promitto, quod sepe nominatus dominus meus dux, sub tali modulo et formula litteram fratribus predictis, videlicet terre Pruscie dominis, erogabit suo sigillo munitam, qualem sibi contulerunt. In cuius promissionis evidenciam, presentem paginiculam meo sigillo, ut cernitur, iussi communiri. Datum in Pomerania citra fluvium Lebam, anno Domini MCCCXXVI, Nonis Iulii.

Kamynensis, *de Kamień, z niemiecka Kammin.* Persanta, *Persanta rzeka.* Nakil, *Nakło.* Wyritz, *Wyrzyska.* Nuwinburch, *zam. Neuenburg, t. j. Nowe.* Fluv. Leba, *Łaba rz.*

Nr. 1072.

Wladislaus rex Polonie etc. 1326 Iul. 12, Pysdir; confirmat privilegium fundationis monasterii in Ląd, quod dederat: **Mescho dux Polonie 1145 Apr. 23, in Gnezdna;** et suum proprium, quod dederat ut: **Wladislaus rex Polonie etc. 1324 Aug. 9, in Pyser.**

Lelewel. Początkowe prawodaw. Polsk. (Podług aktu notarjackiego z r. 1375, sporządzonego w Kapitule przed Jarosławem, arcybiskupem Gnieźnieńsk.) Cnfr. Dodatki.

In nomine Domini amen. Largitas regum seu principum multipliciter commendatur, si ex grata donatione confirmacio benivola subsequatur. Proinde nos Wladislaus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Lancicie, Cuyavie Syradieque dux et dominus, ad noticiam tam presencium quam futurorum presentibus volumus devenire, quod discretus vir et capellanus noster dilectus, dominus Mathias abbas de Lenda Ordinis Cisterciensis, una cum fratribus suis in nostra nostrorumque baronum constitutus presencia corporali, nobis humiliter et devote supplicavit, ut sibi et fratribus suis privilegium atavi nostri ducis Meschonis supra fundacione domus Lendensis nostro privilegio innovaremus; cuius quidem privilegii de verbo ad verbum tenor talis est: *(Sequuntur diplomata Nr. 10 et Nr. 1044.)*

Nos vero ex officio nobis divina disposicione concesso cupientes elemosinas precipue et donaciones antecessorum nostrorum graciose roborare, predicto domino abbati et fratribus ex speciali gracia damus et concedimus, quod si suadente diabolo homines eorum in bonis abbacie ubicunque in regno nostro commorantes, sive liberi sive autem adscripticii, se invicem percusserint, mutilaverint, vulneraverint vel occiderint, sive extraneus homo occiderit aut occisus fuerit ubicunque locorum, sive in viis, sive in semitis, sive in aqua, sive in terra, ipse dominus abbas cum fratribus suis totam penam capitalem pro se recipient ex integro. Insuper superaddimus domino abbati, quod liberam habeat venacionem in omnibus bonis suis, quandocumque voluerit, et quocunque modo vel arte poterit exercendi. Et hec omnia, superius per atavum nostrum et nos data et tradita, per innovacionem nostro presenti privilegio confirmamus. In cuius rei testimonium, presentem paginam conscribi fecimus et sigillo nostro communiri. Actum Pysdir in vigilia beate Margarethe virginis, anno Domini millesimo CCC vicesimo sexto, presentibus his nobilibus nostris: Slavanta castellano, Iacobo iudice Kalisiensibus, Paulo dicto Ogon castellano, Martino fratre ipsius subcamerario Lanciciensibus, Nicolao castellano Bechoviensi, et aliis multis fide dignis. Datum per manus Petri canonici Wratislaviensis et vicecancellarii curie nostre.

Lenda, *Ląd.* Pysdir, *Pyzdry.* Bechoviensis, *de Biechów.*

Nr. 1073.

Ianislaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1326 Sept. 7, Zneyne; Iacobum presbyterum, ecclesiae in Kołdrąb praeficit rectorem.
Gniezno. Archiv. Consistorii Metropol. A. C. anni 1419.

In nomine Domini amen. Nos Ianislaus, divina et apostolice Sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, notum facimus universis ad quos devenerit scriptum presens, quod ad peticionem nobilis viri Benyamin heredis de Coldramb, ad quem ius patronatus ecclesie ibidem in Coldramb dinoscitur pertinere, Iacobum presbyterum, exhibitorem presencium, de eadem in Coldramb ecclesia, de iure et de facto vacantem, investivimus et tenore presencium investimus, committentes sibi in huiusmodi ecclesia administracionem spiritualium et temporalium, curam et regimen insuper accedentes. In huius rei testimonium, presentes sibi dedimus nostri sigilli appensione munitas. Datum Zneyne in vigilia Nativitatis sancte Marie, anno Domini millesimo CCC.XX sexto.

Coldramb, *Kołdrąb.* Zneyna, *Żnin.*

Nr. 1074.

Iohannes Pp. XXII 1327 Mart. 1, Avinione; mandat iudicibus, ut, in quem locum meliorem sedes episcopalis Lubucensis transferri possit, se informent et referant.
Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 378.

Iohannes episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .... archiepiscopo Gneznensi et .. episcopo ac dilectis filiis Capitulo Lubucensibus, salutem et apostolicam benedictionem. Non sine mentis turbatione, te frater episcope significante, percepimus, quod universi incole et habitatores ville Frankenvordensis Lubucensis diocesis, perditionis filii, tui episcope et ecclesie Lubucensis capitales persecutores et hostes, ab olim nonnulla bona prefate ecclesie occupare et invadere, et occupata et invasa detinere presumpserunt propria temeritate et presumunt, quodque noviter prefati incole, associatis sibi nonnullis aliis perditionis filiis partium vicinarum, ad prefatam Lubucensem ecclesiam ausu nephario accedentes, eamdem ecclesiam eiusque edificia omnia, totumque locum ubi erat predicta ecclesia situata, funditus diruerunt, ut nullus deinceps inibi moraretur: sicque tu frater episcope et prefata ecclesia, a solo proprio profugi, compellimini exulare. Cum autem, sicut asseritur, in predicta diocesi preter prefatam villam Frankenvordensem, cuius incole, ut prefertur, sunt tui episcope et prefate ecclesie capitales persecutores et hostes et fuerunt etiam ab antiquo, non sit aliquis locus aptus et tutus, ad quem predicta ecclesia et episcopalis sedes Lubucensis tute valeat transferri et in eo commode situari, quin predictorum hostium aliorumque predonum continuo incursui et dissipationi paterent: tu predicte episcope humiliter supplicasti, tibi et eidem ecclesie super hoc per apostolice Sedis providenciam de oportuno remedio subveniri. Nos

itaque, cupientes tibi frater episcope et eidem ecclesie de eo in hac parte remedio providere, per quod securitati et paci tui et statui eiusdem ecclesie salubriter consulatur, discretioni vestre, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus: utrum in prefata diocesi locus aliquis valeat inveniri, ad quem ecclesia et episcopalis sedes predicte valeant transferri et inibi tute locari, et de qualitate dampni et incommodi huiusmodi, et de restauratione propter hoc diocesano loci eiusdem facienda, et de aliis circumstanciis que fuerint super hiis attendende: vos diligentius informantes, de hiis omnibus et singulis nos per vestras litteras studeatis reddere certiores, ut plene super hiis per vestram informationem instructi, que circa hoc facienda fuerint, securius agere valeamus. Datum Avinione Kalendas Marcii, pontificatus nostri anno undecimo.

Lubucensis, *de Lubusz, z niemiecka Lebus.*

Nr. 1075.

Iohannes Pp. XXII 1327 Apr. 1, Avenione; Wladislao regi Poloniae inquisitores de Ordine Praedicatorum, quos contra haeresim in regnum praedictum irrumpentem instituerat, commendat.

Bullarium Ordinis Praedicatorum II.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Vladislao, regi Polonie illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Quantum honoris et laudis Deo et universitati Ecclesie, quantumque utilitatis et exultationis Christianitati provenit de multis innumerisque sollicitudinibus et laboribus indefessis, quos tu ad expiandas de regno abominationes heretice pravitatis dudum exhibuisti ac incessanter exhibere dignosceris, tua manifesta opera, prout fidedignorum testimonio percepimus, manifestant. Tu namque, veluti victoriosus pugil eiusdem Ecclesie ac fidei Christiane zelator eximius, ad hoc semper tua vota feliciter direxisti, ut exterminares inimicos Crucis, et tam fidei quam fidelium terminos dilatares. Cum igitur, sicut accepimus, in regno tuo Polonie, hostes Crucis de remotis partibus Alemanie et Bohemie et circumpositis regionibus frequenter et latenter invadant simplices et catholicos dicti regni, eosque inficere et a veritatis limine deviare fallatium argumentationum impulsibus moliantur, nos volentes contra talium dolosam astutiam, ne diffusius in regno predicto huiusmodi serpat morbus, opportunum remedium per Sedis apostolice diligentiam adhiberi, ac cupientes anxie, ut negotium fidei iugi profectu, elisis omnino quibuslibet erroribus, fortius invalescat, dilecto filio priori provinciali fratrum Ordinis Predicatorum Polonie, aliquos de fratribus sui Ordinis sue provincie idoneos, in lege Domini eruditos, quorum honesta conversatio exemplum tribuat puritatis et doctrinam fundant erudita labia salutarem ad huiusmodi opus dominicum exequendum, auctoritate apostolica deputandi per partes ipsius regni, sibi per Ordinem suum limitatas, ipsosque amovendi, eisque amotis vel de hac luce subtractis, alios similiter idoneos instituendi quoties sibi visum fuerit, plenam et liberam concessimus per nostras litteras facultatem. Qui quidem fratres, cum per eundem prio-

rem ad hoc deputati seu instituti fuerint, ut prefertur, iuxta et secundum instituta canonica, super hiis promulgata auctoritate predicta, clero et populo convocatis, generalem predicationem in dicto regno ubi et quoties expedire viderint facientes, inquisitionis officium contra labem heretice pravitatis diligenter et sollicite, prout Deus eis dederit, exequantur, contra hereticos, credentes, fautores, defensores et receptatores eorum, iuxta et secundum eadem statuta auctoritate prefata nichilominus processuri; et si aliqui, heretica labe penitus abiurata, ad Ecclesie redire voluerint unitatem, ipsis iuxta formam Ecclesie ac secundum prefata statuta beneficium absolutionis impendant, et iniungant eis, quod talibus est secundum statuta huiusmodi iniungendum. Ideo magnificentiam regiam rogamus, monemus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus eosdem inquisitores, pro reverentia divina et apostolice Sedis ac nostra, benigne recipias et honeste pertractes, eis in his et aliis consilium, auxilium et favorem taliter impendendo, quod ipsi commissum sibi officium exequi valeant inoffense, et nos sinceritatis tue zelum possimus in Domino merito commendare, tuque exinde bonum, quod suis fidelibus divina clementia pollicetur, ad divini nominis laudem, anime tue salutem dictique regni exaltationem consequi merearis. Datum Avenione Kalendis Aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

Nr. 1076.

Iohannes Pp. XXII 1327 Apr. 1, Avenione; archiepiscopo Gneznensi et eius suffraganeis inquisitores, quos de Ordine Praedicatorum contra irrumpentem in regnum Poloniae haeresim instituerat, commendat.

Bullarium Ordinis Praedicatorum II.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Gneznensi et suis suffraganeis, ac episcopo Caminensi, et dilectis filiis universis aliis ecclesiarum prelatis, in regno Polonie constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Pre cunctis nostre mentis desiderabilibus catholice incrementum fidei affectantes, nimio utique dolore replemur, cum audimus aliquos vel sentimus ad illius depressionem qualicunque malignitate satagere, vel damnabilibus ipsa depravando reprehensionibus, aut detractionibus abrogabilibus derogando ac commentis eandem mordacibus pervertendo; ad quorum iniqua consternenda molimina eo animosius aspiramus, quo in animarum stragem perniciosius eos agnoscimus conspirare. Cum igitur, sicut accepimus, in regno Polonie hostes Crucis etc. (*Sequitur diploma praecedens, verbis competenter mutatis.*)

Caminensis, *de Kamień, z niemiecka Kammin.*

Nr. 1077.

Bartholomeus archidiaconus Wladislaviens. etc. 1327 Apr. 25, Gnezne; Rzenczivoio privilegium super scoltetia villae Górki innovat.

Pergam. orygin., u którego trzy pieczęcie przywieszono. Ułamek pierwszéj, zawieszony na niciach jedwabiu żółt. i amarant., przedstawia zarys biskupa siedzącego; napis odłamany. Po drugiéj pozostały dwa wcięcia w dolnym, założonym brzegu, przetlałe. Trzecia podługowata przedstawia dwie osoby do siebie zwrócone, pod podwójnem cymborium stojące, pod niemi klęcząca postać z złożonemi rękami, zwrócona w lewo; napis zatarty.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 92.

In nomine Domini amen. Noverint universi presencium noticiam habituri, quod nos Bartholomeus, archidiaconus Wladislaviensis et canonicus Gneznensis ecclesiarum, privilegium casu perditum, quod Rzenczivoius scultetus de minori Gorca cum fratribus suis super scultecia ibidem habuit, cupientes de consensu fratrum nostrorum Capituli Gneznensis reformare ac eciam innovare, tenore presencium una cum fratribus nostris recognoscimus, predictam sculteciam de nostra fratrumque nostrorum hereditate minori Gorca, que iure Sredensi extitit locata, ad dictum Rzenczivoium et suos heredes successores legitimos iure hereditario pertinere. Nomine cuius scultecie, ipse et eius successores tres mansos liberos, unam tabernam, unum maccellum panis et alterum carnium, et tercium denarium cuiuslibet iudicati in perpetuum possidebunt. Incole vero eiusdem ville minoris Gora, de quolibet manso maldratam triplicis annone, scilicet modium tritici, modium siliginis et modium avene, et fertonem denariorum in festo beati Martini singulis annis solvere tenebuntur. Et quoniam iura Sredensis civitatis sunt nobis penitus incognita, illa omnia que commodum et utilitatem dominorum respiciunt, salva nobis et integra reservamus. In quorum testimonium et evidenciam pleniorem et in signum consensus, venerabilis patris domini nostri domini Ianislay, divina et apostolice Sedis providencia Gneznensis ecclesie archiepiscopi, ac Capituli eiusdem Gneznensis ecclesie nec non nostro sigillorum apicibus presentes litteras fecimus communiri. Actum et datum Gnezne VII Kalendas May, anno Domini millesimo CCC. vicesimo septimo, presentibus dominis: Andrea preposito, Nicolao decano, Vincentio archidiacono, Ywano cantore, Thomislao custode et Petro cancellario, prelatis predicte Gneznensis ecclesie, ac multis aliis canonicis eiusdem ecclesie in Capitulo congregatis.

Wladislaviensis, *de Włocławek.* Minor Gorca, *Górki.* Sredensis, *de Środa na Szlązku, z niemiecka Neumarkt.*

Nr. 1078.

Iacobus iudex Kalissiens. 1327 Mai. 22, in Kalis; protestatur, Sulislaum, Nicolaum et Stanislaum, fratres, suo et suorum fratrum nomine hereditati Sowina in favorem ecclesiae Gneznensis renuntiavisse.

Pergam. orygin. Na pasku pergaminowym przywieszona pieczęć okrągła, zupełnie zatarta.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 93.

Nos Iacobus iudex Kalissiensis tenore presencium profitemur, quod nobis presidentibus in iudicio in Kalis circa venerabilem in Christo patrem dominum Ianislaum, Gneznensem archiepiscopum, cum baronibus infrascriptis, Sulyslaus, Nicolaus et Stanislaus, fratres, suo et fratrum ac nepotum suorum nomine recognoverunt publice, non coacti sed spontanea voluntate, nullum ius se habere ad hereditatem dictam Sowyna cum ecclesia, super qua ipsi domino archiepiscopo coram serenissimo domino nostro rege moverant questionem, et ipsum dominum archiepiscopum ac suam ecclesiam Gneznensem, super hereditate iam dicta perpetuo quietarunt. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum presentibus est appensum. Actum in Kalis in crastino Ascensionis Domini, anno eiusdem M.CCC.XX septimo, presentibus nobilibus viris: comitibus Slawentha castellano, Michaele subiudice Syradiensi, Benassio subiudice Kalissiensi, Nicolao de Dobrycia, Pribcone Racyborii, Stanislao tribuno Kalissiensi, et aliis pluribus fide dignis.

Sowyna, *Sowina.* Dobrycia, *Dobrzyca.*

Nr. 1079.

Wladislaus rex Polonie etc. 1327 Iun. 18, apud Cracoviam; protestatur, Iesconem, dominum de Kozłowo, hereditatem Stare Kramsko monasterio de Obra vendidisse.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 33.

In nomine Domini amen. Cum resignaciones et donaciones robur firmitatis non valeant obtinere nisi sufficienti litterarum testimonio fuerint roborate, ideoque nos Wladislaus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sendomirie, Lancicie Cuyavieque dux et heres, ad noticiam et testimonium tam presencium quam futurorum harum litterarum serie volumus devenire publice protestantes, quod nobilis Iesco dominus de Coslow, filius Sulconis de Lessotzendorph, una cum filiabus suis, videlicet Catharina, Margaritha, et filia fratris uterini Agnetha nominatis, offerentes se nostro nostrorumque consiliariorum conspectui, non coacti, sani corpore et racione, hereditatem vulgariter Antiquum Cransko nominatam, cum omnibus utilitatibus, usufructibus, agris, pascuis, silvis, pratis, aquis, paludinibus, molendinis, mellificiis, ac universis et singulis proventibus qui sunt aut fieri poterunt in futurum, honorando viro domino Hermano, abbati de Obra, totique conventui eiusdem monasterii pro quinquaginta marcis grossorum Bohemicalium titulo vendicionis concorditer coram

nobis resignaverunt, predicto monasterio et abbati eiusdem iure hereditario perpetuo possidendam, nullam iurisdictionem sibi nec alicui alteri in eadem reservando. Addiderunt eciam prenominati monasterio memorato, recitate ville valoris quantitatem que ultra prius nominatam summam videretur extendi, pro animabus parentum et avorum suorum viam universe carnis ingressorum. In cuius rei testimonium et evidenciam clariorem, utrorumque precibus humilibus inclinati, presentibus maius sigillum nostrum iussimus adpendendum. Actum apud Cracoviam in octava Corporis Christi, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo septimo, presentibus his nobilibus nostris: Prybislao Borkowic palatino, Woyslao iudice, Petro castellano Poznaniensi, Slaventa castellano, Nicolao pincerna Kalisiensi; datum per manus Petri prepositi Sandomiriensis, canonici Cracoviensis ac vicecancellarii curie nostre, tertio Idus Iunii.

Coslow, *Kozłowo.* Lessotzendorph *czyli* villa Lassothe, *Lasocice.* Antiquum Cransko, *Stare Kramsko.* Obra, *Obra.*

Nr. 1080.

Iohannes episcopus ecclesie Poznaniens. 1327 Iun. 30, Poznanie; Thiczconi vitratori, molendinum dictum Vitrorum confert, conditione, ut vitra fenestrarum maioris ecclesiae sumptibus eiusdem reparet, pro novis vero, praedicta ecclesia ipsi satisfacere tenęatur.

Pergam. orygin. Sznurki jedwabne, niebieskie, od przywieszenia dwóch pieczęci. Poznań. Archiv. Capituli. III, 10. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Polon. 88.

In nomine Domini amen. Quoniam, ne ea que aguntur in tempore simul cum fluxu labantur temporis, necesse est ea scripturarum et testium apicibus roborare, eapropter noverint universi quibus nosse fuerit oportunum, quod nos Iohannes, Dei gratia episcopus ecclesie Poznaniensis, cupientes utilitatem et decorem nostre maioris ecclesie in laudem Dei omnipotentis et Sanctorum eius, prout tenemur ex debito, pretendere cum effectu, de voluntate et consensu fratrum nostrorum de Capitulo nostro molendinum eiusdem nostre ecclesie, Vitrorum molendinum nuncupatum, situm super fluvium dictum Czibina, cum suis pertinentiis et cum orto eiusdem nostre ecclesie, sito retro ecclesiam beate Margarethe, Thiczconi vitratori tradimus, concedimus ac tenore presencium conferimus et assignamus, construendum per ipsum suis sumptibus, ac possidendum per eundem libere vite sue temporibus in hunc modum: quod videlicet vitra fenestrarum nostre maioris ecclesie prenotate, quociens opus fuerit, eiusdem ecclesie sumptibus reparare ac reformare teneatur. Si vero aliquas ex novo fenestras ibidem haberi voluerimus, tenebimur sibi satisfacere de laboribus earundem, prout cum ipso pro precio potuerimus convenire. Quibus ex novo peractis, ipsas in suam assumens curam, de cetero sicut et alias veteres, cum necessitas deposcerit, similiter nostris impensis tenebitur reformare. Ipso autem Thiczcone defuncto, si aliqui suorum liberorum artem sciverint eandem, eodem modo et iure idem molendinum possidebunt; sin autem solvent unam mensuram siliginis nostre ecclesie census nomine de rota qualibet singulis septimanis, ipsum molendinum cum orto predicto et aliis suis pertinentiis, si eis placuerit, si ipsis placuerit (sic) vendendi ha-

bentes plenariam potestatem. In quorum testimonium presentes sibi dedimus, nostri nostrique Capituli sigillorum munimine roboratas. Actum et datum Poznanie in crastino beatorum Petri et Pauli apostolorum, anno Domini M.CCC.XX septimo, presentibus fratribus nostris: Abraham scolastico, Dominico archidiacono, Adam cantore, Nycolao custode, Boguchwalo cancellario, Woyslao thezaurario, Iacobo, Iohanne, Andrea, Gabriele, Matheo, canonicis predicte nostre ecclesie, et aliis pluribus fide dignis.

Czibina fluv., *rz. Cybina.*

Nr. 1081.

Iesco dominus de Cosle 1327 Iul. 18, s. l.; una cum suis proximis de hereditate Stare Kramsko cum monasterio de Obra compromittit.
Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 34.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentem litteram inspecturi, quod ego Iesco dominus de Cosle, una cum Agnethe filia Andaconis, quondam filii Sulconis, parte ex una, et Miron eiusdem Sulconis filius cum filiabus suis Margarita et Catharina, ex parte altera, composicionem et concordiam super hereditate, nomine Antiquum Crampsco, cum domino Hermano abbate et conventu de Obra fecimus in hunc modum. Ita quod dominus abbas et conventus nobis dabunt XVI marcas grossorum, que quidem pecunia in hunc modum est divisa, ita, quod predicta Agnes cum Iescone, primo pro expensis factis sex marcas recipient, de residua parte pecunie Miron cum filiabus suis quinque marcas recipient, et predicta Agnes cum Iescone similiter quinque marcas recipient.

Nos itaque antedictus abbas et conventus, partem pecunie que Agnete cedebat, Iesconi de Coslowe solvere nolebamus, nisi certitudine plenaria prius nobis facta; tunc veniens predicta Agnes sabbatho ante festum beate Marie Magdalene ad presenciam proborum nobilium, videlicet comitis Nicolai et fratris ipsius, Iesconis de Keblow, publice profitebatur, quod pars pecunie sibi cedens Iesconi de Coslow daretur, quem procuratorem et distributorem illius pecunie pluribus audientibus eligebat. Nos igitur frater Hermanus his auditis, ipsi Iesconi de parte pecunie Agnethe cedenti satisfecimus ipso facto, sicut antea coram pluribus fuit ordinatum.

Insuper ego Iesco sepedictus de Coslow obligo et in presentibus promitto domino abbati et conventui ante nominato, quod Deus avertat si predictus Miron vel Agnes vel ipsius fratris filie sepedictam ordinacionem et composicionem infringere vellent coram iudice vel iudicio qualicunque, ipsos evincere promitto et indemnes ab omni labore et gravamine, et hoc propriis laboribus et expensis. In cuius rei testimonium, meum sigillum presentibus duxi apponendum. Testes huius sunt: comes Nicolaus de Keblow, comes Iesco ipsius frater, Petrus Cniska, Martinus Tumislawiz, Stanislaus advocatus de Keblow, Geriz et Henus, cives civitatis eiusdem. Datum et actum anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo septimo, sabbatho ante festum Marie Magdalene.

Cosle, *Kozłowo.* Antiquum Crampsco, *Stare Kramsko.* Obra, *Obra.* Keblow, *Kiebłowa.*

Nr. 1082.

Iohannes episcopus Poznaniens. 1327 Aug. 6, Poznanie; ratam habet donationem census de molendino super fluvium Cybina sito, quam Stephanus canonicus Poznaniens. in rem rectoris altaris b. b. Philippi et Iacobi atque Blasii in ecclesia maiori, eiusque successorum certa conditione fecerat.

Pergam. orygin. Na skrawkach pergamin. przywieszono 2 pieczęcie; z tych pierwsza znikła; druga Kapituły Poznańskiéj; (pieczęć VIII.)

Poznań. Archiv. Capituli. III, 11.

In nomine Domini amen. Quoniam ut ait apostolus: Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam eternam: eapropter noverint universi presentes et posteri, quod constitutis in nostra, Iohannis Dei gracia episcopi nostrique Capituli Poznaniensis ecclesie, presencia dilecto nobis in Christo fratre domino Stephano, prefate nostre ecclesie canonico, et Andrea presbytero, rectore altaris beatorum Philippi et Iacobi atque Blasii in eadem nostra ecclesia, idem dominus Stephanus, sanus mente et corpore bonaque fretus maturitate et consilio, cupiens eternorum intuitu seminare in terris quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere possit in celis, pro sue suorumque progenitorum salutis remedio unam mensuram siliginis, vite sue temporibus singulis septimanis solvendam de molendino suo, sito super fluvium qui Cybina dicitur prope ecclesiam beate Margarethe, ad ipsum iure pertinente hereditario. Post vite vero sue tempus, totum censum eiusdem molendini prefato Andree, rectori altaris predicti, suisque successoribus, eiusdem altaris nomine dedit, contulit et donavit nec non irrevocabiliter assignavit, per ipsos nomine eodem libere ac perpetue possidendum; ita sane, quod idem rector, quique pro tempore fuerit, in altari predicto ter per ebdomadam, secundis videlicet, quarta et sexta feriis, missam ad laudem divini numinis officiare teneatur. Nos itaque huiusmodi donacionem tam salubrem, rite ac pie sic factam, ratam habentes et gratam, presentis scripti patrocinio duximus confirmandam. In cuius rei testimonium, presentes conscribi fecimus, et nostri nostrique predicti Capituli sigillorum appensione muniri. Actum et datum Poznanie in ecclesia nostra predicta, feria quinta post diem beati Dominici confessoris, anno Domini M.CCC.XX septimo, presentibus fratribus nostris de Capitulo, dominis Adam cantore, Nycolao custode, Voyslao thezaurario, Iohanne plebano Poznaniensi, Iescone, Iacobo, Andrea, Matheo, Lamberto, canonicis sepedicte nostre ecclesie, et aliis.

Cybina fluv., *rz. Cybina.*

Nr. 1083.

Wladislaus rex Polonie etc. 1327 Sept. 30—Oct. 5, s. l.; ratam habet resignationem partis hereditatis Wyskidno, a Vincentio de Smogorzewo, iudice Vladislaviensi, ratione dotalicii genero ipsius, Iohanni de Rucewo, factam.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn., czerwon. przywieszona mała, okrągła pieczęć, zupełnie zatarta.

Poznań. Königl. Staats Arch. Person. 5. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae, I, Nr. 108.

In nomine Domini amen. Cum resignaciones, donaciones et contractus vigorem non valeant obtinere, nisi litterarum testimonio et solempni confirmacione fuerint ro-

borate, proinde nos Wladislaus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie Cuyavieque dux et dominus, scire volumus universos tam presentes quam posteros harum litterarum seriem inspecturos, quod nobilis vir Vincentius de Smogorov, iudex Vladislaviensis, offerens se nostro nostrorumque baronum conspectui, non coactus, sed spontanea voluntate mediam partem hereditatis, in vulgari Viskidno vocitate, Iohanni genero suo, heredi de Ruczow, racione et nomine dotis seu dotalicii cum omnibus utilitatibus, usufructibus, qui nunc sunt aut fieri poterunt in futuro, dedit coram nobis, resignavit et libere condonavit in perpetuum valituram. Quorum peticionibus inclinati, dictam donacionem et resignacionem ratam, gratam ac firmam habentes, presentibus duximus confirmandam. Datum infra octavas sancti Michaelis archangeli, anno Domini M.CCC.XX septimo, presentibus nobilibus nostris: Pribislao Poznaniensi, Martino Kalisiensi palatinis, Petro Poznaniensi, Zbiluto Nakelensi castellanis, domino Petro preposito Sandomiriensi ac vicecancellario curie nostre, per cuius est manus datum.

Smogorov, *Smogorzewo.* Vladislaviensis, *de Włocławek.* Viskidno, *Wyskidno.* Ruczow, *Rucewo.* Nakelensis, *de Nakło.*

Nr. 1084.

Premislav dux Silesie ac dominus Glogovie 1327 Oct. 31, in Frauenstadt; confirmat privilegium Henrici, quondam ducis Silesiae etc., Hermanno de Trebitz super quinque mansis in villa Przyczyna datum.

Poznań. Königl. Staats Arch. Fraustadt, Lib. privil. pars 2da, fol. 1. — Wuttke. Staedtebuch, Nr. 19.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi testibus idoneis aut scriptis authenticis roborentur. Nos igitur Premislav, Dei gracia dux Silesie ac dominus Glogovie, ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum volumus per presentem paginam pervenire, quod Hermani de Trebitz, fidelis nostri, precibus favorabiliter inclinati, privilegium incliti principis fratris nostri germani Henrici, ducis eiusdem Silesie ac domini quondam Glogoviensis, quod datum est super quinque mansos qui pertinebant ad allodium Themchini de Sydlitz, sitos in Pritchinin antiquo, sibi et omnibus suis veris ac legittimis successoribus, natis ac nascendis, presentibus nostris litteris confirmamus, approbamus atque innovamus; promittentes predicto Hermano et omnibus suis legittimis successoribus, ut predicitur, omnia in premisso privilegio scripta, de verbo ad verbum inviolabiliter in perpetuum tenere et servare. In cuius robur, sibi presentes dedimus literas nostro sub sigillo. Datum in Frauenstadt in vigilia Omnium Sanctorum, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo septimo, presentibus: Czatone de Danchow, Petro de Goray, Ottone de Briptitz iudice curie nostre Frauenstatensis, Friderico de Pukenhaim, Thielo nostro prothonotario, et aliis multis.

Trebitz, *Trebitsch, lub też Driebitz, z niem. zam. Drzewce.* Sydlitz, *Zedlitz, z niem. zam. Świdnica.* Pritchinin, *Przyczyna.* Frauenstadt, *z niem. zam. Wschowa.* Danchow, Goray, Briptitz, Pukenhaim, *nie odgadnione.*

Nr. 1085.

Vladislaus rex Polonie 1327 Nov. 2—7, apud Poznaniam; claustra Paradyż, Zemsko et Obra, in suam auctoritatem et gubernationem recipit.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 80.

In nomine Domini amen. Noverint universi presencium noticiam habituri, quod nos Vladislaus, Dei gracia rex Polonie, ex officio nobis disposicione divina concesso paupertatem ac defectus quorumlibet nobis subiectorum sollicita observacione discernere cupientes, ac maximam desolacionem domorum et claustrorum, scilicet in Paradiso, in Zambrusco et in Obra perpendentes, et ut abbates in predictis claustris una cum fratribus et omnibus villanis suis eo melius et facilius hereditates suas locare valeant, ipsos et omnes hereditates eorum exnunc in nostram auctoritatem et gubernacionem, excipiendo ab omnibus nobilibus et militibus nostris, recipimus specialem, sic, quod nullus ex hys nobilibus nostris eos seu hereditates eorum depactare, iudicare et maligne angariare presumpserit gracie nostre sub obtentu, sed si quid contra ipsos quispiam accusacionis habuerit, coram nobis integraliter percipiat iusticie complementum. In cuius rei testimonium, presentem paginam conscribi fecimus et sigillo nostro roborari. Datum et actum apud Poznaniam infra octavas Omnium Sanctorum, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo septimo.

Paradisus, *klasztor Paradyż.* Zambrusco, *Zemsko.* Obra, *Obra.*

Nr. 1086.

Vladislaus rex Polonie etc. 1327 Nov. 2—7, apud Poznaniam; approbat venditionem hereditatum Durowo, Nowe, Krosno et Toniszewo, a Vincentio et filiolis eius, in rem fratrum dictorum Pałuki factam.

Pergam. orygin. Na sznurku jedwabn., niebiesk. przywieszona pieczęć Władysława króla; (pieczęć XLIV).

Poznań. Königl. Staats Arch. Łekno 3.

In nomine Domini amen. Cum ordinationes, venditiones et contractus robur firmitatis non valeant obtinere, nisi confirmatione litterarum solempniter fuerint roborate, proinde nos Vladislaus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie Cuyavieque dux et heres, universis tam presentibus quam futuris presentia inspecturis publice protestantes recongnoscimus in hiis scriptis, quod nobiles viri Vincentius cum suis filiolis Kelczone, Paluka, Vigloz, Virbanta offerentes se nostro nostrorumque baronum conspectui, non coacti, sani mente et racione, nobilibus viris suis fratribus, videlicet Zbiluto, Svantoslao, Slavniconi, dictis Paluky, hereditates in vulgari Durovo, Nove, Crosno, Tuni, cum lacubus Sceklno, Belsko, prout in suis terminis plenarie sunt distincte, quarum partes hereditatum ex paterna successione memoratos contingebant, coram nobis dederunt, contulerunt ac libere pro viginti quatuor marcis et iumento tradiderunt. Que quidem hereditates, per monasterium Lecno occupate, exbrigari deberent per Zbilutum et alios predictos

pro se retinendas (sic); Vincentius vero et sui filioli nominati, renunciaverunt accioni, requisicioni, repeticioni in perpetuum, tam in suos fratres quam in dictum monasterium faciende, habende et gerende, nullam iuridiccionem pro se aut suis posteris in predictis hereditatibus reservando. Ut autem ordinacio predictorum coram nobis facta, inviolabiliter in perpetuum observetur, presentibus sigillum nostrum duximus adpendendum. Actum apud Poznaniam infra octavas Omnium Sanctorum, anno Domini M.CCC. vicesimo septimo, presentibus hiis nobilibus nostris: Voyslao iudice Poznaniensi, Pribislao castellano Kovaliensi, domino cantore Gneznensi Ywone, Dersicragio de Lecno, Petrus prepositus ac vicecancellarius curie nostre, per cuius est manus datum.

Durowo, Nowe, Krosno, *dziś tak samo.* Tuni, *Toniszewo.* Sceklno, Belsko lacus, *nazwiska jezior przyległych powyższym osadom.* Lecno, *Łeknó.* Kovaliensis, *de Kowal.*

Nr. 1087.

Iohannes Pp. XXII 1327 Dec. 3, Avinione; executoribus mandat, ut Petro decano Poznaniensi contra quosdam detentores castrorum et bonorum eius iustitiam faciant.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae, I, 393.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus . . Misnensi et . . Plocensi ac . . Wladislaviensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem. Petitio dilecti filii Petri decani ecclesie Poznaniensis, decretorum doctoris, nobis exhibita continebat, quod ipso de mandato nostro in Romana curia existente, venerabilis frater noster Iohannes episcopus et Bouguchwalus canonicus Poznanienses, Henricus de Luterbergh terre Thoronensis, Lutoldus in Thorun commendatores domus hospitalis sancte Marie Theutonicorum, nobilis vir Boleslaus dux de Brega, Henricus de Wirbna miles, Wysacus, quondam Petri Drogoslai, laicus, ac de Berlyn et Rathnow castrorum universitates, ac nonnulli alii clerici et laici Culmensis, Wratislaviensis, Lubucensis, Poznaniensis et Brandeburgensis diocesium, castra eiusdem Petri propria, videlicet Bezow, Bithin et Pnewo cum suis iuribus et pertinentiis, villas quoque Stosbowo, Werenizam, nec non molendina, census, redditus et alia sua bona mobilia et immobilia, ecclesiastica et mundana, in eisdem diocesibus consistentia, occuparunt et occupata detinent minus iuste: quare dictus decanus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, volentes eidem decano super premissis de oportuno remedio providere, ipsius supplicationibus inclinati fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, vocatis qui fuerint evocandi, summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii de premissis vos plenius informantes, si ea inveneritis ita esse, prefatos occupatores et detentores ad restituendum eidem Petro memorata castra et iura ac pertinentias, necnon villas, molendina, census, redditus, et alia bona predicta, ut premittitur occupata, cum fructibus medio tempore ex eis perceptis, prout iustum fuerit, compellatis; non obstante constitutione felicis recordationis Bonifacii Pape VIII, predecessoris nostri, qua cavetur: ne iudices a Sede apostolica deputati, extra civitatem seu diocesim in

quibus deputati fuerint citent partes, aut aliis vices suas committere, seu aliquos ultra unam dietam a fine suarum diocesium trahere presumant, dummodo ultra duas dietas extra suam civitatem seu diocesim eorum aliquis auctoritate presencium non trahatur, seu si eisdem occupatoribus seu detentoribus, aut eorum aliquibus seu quibusvis aliis, communiter vel divisim, a Sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem: contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Datum Avinione III Nonas Decembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

Thoronensis, *de Toruń*. Brega, *Brzeg*, *z niemiecka Brieg*. Wirbna, *z niem. Würben*. Berlin, Rathenow, *dziś tak samo*. Culmensis, *de Chełmno*. Lubucensis, *de Lubusz*, *z niem. Lebus*. Bezow, *Pszczew*. Bithin, *Bytyń*. Pnewo, *Pniewy*. Stosbowo, *Buszewo*. Wereniza, *Wierzenica*.

Nr. 1088.

Vladislaus rex Polonie etc. 1328 Mai. 25, Cracovie in domo fratrum Predicatorum; ecclesiae de Lubusz possessionem omnium bonorum in regno Poloniae existentium confirmat, eademque amplis privilegiis munit.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. A 20, p. 203. (*Z kopji*).

Vladislaus, Dei gracia rex Polonie (nec non) Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie atque Coyavie (dux), omnibus ac singulis castellanis, palatinis, iudicibus, subiudicibus, procuratoribus, subprocuratoribus, vlodariis, ministerialibus, nec non officialibus universis per omnes terras regni nostri constitutis, graciam suam et omne bonum. Noverit vestra fidelitas, nos a sanctissimo in Christo patre nostro domino Iohanne XXII, Romane Sedis summo pontifice, de novo recepisse firmiter in mandatis, quod venerabilem patrem nostrum dominum Steffanum, Lubucensis ecclesie episcopum, mitteremus in possessionem veram et legitimam omnium bonorum ecclesie sue Lubucensis et possessionum, in nostro regno ubicunque constitutarum. Nos igitur iustis preceptis predicti sanctissimi patris nostri et tam piis factis zelatores fore cupientes, prout iure et ex debito semper tenemur, itaque venerabili patri domino Steffano, predicto episcopo Lubucensi, et ecclesie sue Lubucensi assignamus per presentes ex nunc meram et integram possessionem omnium bonorum et possessionum ecclesie sue Lubucensis, in terris nostris Sandomirie et Cracovie situatis, sicut sunt possessiones et bona que subsequuntur: videlicet opidum magnum Oppathow cum districtu suo, agri, silve, ligna, venationes, aque, piscationes, molendina, prata, pascua, theolonia, si sunt vel esse possunt (*vacuum*), nec non ius fori quodcunque ibidem in Oppathow, et alie utilitates qualescunque. Itemque villas subsequentes: Tzirneckow, Iurcowitz, Umare, Ialovans, Landzuc, Bucoven, Trusculas, Crascow cum magno gayo adiacente, Biscopo, Nemenitz, Roskow, Sochzin, Poratze nec non Marensko, cum mellificiis ac lignis, silvis, piscationibus, venationibus, pratis, molendinis, et alie utilitates que ibidem esse possunt. Item Mamna cum districtu suo, hiis villis

sequentibus: Stritschowitz, Garbatz, Zwola, Tzirvona gora, Vorvitz, agri, ligna, aque, prata, pascua, et alie utilitates qualescunque. Item in Solsitz una area cum integra sorte, in Sdremlicowitz due aree et due plene sortes, in Carvone una area cum plena sorte, in Maldzin due aree et due sortes, in Sliptone una area cum plena sorte. Preterea naulum cum taberna super Nydam cum utroque littore, agri, ligna, aque, piscationes, molendina, prata, pascua et alie utilitates. Insuper Truckzasir cum Dobravoda, agri, ligna, silve, venationes, aque, piscationes, molendina, prata, pascua et alie utilitates qualescunque. Item Psrebetzan sita prope magnum sal, agri, ligna, silve, aque, piscationes, molendina, prata, pascua et alie utilitates. Item Cunitz cum magnis silvis, mellificia, agri, ligna, venationes, aque, piscationes, molendina, prata, pascua et alie utilitates qualescunque. Insuper in Maiori Polonia opidum Kazimir cum districtu suo et villas sequentes ac possessiones, videlicet Nesvetone, Slanebatze, Lubza cum lacu, Czarca cum lacu. In Coiavia Ratzow. Item Piscope, Landzin cum lacu, Tzulentzitz, Benschow cum lacu, Psrevonovo lacum per medium cum silva Tzirnokow ante pontem, Conin cum parte Morislave, theolonium in Conin; in Tzirnokow vero militari due aree et due plene sortes cum lacu et silva, captura piscium in aqua que dicitur Goppolonitza et captura piscium in Warta. Item ultra Conyn versus Calys, Gadow et Grochow cum magnis silvis adiacentibus et mellificiis. Item circa Pisdry Prschuslane, Sickerino et Czolomkano. Item *(vacuum)* Glinik circa Pinnow, similiter Gantzitz in castellania Mesericzensi: itaque ville, possessiones, bona nominata in Maiori Polonia, agri, silve, ligna, mellificia, venationes, lacus, aque, piscationes, prata, pascua et alie utilitates qualescunque. Similiter episcopi Lubucenses qui pro tempore fuerint, cum ecclesia Lubucensi habeant et habere debeant alia bona et possessiones (preter) ante nominata absque aliquo impedimento, et possidere pacifice et quiete; adiicientes bona fide, quod episcopi Lubucenses qui pro tempore fuerint, in bonis eorum, in nostro regno et dominio situatis, possunt licite et libere castra, civitates et firmitates pro beneplacito eorum erigere et edificare, nec non hereditates, possessiones, villas et omnia bona ipsorum iure Theutonico locare et habere, si ipsis placet, sine aliqua contradictione, molestia atque offensione. Nos vero recognoscimus publice et protestamur ex certa scientia in hiis scriptis, quod episcopus Lubucensis predictus et ecclesia sua, (et) Lubucensis ecclesie episcopi qui pro tempore fuerint, gaudent ex nunc et gaudere debent in omnibus bonis prenominatis, possessionibus ac prediis eorum, pleno dominio ac omnimoda libertate, cum gadibus et metis debitis et antiquis eorundem, et eciam decimarum perceptione ab hominibus et subditis eorum, absque aliqua contraditione, quemadmodum alii episcopi sancte Gneznensis provincie suis bonis, possessionibus et prediis per omnia gaudent et fruuntur. Itaque, quod homines et incolas episcopi Lubucensis de bonis, possessionibus omnibus dicte ecclesie Lubucensis, nulli iudices, castellani, palatini, aut aliorum nobilium nostrorum iudices non iudicabunt aut ad iudicia trahere minime presumant, nec pena capitis exigatur aliqualiter ab iisdem; sed ipse episcopus aut sui iudices, quos duxerit eligendos, suorum subditorum causas parvas et magnas, undecunque nascantur, debent et habebunt pro beneplacito suo decidere et iudicare. Insuper, antedicti homines et incole ipsius episcopi Lubucensis, collectas, angarias, perangarias, et alia gravamina qualiacunque solvere non compellantur: super omnia in bonis et possessionibus sepius nominatis episcopi et ecclesie nichil iuris nobis reservantes, sed quod de beneplacito antedicti episcopi et bona voluntate habere possumus et obtinere. Volumus omnino, quod episcopi Lubucenses, qui pro tempore fuerint,

habebunt et habere debent licentiam venandi feras magnas et parvas, in venationibus ubicunque nostris in regno nostro liberrime largam libertatem Omnia premissa volumus ac mandamus, inconcusse et inviolabiliter, secundum mandatum Sedis apostolice directum, firmiter observari. Ad certitudinem firmiorem, presentem paginam minoris sigilli nostri munimine iussimus roborari, quia maius sigillum nostrum erat apud consortem nostram, et ipsa ad presens in Cracovia non fuit ista vice, presentibus nobilibus nostris: Navogyo castellano Cracoviensi, Spitkone palatino Cracoviensi, Nicolao de Bogoria subcamerario Sandomiriensi, domino Petro Milite scolastico Cracoviensi, magistro Martino medico nostro, Arnoldo, Wyslao, clericis curie nostre, et aliis multis. Datum Cracovie in domo fratrum Predicatorum feria quarta infra octavas Pentecostes, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo octavo.

Lubucensis, *de Lubusz, z niem. Lebus.* Oppathow, *Opatów.* Tzirneckow, *Czerników.* Iurcowitz, *Jurkowice.* Umare, *nie odgadnione.* Ialovans, *Jałowięzy.* Landzuc, *Łężyce.* Bucoven, *Bukowiny.* Trusculas, *Truskulasy.* Crascow, *Krasków.* Biscopo, *Biskupice.* Nemenitz, *Niemienice.* Roskow, *Ruszków.* Sochzin, *Szczucice.* Poratze, *Poradzie.* Marensko, *Marcinkowice.* Mamna, *Momina.* Stritschowitz, *Strużowice.* Garbatz, *Garbacz.* Zwola, *Zwola.* Tzirvona gora, *Czerwona góra.* Vorvitz, *Worowice.* Solsitz, *nie odgadnione, może Solcza.* Sdremlicowitz, *Strzemieszyce.* Carvone, *Karwin.* Maldzin, *Małęczyn.* Sliptone, *zdaje się że mylnie zam.* Sopcove, *czyli Sobków nad rz. Nidą.* Nyda, *Nida rz.* Truckzasir, *nie odgadnione.* Dobravoda, *Dobrawoda.* Psrebetzan, *Przebiczany.* Magnum sal, *Wieliczka.* Cunitz, *Kunice.* Kazimir, *Kaźmierz.* Nesvetone, *Niedźwiadkowo.* Slanebatze, *Słabęcin.* Lubza, *Lubcz.* Czarca, *Czarków.* Ratzow, *pewnie Stary Radziejów.* Piscope, *Biskupice.* Landzin, *Łężyn.* Tzulentzitz, *Sulanki.* Benschow, *Biniszewo.* Psrevonovo lacus, *zdaje się jeziorko p. wsią Niesłusz.* Conin, *Konin.* Morislave, *Morzysław.* Tzirnokow militare, *Czarków.* Goppolonitza aqua, *pewnie odpływ jeziora Pątnowskiego do rz. Warta; cnfr. Nr. 846.* Calys, *Kalisz.* Gadow, *Gadów.* Grochow, *Grochów.* Prschuslane, *może Przecław.* Sickerino, *Siekierzyn.* Czolomkano, *Czołnochowo.* Glinik, *nie odgadnione.* Pinnow, *Pniewy.* Gantzitz, *Kęszyce.* Mesericzensis, *de Międzyrzecz.* Bogoria, *Bogorja.*

Nr. 1089.

Iohannes episcopus ecclesie Poznaniens. 1328 Iun. 30, Poznanie; scultetiam in Śródka, suburbio Poznaniensi, Stanislao dicto Glamb vendit.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 55.

In nomine Domini amen. Cum ea que fiunt in tempore et debent stabilia permanere, ne fluxu labantur temporis et oblivioni in posterum subiaceant, scripturarum et testium munimine debeant roborari, eapropter noverint universi presentes et posteri, quod nos Iohannes, Dei gracia episcopus ecclesie Poznaniensis, sculteciam in opido nostro et ecclesie nostre in Srzotca prope civitatem Poznaniensem, Stanislao dicto Glamb nostro wlodario vendidimus, tradidimus et tenore presencium assignandam duximus pro certa quantitate pecunie utilitatem nostram et nostre ecclesie studiosius perpendentes, per ipsum Stanislaum et uxorem suam Boguwalam quam nunc habet, nec non per liberos ipsius, quos tamen ex eadem uxore generaverat aut in futuro generaverit, cum subscriptis utilitatibus seu usufructibus libere et perpetue

possidendam consensu et voluntate nostri Capituli ad hoc specialiter accedente; cum duobus videlicet ortis liberis, quos pro se et predictis uxore et liberis ibidem obtinebit, tercium quoque denarium de penis, duobus nobis et nostris successoribus persolutis. Incole vero eiusdem opidi, de orto quolibet quatuor grossos denarios (sic) in festo beati Martini, in festoque beati Petri duos arietes de toto opido cum uno pullo de orto quolibet, in festo vero Pasche duo latera carnium de toto opido et per decem ova de orto quolibet, annis singulis census nomine nobis et nostris successoribus solvere in perpetuum tenebuntur, et alia iura prestare, que et alii de bonis nostris, iure locatis Theutonico, prestare tenentur. Nichilominus hydem incole meram et liberam habebunt potestatem, in opido eodem tabernas habere et propinare in ipsis quotquot voluerint, opus pistoreum, carnificum, seu sutoreum, ac alia opera mechanica in ibi similiter exercere, stamina pannorum integra vendere. Ipseque scultetus cum uxore et liberis prefatis thabernam pro se ibidem possint locare liberam, si ipsis videbitur expedire; ita sane, quod ceteri incole ibidem de thaberna qualibet tres scotos, duos grossos pro scoto computando, et de quolibet maccello carnium unum lapidem sepi nobis et nostris successoribus in festo beati Martini annis singulis solvere teneantur. Adicimus insuper, quod idem scultetus, seu uxor aut liberi sui predicti, eandem sculteciam possint licite vendere, seu de ipsa disponere prout ipsorum placuerit voluntati. In quorum testimonium et robur perpetue valiturum, presentes conscribi fecimus et nostri nostrique Capituli sigillorum appensione muniri. Actum et datum Poznanie in crastino beatorum Petri et Pauli, anno Domini M.CCC.XXVIII, presentibus fratribus nostris de Capitulo, dominis Abraham scolastico, Adam cantore, Nicolao custode, Boguslao cancellario, Voyslao thezaurario, Stephano decano Wratislaviensi, Iohanne procuratore, Iohanne de parochia, Lamperto, Iaszkone Bonum mane, Gabriele, Andrea, Matheo, canonicis nostris Poznaniensis ecclesie, et aliis.

Srzotca, *Śródka, przedmieście miasta Poznań.*

Nr. 1090.

Henricus castellanus Gnesdens. etc. 1328 Aug. 10, in Nakel; protestatur, Annam, filiam f. m. Martini Malitz, quartam partem hereditatis Mąkowarsk, eidem contra petitionem monasterii de Byszewo adiudicatam, monasterio praedicto resignasse.

Pergam. orygin. Skrawek pergamin. od przywieszonéj niegdyś pieczęci.
Poznań. Königl. Staats Arch. Koronowo 72.

In nomine Domini amen. Que geruntur in tempore ne simul labantur cum tempore, solent litterarum testimonio et voce testium perhennari. Hinc est quod nos Henricus, castellanus Gnesdensis et tutor castri Naklensis, notum fieri cupimus universis ad quos presens scriptum fuerit devolutum, quod viri religiosi Ordinis Cisterciensis, dyocesis Cuyaviensis, dominus abbas eiusque conventus de Bissovia, apud providos viros et honestos filios felicis recordacionis Martini dicti Malitz, quandam hereditatem Mankovarsko nuncupatam, in territorio Naklensi situatam, rite et racionabiliter emerant, et eam multis annis quiete et pacifice possederant. Succedente vero tempore, soror dictorum filiorum Martini Malitz, Anna nomine, universis fra-

tribus iam defunctis, dominum abbatem suumque conventum pro quarta parte hereditatis supra memorate coram illustrissimo domino nostro Wladislao, rege Polonie, in castro suo Nakel impecierat, affirmans, eam ad se paterna successione et iure hereditario pertinere, ipsamque iudicio acquisierat, ita, quod dominus abbas et suus conventus fuerant totaliter abiudicati. Ipsa vero Anna iam dicta non longo post tempore ad conscienciam rediens, ne predicta pars hereditatis aliquociens recitate a domo predicta alienaretur, in suorum et progenitorum remissionem delictorum et in remedium animarum suarum sepedictam partem hereditatis pluries nominate domino abbati suoque conventui pro quarta dimidia marca Torunensium denariorum restituit, eamque ipsis in perpetuum libere possidendam coram nobis in Nakel, in die beati et gloriosi Levite et martiris Laurencii, de communi consensu et voluntate mariti sui Iacobi et filii sui Woymiri nec non et matris sue Magdalene, ibidem tunc presentibus et astantibus, et omni iure, quod ad sepius dictam partem hereditatis sepius recitate habere videbantur, abrenunciantibus, resignavit. Promisit eciam sepedicta femina venerabilis et honesta, quod si de cetero aliquis predictum dominum abbatem eiusque conventum pro dicta parte hereditatis predicte impecierit, pro ipsis velit respondere. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum presentibus duximus apponendum. Actum et datum loco et die prescriptis, anno Domini M.CCC.XXVIII, presentibus hys: Adalberto subiudice Naklensi, Woeslao Nadborowitz, Tomeslao de Cranskow, Woeslao Dambnitzitz advocato Naklensi, et aliis pluribus fidedignis.

Bissovia, *Byszewo.* Malitz, *de Malice.* Mankovarsko, *Mąkowarsk.* Naklensis, *de Nakło.* Nadborowitz, *de Nadborowo.* Cranskow, *Chrząstów.* Dambnitzitz, *de Dębowo.*

Nr. 1091.

Albertus Vladislaviens. ecclesie prepositus 1328 Sept. 8, Brest; una cum fratribus suis hereditati Durowo et lacui Bielsko in favorem monasterii de Łekno renuntiat, et pro dictis bonis hereditatem Grylewo recipit.

Wągrowiec. Archiv. monasterii. Protocollum tertium, pag. 9.

In nomine Domini amen. Quoniam facta legitima et contractus, inter personas authenticas habitos, condecet sanctione sapientum scripto authentico et subscriptione testium posterorum notitie commendare, hinc est quod nos honorabilis vir Albertus Vladislaviensis ecclesie prepositus, filius quondam comitis Troiani de Lekna felicis memorie, notum esse volumus universis Christi fidelibus presentem litteram inspecturis, quod cum inter nos et fratres nostros, videlicet Zbilutum, Swentoslaum et Slavenicum, ex una parte tanquam actores, et dominum Nicolaum abbatem et conventum eius de Lekna Ordinis Cisterciensis, Gneznensis diocesis, ex altera parte tanquam reos, questio verteretur coram iudicibus a summo pontifice delegatis, videlicet Nicolao abbate de Mogilna, Woyslao preposito de Tremesina et Iohanne officiali domini archiepiscopi Gneznensis, super quibusdam lacubus, Stelkno videlicet et Belsko, et hereditatem Durowo cum sortibus adiacentibus, quorum hec sunt nomina: Cavcillas, Crovikierz, Swiniablota, que bona sive hereditates et lacus repetimus, tanquam per nostrum avum Slavenicum, bone memorie, monasterio Leknensi predicto pignore obligata; et cum esset in pluribus terminis in causa processum, nos atten-

dentes, quod ex talibus controversiis et litibus non solum rerum et corporum, verum etiam animarum consueverunt pericula provenire, eligimus cum bona deliberatione et voluntate, pro bono pacis et concordie predictam controversiam fine debito terminare. Ad conquietandam igitur controversiam hinc et inde, et ut parceretur ex utraque parte laboribus et expensis, renuntiavimus et renuntiamus eisdem bonis supradictis, et omni iuri, actioni et petitioni ac dominio, quod nobis et nostris successoribus conpetit vel competere possit in futurum in bonis superius nominatis: videlicet, ius et dominium nostrum, si quod habemus vel nostri successores, totum transferimus in monasterium superius nominatum, recipientes a prefato domino abbate et conventu de Lekna prius dicto unum lacum, Belsko superius nominatum, et hereditatem seu possessionem ad predictum monasterium pertinentem, videlicet que Grilewo vulgariter nominatur, prout in suis limitibus continetur, et aliis, prout in instrumento domini abbatis et conventus eiusdem, super eadem ordinatione et concordia habito, plenius continetur. Promittimus insuper, pro nobis et pro successoribus nostris, eidem domino abbati et conventui suo et eorum successoribus de evictione predictarum possessionum Durowo et lacu Steklno et omnium sortium adiacentium, quorum nomina superius sunt expressa; ita videlicet, quod si quispiam in posterum predicta omnia aut aliquid eorum a monasterio evinceret, nos Albertus prepositus cum fratribus nostris prefatis vel nostri successores, bona equalia et equivalencia his que evicta fuerint, eis dare et restaurare teneamur. In cuius rei testimonium et evidentiam pleniorem, presentem litteram nostrorum sigillorum munimine, videlicet Alberti prepositi, Zbiluti, Swentoslai et Slavenici, duximus roborandam. Datum Brest anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo octavo, in die Nativitatis beate virginis Marie, presentibus his testibus: Nicolao dicto Lithuanus advocato Brestensi, Tylasio magistro consulum, Kunchone, Theodorico de Ploczk, Iohanne dicto Stroszewski, Anchone Cunonis, civibus Brestensibus, et aliis multis fide dignis.

Vladislaviensis, *de Włocławek.* Lekna, *Łekno.* Mogilna, *Mogilno.* Tremesina, *Trzemeszno.* Lacus Steklno, *pewnie jezioro Durowskie.* Belsko, *pewnie jezioro Kobyleckie.* Durowo, *Durowo.* Cavcillas, Crovikierz, Swiniablota, *osady znikłe.* Grilewo, *Grylewo.* Brest, *Brześć Kujawski.*

Nr. 1092.

Verner plebanus in Meszericz et Mattheus plebanus in Sverin 1328 Oct. 21, in Sverin; protestantur, Heningum Benstede hereditatem minorem Wyszanów monasterio Paradyż vendidisse.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 81.

In nomine Domini amen. Nos Verner plebanus in Meszericz et Mattheus plebanus ac prepositus in Sverin notum facimus universis presencia cognituris et presentibus protestamur, quod ante xv annos Myszicz filius Uszant dimidiam partem Minoris Wischenow Heningo dicto Benstede racionabiliter vendidit, et pecuniam sibi promissam integraliter percepit; reliquam vero partem predicte ville, Berchinus et Herbordus, dicti de Gagov, ab Unislao vero herede et a suo sororio nomine Hecstede (sic) legittime emerunt. Sed Unislaus, suam partem a predictis nobilibus de Gagov

in feudum recipiens, mortuus fuit sine herede, et sic secundum communia iura principum ad predictos nobiles de Gagov sua pars fuit devoluta, qui predictam partem cum reliqua, quam a suo sororio Hecstede emerant, Heningo de Benstede, qui dimidietatem predicte ville titulo empcionis possedit, in feudum contulerunt. Et postea idem Heningus Benstede illam totam hereditatem vendens fratribus de Paradiso, summam vendicionis integraliter nomine solucionis percepit ab eisdem. In cuius rei evidenciam pleniorem, presens scriptum sigillis nostris fecimus communiri. Datum in Sverin anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo octavo, in die Undecim millium Virginum.

Meszericz, *Międzyrzecz.* Sverin, *z niem. zam. Skwierzyna.* Wischenow, *Wyszanów.* Gagov, *zam. Jagow.* Paradisus, *klasztor Paradyż.*

Nr. 1093.

Matthias ecclesie Wladislaviens. episcopus 1328 Dec. 20, in Raczens; commutat villam Godziszewo et decimas ecclesiae suae de sortibus hereditatis Kłodawa, monasterii Ląd propriae, cum villa Łęg et decimis de villa Kłobia, monasterio praedicto pertinentibus.

Włocławek. Lib. privilegior. monasterii Ląd, pag. 125.

In nomine Domini amen. Humanorum actuum gesta oblivione faciente consueverunt tractu temporis deperire, si scripture testimonio vel testium suffragio non fuerint memorie commendata. Inde est quod nos Matthias, divina et apostolice Sedis providentia ecclesie Wladislaviensis episcopus, cupientes ut gestorum inter nos et Capitulum nostrum nomine ecclesie nostre, ex parte una, et religiosos viros Matthiam abbatem et conventum monasterii de Landa Ordinis Cisterciensis, Gneznensis diocesis, ecclesie ipsorum nomine Landensis, ex altera, plenior apud posteros memoria habeatur, notum facimus universis tam presentibus quam posteris presentium notitiam habituris, quod attendentes, qualiter villa, hereditas seu possessio ecclesie nostre, que Goczeszewo vulgariter nuncupatur, iacens in terra Pomeranie una cum ecclesia et decima ipsius ecclesie ac aliis decimis in villis ipsorum fratrum, videlicet Klodawa et sortibus circumiacentibus, et in Trambki, Cozemino, Zakrzewo, quodque propter longam locorum distantiam minus utiles ecclesie nostre fore viderentur, et considerantes, quod villa, hereditas seu possessio ipsorum abbatis et fratrum ac monasterii Lendensis, Lang vulgari vocabulo nuncupata, in confinibus civitatis et hereditatis nostre Antique Wladislavie sita, et septem maldrate decimales, in villa magnifici principis Wladislai regis Polonie que Cloba dicitur iacentes, ad ipsum monasterium spectantes in terra Cuiavie, propter loci vicinitatem et utilitatem uberiorem que exinde ecclesie nostre Deo propitio poterit provenire, cum ipsis abbate et conventu de dictis villa et decimis in Pomerania iacentibus permutationem fecimus iuxta modum infra scriptum. Eisdem siquidem abbati et conventui, nomine ipsorum ecclesie predicte, dedimus, tradidimus et resignavimus predictas villam, hereditatem seu possessionem Goczeszewo, una cum ecclesia et decima ac iure patronatus ipsius, molendino etiam ac lacu ipsius ville, et aliis decimis in villis ipsorum fratrum Clodawa ac

sortibus predictis, et in Trampki, Cozemino, Zakrzewo, titulo permutationis, cum omnibus iuribus, utilitatibus, fructibus et pertinentiis suis, que nunc sunt vel esse poterunt in futurum. Ab ipsis vero abbate et fratribus, pro predictis omnibus et singulis, simili titulo permutationis, habito cum fratribus nostris maturo consilio et deliberatione sufficienti, de consensu Capituli nostri, ecclesie nostre nomine recepimus dictam villam eorum Lang ac septem maldratas decimales predictas, in Cloba villa domini regis existentes, eodem modo cum omnibus et singulis iuribus, fructibus, utilitatibus, pratis, nemoribus, mellificiis, piscationibus in Wisla et in aliis aquis, molendino quoque et minera ferri, ac aliis universis pertinentiis suis, que nunc habentur vel in posterum poterunt reperiri; volentes et tenore presentium decernentes, quod ipsi, monasterium et ecclesia eorum, omnia et singula predicta, per nos eis data et assignata, modo predicto, nos quoque et ecclesia nostra, similiter universa et singula prelibata, per eos nobis tradita et resignata, debeamus vicissim iure hereditario perpetuo possidere, temporalibus pro temporalibus, spiritualibus pro spiritualibus sic canonice permutatis. Promittimus insuper nomine ecclesie nostre, pro nobis et successoribus nostris, eisdem abbati, monasterio et ecclesie Landensi ac successoribus ipsius de evictione predicte ville Goczeszewo cum decima ipsius ac aliis decimis ville ipsorum ac sortium prelibatarum, ut si quispiam eam vel eas imposterum evinceret, nos ad recompensam evictorum et ecclesia nostra ac successores nostri tenebuntur. In cuius rei testimonium, presentes eis literas dedimus, nostri et Capituli predicti sigillorum munimine roboratas. Actum et datum in Raczens decimo tertio Calendas mensis Ianuarii, anno Domini M.CCC.XXVIII, presentibus honorabilibus ac discretis viris: dominis Alberto preposito, Goszkone decano, Bogufalo scolastico, Petro cantore, Bartholomeo archidiacono, et Borislao canonico Wladislaviensibus, cum aliis fide dignis, ad predicta vocatis et rogatis.

Wladislaviensis, *de Włocławek.* Landa, *Ląd.* Goczeszewo, *Godziszewo, z niem. Gardschau.* Klodawa, *z niem. Kladau.* Trambki, *z niem. Trampke.* Cozemino, *Koźmin.* Zakrzewo, *Zakrzewo.* Lang, *Łęg.* Antiqua Wladislavia, *Włocławek.* Cloba, *Kłobia.* Raczens, *Raciążek.*

Nr. 1094.

Fr. Mathias abbas de Lenda 1328 Dec. 20, in Lenda; hereditatem monasterii dictam Łęg et maldratas decimales in Kłobia, cum hereditate episcopi Kuiawiensis dicta Godziszewo, sita in terra Pomoraniae, commutat.

Rzyszczew. Muczkow. Codex diplom. Poloniae, II, Nr. 246. (*Z pergaminu oryg., którego pieczęć znikła*).

In nomine Domini amen. Humanorum actuum gesta, oblivione faciente consueverunt tractu temporis deperire, si scripture testimonio vel testium suffragio non fuerint memorie commendata. Inde est quod nos frater Mathias, divina miseracione abbas de Lenda Ordinis Cysterciensis, Gnezdnensis dyocesis, cupientes ut gestorum inter venerabilem patrem dominum Mathiam, divina et apostolice Sedis providencia ecclesie Wladislaviensis episcopum, et Capitulum ipsius nomine ecclesie ipsorum, ex parte una, et nos ac conventum nostrum nomine ecclesie nostre Lendensis, ex altera,

plenior apud posteros memoria habeatur, notum facimus universis tam presentibus quam posteris presencium noticiam habituris, quod attendentes, qualiter villa, possessio seu hereditas ecclesie nostre, que Lang wlgariter nuncupatur, iacens in terra Cuyavie prope antiquam Wladislaviam, una cum septem maldratis decimalibus in villa magnifici principis domini Wladislay regis Polonie, que Cloba dicitur, iacentibus, ad nostrum monasterium spectantibus, propter longam locorum distanciam minus utiles ecclesie nostre fore viderentur, et considerantes, quod villa, hereditas seu possessio ipsius domini episcopi Wladislaviensis, Godzesowo wlgari vocabulo nuncupata, una cum ecclesia et decima ipsius ecclesie, molendino et lacu ipsius ville, ac aliis decimis in villa seu grangia nostra Clodava ac sortibus adiacentibus, et in Trambky, Chosemino, Szacrzevo quoque in terra Pomoranie iacentibus, ad mensam ipsius domini episcopi spectantibus, propter loci vicinitatem dicte grangie nostre Clodava, et utilitatem uberiorem que exinde monasterio et ecclesie nostre, Deo propicio, poterit provenire, cum ipso domino episcopo, de consensu Capituli sui, nostri conventus similiter consensu accedente, de dicta villa nostra Lang et septem maldratis in terra Cuyavie iacentibus in villa domini regis prenotata, ad nostrum monasterium seu ecclesiam spectantibus, permutacionem fecimus iuxta modum infrascriptum. Eidem siquidem domino episcopo, ecclesie sue predicte nomine, dedimus, tradidimus et resignavimus predictam villam, possessionem seu hereditatem nostram Lang, una cum septem maldratis decimalibus predictis in prefata Cloba ad nostrum monasterium spectantibus, tytulo permutacionis, cum omnibus iuribus, fructibus, utilitatibus, pratis, nemoribus, mellificiis, piscacionibus in Visla et aliis aquis, molendino quoque et minera ferri, ac aliis universis et singulis pertinenciis suis, que nunc habentur vel imposterum poterunt reperiri. Ab ipso vero domino episcopo, ecclesie sue nomine, habito maturo consilio et deliberacione sufficienti, de consensu Capituli sui, nostri conventus similiter consensu accedente, pro omnibus et singulis predictis, simili tytulo permutacionis recepimus dictam villam ipsius Godzesovo, una cum ecclesia et decima ipsius ecclesie, iure quoque patronatus, molendino et lacu ipsius ville, ac aliis decimis ville seu grangie nostre Clodava et sorcium adiacencium, et in Trambky, Chosemino ac Sacrzevo, in terra Pomoranie existentibus, eodem modo, cum universis et singulis iuribus, fructibus, utilitatibus et pertinenciis suis, que nunc sunt vel esse poterunt in futurum: volentes et tenore presencium decernentes, quod ipse dominus episcopus et ecclesia Wladislaviensis sua, omnia et singula predicta per nos sibi data et assignata modo predicto, nos quoque et monasterium nostrum ac ecclesia nostra Lendensis, similiter universa et singula prelibata, per ipsum nobis tradita et assignata, debeamus vicissim iure hereditario perpetuo possidere, temporalibus pro temporalibus, et spiritualibus pro spiritualibus sic canonice permutatis. Promittimus insuper nomine monasterii et ecclesie nostre, pro nobis et successoribus nostris, eidem domino episcopo et ecclesie ac successoribus ipsius de eviccione predicte ville Lang ac septem maldratarum prelibatarum: ut, si quispiam eam vel eas imposterum evinceret, nos et monasterium ac ecclesia nostra et successores nostri, ad recompensam evictorum ex pacto inter nos habito tenebuntur. In cuius rei testimonium, presentes litteras eidem domino episcopo dedimus, nostri sigilli munimine roboratas. Datum in Lenda monasterio nostro tercio decimo Kalendas Ianuarii, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo octavo, presentibus honorabilibus et discretis viris: dominis Alberto preposito, Goschone decano, Bogufalo scolastico, Petro cantore, Bartholomeo archydiacono Wladislaviensibus, ac religiosis viris: fratribus Iohanne

priore, Alberto subpriore, Nicolao celerario, Henrico portario, Gyselberto bursario monasterii Lendensis, et aliis quam pluribus fide dignis.

Lenda, *Ląd.* Wladislaviensis, *de Włocławek.* Lang, *Łęg.* Cloba, *Kłobia.* Godzesowo, *z niem. Gardschau.* Clodava, *Kłodawa, z niem. Kladau.* Trambky, *Trąbki.* Chosemino, *Koźmin.* Szacrzevo, *Zakrzew.*

Nr. 1095.

Wladislaus rex Polonie etc. 1329 Ian. 1, in Poznania; confirmat privilegium, quod dederat coenobio de Ołobok: **Premisl secundus dux. Polonie 1293 Dec. 28, in Kalis,** continens privilegia, quae dederant eidem coenobio: **Wladislaus ducis Odonis filius dux de Kalis 1213 Nov. 1, s. l.,** et **Premisl et Boleslaus fratres uterini duces Polonie 1253 Mai. 11, s. l.**

Dwa pergamina oryginalne równobrzmiące. Pieczęcie u obu znikły, pozostały tylko nici jedwabne, zielone, na których były przywieszone.

Poznań. Königl. Staats Arch. Ołobok Nr. 5, Nr. 5a. — Warszawa, Metryka Koronna, Księga 23, fol. 270.

In nomine Domini amen. Nos Wladislaus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuiavie Pomoranieque dux, ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum volumus devenire harum serie litterarum, quod religiose domine.. abbatissa de Olobok cum consororibus suis Ordinis Cisterciensis assistens coram nobis, ob remedium salutis nostre humiliter nobis suplicavit ac devote, ut privilegium super libertatibus hereditatum domus predicte, concessum ab inclito principe domino Premislio secundo, Dei gracia duce Polonie, nostro consobrino carissimo, dignaremur innovantes confirmare; cuius privilegii de verbo ad verbum tenor erat talis: *(Sequuntur diplomata Nr. 711, Nr. 81 et Nr. 311).*

Nos quoque ipsius domine abbatisse peticioni annuere nostreque saluti providere affectantes, predictum privilegium, prout superius est notatum, cum clausulis suis universis ratum et gratum habentes, presentibus duximus confirmandum. In cuius rei memoriam, presentes confirmacionis privilegii predicti litteras conscribi iussimus nostrique sigilli cyrographo communiri. Actum in Poznania in Circumcisione Domini, anno eiusdem M.CCC vicesimo nono, presentibus nobilibus viris: Vincencio palatino, Petro castellano Poznaniensibus, Slaventa castellano et Iacobo iudice Calisiensibus, Nicolao gladifero Polonie, multisque aliis fidedignis. Datum Cracovie per manus Sbignei cancellarii et prepositi Cracoviensis.

Olobok, *Ołobok.*

Nr. 1096.

Magist. Petrus decanus ecclesie Poznaniens. et cancellar. Polonie etc. 1329 Febr. 19, in Mezericz; protestatur, Miscitz et Missanta villam minor Wyszanów monasterio Paradyż modo amicabilis compositionis resignasse.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia pieczęci osobno zachowanéj; ta jest podłużna i wyobraża w górnéj części Najśw. Pannę z Dzieciątkiem, w dolnéj zaś 3 osoby, z których dwie zwrócone w lewo ku trzeciéj, klęczącéj pod baldachinem. U spodu tarcz z godłem zatartem; napis w otoku: S. Petri doctoris decretorum.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C, 13. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Polon. 90.

Noverint universi ad quos presens scriptum devenerit, quod nos magister Petrus, decanus ecclesie Poznaniensis et cancellarius Polonie regis ac castellanus in Mezericz, iudexque ab ipso rege constitutus in causa que vertebatur inter dominum abbatem et conventum domus Paradysi, parte ex una, ac inter Miscitz et Missanta, parte ex altera, super quadam villa dicta minor Vischenow, qui ex utraque parte, propter viarum discrimina et alia multa pericula evitanda, sine strepitu iuris composítione amicabili concordaverunt, ita, quod predicti Miscitz et Missanta ac Andreas una cum sorore ipsorum, nomine Unislava, in nostra presentia domino abbati et conventui de Paradiso predictam villam, quam ante titulo emptionis diu possederant, liberam cum omni utilitate resignaverunt, abrenunciantes omni iure (sic) impeticionis, quod eis competere in ea videbatur, nichilominus promittentes pro suis fratribus Gneomyro et Ianusio, quod nullam impeticionem de predicta villa facient, aut periculum eis aliquod inferant vel gravamen; quod si fecerint, sepe dicti Miscitz et Missanta ac Andreas hoc sopire teneantur, et abbatem cum conventu conservare indempnem. Predictus vero abbas et conventus ante dictis fratribus dabit XIII marcas, IV solidos grossorum pro marca computando. Nos vero predictam composicionem gratam et ratam habentes, auctoritate nobis a rege commissa in hys scriptis confirmamus et nostri sigilli appensione roboramus. Acta sunt hec in Mezericz anno Domini M.CCC.XXIX, XI Kalendas Marcii, presentibus hys testibus: domino Petro plebano in Gnezena ad sanctam Agnetem, Hermano Slaveano, Segeneo Breve, Iacobo Herendorp, Iescone Zyla, Iacobo Broda, et aliis quam plurimis fide dignis.

Mezericz, *Międzyrzecz.* Paradysus, *klasztor Paradyż.* Vischenow, *Wyszanów.* Slaveanus, *de Sława.*

Nr. 1097.

Iohannes Boemie et Polonie rex etc. 1329 Mart. 12, Thorun; cum Ordine domus Theutonicae contra regem Cracoviae foedus init.

Pergam. orygin. Cztery pieczęcie zawieszono na skrawkach pergaminu. Pierwsza wielka, okrągła, wyobraża zbrojnego Jeźdzca pędzącego w lewo; prawica zbrojna mieczem, zamierzona; przed piersiami tarcz trójkątna, kwadrowana w Lwa wspiętego w prawo; z napisu: Iohannes Dei gracia... *Druga znikła, pozostał od niéj skrawek pergaminu. Trzecia okazuje w tarczy trójkątnéj 3 Krokwie po nad sobą, z napisem zatartym. Czwarta na takiejże tarczy chełm, na którym Róża; napis:* S. Petri de Rosenberg.
Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata.

Nos Iohannes, Dei gracia Boemie et Polonie rex ac Lucemburgensis comes, constare volumus tenore presencium universis quorum interest in presenti vel interesse poterit in futuro, quod nos nostro, heredum et successorum nostrorum, Boemie regum nomine, communicato spectabilis Ioffridi de Lyning comitis, Ulrici de Hanow, Petri de Rosemberch, Heinrici de Lypa iuvenis, Wilhelmi de Landstein, Tymonis de Colticz et Ottonis de Pergow, fidelium nostrorum consilio, accendentes gravem et intolerabilem laboriosi certaminis cursum, quem ob dilatacionem fidei katholice et gremium sancte matris Ecclesie ampliandum viri conspicui, frater Werenherus de Orzela, videlicet generalis fratrum domus Theutunice magister, ipsique fratres Ordinis eiusdem, terre Pruzzye domini, ac ipsorum subditi, terre predicte incole, indesinenter sustinent et expectant, pericula quoque letalia ac incommoda gravia, quibus a Lythowanis, Dei et religionis Christiane hostibus pestiferis, a domino Wladizlao Cracovie rege et aliis quam pluribus fidei katholice professoribus, ipsorum Lythowanorum fautoribus manifestis, cottidie, prout certa et personali didicimus experiencia, quaciuntur et sedulo perturbantur, ipsorum magistri et fratrum sincere compacientes angustiis, applicacionibus et dolori: ut de cetero labores eosdem ferre, ipsis eorum hostibus, et specialiter regi Cracovie, heredibus et successoribus suis aliisque dictorum Lythowanorum fautoribus et ductoribus facilius tantoque melius resistere, insultus eorum hostiles et impugnaciones valeant evadere, fidem ortodoxam defendere et quiecius omnipotenti Domino militare, cum alias contra ipsum Cracovie regem, ex eo quod regnum ac terras alias Polonie, ad nos et heredes nostros ac successores predictos iure hereditario pertinentes, vi occupat et detentat, gwerrandi causam racionabilem habeamus, amicicie et unionis indissolubilis fedus cum ipsis, fratre Wernhero magistro generali, fratribus, commendatoribus et preceptoribus, suo, successorum suorum ac tocius Ordinis predicti fratrum nomine inivimus in hunc modum: quod scilicet nos, heredes et successores nostri, reges Boemie antedicti, ipsis magistro et fratribus ad eorum requisicionem, contra regem Cracovie, heredes, successores, terras, homines et adiutores suos quoslibet, quamdiu inter nos, heredes aut successores nostros, et ipsos regem Cracovie, heredés vel successores suos, discordia duraverit, debeamus toto posse nostro, omni dolo, malo, fraude, dilacione vel malicia postpositis, sub expensis et dampnis propriis assistere consiliis et auxiliis oportunis. Si autem nobis extra regni nostri terminos constitutis, magistrum vel fratres ipsos auxilium nostrum invocare contigerit, capitaneus noster Boemie qui pro tempore fuerit, requisitus per eosdem, sub expensis et dampnis nostris similiter ut

predicitur eos nostro nomine debet et tenebitur adiuvare. Volumus nichilominus omnes et singulas ipsorum magistri et fratrum causas, apud Sedem apostolicam, imperium et alias ubicumque, pro viribus tamquam proprias efficaciter promovere, nec volumus sepedictis regi, heredibus vel successoribus suis reconciliari aliquo modo aut uniri, pacem seu treugas pacis, placita seu concordiam cum eis inire aliquam, absque magistro et fratribus suprascriptis eorumque consilio et auxilio in premissis specialiter requirendo. In cuius rei testimonium, presencia sigillo nostro maiori fecimus roborari. Datum et actum Thorun anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono, dominica Invocavit.

Et nos Ioffrid comes de Lyning, Ulricus dominus in Hanow, Petrus de Rosemberch, cum pluribus aliis suprascriptis confederacioni eidem interfuimus, ipsam sigillorum nostrorum appensionibus consignantes. Datum loco et die predictis.

Nr. 1098.

Wladislaus rex Polonie etc. 1329 Apr. 25, Poznanie; confirmat venditionem hereditatis Wyszanów, a nobilibus Miscicz, Miscanta et caeteris fratribus in rem monasterii Paradyż factam.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia osobno zachowanéj pieczęci Władysława króla; (pieczęć XLIV).

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 12. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Poloniae 89.

In nomine Domini amen. Cum ordinaciones, vendiciones et resignaciones inter quoslibet, robur obtinere nequeant firmitatis, si consensu regum seu principum et literarum testimonio non fuerint roborate, proinde nos Wladislaus, Dei gratia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Lancicie, Cuyavieque dux et heres, ad noticiam tam presentium quam futurorum volumus devenire, quod nobiles fideles nostri Misciz, Miscanta et Andreas fratres uterini, heredes de Wisenow, una cum sorore ipsorum Unislava in nostra nostrorumque baronum constituti presentia corporali, sane mentis et in obtima corporum suorum valetudine, non coacti, sed sponte hereditatem suam paternalem predictam, Wisenow vulgariter dictam et in districtu castri Meczreczensi (sic), dudum venditam domino Hermanno abbati de Paradyso et fratribus suis ac domui ibydem, nunc domino Iohanni et fratribus ac memorate domui, cum omnibus utilitatibus, proventibus, usufructibus ac toto dominio, prout personaliter tenuerunt, iure hereditario in perpetuum possidendam, vendendam, seu commutandam, sicut ipsis utilius et melius expedire videbitur, dederunt, tradiderunt et libere resignaverunt, nichil vero penitus iuris sive dominii pro se aut pro suis legittimis heredibus ac successoribus ibydem reservando; promittentes etiam firmiter predicti fratres, alios duos fratres suos absentes nunc, scilicet Gnevomirum et Iohannem, similiter ad resignacionem statuere et finaliter ad nostram presentiam evocare. Nos autem precibus ipsorum ex utraque parte benignius inclinati, prefatam empcionem, vendicionem et resignacionem ratam ac gratam habentes, prenominato abbati, fratribus et domui ipsam hereditatem iure hereditario possidendam, seu vendendam aut commutandam, cum omnibus utilitatibus, sicut prescriptum est, presentibus in perpetuum confirmamus. In cuius rei testimonium, presentem paginam

conscribi fecimus et sigillo nostro roborari. Actum Poznanie in die Marci evangeliste, anno Domini M.CCC. vicesimo nono, presentibus hys testibus: venerabili in Christo patre domino Iohanne episcopo Poznaniensi, Petro castellano, Woyslao iudice, Cesante wlodario Poznaniensibus, Nicolao castellano de Bechow, et aliis multis fide dignis. Datum per manus magistri Petri, doctoris decretorum, decani Poznaniensis et cancellarii nostri regni Polonie.

Wisenow, *Wyszanów*. Paradysus, *klasztor Paradyż*. Bechow, *Biechów*.

Nr. 1099.

Henricus dux Zlesie et Glogovie etc. 1329 Iun. 6, Wratislavie; protestatur, se omnes suas possessiones a Iohanne rege Bohemiae in perpetuum feudum recepisse.

Sommersberg, Scriptores etc. I, pag. 845.

In nomine Domini amen. Noverint universi tam presentes quam posteri noticiam presencium aut copiam habituri, quod quia nos Henricus, Dei gracia dux Zlesie et Glogovie ac domnus Saganensis, ob specialis amoris affectum, quem erga magnifici principis domni Iohannis, Boemie et Polonie regis ac Lucemburgensis comitis, domini nostri charissimi, gerimus celsitudinem, habito nobiscum amicis quoque ac fidelibus nostris consilio diligenti ac deliberatione matura, accedentibus etiam favore et consensu eorundem expressis ad subscripta, bonum in hoc nostrum principaliter, consequenter autem fidelium, terrarum, civitatum, hominum et bonorum omnium nostrorum infrascriptorum commodum statumque in antea pacificum perpendentes, princeps et vasallus, suus, heredum, successorum suorum Boemie regum ac ipsius regni Boemie, in perpetuum fieri et fore decrevimus, omnia et singula bona nostra sub eisdem libertatibus ac iuribus, quibus a predecessoribus nostris ad nos pervenisse noscuntur, omnes terras nostras, quas ad presens possidemus vel possidebimus quocunque titulo in futurum, tam citra quam ultra fluvium qui Odora dicitur, cum civitatibus ac castris eis adiacentibus ac aliis, Zagano videlicet, Vreinstat, Sprotaw, Grunemberch, Krozzem, Numburch, Wartemberch, Malmitz, Pusa, Pobersberg, Zulchow, Swibzin, Lubnaw, Brutnicz, Bentschitz, Kopanitz, Standendorf, Netka, Babinmost, Premlikaw, Prsibrow, Trebechow, cum ceteris fortaliciis et municionibus nostris, omnibus appendiis, dominiis, oppidis, villis, allodiis, feudis, feudalibus nobilibus et plebeiis, iuribus, redditibus, proventibus et utilitatibus eorundem, quocunque vocentur nomine vel in quibuscunque consistant, nostro, heredum et successorum nostrorum, Zlesie et Glogovie ducum ac dominorum Zaganensium nomine, in regis ipsius manibus sponte et libere resignantes, ab eo in feudum recepimus perpetuum, factoque sibi per nos fidelitatis debite homagio, prestito corporali nichilominus iuramento, ipsi regi, heredibus et successoribus suis predictis, tanquam veris dominis nostris, velut princeps et vasallus eorum regnique Boemie antedicti, parere deinceps promisimus et intendere in eosdem, et contra quemlibet principem et hominem ipsos pro viribus fideliter adiuvare: reservata nobis edificandi ac restaurandi munitiones novas in terris nostris et bonis premissis, et destruendi veteres, ubicunque et quocunque nobis videbitur pro nostro, terrarum predictarum et hominum nostrorum commodo expedire,

libera facultate. Volentes et firmiter statuentes, ut si forte nos, heredes aut successores nostri, sublati de medio fuerimus heredibus legitimis et precipue masculinis non relictis, extunc bona nostra, terre, civitates et oppida cum omnibus pertinentiis suis, ut predicitur, ad fratres nostros principes illustres, dominum Conradum videlicet ducem Zlesie et Glogovie, dominum Olesnensem, ac dominum Iohannem ducem Zlesie et Glogovie ac dominum Stynavie, heredesque masculinos, duntaxat si quos reliquerint; si autem nullos post se masculos reliquerint, ad regnum Boemie predictum libere et hereditarie debebunt pertinere. Hoc tamen adiiciendum duximus nominatim: quod si nos ipsi, heredes vel successores nostri prefati, cum clericis, civibus, rusticis et Iudeis nostris aliquid cause questionis vel iudicii instauraverimus, de his et huiusmodi rex, heredes et successores sui predicti, nobis, heredibus vel successoribus nostris superstitibus intromittere se non debeant quovis modo. Si vero nobiles vel fideles terrarum nostrarum suprascriptarum, debitam per nos, heredes et successores nostros, de suis questionibus aut causis nobis motis, de quibus, iuxta literarum regalium datarum nobis continentiam, secundum fidelium nostrorum sentenciam et dictamen subire tenemur et facere iudicium, assequi non possint iustitiam, regem, heredes et successores suos predictos adire poterunt libere, querelas ipsorum proponere et defectus; nosque, heredes et successores nostri predicti, citati ibidem coram rege, videlicet heredibus et successoribus suis Boemie regibus, ubicunque fuerint Boemie aut Polonie, coram altero vero principe, per eos ad hec iudice deputato, sisti tenebimur in terra Wratislaviensi duntaxat, iudicio facere et subire de nobis, heredibus vel successoribus nostris conquerentibus quibuslibet iusticie complementum. Illud insuper specifice decrevimus exprimendum: quod si fortasse nos, heredes et successores nostros, gravatos inopia, debitis aut alia causa rationabili aliqua, territorii et dominii aliquantum de nostris vendere, aut obligare continget munitionem principi nobis equali, aut etiam territorium non habenti fideli et vasallo nostro, per hunc alteri, ipsi regno Boemie competenti, munitionem eandem, sive dominium habeat et territorium sive non, vendendam et obligandam, ipsis regi, heredibus et successoribus suis pre ceteris exhibere debeamus; qui si ipsam emere vel in pignore recipere noluerint, princeps ipse, munitionem predictam, territorium videlicet habentem, emens aut pignore tenens, in feudum ipsam recipere tenebitur ab eisdem, ipsisque tanquam suis veris dominis parere, servire, intendere de eadem. Alter vero, non princeps, emens vel pignore tenens munitionem nostram, ut predicitur territorium aut dominium non habentem, a nobis, heredibus et successoribus nostris eam in feudum suscipere tenebitur; hoc adiecto, quod rex, heredes aut successores sui antedicti, munitiones supradictas, pro summa eadem in qua obligate fuerint vel vendite, redimere valeant quomodo velint. Illud etiam nolumus preterire, quod si rex, heredes vel successores sui predicti, nos, heredes vel successores nostros pro prestando ipsis per nos adiutorio ad partes extra Bohemiam et Poloniam evocaverint alienas, convenientiam nobis debitam, ne servitiis nimiis et importabilibus pregravemur, teneatur facere. In quorum omnium testimonium, presentes fieri iussimus litteras, sigilli nostri robore communitas. Datum et actum Wratislavie feria III post dominicam Misericordie, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

Saganensis, *de Sagan.* Odora, *Odra rz.* Vreinstat, *Freistadt.* Sprotaw, *Sprottau.* Grunemberch, *Grünberg.* Krozzem, *Crossen, zam. Krośno.* Numburch, *Naumburg.* Wartemberch, *Deutsch Wartenberg.* Malmitz, *Malmitz.* Pusa, *Puschkau.* Pobersberg,

Bobersberg. Zulchow, *Züllichau, zam. Cylichowa.* Swibzin, *Schwiebus, zam. Świebodzin.* Lubnaw, *Liebenau, zam. Lubrza.* Brutnicz, *Brandorf, czyli Przyprostnia.* Bentschitz, *Zbąszyń.* Kopanitz, *Kopanica.* Standendorf, *Schertendorf.* Netka, *Netkow.* Babinmost, *Babimost.* Premlikaw, *nie odgadnione, może Primkenau.* Prsibrow, *nie odgadnione, może Priebus.* Trebechow, *Trebichow.* Olesnensis, *de Oleśnica, z niem. Oels.* Stynavia, *Ścieniawa, z niem. Steinau.*

Nr. 1100.

Consules et scabini civitatis Zbansin 1329 Iun. 18, in Zbansin; protestantur, monasterium Paradyż pecunias filiis Usanti, ut ab impetitione in villa Wyszanów cessarent, promissas perfecte persolvisse.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia dwóch pieczęci.
Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 14.

Nos consules et scabini civitatis Zbansin recognoscimus et tenore presencium puplice protestamur, quod dominus abbas et conventus monasterii de Paradyso XIII marcas, IIII solidos grossorum pro marca computatos (sic), filiis Usanti, Miscits ac Misanta dictis, promissas, ut ab impeticione, quam in minore Wischenov habuerant cum suis fratribus ac sorore, penitus cessarent, diebus statutis integre et perfecte eisdem persolverunt. In cuius rei testimonium, sigillum Willislai dicti de Nanden et domini Symeonis plebani nostri presentibus est appensum. Datum et actum in Zbansin anno Domini M.CCC.XXIX, in die sancte Trinitatis, coram testibus: domino Iacobo plebano in Brandatendorp, Hinrico Teutunico et Wenzenslao, capitaneis in Zbansin, Martino prefecto ibidem, et aliis quam plurimis fide dignis.

Zbansin, *Zbąszyń.* Paradysus, *klasztor Paradyż.* Wischenov, *Wyszanów.* Nanden, *Nądnia.* Brandatendorp, *z niem. zam. Villa Prandotae, Przyprostnia.*

Nr. 1101.

Willislaus Samborius Watta dicti de Nanden 1329 Iun. 18, in Nanden; protestantur, monasterium Paradyż pecunias, filiis Usanti hac conditione promissas, ut ab impetitione in villa Wyszanów cessarent, persolvisse.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia osobno zachowanéj pieczęci Wilisława; (pieczęć XLV). *Maciéj Watta z Nądni występuje na końcu XIV wieku, jako należący do rodu Nałęczów. Lib. terr. Poznan. a. 1398, f. 222.*
Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 15.

Nos Willislaus, Samborius Watta, dicti de Nanden, recognoscimus et tenore presencium puplice protestamur, quod dominus abbas et conventus monasterii de Paradyso tredecim marcas, quatuor solidos pro marca computatos, quas filiis Usanti, Miscitz et Misanta dictis, promiserant, ut ab impeticione quam in minore Wischenow habuerant penitus cum suis fratribus ac sorore cessarent, diebus statutis integre et perfecte eisdem persolverunt. In cuius rei testimonium, sigillum Willislai de

Nanden presentibus est appensum. Datum in Nanden in die sancte Trinitatis, anno Domini m.ccc.xxix, coram testibus: domino Symeone plebano in Sbansin, domino Iacobo plebano in Brandatendorp, et aliis plurimis fide dignis.

Nanden, *Nądnia.* Paradysus, *klasztor Paradyż.* Minor Wischenow, *Wyszanów.* Sbansin, *Zbąszyń.* Brandatendorp, *z niemiecka zam. Villa Prandotae, dziś Przyprostnia.*

Nr. 1102.

Wladislaus rex Polonie etc. 1329 Aug. 24, apud Sandomiriam; confirmat emptionem sortis dictae Rambenicze, a Thoma de Wierzyce factam.

Pergam. orygin. U dolnego, szeroko założonego brzegu przywieszona na sznurku nici jedwabn., zielon. pieczęć Władysława króla; (pieczęć XLIV).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 94.

In nomine Domini amen. Cum vendiciones, empciones et resignaciones inter quoslibet, robur obtinere nequeant firmitatis, si consensu regum seu principum et litterarum testimonio non fuerint roborate, proinde nos Wladislaus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Lancicie Cuyavieque dux et heres, ad notitiam tam presencium quam futurorum volumus devenire, quod fidelis noster Thoma de Werzna, filius Boguphali Boczate, in nostra nostrorumque baronum constitutus presencia corporali sufficienter ostendit et ydoneo testimonio conprobavit, se hereditatem olim Clementis in Sceple, scilicet totam partem quam ipse Clemens ex successione paternali ybidem habuit et possedit, que vulgariter Rambenicze nuncupatur, pro quatuor marcis grossorum iure hereditario cum omnibus utilitatibus emisse, et pro se ac suis legittimis heredibus et successoribus comparasse. Nos vero precibus ipsius Thome benignis (sic) inclinati ac probationibus ipsius diligentissimis inspectis, ipsam empcionem et vendicionem olim factam exnunc ratam et gratam habentes, prefato Thome et suis legittimis heredibus ac successoribus ipsam partem hereditatis totam, iuxta Nydome situatam, cum omnibus utilitatibus, prout predictum est, iure hereditario in perpetuum possidendam, vendendam seu commutandam, sicut eis utilius et melius expedire videbitur, presentibus confirmamus. In cuius rei testimonium, presentem paginam conscribi fecimus et sigillo roborari. Actum apud Sandomiriam in die beati Bartholomei apostoli, anno Domini M.CCC. vicesimo nono, presentibus hiis nobilibus nostris: Thomislao archidiacono Gneznensi, Iacobo iudice Kalisiensi, Berwoldo castellano de Scrim, Cesanchte wlodario Poznaniensi, ac aliis multis fidedignis. Datum per manus Arnoldi notarii curie nostre.

Werzna, *Wierzyce.* Sceple, *nie odgadnione, zapewne* Scaple *Nru. 7.* Rambenicze, *osada znikła.* Nydome, *Nidom.* Scrim, *Śrem.*

Nr. 1103.

Vladizlaus rex Polonie etc. 1329 Oct. 29, Cracovie; promittit, se pacem, quam Vincentius palatinus Poznaniens. cum Ludovico marchione Brandenburgensi ad tres annos ordinaverat, observaturum.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. B. II, p. 60. (Kopja).

Noverint universi presentium notitiam habituri, quod nos Vladizlaus, Dei gratia rex Polonie nec non Kracovie, Sandomerensis, Syradie, Lancicie Cuiavieque terrarum dominus et heres, bona fide et omnis doli specie proculmota promittimus firmiter in hiis scriptis, omnes treugas et pacem, quas fidelis noster Vincencius, palatinus Poznaniensis et capitaneus Polonie, cum excellentissimo principe domino Ludovico marchione Brandenburgensi ac Saxonibus quibuscunque ratas et firmas a festo beati Martini proxime venturo ad tres annos quomodolibet ordinavit, firmiter observare et tenere inviolabiliter ad tempus ordinatum, ac etiam omnes condiciones ac obligaciones, per ipsum Vincencium nostro nomine factas et ordinatas, ratas, gratas et firmas habere spondemus per presentes. Ut autem hec nostra promissio vires valeat obtinere, presentes conscribi et sigillorum nostrorum muniminibus iussimus roborari. Datum et actum Cracovie in crastino Symonis et Iude, anno Incarnacionis Domini M.CCC. vicesimo nono.

Nr. 1104.

Andreas prepositus ecclesie Poznaniens. 1329 Nov. 2, Poznanie; villam Paczkowo, ad praepositaram Poznaniens. ecclesiae pertinentem, Mathiae scolteto ad locandum iure Theutonico tradit.

Pergam. orygin. Sznurek z nici jedwabnych, czerwon. i zielon., z którego pieczęć znikła.

Poznań. Archiv. Capituli. III, 12.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria, nisi scripturarum et testium munimine fuerint perhennata. Idcirco nos Andreas prepositus ecclesie Poznaniensis notum facimus universis presencium noticiam habituris, quod bona et matura deliberatione prehabita villam nostram, Paczkowo nominatam, ad nos nomine prepositure nostre Poznaniensis pertinentem, de consensu et voluntate eiusdem Poznaniensis ecclesie Capituli Mathie sculteto ibidem iure Theutonico dedimus ad locandam. Ita sane, quod idem Mathias suo et suorum successorum nomine eandem scultetiam cum subscriptis pertinenciis iure hereditario perpetue possidebit, videlicet cum tribus mansis liberis minus quarta ibidem, cum duobus ortis, thaberna, pistrino, maccello, fabrica, et cum tercio denario qui de iudicio derivatur. Duos vero mansos cum duobus ortis, ibidem pro nobis duximus reservandos. Yncole autem ville predicte, nomine census, de manso quolibet duas mensuras ordei, duas tritici, quatuor siliginis et quatuor avene, cum uno fertone, duodecim grossos pro fertone quolibet computando, annis singulis in festo beati Martini nobis et nostris successoribus in perpetuum tenebuntur solvere, et ad nostram curiam in Poznania adducere ac etiam presentare.

Preterea tria prandia annis singulis, cum nos, aut alium nostro nomine, ibidem generali contigerit presidere iudicio, prestare tenebuntur, aut pro prandio quolibet unum fertonem solvere tenebuntur. Ceteros quoque honores, prout alie ville Theutonicales, ecclesie, nobis et nostris successoribus tenebuntur exhibere. In quorum testimonium presentes sibi dedimus, nostri et prefati Capituli sigillorum appensione munitas. Actum et datum Poznanie in crastino Omnium Sanctorum, anno Domini M.CCC.XX nono, presentibus fratribus nostris de Capitulo predicto: dominis Abraham scolastico, Adam cantore, Woyslao cancellario, Mychaele, Stephano, Clemente, Iescone, Andrea et alio Andrea, canonicis predicte ecclesie, et aliis.

Paczkowo, *Paczkowo.*

Nr. 1105.

Wyrzbyatha heres de Pruszycze 1329 Nov. 2, in Gnezna; monasterio de Łekno lacum Głębocko, partem fluvii Żeleźnica et silvae adiacentis villae Sadki confert.

Transsumpt potwierdzony przez: Petrus de Conarzewo iudex et Iacobus de Splavye subiudex terrestres Calissienses 1532 Apr. 29, in terminis particularibus protunc Gnezne celebratis; *w pergaminie orygin., przy którym skrawki pergam. od zawieszenia dwóch pieczęci pozostały.*

Wągrowiec. Archiv. monasterii. Diplomata.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod ego Wyrzbyatha heres de Pruszycze, cupiens progenitorum meorum circa pia opera vestigiis inherere, qui prout didici domo et monasterio Leknensi et fratribus in eo degentibus in exhibicione elemosyne et aliis operibus caritatis commoda plurima prebuerunt, pro remedio anime mee et eorundem progenitorum meorum lacum meum qui dicitur Glamboczko, sittum in hereditate Langkowo, et fluvium sive rivulum cum utroque littore, qui Zelesznycza nuncupatur, cum nemore et silva que transit ab eodem fluvio usque ad silvam magnam donec pervenitur ad Szadykyerzs, veluti solus tenui, domui et monasterio ac fratribus de Lekna Ordinis Cisterciensis, Gneznensis diocesis, non compulsus nec coactus, sed libere ac in bona valitudine corporis mei dono, trado et resigno cum omnibus utilitatibus, per eos, videlicet monasterium Leknense et fratres monasterii eiusdem, pacifice ac quiete perpetuo possidenda; promittens firmiter pro Martino filiolo meo et pro amicis meis omnibus, quod ipsos, monasterium et fratres predictos, super prefatis lacu et fluvio ac silva non inquietabunt nec impetent, per violentam occupacionem et aliquovis modo. In cuius rei testimonium, meum et nobilium virorum, Vincencii palatini Poznaniensis et Iacobi iudicis Kalisiensis, coram quibus dicta donacio, resignacio et tradicio facta est, sigilla presentibus sunt appensa. Datum in Gnezna quarto Nonas Novembris, anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo nono, presentibus nobilibus viris: Sbylutho castellano Naklensi, Vincencio cantore, Thomislao archidiacono Gneznensibus, et aliis fidedignis.

Pruszycze, *Prusiec.* Leknensis, *de Łekno.* Lacus Glamboczko, *jezioro, nad którem leży wieś Wiatrowo.* Fluvius Zelesznycza, *odpływ jeziora Wiatrowskiego do rz. Wełna.* Szadykyerzs, *Sadki.* Naklensis, *de Nakło.*

Nr. 1106.

Heinricus dux Slesie et dominus Sagani 1330 Febr. 10, in Sprote; civitatem et castrum Lubrza monasterio Paradyż confert.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia osobno zachowanéj małéj pieczęci Henryka księcia; (Orzeł rozpostarty, w koronie).

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 16.

Nos Heinricus, Dei gracia dux Slesie et dominus Sagani, in hys scriptis publice recognoscimus et testamur, quod domino abbati et conventui monasterii de Paradiso Cysterciensis Ordinis, Poznaniensis dyocesis, contulimus civitatem et castrum Lubnow cum terminis circumferencialibus ipsius et bonis adiacentibus cum omnibus utilitatibus, et appropriavimus eisdem cum omni iuris integritate, prout in instrumento ipsorum super hoc confecto plenius continetur. Et si, quod absit, quisquam, cuiuscunque status, condicionis aut dignitatis existeret, contra indultum huiusmodi attemptare presumeret, fortassis sibi dominium aut aliquod ius in dictis bonis usurpando, dicimus, hoc omnino carere viribus et nullius existere firmitatis, nullis omnino nostris collacionibus, concessionibus, indulgenciis, privilegiis, sub quacunque forma verborum conceptis in contrarium, non obstantibus, publice vel privatim. Hanc autem solempnem donacionem predicto monasterio habere volumus illibatam. Datum in Sprote anno Domini m.ccc.xxx, in die Scolastice virginis.

Saganum, *Sagan.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Lubnow, *z niemiecka Liebenau, zam. Lubrza.* Sprote, *Sprottau.*

Nr. 1107.

Petrus dictus de Lossow 1330 Mart. 1, s. l.; recognoscit, se castrum Lubrza monasterio Paradyż vendidisse.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 86.

In nomine Domini amen. Noverint universi presencium noticiam habituri, quod ego Petrus dictus de Lossow recognosco in hys scriptis publice protestando, religiosis viris ac discretis dominis ac confratribus de Paradiso me castrum Lubenow cum suis pertinenciis rite ac racionabiliter vendidisse, ita, quod Vyslaus de Wysenze nichil proprii habeat in bonis supradictis; quod eciam ydem confratres predicti claustri, testimonio dominorum et famulorum tocius territorii possunt comprobare. In cuius signum, meum sigillum presentibus est appensum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo, proxima quinta feria ante dominicam Reminiscere qua cantatur.

Lossow, *Lossow.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Lubenow, *z niemiecka Liebenau, zam. Lubrza.* Wysenze, *z niem. Weissensee, zam. Chycina.*

Nr. 1108.

Ianislaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1330 Apr. 25, Gnezne; hereditatem ecclesiae Gneznensis, dictam Cotuń, ad locandum iure Szredensi Petro filio Pauli exponit.

Transsumpt potwierdzony przez: Vincencius s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus et primas 1447 Nov. 24, Gnezne; *w pergam. orygin., w którego dolnym brzegu dziurki od przyw. dwóch pieczęci.*

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 448.

In nomine Domini amen. Ne ea que aguntur in tempore cum decursu temporis evanescant, dignum est, ut litteris authenticis, cum subscripcionibus testium, posterorum noticie commendantur. Igitur nos Ianislaus, divina et apostolice Sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, notum facimus universis presentibus et futuris ad quos devenerit scriptum presens, quod reformare bona ecclesie nostre prout possumus cum divino auxilio intendentes, hereditatem eiusdem ecclesie Czathome vulgariter nuncupatam, situatam in Zneynensi districtu, prout in suis limitibus est distincta, de voluntate et assensu fratrum nostrorum, Gneznensis videlicet Capituli, iure Theutunico, Szredensi videlicet, exposuimus ad locandam, vendentes Petro filio quondam Pauli pro parata pecunia scolteciam in eadem, et dantes eidem et suis liberis legittimisque successoribus nomine scoltecie eiusdem decimum mansum liberum, tercium denarium iuramentorum et cuiuslibet iudicati, medietatem thabernarum, per eum et suos successores legittimos iure hereditario possidenda. Addimus eciam eidem scolteto de gracia speciali, quod possit ad mensam suam cum parvo rethe in Lupcze lacu nostro piscari. Preterea, incole hereditatis eiusdem habebunt octo annis a solucione census et decime libertatem; ita tamen, quod primis annis duobus erunt a censu et decima liberi omnino, sed duobus annis sequentibus dabunt decimam, de agris cultis tantummodo, manipulatim in campis. Elapsis et eisdem annis duobus, hoc est in quarto anno libertatis eiusdem, decima iuxta valorem taxabitur, et prout taxata fuerit, sic incole predicti annis quatuor sequentibus pecuniam pro decima exsolvant anno quolibet specialem; sed devolutis plenarie octo annis libertatis predicte, coloni hereditatis prefate maldratas triplicis frumenti: quatuor mensuras tritici, quatuor siliginis et quatuor avene: ac fertonem usualem argenti racione census et decime, annis singulis, de manso quolibet, nobis perpetuo solvere tenebuntur. Et quoniam iura Szredensia nobis sunt incognita et ignota, omnia que commodum et utilitatem respiciunt dominorum, salva nobis et integra reservantes. Et ut hec nostra ordinacio robur optineat perpetue firmitatis, presens privilegium scribi fecimus, et nostri ac predicti nostri Capituli sigillorum appensione muniri. Actum et datum Gnezne in die beati Marci ewangeliste, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo, presentibus honorabilibus viris: dominis Ywano preposito, Nicolao decano, Vincencio cantore, Thomislao archidiacono, Iohanne custode, Petro cancellario et aliis canonicis Gneznensibus, per manus Nicolai nostri cancellarii.

Czathome, *Cotuń.* Zneynensis, *de Żnin.* Szredensis, *de Środa, czyli Novum forum, z niemiecka Neumarkt.* Lupcze, *Lubcz.*

Nr. 1109.

Iohannes episcopus Poznaniens. 1330 Mai. 13, Poznanie; pro sustentatione rectoris ecclesiae in villa Krerowo censum mensae suae, de oppido Środa provenientem donat.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 98.

In nomine Domini amen. Cum memoria hominum sit labilis quia homo labilis est et mortalis, necesse est, ut ea que in presenti hominum disposicione ordinantur, ad perpetuam rei memoriam scripturarum et testium munimine perhennentur. Eapropter noverint universi presencium noticiam habituri, quod nos Iohannes, Dei gracia episcopus ecclesie Poznaniensis, cupientes saluti nostre prout expedit salubriter providere, censum nostrum in maldratis et fertonibus, quem ad nostram mensam episcopalem spectantem habemus et possidemus in Sroda, intuitu Dei omnipotentis et Sanctorum eius, ecclesie beati Iohannis Baptiste nostre fundacionis cum (sic) villa nostra Crirowo, de consensu unanimi et voluntate Capituli nostri, pro sustentacione rectoris eiusdem ecclesie, qui est aut fuerit pro tempore, per ipsum nomine ipsius ecclesie possidendum perpetue tenore presencium donamus, conferimus et eciam duximus ascribendum. In cuius rei testimonium, presentibus nostrum nostrique Capituli sigilla duximus apponenda. Actum et datum Poznanie III Idus May, anno Domini m.ccc.xxx, presentibus et consencientibus fratribus nostris de Capitulo: dominis Abraham scolastico, Adam cantore, Dominico archidiacono, Voyslao cancellario, Stephano decano Vrathislaviensi, Gabriele thezaurario, Clemente, Stephano, Iohanne procuratore nostro, Iohanne de parochia, Iascone dicto Bonum mane, Andrea, alio Andrea, canonicis nostris, et aliis.

Sroda, *Środa.* Crirowo, *Krerowo.*

Nr. 1110.

Iohannes episcopus Poznaniens. 1330 Iul. 6, in ecclesia Poznaniensi; Viglossium heredem de Niemierzyce et incolas villae eiusdem, ad solvendum decimas manipulatim archidiacono Poznaniensi sententialiter condemnat.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 107.

In nomine Domini amen. Cum coram nobis Iohanne, Dei gracia episcopo ecclesie Poznaniensis, inter dilectum nobis fratrem in Christo dominum Dominicum, archidiaconum nostrum Poznaniensem, actorem ex una, et Viglosium heredem bonorum Nemirse, nomine incolarum ville eiusdem, reum parte ex altera, super decimis ibidem orta fuisset materia questionis, idem dominus archidiaconus petivit in iudicio, dictum heredem nomine incolarum predictorum, sibi nomine prebende sue Poznaniensis ad solucionem decimarum manipulatim faciendam sentencialiter condempnari; lite vero inter partes legitime contestata et prestato a partibus hinc inde de calumpnia iuramento, productis testibus et eorum attestacionibus publicatis, tandem conclusum in causa extitit hinc et inde. Nos visis et auditis parcium iuribus, ra-

cionibus et probacionibus et eis vera iusticie lance discussis, deliberacione nobiscum et cum fratribus nostris de Capitulo prehabita diligenti, partibus propter hoc in nostra presencia constitutis et sentenciam ferri postulantibus, Dei nomine invocato, prefatos incolas in Nemirse et dictum heredem eorum nomine, ad solucionem decimarum manipulatim de bonis eisdem faciendam perpetue domino archidiacono, sue prefate prebende nomine, condempnamus sentencialiter in hys scriptis. Lata est hec sentencia in dicta nostra ecclesia coram nostro Capitulo feria sexta infra octavas apostolorum Petri et Pauli, anno Domini m.ccc.xxx, presentibus fratribus nostris de dicto Capitulo: dominis Andrea preposito, magistro Petro decano, Abraham scolastico, Voyslao cantore, Boguslao custode, Stephano decano Vrathislaviensi, Gabriele cancellario, Iascone, Iohanne de parrochia, Iescone de Crirowo, Andrea, Clemente, Stephano, canonicis nostris, et aliis. In cuius rei testimonium, sigilla, nostrum et dicti nostri Capituli, presentibus sunt appensa.

Nemirse, *Niemierzyce.* Crirowo, *Krerowo.*

Nr. 1111.

Iohannes episcopus Poznaniens. 1330 Oct. 1, in domo Voyslay cantoris Poznaniens.; confirmat privilegium, quod dederat Nicolao dicto Kiczino: **Iohannes prepositus Poznaniens. 1316 Mart. 24, Poznanie,** eundemque Nicolaum ad solutionem decimarum de duobus mansis in villa Kicin condemnat.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 96.

In nomine Domini amen. Cum coram nobis Iohanne, Dei gracia episcopo ecclesie Poznaniensis, inter honorabilem virum dominum Andream nec non Poznaniensem prepositum, actorem, ex una, et Nicolaum dictum Kiczino, reum, parte ex altera, super decimis duorum mansorum dicti Nicolai, sitorum in Kiczino, orta esset materia questionis, idem Nicolaus ad fundandam suam intencionem quoddam instrumentum exhibuit in hec verba: *(Sequitur diploma Nr. 980.)*

Nos itaque eodem instrumento viso et inspecto ipsiusque circumstanciis cum diligencia intellectis, ipsum Nicolaum invenimus suam intencionem non probasse, ipsumque instrumentum esse insufficiens ad suam intencionem fundandam; unde Nicolaum eundem et suos successores, nostrorum fratrum de Capitulo nostro communicato consilio, ad solucionem decimarum de dictis duobus mansis faciendam perpetue domino preposito nostro predicto et suis successoribus nomine prepositure predicte, Dei nomine invocato, condempnamus et condempnandum decernimus sentencialiter in hys scriptis. Lata est hec sentencia in Capitulo nostro in domo domini Voyslay cantoris nostri, in die beati Remigii, anno Domini m.ccc.xxx, presentibus fratribus nostris, dominis preposito, cantore predictis, Gabriele cancellario, Stephano decano Wrathislaviensi, Dominico archidiacono, Iaskone, Clemente, Iohanne, et aliis canonicis nostris. In cuius rei testimonium, presentibus nostrum nostrique Capituli sigilla sunt appensa.

Kiczino, *Kicin.*

Nr. 1112.

Wlosto heres de Czena 1330 Nov. 3, in Opatow; novam villam suam, dictam Lelewo, ecclesiae Gneznensi pro 30 marcis grossorum obligat.

Pergam. orygin., miejscami przeżarty. Od przywieszonéj niegdyś pieczęci pozostał pasek pergamin.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 95. (Dopełniono z Lib. privil. XV sec. fol. 91).

Noverint universi presencium noticiam habituri, quod ego Wlosto heres de Czena novam villam meam, dictam Lelevo, cum parte hereditatis mee dicte Czena, prout est signata per ministerialem domini regis Marcyssium de Leszkovicz: incipiendo videlicet a fluvio Czena vulgariter nuncupato, ubi cumulus est fossus, deinde ad arborem pyni primam, secundam et terciam, que eciam sunt signate, post hec ad monticulum ubi cumulus est fossus in agro, demum ad quercum, et post hec ad viam que ducit de Opatow in Godzeszow usque ad aliam viam que transit de Czena in Chelmecz, et per eandem viam usque ad fluvium Coprzywnicza nuncupatum, ad locum qui dicitur Bogumilovi lani, ubi dicta mea hereditas terminatur: venerabili in Christo patri domino Ianislao, Gneznensi archiepiscopo, et ecclesie sue pro triginta marcis grossorum Pragensium, computando pro marca quatuor solidos, obligavi, quas triginta marcas me in presentibus confiteor recepisse. Tenebit autem tamdiu prefatus dominus archiepiscopus et ecclesia sua predictam partem hereditatis mee, cum omnibus utilitatibus que inibi sunt vel esse possunt, pacifice et quiete, donec per me vel meos liberos aut successores legittimos predicte triginta marce grossorum in parato sibi fuerint integraliter persolute. Actum et datum in Opatow III Nonas Novembris, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo. In cuius rei testimonium, sigillum meum presentibus est appensum. Huius autem obligacionis mee sunt hii testes: comes Wszeborius de Pantek venator Kalissiensis, Benessius subiudex ibidem, Iohannes de Corzenow, Henricus civis Kalisiensis, et alii plures fide digni.

Czena, *Cienia.* Lelevo, *osada znikła.* Leszkovicz, *Leszkowice.* Czena fluv., *dziś rz. Stawka.* Opatow, *Opatówek.* Godzeszow, *Godzisze.* Chelmecz, *Chełmce.* Coprzywnicza fluv., *lewy przypływ rz. Stawka.* Pantek, *Piątek.* Corzenow, *Korzeniów.*

Nr. 1113.

Vincencius palatinus Poznaniens. capitaneus Polonie et Iacobus iudex Kalisiens. 1330 Nov. 12, in Kalis; protestantur, Wlostkonem, heredem de Cienia, villam Lelewo ecclesiae Gneznensi pro 30 marcis grossorum Pragensium obligavisse.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 92.

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod coram nobis, Vincencio palatino Poznaniensi capitaneo Polonie, et Iacobo iudice Kalisiensi, nobilis vir Wlostko heres de Czena constitutus personaliter publice recognovit, novam villam suam, di-

ctam Lelewo, cum parte hereditatis dicte Czena, prout ipsam Marcissius ministerialis domini regis nostri in terra et arboribus signaverat, et prout eciam eadem signa in littera Wlostkonis eiusdem evidenter apparent, venerabili in Christo patri domino Ian., Gneznensis ecclesie archiepiscopo, pro triginta marcis grossorum Pragensium, computando pro marca quatuor solidos, obligaverat. Quas triginta marcas confessus est ab eodem domino archiepiscopo recepisse, et predictam villam cum parte hereditatis superius designate, tamdiu per eundem dominum archiepiscopum et ecclesiam suam, cum omnibus utilitatibus que iam sunt vel esse poterunt in futurum, pacifice et quiete tenendam, donec sibi et ecclesie ipsius prefate triginta marce per ipsum Wlostkonem vel per suos liberos in parata pecunia ex integro fuerint persolute; in quorum testimonium, nostra sigilla presentibus sunt appensa. Actum in Kalis in crastino beati Martini episcopi, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo presentibus (*vacuum*).

Czena, *Cienia.* Lelewo, *osada znikła.*

Nr. 1114.

Iohannes episcopus Poznaniens. 1330 Dec. 3, Poznanie; molendinum, quondam Brunonis nuncupatum, Iesconi Alexandri, civi Poznaniensi, ad certum annuum censum confert.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 35.

In nomine Domini amen. Cum ea que fiunt in tempore, ne simul cum fluxu labantur temporis, necesse sit ad perpetuam rei memoriam scripturarum et testium apicibus perhennari, noverint igitur universi presentes et posteri, quod nos Iohannes, Dei gracia episcopus ecclesie Poznaniensis, de unanimi voluntate nostri Poznaniensis Capituli et assensu maturaque deliberacione prehabita, molendinum nostrum et ecclesie nostre, situm super fluvium Cibina, olim Brunonis nunc vero Iesconis Allexandri nuncupatum, cum omnibus suis adiacenciis, prout in suis subscriptis limitibus per nos circumferencialiter ab utraque parte littoris sunt distincte: ab una videlicet parte, inter viam que ducit de civitate versus Cobilepole, incipiendo a fossato antiquo, quod descendit de monte eundo de Glowna et transit per ipsam viam circa quandam salicem usque in pratum, que via ducit directe usque ad aliam viam declinando a dextris ad molendinum Vitrarii, et descendendo ibidem ab inferiori parte ipsius molendini per vallem in fine orti trans quoddam magnum fossatum, directe trans fluvium versus alneam que est in descensu montis, directe ad verticem montis usque ad fossatum antiquum quod per ipsum montem extenditur per descensum usque ad littus stagni circa finem obstaculi predicti molendini Iesconis, ipso fossato ulterius ad inferiorem partem molendini trans predictum fluvium transeunte per pratum, usque ad predictum locum ubi fossatum descendit ad viam: eidem Iesconi Allexandri, civi Poznaniensi, ad certum et annuum censum dedimus, tradidimus et contulimus, ac tenore presencium damus, tradimus et conferimus, per ipsum suosque liberos seu successores legittimos, cum omnibus utilitatibus et melioracionibus, quas in ipso molendino et intra prefatos limites iuxta ipsorum voluntatem faciendas duxerint quoquomodo, iure hereditario perpetuis temporibus tenendum ac eciam pos-

sidendum. Ita sane, quod idem Iesco seu successores sui, tres marcas, duos grossos computando pro scoto, nomine census predicti molendini, a festo beati Martini nunc preterito per duos annos, quolibet beati Martini festo, et finitis ipsis duobus annis, quartam marcam de predictis adiacenciis, decimarum nomine, una cum tribus marcis predicti census nobis et nostris successoribus in festo predicto annis singulis perpetue solvere teneantur, ac pro nostra curia in Glowna sine mensure recepcione molere quociens fuerit opportunum. Adicientes, quod predicto Iesconi et suis successoribus sit licitum, ipsum molendinum cum predictis adiacenciis et melioracionibus in ipsis factis seu faciendis, ad predictum censum quatuor marcarum vendere, donare, seu de ipsis disponere prout eis videbitur expedire; salvo eo, quod si successores ipsius Iesconis quicunque, nobiscum seu cum nostris quibuslibet successoribus contingeret, quod absit, discordare in tantum, quod ipsos in predicto non possemus sustinere molendino, extunc, solutis ipsis per nos, vel nostrum successorem qui pro tempore fuerit, viginti quatuor marcis, duobus grossis computatis pro scoto, ipsum molendinum cum predictis utilitatibus et melioracionibus ad nos libere absque contradiccione qualibet revertantur. Concedimus insuper sibi et suis successoribus licenciam, pro melioracione dicti molendini ligna in borris nostris ubi eis expedierit decidendi. In quorum omnium testimonium et robur perpetuo valiturum, presentes conscribi fecimus per Paulum nostrum notarium, et nostri nostrique Capituli sigillorum appensione muniri. Actum et datum Poznanie feria secunda post diem beati Andree apostoli, anno Domini m.ccc.xxx, presentibus et consencientibus fratribus nostris de Capitulo, dominis Andrea preposito, Dominico archidiacono, Woyslao cantore, Boguslao custode, Gabriele cancellario, Stephano decano Wratislaviensi, item Stephano, Clemente, Iescone, Iohanne de parochia, Lamperto, Andrea, Matheo et Mathia, Czesantha et Andrea, canonicis nostris, et aliis.

Fluv. Cibina, *rz. Cybina.* Cobilepole, *Kobylopole.* Glowna, *Główna.*

Nr. 1115.

Vladislaus rex Polonie etc. 1331 Febr. 14, Cracovie; collationes hereditatum et libertatum, quondam a principibus Premislao et Boleslao coenobio de Owińska factas, confirmat.

Poznań. Towarzystwo przyjac. nauk. Owińska, privil. Nr. 6.

In nomine Domini amen. Quod magnifica regum fieri decrevit auctoritas, ratum atque stabile debet perpetuo permanere. Proinde nos Vladislaus, Dei gracia rex Polonie nec non Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie Cuyavieque terrarum dominus et heres, noticie universorum tam presencium quam futurorum presentibus declaramus, quod ex officio nobis divinitus concesso, exnunc omnia iura, dominia, proventus, redditus donacionesque hereditatum et earum libertates, factas rite et racionabiliter per excellentissimos principes Premislaum et Boleslaum, nostros predecessores felicis recordacionis et antecessores, monasterio Owenscensi, sicuti in privilegiis ipsorum, tunc predicto monasterio datis, sollempniter et plenius continentur, nostro regio insignio roboramus, ratificamus et confirmamus in perpetuum valituras, augentes et supplentes graciose, si quid in premissis iuribus, dominiis, proventibus,

redditibus, donacionibus hereditatum omnium et earum libertatibus quod easdem impedire posset vel aliquatenus defectuosum fuerit aut eciam diminutum. Preterea, omnes et universos cmethones et incolas, manentes nunc et in futurum in hereditatibus spectantibus ad premissum cenobium Ovensc, absolvimus et eximimus ab omnibus et universis iuribus et serviciis angariisque et perangariis, tributis, solucionibus, exactionibus et collectis, (et a) singulis et universis iuribus et serviciis, racionabiliter in perpetuum spectantibus ad nostrum dominium liberamus. Ut autem hec omnia supradicta robur valeant perpetue firmitatis obtinere, religiose domine Osanne abbatisse sororibusque sanctimonialibus predicti cenobii Ovensis hanc dari mandavimus litteram, nostri sigilli munimine roboratam. Actum Cracovie feria quinta in crastino Cinerum, anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo primo, coram hiis nobilibus nostris: Navogio castellano Cracoviensi, Vincencio palatino Poznaniensi, Slawentha castellano, Voislao iudice Kalisiensibus, Nicolao succamerario Cracoviensi, Petro preposito Sandomiriensi et vicecancellario nostre curie, et aliis multis fidedignis. Datum per manus Petri nostri vicecancellarii memorati.

Owenscensis, *de Owińska.*

Nr. 1116.

Ianislaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1331 Apr. 2, Gnezne; in ecclesia Gneznensi cancellariam instituit et dotat.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Regestrum privil. canonici Wladislai.

In nomine Domini amen. Dignum est et racioni consonum fore probatur, ut metropolitana ecclesia, quemadmodum cunctas provincie sue honoribus precellit ecclesias, sic et decenti numero ministrorum debeat preminere. Ideoque nos Ianislaus, divina et apostolice Sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, cupientes cultum divini nominis in eadem nostra Gneznensi ecclesia suffragante Domino augmentare, de consilio et consensu dilectorum in Christo fratrum nostrorum, Capituli videlicet Gneznensis, in ipsa Gneznensi ecclesia, ad honorem omnipotentis Dei et matris ipsius beate Marie virginis gloriose et ad gloriam beati Adalberti martiris et pontificis venerandi, novam dignitatem, cancellariam videlicet, creandam duximus, ipsamque creamus, instituimus et ordinamus perpetuis temporibus permansuram; donantes, concedentes et assignantes perpetuo, de consensu fratrum predictorum nostrorum, cancellario qui pro tempore fuerit, nomine cancellarie predicte decimas in Brudzewo, in Malochovicz et in Wyma minori, ac decimam theloney in Skrzyn et in tota terra Syradiensi, Unyeow dumtaxat excepto. Insuper, ut iuxta decenciam sui status et ecclesie ipse cancellarius commodius valeat sustentari, de consensu eorundem fratrum nostrorum eidem cancellarie ecclesiam in Marzenyno, in terra Syradiensi, cum suis proventibus et redditibus universis iungimus, annectimus ac eciam adunamus; eo salvo, quod de redditibus et proventibus dicte ecclesie, perpetuo vicario eiusdem, in quem totam curam animarum inibi transmittimus, quem eciam idem cancellarius, cum ipsa vicaria canonice vacaverit, nobis et nostris successoribus presentabit, congrua sustentacio reservetur. Ut autem hec nostra ordinacio, institucio et disposicio robur perpetue firmitatis obtineat, presentes litteras

fieri mandavimus et nostri ac prefati Capituli sigillorum karactere communiri. Actum et datum Gnezne feria tercia post festum Pasche, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo primo, presentibus honorabilibus viris (*vacuum*) preposito, Nicolao decano, Vincencio cantore, Bronislao archidiacono, Clemente scolastico, Iohanne custode, et multis aliis canonicis ecclesie Gneznensis capitulariter congregatis.

Brudzewo, *Brudzewo.* Malochovicz, *Małochowice.* Wyma minor, *Uyma mała.* Skrzyn, *Skrzynno.* Unyeow, *Uniejów.* Marzenyno, *Marzenin.*

Nr. 1117.

Vincentius miles palatinus Pozensis 1331 Aug. 18, Nova Landesberg; una cum suis fratribus Ludovico marchioni de Brandenburg promittit, se pacem ab eodem marchione et rege Poloniae factam servaturum; quae si infringeretur, se parti eandem servanti auxilium praestiturum declarat.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. B 6, p. 59. (*Kopja*).

Noverint universi presentium notitiam habituri, quod nos Vincentius miles palatinus Pozensis, una cum fratribus nostris, domino Dobergost milite et Thomislav famulo, inclito principi domino Lodewico marchioni de Brandenborch et suis capitaneis, videlicet Hassoni seniori et Wedegoni dictis de Wedell, nec non Bartholdo de Ost eiusdem domini marchionis advocato, ac toti terre marchie, civitatibus et vasallis, fide data promittimus, pacem firmam absque omni dolo inviolabiliter observare et cum omnibus munitionibus nostris fideliter deservire. Ita quod, si dominus rex Polonie terras domini marchionis velit devastare aut aliquatenus molestare, per nostras munitiones castri Vellenen et castri Tzernekow introitum et exitum sibi plane debebimus denegare; et e converso domino marchioni idem faciemus, si vellet terras domini regis Polonie aliquatenus impedire. Si autem prefatus rex Polonie per alias vias aut munitiones terras domini marchionis sepedicti potenter introiverit, extunc ipsum dominum marchionem et suos vasallos, cum nostris munitionibus ex ista parte fluvii Netze iuvare debemus, introitum et exitum ipsis ministrando. Item quod, si nobis, Vicentio et fratribus nostris, dominus rex Polonie calumpniam aut iniuriam aliquam fecerit aut nostris amicis, pro quo eiusdem regis Polonie inimici existeremus, tunc cum omnibus nostris munitionibus domino marchioni adherere debemus, nullam concordiam aut ordinationem cum domino rege Polonie faciendo, donec fuerit ex ipsius domini marchionis voluntate. In cuius rei testimonium, presentem literam nostris sigillis duximus confirmandam. Datum Nova Landesberg die dominico proximo post Assumptionem sancte Marie, anno Domini M.CCC.XXXI.

Vellenen, *Wieleń.* Tzernekow, *Czarnków.* Fluv. Netze, *Noteć rzeka.* Nova Landesberg, *Landsberg a./W. Wiersz 6 od dołu, zam.* existeremus, *u Riedla* existere.

Nr. 1118.

Dirsco de Stogneovicz heres 1331 Nov. 2, s. l.; Nicolao palatino Cracoviensi, occasione nuptiarum filiae ipsius et Viti nepotis Henrici de Kethlicz, pro Henrico et Vito praedictis vadem centum marcis obligat.

Pergam. orygin., u którego w dolnym założon. brzegu pasek pergamin., przez dwa wcięcia poprzeczne przewleczony.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 97.

Nos Dirsco, de Stogneovicz heres, presencium tenore notificamus universis, quod rite ac racionabiliter nec non voluntarie data fide pure et sincere, nos, successoresque nostros si quid humanitus accideret in nobis, obligamus nobili viro comiti Nicolao Cracoviensi palatino, seu eciam domino Iaroslao archidiacono Cracoviensi, Pasconi de Bogoria, fratribus ipsius, ac eciam Ymramo camerario et Miscigneo subpincerne Cracoviensibus: ita tamen, quod si memoratum comitem Nicolaum humana fragilitas nubilose obtexeret: in centum marcis grossorum Pragensium pro viris eximiis, comite Henrico de Kethlicz et Vito ipsius nepote de Smogorzow, qui Vitus premissi comitis Nicolai palatini Cracoviensis filiam sibi debet ducere legittime in uxorem; qui ipsi, comes Henricus de Kethlicz et Vitus eius nepos memorati, pro sexcentis marcis grossorum Pragensium hereditates in terris Cracoviensi et Sandomiriensi, a die beati Martini episcopi nunc instante et annos duos infra, debent propriis sumptibus et viribus comparare. Si autem ipsi infra terminum prefatum hereditates in terris antedictis pro pecunia predicta, sicuti fide prefata promiserunt, non emerent, extunc nos racione obstagii Cracoviensem intrabimus civitatem, aut is qui successores nostri exstiterint, si tamen id in nobis quod supra tetigimus accideret, exinde prius non exituri, donec memoratas centum marcas persolvemus, aut hereditate nostra et successorum nostrorum, que tamen in centum marcis sufficienter valere dinoscatur, comiti Nicolao predicto et suis quos pro sua parte elegit obligata; quam hereditatem ipsis tunc obligatam, absque omni offensa nostra et nostrorum cum omni dominio habebunt, quousque centum marce memorate ipsis exstiterint persolute. In cuius robur promissionis, presentes duximus nostro sigillo roborandas. Anno Domini millesimo CCC.XXX primo, in die Commemoracionis fidelium animarum.

Stogneovicz, *Stągniewice.* Bogoria, *Bogorja.* Smogorzow, *Smogorzew.*

Nr. 1119.

Wladisslaus rex Polonie 1331 Nov. 11, in Cracovia; hereditatem ecclesiae Gneznensis, dictam Smogorzew, de iure Polonico in ius Theutonicum transfert.

Pergam. orygin. Na pasku pergamin. przywieszona okrągła, bardzo zatarta pieczęć Władysława króla; (pieczęć XLIV).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 98.

In nomine Domini amen. Ne res gestas aboleat processus temporum, opportunum est, ut ipsas roboret solempnis tytulus litterarum. Proinde nos Wladisslaus,

Dei gracia rex Polonie, universis tam presentibus quam futuris tenore presencium volumus esse notum, quod cupientes domini Ianislay, venerabilis in Christo patris nostri iustis et dignis peticionibus, archiepiscopi sancte Gneznensis ecclesie, semper aquiescere et parere, hereditatem ipsius in terra Cuyaviensi situatam, in vulgari Smogorzowo nuncupatam, prout in suis limitibus circumferencialiter est distincta, ipsum nomine sue ecclesie contingentem, de iure Polonico in ius Teutonicum transferimus in perpetuum duraturum. Eximentes et liberantes scholtetum et villanos, quos ibidem locavit aut locaverit, ab omnibus Polonicalibus iuribus, exaccionibus, solucionibus, contribucionibus, serviciis et condicionibus ac consuetudinibus Polonici iuris que ius Teuthonicum perturbare consueverunt, et ab omnibus iudiciis palatinorum, castellanorum, iudicum, subiudicum, ministerialium, officialium quoque eorundem, in causis sive penis furti, sanguinis, homicidii et eciam quibuscumque; sed tantummodo scoltetus ipsius omnes causas predictas in bonis eisdem iure Teuthonico iudicabit, et ipse dominus archiepiscopus una cum scholteto ipsius, penas sive emendas iuxta ius Teuthonicum percipient iudicati. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum in Cracovia in die beati Martini confessoris, anno Domini m.ccc.xxx primo, presentibus hys nobilibus nostris: Spiczymiro castellano Cracoviensi, Mscziugio Sandomiriensi, Nycolao Cracoviensi palatinis, domino Zbygneo Cracoviensi, Iaroslao Cuyaviensi cancellariis, Petro preposito Sandomiriensi, Crivosando subcamerario Cracoviensi, et aliis pluribus fide dignis.

Smogorzowo, *Smogorzew.*

Nr. 1120.

Hedwigis Polonie regina 1332 Apr. 5, Sandomirie; bona mensae episcopalis de Lubusz sub suam protectionem suscipit.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. A 20, p. 205. (*Kopja*).

Venerabili in Cristo patri et domino reverendo, domino Stephano Dei gratia episcopo Lubucensi, Hedwigis, gratiam per eandem Polonie regina, salutem cum longitudine dierum votivorum. Orationum vestrarum suffragia pro nobis ac nostris per vos Deo devocius exhibita laudabilemque conversacionem vestram habitam nobiscum studiosius recensentes, venerabilem personam vestram in favorem ac in curam nostram recipimus specialem, promittentes fide digna vos et cuncta bona mense vestre episcopalis, que in regno nostro Polonie dinoscimini possidere, ab omnibus iniuriis atque violenciis per quempiam inferendis manutenere ac defendere fideliter et tuere, ut exinde per iuges oraciones vestras, peccaminum nostrorum condignam percipere valeamus remissionem. Datum Sandomirie dominica qua cantatur Iudica me Deus, anno Domini M.CCC.XXX secundo.

Lubucensis, *de Lubusz, z niemiecka Lebus.*

Nr. 1121.

Iohannes Boemie et Polonie rex etc. 1332 Sept. 11, Prage; Ordinem domus Theutonicae, si se cum rege Cracoviae concordare contingeret, in omnibus terris dictae domus, in Cuiavia inter flumina Wisła et Noteć sitis, et in Prabuty conservare promittit.

Pergam. orygin. Na skrawku pergamin. zawieszona pieczęć wielka, okrągła, przedstawia zbrojnego Jeźdzca pędzącego w lewo, prawica zbrojna mieczem, wzniesiona; przed piersiami tarcz trójkątna, kwadrowana w Lwa wspiętego w prawo; napis: Ioh... nsis comes.

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata.

Nos Iohannes, Dei gracia Boemie et Polonie rex ac Lucemburgensis comes, scire volumus quibus expedit universos, quod nos religiosos viros, dominos fratrem Ludherum ducem Brunswicensem, summum magistrum, ceterosque fratres Ordinis sacre domus Theutonice, tum ob amorem et affectum quem ad ipsos fratres et Ordinem specialiter gerimus, tum eciam propter multa que nobis exhibuerunt prompte et gratanter servicia: si nos cum rege Chracovie concordare contingeret: in omnibus et singulis, que inter aquam Wyzla usque ad aquam Necz in Cuyavia sunt sita et in Praburch, cum suis pertinenciis graciose promittimus conservare, harum testimonio litterarum. Datum Prage sexta feria post festum Nativitatis beate Marie virginis gloriose, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo secundo.

Aqua Necz, *rz. Noteć.* Praburch, *Prabuty.*

Nr. 1122.

Iohannes dux Slezie etc. 1332 Dec. 15, in Stinavia; concedit civibus de Wschowa privilegia, functionem officii iuridicialis concernentia.

Pergam. orygin. W założonym dolnym brzegu dwie dziurki od przywieszenia pieczęci.

Warszawa. Archiwum Główne, Dipl. Nr. 667. — Stronczyński. Wzory, Nr. 30.

Nos Iohannes, Dei gracia dux Slezie et dominus Stinavie, tenore presencium publice recognoscimus universis quibus nosse fuerit oportunum, quod nostris fidelibus in Vrowenstat civibus eam graciam damus et concedimus, volentes ipsos et eorum successores eo iure frui perpetue: quod si aliquis in iudicio hereditario in quatuor bancis contra alium iure aliquid optinuerit, cum sic optentis facere et disponere potest prout utilius et commodius sibi videbitur expedire. Si quis autem de iudicio hereditario ad iudicium provinciale se traheret, talis tractus ibidem in Vrowenstat, et non alibi, finaliter debet placitis terminari. Insuper, quicunque se trahit de iudicio provinciali ante nostram faciem, vel ad cameram, aut qualiscunque tractus excogitari possit, talis tractus simili modo ibidem in Vrowenstat placitari debet, et non alias, quousque totaliter finietur. In cuius rei testimonium, presentes litteras

dedimus, nostro sigillo munitas. Datum in Stinavia tercia feria post festum beate Lucie virginis, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo secundo.

Stinavia, *Ścieniawa, z niemiecka Steinau.* Vrowenstat, *Wschowa.*

Nr. 1123.

Cunradus dictus Zchyphron advocatus de civitate Schowa 1333 Mart. 11, s. l.; una cum caeteris iudicibus, ratione advocatiae in oppido Święciechowa amicabilem compositionem inter monasterium de Lubin et Iohannem Waremul, advocatum praedicti oppidi, facit.

Pergam. orygin. Na skrawkach pergamin. przywieszono 6 pieczęci, które znikły. Warszawa. Biblioteka Krasińskich, Diplomata.

In nomine Domini amen. Noverint universi ad quos presens scriptum pervenerit, quod nos Cunradus dictus Zchyphron advocatus de civitate Schowa, Nicolaus magister civium eiusdem civitatis, Cunradus Fames, Cunradus de Sedlnicz, Velcellinus Romung, nec non Nicolaus de Stinavia civis ibidem, dominus Otto plebanus de Sedlnicz, dominus Iacobus plebanus de Swecechow, dominus Iohannes plebanus de Lasocycz ac Nicolaus de Sveczcow, publice fatemur in hiis scriptis, quod cause et altercationes, que vertebantur una ex parte inter venerabilem virum dominum Paulum abbatem nec non totum conventum de Lubyn, altera ex parte Iohannem Waremul advocatum de Swecechow et Margaretam relictam Heynrici Warmul, per arbitros, ab utraque parte altercancium electos rite et constitutos, viros veridicos, discretos et honestos, more testium, videlicet Ottonem de Svecechow, Opeczconem civem de Svecechow vel fabrum, et Cunradum Pulcrum sutorem de dicta civitate Schowa, amicabiliter sunt sopite et unite. Hinc est, quod nos arbitri iam dicti ordinavimus, fecimus, constituimus atque adiunximus advocatie in sepedicta civitate, scilicet Svecechow, duos mansos agri pro alodio, septimum mansum ratione locacionis, ubicumque septimus mansus ceciderit ex divisione, quatuor macella carnium, tercium ortum, tercium denarium iudicii, tercium denarium de areis et balneum libere et solute; ita ut premissum, ex utraque parte teneatur perhenniter firmum, inviolabile, ratum et acceptum omni sine dolo. In cuius rei evidenciam, litteras presentes patentes horum sigillis, videlicet domini abbatis prefati de Lubyn, Iohannis Warmul advocati de Svecechow, civium communitatis de Svecechow, domini Ottonis plebani de Sedlnicz, domini Iacobi plebani de Svecechow, domini Iohannis plebani de Lassocicz, fecimus roborari, sub anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo tercio, in vigilia beati Gregorii Pape.

Schowa, *Wschowa.* Sedlnicz, *Świdnica, z niemiecka Zedlitz.* Stinavia, *Ścieniawa, z niem. Steinau.* Swecechow, *Święciechowa.* Lasocycz, *Lasocice.* Sveczcow, *Święciechowa, z niem. Schwetzkau.* Lubyn, *Lubin.*

Nr. 1124.

Laurencius dictus Zaremba etc. 1333 Mai. 25, in Caliss; scultetiam in villa Janków Nicolao et Cunado vendit, ut eam iure Novi fori locent.

Kalisz. Archiw. Rządowe. Inscription. Castrens. Kalissiens. a. 1546, Lib. 9, fol. 254. (Z pergaminu oryginaln., pieczęcią opatrzonego).

In nomine Domini amen. Evanescit actio temporalis, nisi firmetur testibus idoneis et literis sigillatis. Igitur noverint universi tam presentes quam futuri presens scriptum inspecturi, quia nos Laurencius dictus Zaremba, filius quondam Laurencii heredis de Crolikow, usi maturo consilio vendidimus sculteciam nostram in villa nostra dicta Ianikowo, in ius Teutonicum Novi fori locandam, viris discretis Nicolao filio Ade et Cunado filio Petri, taliter videlizet, quod ipsi et ipsorum progenitores, racione sue locacionis quatuor mansos liberos et duos hortos perpetuo ac hereditarie possidebunt, tabernam, pistorium, maccellum, fabricam, et tercium denarium de qualibet causa iudicata, tam magna (sic) iudicia, ad que sculteti unum prandium, et villani duo prandia pro nobis comparabunt. Damus etiam eisdem scultetis et ipsorum successoribus venacionem leporum cum uno subcincto *(vacuum)* et aliarum ferarum quarumcunque, cum omnibus utilitatibus, quecunque intra limitationem hereditatis predicte sunt, et in futurum poterint evenire. Adicientes ipsis sex annorum libertatem, qua elapsa, incole ville memorate nobis censum in quolibet festo sancti Martini persolvent, videlizet quatuor mensuras tritici, quatuor siliginis et quatuor avene, et fertonem denariorum monete usualis. Ad expedicionem, quando proclamata fuerit, currum una cum duobus equis, tertiam dimidiam marcam valentibus, nobis mittent, et unus sculteторum ad expedicionem in equo de duabus marcis nobiscum equitabit; et in Natali Domini, porcum aut octo scotos persolvent, in Pascha lattus carnium nobis dabunt aut fertonem. Item, ter in anno nostros agros exarabunt. Promittimus etiam predictos scultetos ab omnibus iniuriis diligenter deffensare. Et ne quispiam scultetos supradictos, aut ipsorum successores, in bonis antedictis nitetur impedire, presenti pagina hoc repellimus, etiam eidem nostri sigilli munimine adhibita caucione. Et ut hec vendicio robur obtineat perpetue firmitatis, presentes ipsis dedimus coram testibus subnotatis: Iankone filio Abrahe, Gothpoldo fratre suo, Petrmanno advocato de Stawissino, Henrico scriptore, et Zebotha de Goliessow et aliis quam plurimis dignis fide. Actum et datum in Caliss feria tercia infra octawas Pentecosten per manus domini Iacobi plebani de Stavissino, sub anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo tercio.

Crolikow, *Krolikowo.* Ianikowo, *Janków.* Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szlązku.* Stawissino, *Stawiszyn.* Goliessow, *Goliszew.*

Nr. 1125.

Kazimirus rex Polonie etc. 1331 (sic) Iun. 29, Cracovie; Heynkoni Berkmeyster et sociis ipsius facultatem fodendi in Wieliczka salifodinam certis sub stipulationibus concedit.

Pergam. orygin., u którego na sznurze z nici jedwabn., czerwon. wisi ułamek pieczęci wielkiéj Kazimierza króla. Strona zewnętrzna nie okazuje nic podejrzanego. Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 96.

In nomine Domini amen. Ne decreta regia cum fluxu temporis inportune a memoria deciderent hominum, opportune previsores dictaverunt, ea futurorum noticie apicibus iugiter commendare. Proinde nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie Pomoranieque dominus et heres, noticie universorum tam presencium quam futurorum presentibus declaramus, quod volentes fructus et utilitates nostras regales per amplius ampliare, ut ex eo subiectorum uberiores augerentur facultates et exinde communis profectus et utilitas sequeretur, ad votivas instancias nec non peticiones nostre consortis, domine Anne eiusdem regni regine, viris providis, nostris fidelibus Heynkoni Berkmeyster et alteri Heynconi dicto Paulini et Ieskoni dicto Gelitko, civibus in Weliczka, ipsorumque posteris ac legittimis successoribus damus, tradimus et conferimus omnimodam facultatem fodendi salifodinam seu montem salis ibidem in Weliczka, in loco qui eis placuerit, non obstante preiudicio cuiuscunque. In qua salifodina salis, quod primum occurrerit, debebunt sal inventum tamdiu pro usibus ipsorum convertere, donec montem qui iacet circa montem Fogilonis (sic) nostris fidelibus zuppariis presentabunt, et hoc nostre consorti ante omnia excavando et excipiendo cum duabus marcis grossorum, sibi cum premissis nostris fidelibus per supparios singulis sabbatis perpetue irrefragabiliter persolvendis. Racione autem salifodine fossionis prenotate, predictis nostris civibus, Heynkoni Berkmeyster et alteri Heynconi Paulini et Ieskoni, ipsorumque posteris damus in prescriptis omnem sumptum quem in fossione eiusdem salifodine expenderint; qui sumptus si aliqualiter ad amplius se extendet, extunc ipsi duas marcas predictas, solvendas per zupparios, singulis sabbatis percipient et tenebunt, quousque iuxta ipsorum conscienciam sumptus percepcioni equabitur, et amodo resignabunt. Volentes insuper predictis nostris fidelibus de facultate uberiori elegancius providere, damus eis et eorum posteris iure hereditario quartam partem duarum marcarum predictarum tenere et habere in perpetuum, ac exponere pro libito ipsorum voluntatis, decernentes nichilominus eorum comoda stabilire taliter, quod nulli penitus liceat aliquam salifodinam operare vel fodere circa predictam salifodinam, in tam longa distancia, quantum finis rote ipsius potest distendi duabus vicibus circumquaque. Cuius quidem salifodine officium, quod hutmanstwo dicitur, tamen salvo iure zuppariorum, ipsi et eorum posteri pro se habeant et exponant. Statuant eciam fossores tantum quatuordecim, et non plures, qui montem intrent cum duobus inquisitoribus salis, qui vulgariter dicuntur Ofyimer, qui inquisitores officium suum dum libuerit operentur, non obstante preiudicio cuiuscunque. Quos, videlicet fossores et inquisitores, operi deponant quemcunque voluerint et instaurent. Nec quisquam magistratum aliquem, intra montem vel supra, preterquam ipsi valeat exercere. Et ipsi ac eorum posteri salifodinam, quamcunque fodere decreverimus,

pro eodem stipendio pro quanto et alii foderent, et non alter quispiam, nobis fodent. In quorum omnium evidenciam et certitudinem pleniorem, presentem litteram civibus sepedictis ac eorum posteris scribi, et nostri sigilli munimine iussimus roborari. Actum Cracovie in die Petri et Pauli apostolorum beatorum, anno Domini M.CCC. trigesimo primo (sic), presentibus hiis nostris fidelibus: comite Spitimiro castellano, domino Sbigneo preposito et cancellario, Petro venatore, Andrea dapifero, Crivosand subkamerario Cracoviensibus, et aliis multis testibus fidedignis. Datum per manus domini Sbignei, prepositi et cancellarii nostri antedicti.

Weliczka, *Wieliczka.*

Nr. 1126.

Katzmirus rex Polonie 1333 Iul. 31, Posnanie; promittit, se pacem cum Ludovico marchione Brandenburgensi factam per duos annos servaturum, et contra quemcunque suorum subditorum, eandem violantem, processurum.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. B 2, p. 76. (*Kopja*).

Katzmirus, Dei gratia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradye, Lancitie, Cuyavie Pomeranieque dominus et heres, singulis et universis, ad quorum noticiam presentes devenerint, salutem et noticiam subscriptorum. Ad conservationem terrarum sive principatuum nostrorum utrobique, qui per discordiarum disturbia deperire et per unionem unitamque concordiam proficere verius et augeri videntur, cum illustri principe Ludovico Brandenburgensi et Lusatie marchione, amico nostro dilecto, volumus et promittimus firme pacis ligas, pro singulis nobis opem sive subsidium prestantibus et prestare volentibus nostraque mandata sive beneplacita respicientibus, a festo beati Iacobi nunc transacto per duos annos continuos, sine doli suggestione cuiuslibet, servare pariter et tenere. Tali tamen conditione interposita vel inclusa: quod si aliqua dampna sive nocumenta, clam vel palam, que probari poterunt, per nostros, de terra, munitionibus nostris aut nostrorum, sibi dominioque suo, dictis treugis sive ligis durantibus, inferuntur aut illata fuerint, facientem et facientes ad parendum iuri, sub forma, modo et consuetudine Polonicis, coram advocato marchionis predicti qui tunc pro tempore fuerit in castro Dryesen dicto, modis quibus congruit artare vel artari mandare volumus; et de quibuscunque idem vel iidem, a querulantibus vel querulanti et dampna perpessis convictus aut convicti fuerint, tenebuntur et debebunt, etiam terminos ipsius castri sive iudicii sine predicti advocati aut conquerentium consensu non egressuri, secundum ydoneorum dictamen et interpositionem plenarie satisfacere de eisdem. Nolumus etiam aliquem proscriptum sive profugum, scienter regnum nostrum aut dominium suum dampnificantem aut dampnificare volentem, tenere, nec per nostros et nobis intendentes teneri consentire nec permittere, nec aliquem subditorum suorum, munitiones rite sibi pertinentes habentem vel caventem, cuiuscunque conditionis existit, recipere nec etiam defensare permittere, nisi de ipsius domini marchionis favore fuerit aut licentia speciali. Adicientes etiam, quod si aliqui subditorum nostrorum, munitiones in regno nostro sive dominio habentes, contra nostram inhibitionem nostreque voluntatis consensum sibi dominioque suo predicto gravamina sive nocumenta desistere noluerint

inferre, quod quandocumque per ipsum sive sui nomine requisiti fuerimus, munitionum suarum obsidionibus aliisque modis, quibus contra tales maleficos procedendum fuerit, procedere sine tarditate volumus, quousque plenarie satisfecerint, aut se cum ipso super huiuscemodi compositione composuerint condecenti. In cuius rei testimonium, presentes conscribi sigillique nostri appensi munimine iussimus insigniri. Datum Posnanie anno Domini M.CCC.XXXIII, sabbato infra octavas beati Iacobi: presentibus post biennium minime valituris.

Dryesen, *Drzeń, później Drezdenko, z niemiecka Driesen. Widoczne omyłki kopji poprawione, mianowicie: Wiersz 1 u Riedla* Sandomarie. *Wiersz 13 u Riedla* dominoque. *Wiersz 18 u Riedla* et terminos. *Wiersz 24 u Riedla* carentem. *Wiersz 28 u Riedla* dominoque.

Nr. 1127.

Wladislaus dux Lanchiciens. et Dobrynens. 1333 Nov. 17, Lanchicie; ratam habet permutationem agrorum villae Boczki, quam Ianislaus archiepiscopus Gneznens. et Thomas frater Boczkonis secum fecerant.

Pergam. orygin., w którego dolnym, założonym brzegu pasmo nici jedwabn., zielon. przez 2 wcięcia przewleczone.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 99.

In nomine Domini amen. Quoniam facta mortalium per decursum temporis a memoria dilabuntur, sapientes decreverunt, ea scripti testimonio deducere ad noticiam posterorum. Ideo nos Wladislaus, Dei gracia dux Lanchiciensis et Dobrynensis, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod constitutus in nostra presencia Thoma, frater Bockonys de Bockovicz, recognovit, commutacionem infrascriptam cum venerabili patre nostro domino Ianislao Gnezdnensi archiepiscopo se fecisse; ita videlicet, quod recepit ab eodem domino archiepiscopo agros in ista parte fluvii dicti Mrocza, mixtos cum agris Bockonys, qui ad ipsum dominum archiepiscopum et suam ecclesiam pertinebant, et dedit prefato domino archiepiscopo ac sue ecclesie partem eiusdem hereditatis in alia parte dicti fluvii Mrocza, quam ex successione paterna prefatus Thoma legittime possidebat. Et sic dictus Thoma, de predicta commutacione quam recepit a domino archiepiscopo, nobis tenebitur nostra iura; prelibatus vero dominus archiepiscopus, id quod a Thoma recepit, sicut alias antiquas hereditates ecclesie libere possidebit. Nos vero commutacionem iam dictam ratam et gratam habentes, ipsam presentibus confirmamus. In cuius rey testimonium, presentes litteras scribi fecimus et nostri sigilli karactere communiri. Actum et datum Lanchicie quinto decimo Kalendas Decembris, anno Domini M.CCC.XXXIII, presentibus nobilibus viris: Paulo castellano dicto Ogon, Falo iudice, Precslao thezaurario, Urbano subpincerna, Michaele subiudice Lanchiciensibus, et aliis fidedignis.

Bockovicz, *Boczki.* Fluv. Mrocza, *prawy przypływ rz. Bzura.*

Nr. 1128.

Iohannes episcopus Poznaniens. 1334 Mart. 24, Poznanie; Petro et fratribus privilegium amissum super scultetia de Ostrów renovat.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. D, Nr. 44.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria, nisi scripturarum et testium munimine fuerint perhennata. Ideo nos Iohannes, Dei gracia episcopus Poznaniensis ecclesie, notum facimus universis presentibus et futuris, quod constituti in nostra presencia Mathias, Petrus, Michael, Venceslaus et Simon fratres, sculteti nostri bonorum nostrorum in Ostrow circa Gostiniam, nobis humiliter supplicaverunt, quatenus in personis ipsorum, privilegium quod habuerant super eadem scoltecia et casu fortuito ammissum, quod ad ipsos ex materna successione devenerat, innovare dignaremur. Nos vero a Petro, predictorum uno, recepto super eo et materia privilegii iuramento, ipsum taliter duximus innovandum: quod videlicet ydem fratres seu successores eorum dictam sculteciam cum subscriptis pertinenciis debeant perpetue possidere, duos videlicet mansos cum dimidio manso liberos ab omni nostra solucione et servicio, quos quatuordecim esse in bonis eisdem asseruerunt in universo cum predictis ipsorum mansis. Item habere debent molendinum in fluvio Obra, quod cum molere inceperit, census nomine annis singulis dimidiam marcam nobis solvent. Item secundum molendinum in fluvio Bukovicze in nostro littore, in alio littore, voluntate heredis cuius est obtenta, libere possidebunt, item humuletum, si quod voluerint. Possidebunt tabernam liberam, tercium denarium iudicialem; venaciones eciam quaslibet, si voluerint, in bonis eisdem exercebunt. Incole vero ville eiusdem, de manso quolibet, nomine census in festo sancti Martini annis singulis duas mensuras tritici, quatuor siliginis et sex avene, cum sex scotis grossorum, pro scoto duos grossos computando, nobis solvere et in Poznaniam adducere perpetuo tenebuntur, consensu ad hoc nostri Capituli Poznaniensis specialiter accedente. In cuius rei testimonium et robur perpetue valiturum, presentes nostri ac nostri Capituli sigillorum appensione fecimus communiri. Actum et datum Poznanie in die Cene Domini, anno eiusdem millesimo tricentesimo trigesimo quarto, presentibus fratribus de Capitulo: Dominico archidiacono, Woyslao cantore, Iohanne custode, Gabriele cancellario, Vincencio cantore Gneznensi, Stephano decano Wrathislaviensi, Clemente, Stephano, Andrea, Mathia, Paulo, Hermano, canonicis nostris, et aliis.

Ostrów, Gostyń, Obra fluv., *dziś tak samo.* Bukovicze, *strumień nad którym miasto Gostyń, wpada do rz. Obra pod wsią Ostrów.*

Nr. 1129.

Kazimirus rex Polonie etc. 1334 Mai. 15, in Cracovia; treugas cum Ordine domus Theutonicae ad diem 24 Iunii prorogat, et inclusis in eisdem ducibus: Przemislio de Sieradz et Wladislao de Łęczyca, usque ad diem 24 Iunii anni 1335, certis sub pactionibus observandas statuit.

Pergam. orygin. Na skrawkach pergaminowych przywieszono 7 pieczęci. Pierwsza majestatyczna Kazimierza króla. Druga rodu Lelirów, napis: S. Spicimiri... *Trzecia rodu Lisów, napis:* ...gii de Chre... *Czwarta rodu Doliwów, napis:* S + N + P +... *Piąta, w podwójnym odstępie od czwartéj, rodu Bogorjów, napis:* S. Nicol... covie. *Szósta zupełnie zatarta, napis:* S. Sandonis... *Siódma znikła, pozostał skrawek pergaminowy.*

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata.

Noverint universi presencium noticiam habituri, quod nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie et terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Pomoranie Cuyavieque dominus et heres, una cum baronibus nostris fidelibus, videlicet Spicimiro Cracoviensi castellano, Mscuyo Sandomiriensi, Nicolao de Bogoria Cracoviensi palatinis, Nicolao palatino, Iaroslao castellano Poznaniensibus, Sandone castellano Sandomiriensi, Crzywosandio subcamerario Cracoviensi, treugas statutas cum serenissimo principe fratre Ludero, Ordinis Hospitalis sancte Marie Ierosolimitani domus Theutunicorum magistro generali, duce de Brunswich, suisque compreceptoribus ac toto suo Ordine, suis terris et hominibus, usque ad instans festum sancti Iohannis Baptiste proximo affuturum prorogamus. Ceterum easdem treugas sic prorogatas, a die sancti Iohannis Baptiste predicto statuimus, facimus et ordinamus ad unius anni spacium, videlicet ad sequens festum sancti Iohannis Baptiste, sincere et inviolabiliter per nos et nostros observandas sub modis et pactis seu condicionibus, prout in litteris, super treugarum integritate et observancia cum prefato fratre Ludero et suis fratribus statutarum, confectis in Cracovia in dominica Iubilate Deo, anno Domini M.CCC.XXX tercio, habita tamen ordinacione in Thorun seu pactacione super eisdem in dominica Misericordia Domini precedenti, plenius et lucidius continetur; inclusis eciam magnificis principibus, fratribus nostris Przemislio Siradiensi, Wladislao Lanciciensi ducibus inclitis, cum ipsorum hominibus et terris, et omnibus illis qui subsunt nostre dicioni inpositis nominatim iam dictis treugis et expressis. Quas tanquam treugas nos et memorati nostri barones, omni specie fraudis ac subtilitate qualibet semotis, irrefragabiliter promittimus observare bona fide; ita tamen, quod ipse magister cum suis compreceptoribus, castrum, civitatem et terram Brestensem ad manus incliti principis domini Semovithi, fratris nostri ducis Masovie, vel ipso nolente, venerabili in Christo patri Mathie, Wladislaviensis ecclesie episcopo, nostris tamen litteris, super ipsis treugis ac compromisso, in magnificos principes Karolum Dei gracia Hungarie et Iohannem Bohemie reges facto, magistro et fratribus predictis prius datis, presentare et assignare teneantur. Qui dux Semovitus vel dominus episcopus Wladislaviensis, si, quod absit, per excellentissimos reges Hungarie et Bohemie predictos, inter magistrum, conpreceptores suos et Ordinem prehabitos, et nos, pax perpetua et concordia non fuerit ordinata, extunc castrum, civitatem et terram pretacta, cum rebus omnibus que eisdem fuerint assignate, reddere magistro et suis conpreceptoribus se-

pedictis quatuor septimanis ante expiracionem treugarum sint astricti. Addicimus insuper, quod magister cum suis conpreceptoribus prenominati, theloneum in Radzeyow, pro viarum custodia adibenda tempore treugarum perdurante, pro se retinebunt; hoc adiecto eciam, quod si dominus rex Hungarie pretactus, omnia acticata, placitata et ordinata cum magistro et suis conpreceptoribus per suos nuncios et nostros super promissione conservacionis et restitucionis castri civitatis Brestensis non promitteret servatura, extunc dominus Semovitus vel dominus episcopus prenominati, castrum, civitatem cum omnibus predictis ut premittitur, teneantur reddere magistro et suis compreceptoribus ipso facto, treugis quidem istis omnimode usque ad assignatum terminum duraturis ac in suo robore permansuris. In quorum rei evidenciam, huic littere nostrum sigillum una cum sigillis nostrorum militum predictorum est appensum. Acta sunt hec et data in Cracovia in festo Penthecostes, anno Domini m.ccc.xxx quarto.

Brestensis, *de Brześć Kujawski.* Wladislaviensis, *de Włocławek.* Radzeyow, *Radziejów.*

Nr. 1130.

Kazimirus rex Polonie etc. 1334 Mai. 15, Cracovie; Iacobo castellano de Tczew donationem domus et areae in Kraków, a Wladislao rege antea factam, confirmat.

Transsumpt orygin., potwierdzony przez: Alexander rex Polonie etc. 1504 Nov. 15, Cracovie; *w pergaminie orygin., u którego na plecionce z nici jedwabn., czerwon. i białych przywieszona mniejsza pieczęć tegoż króla.*

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 563.

In nomine Domini amen. A magnifica regum celsitudine digne consolacionis premia promerentur, quos fidei puritas gratos reddit et acceptos; ubi enim obsequium est promptum, ibi premium sit paratum. Proinde nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Cuyavie, Lancicie Pomoranieque dominus et heres, universorum noticie presencium et futurorum presentibus declaramus, quod consideratis et inspectis obsequiis, per fidelem nostrum Iacobum castellanum Thresco nobis impensis et in posterum impendendis, donacionem illustris principis Wladislai, Dei gracia patris nostri dilecti olim regis Polonie, ex assensu et consensu nostrorum fidelium confirmantes, domum et aream sitam circa ecclesiam beati Martini in Cracovia ad circulum transeundo a dextris, sibi et suis posteris damus, conferimus et donamus cum omnibus utilitatibus et pertinenciis ad eandem, iure hereditario possidendam, tenendam et habendam, pro sua suorumque voluntate convertendam. In cuius rei testimonium, presentes scribi iussimus, nostri sigilli munimine roborantes. Actum Cracovie in die Penthecostes, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto, coram fidelibus nostris: domino Sbigneo cancellario et preposito Cracoviensi, Iascone castellano Sandecensi, Petro venatore, Alberto thesaurario Cracoviensi, Segneo preposito sancti Michaelis et vicecancellario curie nostre, per cuius manus est datum.

Thresco, *pewnie zam.* Threscoviensem, *t. j. de Tczew.* Sandecensis, *de Sącz.*

Nr. 1131.

Semovithus dux Mazovie 1334 Mai. 16—21, Rave; confirmat possessiones monasterii de Jeżow in terra sua sitas, eiusque fratribus et incolis dictarum possessionum amplissimas libertates et privilegia confert.

Transsumpt orygin., *sporządzony przez:* Stanislaus de Glazewo Imperiali auctoritate notarius publicus 1415 Sept. 2, in oppido Iezewo, ad instanciam Nicolai abbatis Lubinensis. *Pergamin miejscami przeżarty. Przy końcu, obok poświadczenia narysowane* Signum notarii publici. (*Dopełniono według manuskryptu biblioteki Kurnickiéj*).

Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin 32. — Kurnik. Biblioteka, foliant II, 68. (Manuskrypt pisany w połowie XV w.)

In nomine Domini amen. In cunctis ordinacionum seu donacionum singulorumque factorum causis multis incommodis occurritur, cum etatis principum negocia, litterarum ac testium munimine roborantur. Proinde nos Semovithus, Dei gracia dux Mazovie ac dominus Wysnensis, terre nostre disponente Domino presidentes, eius monasteriorum quoque nostre dicioni substitutorum dispendiis et profectibus, iuxta debitum officium nostri principatus, cura debite solicitudinis occurrere cogimur indefessa. Notum ergo esse volumus omnibus presentibus, posteros eciam presens scriptum cupimus non latere, quod, cum domum Ieszoviensem, patrum nostrorum piam donacionem, diversis tamen servitutibus et obnoxietatis noxa deditam et constrictam, fratresque inibi Deo sub Ordine beati Benedicti militantes benigno favore prosequamur, divino equidem tandem salubriter edocti consilio, precibus reverendi viri Pauli abbatis monasterii de Lubin fratrumque ipsius, ac religiosi viri fratris Petri prepositi de Ieszow benignius inclinati, ob amorem Dei et reverenciam intemerate virginis Marie sanctique Andree apostoli, ob remedium eciam anime nostre nostrorumque omnium predecessorum et successorum ob salutem, ipsorum fratrum incommodis et profectibus solita pietatis largitate decrevimus comodius providere. Siquidem dictam domum et villam in Ieszow et has villas ad eandem ab antiquo pertinentes, videlicet Goram, Iassyenyno et Miculino, monasterio Lubinensis domus beate Marie et fratribus ibidem Ordinis sancti Benedicti dudum a patribus nostris solempniter collatas et ascriptas, prefato monasterio Lubinensi et fratribus dicte domus et Ordinis cum omnibus utilitatibus, que nunc in eisdem sunt et in posterum fieri seu evenire poterunt, perpetuo possidendas nostris temporibus innovantes, presencium eciam tenore addicimus, ascribimus, ratificamus, certificamus et conferentes sollempniter confirmamus, recipientes dictam domum et fratres in nostram nostrorumque omnium successorum curam et tuicionem specialem. Et cupientes prefatam domum Ieszowiensem in melius reformare et ad incrementa maiora perducere Domino suffragante, ex plenitudine itaque large largicionis gracie nostre predictam domum Ieszoviensem et alias villas superius nominatas, antique obnoxietatis vetustati deditas, ab huius servitutis noxa presentibus eximimus, et exutas, ipsas libertatis nove gracia induimus et fulcimus, auferentes ab eis relaxando omnium subscriptarum illibertatum sarcinam atque molem, et prorsus absolventes dictam domum et villas supra nominatas et incolas ipsarum perpetue ab omnibus solucionibus omnium exactionum universaliter, a collectis et contribucionibus, a curribus oneratis et equis ad expedicionem et alias

dandis seu conveniendis et eciam alendis, et aliis quibuslibet vecturis, a prestacionibus, angariis, preangariis et vexacionibus universis iuris Polonicalis, videlicet obrzas, sep, narzas, scilicet a vacca, porco et ariete; a pozewne, nyestane, podvorove, podyme, a porsochne et a castoribus, a przewod, a stroza, srzon, pobor, a falconibus et a psarskye, et a ceteris omnibus quocunque nomine censebuntur. Absolvimus eciam incolas dictarum villarum, sub quocunque iure nunc locatarum et in posterum locandarum, eternaliter ab edificacione quorumlibet castrorum, et ab omnibus universaliter laboribus quibuscunque aliis et summis (sic) pro eisdem faciendis. A iudiciis eciam nostrorum iudicum omnium et castellanorum absolvimus, ut de cetero per eos non iudicentur nec citentur, et citati non compareant, pena omnimode sublata; nisi coram preposito sive ipsius iudice astabunt, querulantibus responsuri. Et precipue prepositus dicti loci, cum sit spiritualis exacte persona, non iudicetur a quocunque iudice nostro nec castellano seu officiato in omni causa, nec citetur, et citatus non compareat, maxime suis incolis ad obiecta responsurus, pena eciam totaliter procul mota; nisi pro gadibus hereditatum: tunc coram nobis comparebit ad presenciam nostram, littera tamen nostra sub annulo nostro evocatus. Si autem ipsum prepositum contigerit unquam suos incolas ad nostrum evocare iudicium pro quacunque causa, et eos convicerit, totam pro se penam prepositus percipiet in eisdem, et hoc racione bonorum ecclesie sue. Et quidem incole taliter citati, si prepositus citacionem huiusmodi et causam suam prosequi noluerit, in iudicio nostro sive in termino utrique non comparuerint aut se non obtulerint, non consulto eciam iudice seu aliquo officiato, non obstante eciam iure aut aliqua consuetudine, potest prepositus utrumque facere: obmittere libere ac revocare; et in hoc dedimus sibi omnimodam et liberam potestatis facultatem, et pro eo eos utrosque non sequetur ulla pena. Preterea, prefatam villam ecclesie sancti Andree apostoli in Ieszow iure Theutunico et civili, aliasque villas superius annotatas et mericas cum locari potuerint, prout in suis terminis circumferencialiter consistunt, eciam iure Theutunico locare permisimus, ipsi domui et fratribus omnem iurisditionem, civitati et civibus omnia iura civilia ex toto ascribendo. Contulimus eciam domui memorate, ut quociescunque aut quocunque modo incole dicti loci, aut aliarum villarum ipsius, se mutuo occiderint intra terminos bonorum ecclesie, sive alias ubicunque, prepositus nominati loci totam integraliter penam tollet homicidii. Si vero incola extraneum, aut extraneus incolam occiderit, prepositus tantum mediam partem pene accipiet. Et si occisor aufugerit, ipsum incole insequi, capere ac detinere si potuerint, eciam ad iudicium suum trahere ac iudicare habent potestatem. Si autem extranee persone se occiderint, prepositus nullam partem habebit. Si autem aliquam villam ex hiis iam prelibatis pro se iure Polonicali voluerit reservare, aut in merica eodem iure vel alio locare, ipsis in eo liberam damus et conferimus facultatem; ea tamen cenobio reservata plena libertate, ut alie ville gaudebunt et integre perpetua firmitate pocientur. Prohibemus eciam omnibus officialibus, ministerialibus et subvenatoribus eorumque pedaneis et ceteris aliis, ut de cetero et deinceps non presumant incolas civitatis in Ieszow et aliarum villarum quoquomodo inquietare, turbare aut inpignorare, nostre nostrorumque successorum gracie sub obtentu. Dedimus eciam dicte domui et fratribus omnem venacionem ferarum et avium, videlicet leporum, capriolorum, perdicum, quiscularum et fazonum, intra terminos bonorum ipsorum. Pro hac igitur donacionis gracia, qua nos sepedictam domum et hereditatem sancti Andree in Ieszow et alias villas graciose perhenniter investimus, suprascriptus Paulus Dei gracia abbas cum toto colle-

gio sui capituli ecclesie sancte Marie monasterii de Lubin Ordinis sancti Benedicti, religiosi viri fratris Petri prepositi de Ieszow suorumque confratrum benigno eciam de consensu, ad perpetuam rei memoriam et in testimonium signumque huius evidens collate libertatis tante gracie nostre, nobis, prefato duci Semovitho, de hereditate Crosnowa vulgariter nuncupata eternaliter condescendit, hys gadibus circumquaque firmiter consignata. A gadibus scilicet ville Colaczino eundo per publicam viam de Dmossyno in Ieszow, usque ad silvam Prsilank maius, que silva in Ieszow pertinebit, merica vero nostro ducatui permanebit. A nominata autem silva Prsilank per convallem, que vulgariter Smuk appellatur, usque ad viam que ducit ad villam Modla; per prefatam autem viam qua itur de Ieszow in villam Slup, usque ad rivulum Crosnowa nuncupatum; per nominatum vero rivulum, usque ad gades ville Slup superius nominate. Nos siquidem, licet per quosdam leviter inducti duas mensuras frumenti ab incolis de Crosnowa ecclesie sancti Andree in Ieszow incunctanter deputaveramus persolvendas, tamen, quia post hoc plenius cognovimus, quod decima in dicta villa Crosnowa ab antiquo et a fundacione ecclesie prefate dinoscitur ad eandem penitus pertinere, et ne videamur ius et fructum debitum ecclesie in preiudicium forte salutis anime nostre ab eadem quodammodo alienare, ipsas annonas deputatas, et in utrisque litteris, tam abbatis predicti nobis per ipsum datis, quam abbati prefato per nos sibi collatis insertas, ad nos tandem salubrius reversi presentibus totaliter revocavimus; unde ipsam decimam incole dicte ville de Crosnowa evulsa libertate dabunt seu persolvent preposito ecclesie memorate annis singulis, temporibus perpetuis, ex integro. Hec itaque hereditas Crosnowa, respectu libertatis gracie nostre iam facte ac date pro domo predicta fratribus et incolis, apud nos et successores nostros perpetuo militabit, et ideo nichil per omnia in solucionibus exactionum et aliorum premissorum a preposito et incolis ipsius exigatur. Forum itaque a patribus nostris in Ieszow statutum in hys scriptis nostris confirmamus, idem forum ibidem statuentes habendum et exercendum, libere digneque perfruendum temporibus duraturis. Notum eciam facimus universis tam presentibus quam futuris, quod piam donacionem hereditatis, videlicet Choynata, quam pius et dilectus pater noster, magnificus princeps felicis recordacionis dux Boleslaus, temporibus vite sue pro remedio anime pie matris nostre ducisse, sueque et suorum posterorum ob salutem, dicte domui Ieszoviensi contulit, ipsam hereditatem Choynata, cum omni iure ac iurisditione prout supra, quibus prepositus de Ieszow et incole sui libere perfruuntur, hoc iure ac iurisditione fratres in Choynata et incolas ipsarum libere gaudere perpetuo cupientes, cum omnibus eorum utilitatibus, que nunc sunt et in futurum fieri poterunt in eadem, prout in suis terminis per nobilem virum comitem Nyemyerzam iudicem nostrum Ravensem, et Gnyazdonem officialem nostrum, nostro de mandato, indiciis patentibus et signis circumquaque consistit consignata, abrogatis prorsus omnibus aliis, si que se forte de dicta hereditate Choynata consignanda temere ingesserint, hys indiciis videlicet et signis: a Gaczna fluvio, inferius per vallem que vulgariter Redcowa nuncupatur, sursum per medium eiusdem directe ascendendo usque inter Zawady et inter agrum, qui ager spectat ad fratres ibidem; ab agro, directe usque ad silvam Lyppye; per Lyppye directe et mericam, usque ad paludes que Vizhadle dicuntur, quarum una maior palus, a dexteris, ad dictos fratres pertinet, et alia minor, a sinistris, ad alios heredes; a paludibus, usque ad summitatem vallis profunde, de qua oritur Gaczna fluvius, quo fluvio sursum usque ad Redcowam, deorsum fratres prefati habent medietatem: prefate domui Ieszoviensi et monasterio

Lubinensi innovantes addicimus, conferimus et presentibus solempniter confirmamus. Et ut hec donacio nostra et confirmacio tam sollempnis robur in perpetuum obtineat firmitatis et fratres cum incolis de tam sollempni gaudeant libertate, presens privilegium in huius rei testimonium eis dari fecimus, nostri sigilli impressione et appensione evidenter communitum. Actum Rave infra octavas Penthecostes, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto, presentibus nostris subscriptis nobilibus: comite Andrea Mosciczh castellano de Byala, comite Nyemyerza iudice curie nostre, comite Warschone de Zhelasna dapifero nostro, comite Floriano de Grazeszino venatore magno, domino Venceslao canonico ecclesie Plocensis procuratore nostro Ravensi, comite Petro Mosciczh subcamerario nostro, et aliis quam plurimis fidedignis; scriptum autem loco quo supra in die beati Luce ewangeliste, anno eiusdem Domini millesimo tricentesimo tricesimo sexto, in cuius testimonium evidens et precipuum super omnia, est ipsa prefata hereditas Crosnowa nobis pro omnibus premissis eternaliter assignata, per manus Martini rectoris scole Rawensis et scriptoris.

Wysnensis, *de Wizna.* Ieszoviensis, *de Jeżów.* Lubin, Gora, *dziś tak samo.* Iassyenyno, *Jasienin.* Miculino, *Mikulin.* Crosnowa, *Krosnowa.* Colaczino, *Kołacin.* Dmossyno, *Dmosin.* Prsilank, *Przyłęk.* Modla, *Modła.* Slup, *Słupia.* Crosnowa rivul., *strum. Jeżówka, czyli Skierniewka.* Choynata, *Chojnata.* Ravensis, *de Rawa.* Gaczna, Zawady, Lipie, *dziś tak samo.* Redcowa, *Redzień.* Byala, *Biała.* Zhelasna, *Żelasna.* Grazeszino, *Kurzeszyn.*

Nr. 1132.

Hermanus advocatus civitatis Pisdrensis 1334 Iun. 10, in Pysdr;

protestatur, Chinegundim, relictam Merclini civis Pyzdrensis, ratione macelli ab ipsis monasterio Ląd legati, cum eodem monasterio ordinationem quandam fecisse.

Włocławek. Lib. privilegior. monasterii Ląd, pag. 165.

Nos Hermanus advocatus civitatis Pisdrensis tenore presentium protestamur, quod coram nobis et consulibus et scabinis civitatis eiusdem discreta mulier Chinegundis, relicta Merclini quondam civis Pysdrensis, cum pueris suis constituta, dimidium macellum quod in eadem civitate habuit, cum omni iure et censu ac proprietate ad idem pertinentibus, quod quidem dimidium macellum, vivente predicto Merclino viro suo, ambo pro remedio animarum suarum religiosis viris, fratribus et monasterio Lyndensi Ordinis Cisterciensis, dederunt perpetuo possidendum, eisdem resignavit sub hac conditione, videlicet quod eadem Chunegundis temporibus vite sue debeat percipere duos lapides de sepo de eodem macello dimidio annis singulis ratione census, et predicti fratres ac monasterium Lyndense percipient quidquam plus derivari poterit solutionis. Post tempora autem vite Chunegundis eiusdem, fratres et monasterium predicti idem dimidium macellum cum omni iure, ut pretactum est, totaliter in perpetuum possidebunt pacifice ac quiete. Abbas vero et fratres monasterii eiusdem admiserunt, quod propinqui et amici predicte Chunegundis, cum ipsis ordinatione facta, quolibet anno, prout eis videbitur expedire, predictum dimidium macellum apreciatum, interim quod eadem Chunegundis vivit, tenebunt nomine fratrum et monasterii predictorum, et censum solvent prout superius est expressum. In

cuius rei testimonium, presentibus sigillum nostre civitatis predicte duximus appendendum. Actum et datum in Pysdr anno Domini millesimo CCC.XXXIIII, quarto Idus Iunii.

Lyndensis, *de Ląd.*

Nr. 1133.

Kazimirus rex Polonie 1334 Iun. 24, Cracovie; declarat: licet sigillum Iaroslai castellani Poznaniensis ad litteras treugarum pacis, inter se et Ordinem Crucigerorum factae, tum demum fuerit appositum, quum in Maiorem Poloniam venerit, ipsum Iaroslaum tamen praedictas treugas servaturum.

Pergam. orygin. Pasek pergamin. od przywieszonéj na nim pierwotnie pieczęci. Königsberg. Königl. Staats Arch.

Nos Kazimirus Dei gracia rex Polonie universorum noticie presentibus declaramus, quod licet fidelis nostri Iaroslay castellani Poznaniensis sigillum non sit appositum propter ipsius absenciam ad litteras treugarum pacis, inter nos et fratres de domo Theuthonica confectarum, ipse Iaroslaus treugas easdem firmiter et inviolabiliter observabit, et medio tempore, cum in Polonia fuerimus, sigillum suum ad predictas litteras apponetur. Pro quibus omnibus, nos promittimus et presentibus obligamus, dantes presentes in robur premissorum. Datum Cracovie in die Iohannis Baptiste, anno Domini M.CCC.XXX quarto; presentibus a festo Nativitatis Domini sequentis minime valituris.

Nr. 1134.

Iohannes episcopus ecclesie Poznaniens. 1334 Iun. 29, s. l.; Sventhomirsam dominam in Lutomie, una cum Lubochna defuncta filia ipsius, in fraternitatem suae ecclesiae certis conditionibus recipit.

Pergam. orygin. Przewleczony u dolnego brzegu skrawek pergaminowy nie okazuje śladu, że na nim była przymocowana pieczęć.

Poznań. Archiv. Capituli. III, 13.

In nomine Domini amen. Nos Iohannes Dei gratia episcopus ecclesie Poznaniensis notum facimus universis presentium notitiam (? sic), nos dominam Sventhomirsam, dominam ville in Luthome, in fraternitatem nostre ecclesie et nostri collegii recepisse una cum Lubochna felicis memorie, olim filia ipsius, in hunc modum, quod domina eadem pro fabrica ecclesie nostre maioris, in qua elegit sepulturam, octo scotos ad diem beati Petri annis singulis in perpetuum procuratori ecclesie nostre, qui fuerit pro tempore, de bonis in Luthome, et post vitam ipsius, quicunque heres ibidem fuerit, solvere teneatur. Anno vero proxime affuturo, oves quinquaginta dare promisit ad ecclesiam prenotatam tam pro sua quam predicte sue filie salute: ita sane, quod ea defuncta, si propriam non habuerit vecturam, vectura pro ipsius corpore per ecclesiam nostram mitti debet; si vero propriam habuerit, ipsum currum cum equis in quibus (sic) adducetur ecclesie assignavit, ita etiam, quod in altari chori ecclesie, missa beate Marie, beati Petri et Defunctorum, singulis hebdomadis

pro eorum (sic) salute dicantur. Datum in die beatorum Petri et Pauli, anno Domini M.CCC.XXXIIII.

Luthome, *Lutomie.*

Nr. 1135.

Kazimirus rex Polonie etc. 1334 Oct. 9, Cracovie; confirmat statuta et privilegia, quae dederat Iudaeis **Boleslaus dux Maioris Polonie 1264 Aug. 17, in Kalis.**

Bandtkie, Ius Polonicum p. 1. (Kopja z Statutów Łaskiego i Konarskiego).

Ne decreta regia cum fluxu temporis a memoria deciderent hominum, digne prudentium racio stabilivit, cum ea apicibus futurorum notitie voluit iugiter commendare. Quapropter nos Kazimirus, Dei gratia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie Pomoranieque dominus et heres, noticie universorum tam presencium quam futurorum presentibus declaramus, quod cum nostram nostrorumque baronum presenciam accedentes viri ydonei nostrique fideles Iudei terrarum nostrarum, nobile privilegium ducis Boleslai dive memorie quondam ducis Polonie, proavi nostri carissimi, super iuribus suis ostendissent, supplicarunt humiliter, ut ipsum privilegium nostro regio insignio innovare et confirmare dignaremur. Privilegii autem eiusdem de verbo ad verbum tenor talis extat: *(Sequitur diploma Nr. 605(412a).*

Nos igitur iure ipsorum diligenter considerato et inspecto, statuta predecessorum nostrorum confirmare etiam magis quam movere aliqualiter decernentes, benemeritis ipsorum desideriis favorabiliter inclinati, exnunc predicta omnia innovamus, roboramus et ratificamus in titulum perpetue firmitatis; in horum autem evidentiam, presentes sunt nostro sigillo insignite. Actum Cracovie in die beatorum Dyonisi et sociorum eius, anno Domini M.CCC.XXXIV, presentibus hiis nobilibus nostris: Spitimiro castellano Cracoviensi, Mscuyo Sandomiriensi, Nicolao palatino Cracoviensi, Andrea venatore, Crzywosandio subcamerario Cracoviensi, et aliis multis fidedignis. Datum per manus Sbignei prepositi et cancellarii nostri Cracoviensis.

Z dość licznych błędów tekstu Bandtkiego, zmienione są powyżéj następujące: Wiersz 12 Bandtkie: zam. statuta, *ma* statuto. *Wiersz 13 B. zam.* etiam, *ma* eo. *Wiersz 13 B. zam.* movere, *ma* monere. *Wiersz 18 B. zam.* Mscuyo, *ma* Nisczynio. *Wiersz 19 B. zam.* Crzywosandio, *ma* Krzywosande. *W Statucie zaś Bolesława księcia, w powyższym dokumencie transsumowanym (Nr. 605), poprawione zostały następujące błędy: Wiersz 6 od końca tekstu, B. zam.* Archamboldus, *ma* Arbeldus. *Wiersz 5 od końca, B. zam.* Simon, *ma* similiter. *Wiersz tenże, B. zam.* Iohannes Kalisiensis, *ma* Jankalis. *Wiersz 4 od końca, B. zam.* Cechozlaus, *ma* Czhoslaus.

Nr. 1136.

Iohannes episcopus ecclesie Poznaniens. 1334 Oct. 19, Poznanie; confirmat divisionem bonorum, quae Wenczeslaus, Ianik et Woyczech, fratres dicti Sczicowicz, in villis ecclesiae Poznaniensis, dictis Gołkowo et Dziedzice, nomine scultetiae possident; Wenczeslao quoque partem villae Rokitnica iure Theutonico ad locandum vendit.

Pergam. orygin., pisany pierwotnie bladym inkaustem, który później czarnym pociągnięto. Na sznurkach jedwabnych, czerwonych przywieszono dwie pieczęcie. Pierwsza podługowata przedstawia biskupa błogosławiącego; napis: S. Iohannis. Dei. Gr. Epi. Ecle. Poznan. *Druga Kapituły Poznańskiéj;* (pieczęć LV).

Poznań. Archiv. Capituli. III, 14.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria, nisi scripturarum et testium munimine fuerint perhennata. Idcirco nos Iohannes, Dei gratia episcopus ecclesie Poznaniensis, omnibus et singulis presencium habituris noticiam volumus esse notum, quod constituti coram nobis Wenczeslaus, Ianik et Woyczech fratres uterini, dicti Sczicowicz, sponte et libere sunt confessi, talem inter se divisionem bonorum suorum, que habent nomine scultecie in bonis nostris et ecclesie nostre, videlicet in Golcowicz et in Dzedziczi, habuisse; quod videlicet predicto Wenczeslao et suis posteris ex divisione eadem cessit scultetia in Dzedzicz cum suis iuribus et pertinentiis, prout in privilegio felicis recordationis domini Domarathi, nostri predecessoris, ipsis fratribus una cum Nagodone, olim fratre ipsorum, dato, super scultecia bonorum eorundem continetur. Vendidimus insuper eidem Wenczeslao partem bonorum nostrorum, dictorum Rokithnicza, iure Theutonico ad locandum, ipsam partem dicte scoltetie in Dzedzicze adiungentes, distinctam ab alia parte residua, que pertinet in Policzsco; ita quod idem Wenczeslaus cum suis liberis unum mansum liberum de eadem parte in Rokithnicza debeat perpetue cum scultetia prehabita possidere. Kmetones vero singuli, de quolibet manso dicte partis in Rokithnicza, sex mensuras siliginis et totidem avene, cum sex scotis usualibus nomine census in festo beati Martini, annis singulis, nobis solvere tenebuntur, ad hec nostri Poznaniensis Capituli consensu specialiter accedente. In cuius rei testimonium et robur perpetue valiturum, presentes nostri ac predicti nostri Capituli sigillorum appensione fecimus roborari. Datum Poznanie in crastino beati Luce ewangeliste, anno Domini M.CCC.XXX quarto, presentibus et consentientibus fratribus nostris de Capitulo, dominis Bogufalo decano, Wenceslao cantore, Iohanne custode, Gabriele cancellario, Vincentio cantore Gneznensi, Stephano decano Wratislaviensi, Andrea preposito sancti Spiritus, Andrea, et aliis pluribus canonicis nostris.

Golcowicz, *Gołkowo.* Dzedziczi, *Dziedzice.* Rokitnica, Policko, *dziś tak samo.*

Nr. 1137.

Michos Bodzante de Keblov 1334 Oct. 23, in Podmocle; Benczae de Nobliżyce villam Kręsko donat.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscription. Posnan. a. 1544 fol. 631 v.

In nomine Domini amen. Quum ea que fiunt in tempore, simul cum tempore evanescunt nisi literis fuerint roborata, proinde noverint universi presentem apertam litteram visuri, audituri vel lecturi, quod nos dominus Michos Bodzante de Keblov, inspectis fidelibus obsequiis Bencze de Noblisczicze, eidem dedimus villam nostram Cranczsko perpetue et in evum possidere cum omnibus iuribus, prout nos, predictus dominus Mikosch Bodzante de Keblov predicti, soli tenuimus et possedimus cum iudicio et molendino, cum omnibus silvis a Podmocle usque ad Bolenye, cum pratis et iure patronatus ecclesie, cum libera venacione in omnibus bonis nostris, cum omnibus attinenciis. Pro cuius affirmacione, sigillum nostrum appensum est testimonii litterarum. Datum in Podmocle anno Nativitatis Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto, die dominico post festum sancti Luce, in presencia dominorum Nicolai de Babimosth et Petri de Smarzow plebanorum nostrorum, Iacobi de Rakonyevycze, et aliis fidedignis.

Keblov, *Kiebłowa.* Noblisczicze, *Nobliżyce, dziś z niemiecka Oppelwitz.* Cranczsko, *Kręsko.* Podmocle, *Podmokle.* Bolenye, *Bolewiny.* Babimosth, *Babimost.* Smarzow, *Smardzew, z niem. Schmarse.* Rakonyevycze, *Rakoniewice.*

Nr. 1138.

Mikossch Bodzanthe de Keblow 1334 Oct. 23, in Podmokle; Benczae de Nobliżyce villam Kręsko confert.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscription. Costens. a. 1610, fol. 289.

In nomine Domini amen. Cum ea que fiunt in tempore, simul cum tempore evanescunt nisi litteris fuerint roborata, proinde noverint universi presentem apertam litteram visuri, audituri vel lecturi, quod nos dominus Mikossch Bodzanthe de Keblow, inspectis fidelibus obsequiis Bencze de Noblizycze, eidem dedimus villam nostram Kranczko perpetue et in evum possidere cum omnibus iuribus, prout nos, dominus Mikossch Bodzante de Keblow predictus, soli tenuimus et possedimus, cum iudicio et molendino, cum omnibus silvis: incipiendo a scopulo aciali iacente sub silva Kranczko et Podmokle, distinguente et dislimitante bona et hereditates Kranczko, Kosiczyn et Podmokle. A quo scopulo aciali, granicies et scopuli de terra errecti vadunt et protendunt se usque ad scopulum acialem, qui dislimitat bona et hereditatem Kranczko, Brudzewo et Podmokle. A quo scopulo eciam aciali, scopuli parietales de terra erecti, usque ad duos scopulos aciales iacentes sub silva seu gaio Brudzewski, distinguentes et dislimitantes bona et hereditates Kranczko, Brudzewo et Kozminek. A quibus scopulis acialibus descendendo ad fluvium seu torrentem, alias do strugy, quo fluvio seu torrente granicies vadunt usque ad locum dictum

Hamerfort. A quo loco, scopuli parietales seu graniciales vadunt et protendunt se usque ad scopulum acialem iacentem in sarepta, alias na blonu, inter silvas, distinguentem et dislimitantem bona et hereditates Kranczko, Kosiczyn et Kozminek. A quo scopulo aciali, granicies vadunt et protendunt se inter silvam usque trans fluvium dictum Phal Ober, et tandem sub silva Kranczko, usque ad eundem scopulum acialem, distinguentem et dislimitantem bona et hereditates Kranczko, Kosiczyn et Podmokle: cum pratis et iure patronatus ecclesie, cum libera venacione in omnibus bonis nostris, cum omnibus attinenciis. Pro cuius confirmacione, sigillum nostrum appensum est testimonii litterarum. Datum in Podmokle anno Nativitatis Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto, die dominico post festum sancti Luce, in presencia dominorum Nicolai de Lubogost et Petri de Smarzew plebanorum nostrorum, Iacobi de Rakonewicze, et aliis fidedignis.

Keblow, *Kiebłowa.* Noblizycze, *dziś z niem. Oppelwitz.* Kranczko, *Kręsko.* Podmokle, Kosiczyn, Brudzewo, *dziś tak samo.* Kozminek, *dziś Koźmin.* Hamerfort, *osada znikła.* Fluv. Phal Ober, *zam.* Faule Obra, *odpływ rz. Obra do rz. Odra p. wsią Cygańczyce.* Lubogost, *dziś z niem. Laubegast; (w poprzednim dokumencie* Babimosth). Smarzew, *zam. Smardzew, dziś z niem. Schmarse.* Rakonewicze, *Rakoniewice.*

Nr. 1139.

Ianislaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1334 Nov. 19, in Gnezna; protestatur, Boguslaum canonicum Gneznensem, villam Marchwacz iure de Środa ad locandum Paulo filio Sdzisticonis exposuisse.

Pergam. orygin., w którego dolnym, szeroko założonym brzegu sznur z nici jedwabn., czerwon. i zielon., przez dwa wcięcia poprzeczne przewleczony, i dwa próżne wcięcia.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 100.

In nomine Domini amen. Meritorium esse dinoscitur, ut ea que in presenti circulo pertractantur, scripture ac testium amminiculo fulciantur, ne exinde in posterum erroris scripulus generetur. Proinde nos Ianislaus, divina et apostolice Sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, notum facimus universis tam presentibus quam futuris ad quorum noticiam devenerit scriptum presens, quod discretus vir dominus Boguslaus, plebanus Lovicensis et canonicus noster Gneznensis, cupiens condicionem ville Capituli Gneznensis, que Markvarcze vulgariter dicitur, fieri meliorem, ipsam iure Theutonico, quo fruatur in Srzoda, sub ratihabicione eiusdem Gneznensis Capituli exposuit ad locandum, constitutus quoque in nostra presencia, Paulo filio Sdzisticonis ibidem de Marquarcze scoltheciam in dicta villa vendidit pro certa pecunie quantitate; dans eidem Paulo duos mansos liberos cum duobus ortis ad ipsos pertinentibus, unam thabernam liberam cum orto iure hereditario perpetue possidendam, tercium denarium iuramentorum idem scolthetus cum suis successoribus habebit inibi et cuiuslibet iudicati. Preterea, incolis hereditatis predicte dictus dominus Boguslaus de agris extirpandis, a solucione census et decime sex annorum concessit et dedit omnimodam libertatem, qua durante, dicti incole de agris iam ad culturam redactis, decimam sibi dare tenebuntur manipulatim in cam-

pis. Postquam vero libertas expiraverit supradicta, cmetones ville sępedicte, de manso quolibet tres mensuras tritici, quinque siliginis, quatuor avene ac fertonem, videlicet duodecim grossos, in festo beati Martini memorato domino Boguslao et eius successoribus, annis singulis, dare et solvere tenebuntur. Et quoniam iura nobis et eidem Boguslao Srzedensia sunt prorsus incognita, omnia et singula iura que comodum et honorem canonicorum respiciunt, salva volumus et integra reservari. Ut autem hec sua ordinacio firma et stabilis perseveret, presens privilegium dicto Paulo dari iussimus, nostri et predicti nostri Capituli sigillorum appensione munitum. Actum et datum in Gnezna in die beate Elizabeth, anno Domini millesimo CCC. tricesimo quarto, presentibus dominis: Yvonę preposito, Nicolao decano, Petro subcustode, Stanislao Brestensi, Pribkone de Gora plebanis, canonicis Gneznensibus, et aliis plurimis fide dignis.

Markvarcze, *Marchwacz.* Srzoda, *t. j. na Szlązku, z niem. Neumarkt.* Gora, *nie odgadniona, która z pomiędzy nader licznych wsi tegoż nazwiska.*

Nr. 1140.

Nicolaus Bechowyski palatinus Poznaniens. 1334 Dec. 1, s. l.; renuntiationem impetitionis, quam filii Usandzi p. m. in villa Wyszanów habuerunt, ratam habet.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A, Nr. 87.

In nomine Domini amen. Nos Nicolaus Bechowyski, palatinus Poznaniensis, in hys scriptis publice recognoscimus et ad universorum noticiam, quibus presentes littere fuerint exhibite, cupimus pervenire, quod Gnevomerus et Iesco fratres et heredes Usandzi pie memorie in nostra presencia constituti, renunciaverunt omni impeticioni, quam dixerunt se habere in bonis Wischenow de porcione sua, quam affirmabant ad se iure hereditario pertinere, et tradiderunt eam domino abbati et conventui monasterii in Paradiso Cisterciensis Ordinis, Poznaniensis diocesis, et resignaverunt eam coram nobis in totum; composicione amicabili de pecunia tredecim marcarum super dicta renunciacione et tradicione interveniente, nulla causa directe vel indirecte eos ad hoc compellente, quod ipsi vel successores eorum et heredes ullo tempore dicta bona Wyschonow in parte vel in toto impetant, sed erit amicabilis composicio, inter dominum abbatem et conventum ex una, et inter dictos fratres et suos heredes et alios suos consanguineos et vicinos quoscunque, parte ex altera, perpętuo duratura. Hanc igitur renunciacionem, tradicionem et resignacionem ratam et gratam habentes, eam auctoritate iudicii regis Polonie et nostri sigilli appensione per presencia communimus. Actum et datum coram testibus: Machzkone Borcowycz, Philippo Kesselbeh, Pezkone et Woytusch de Svebusin, et aliis pluribus fide dignis, anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quarto, Kalendas Decembris.

Bechowyski, *t. j. de Biechowo.* Wischenow, *Wyszanów.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Kesselbeh, *pewnie mylnie zam.* Kesselberch, *niemieckie przezwisko zapomniane któregoś z miasteczek; może Kollin; (cnfr. Nr. 528 i 933).* Svebusin, *Świebodzin.*

Nr. 1141.

Katzmirus rex Polonie 1334 Dec. 7, Postnanie; Ludovico marchioni Brandenburgensi securitatis conductum veniendi ad se Poznaniam, usque ad diem 9 m. Februarii a. cr. valentem, tribuit.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. B 2, p. 95. (Kopja).

Noverint universi presentem literam inspecturi, quod nos Katzmirus, Dei gratia rex Polonie, dedimus, donamus, damus et presentibus elargimur illustri ac magnifico principi domino Ludovico marchioni Brandenburgensi, amico nostro sincere dilecto, universisque secum venientibus cuiuscunque conditionis, preeminentie sive status fuerint, pre singulis nobis intendentibus, parere volentibus et sub nostro dominio residentibus, libere et securitatis conductum ad nos civitatem Posnaniensem veniendi, ibidem pro sue voluntatis beneplacito standi, morandi ab eaque recedendi dum voluerit, salvis suis secumque venientium rebus pariter et personis, quousque civitatem suam Vredeberg, vel alium in dominio suo situm locum quem attingere desiderat, attigerit, sine suggestione doli cuiuscunque duraturum, presentibus firmiter usque ad octavam Purificationis sancte Marie nunc venturam duraturis. Promittimus etiam pro nobis et pro omnibus, qui nostri causa faciunt et dimittunt. In quorum omnium evidentiam, presentes ex nostra certa scientia iussimus nostro sigillo insigniri. Datum Postnanie in crastino beati Nycolai confessoris, anno Domini M.CCC.XXXIIII.

Vredeberg, *Friedeberg.*

Nr. 1142.

Kazimirus rex Polonie etc. 1335 Ian. 3, in Poznania; confirmat permutationem villarum ecclesiae Poznaniensis, dictarum Zawidowice et Warszówka, cum villa patrimoniali Nicolai Sulcovicz, dicta Sułkowice.

Pergam. orygin. Dwie dziurki od przywieszenia pieczęci, w dolnym brzegu wykrojone.

Poznań. Archiv. Capituli. III, 15.

In nomine Domini amen. Ne res gestas coram regum magnificentia aboleat processus temporum, oportunum est, ut eas roboret solempnis tytulus litterarum. Proinde nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie et terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie Pomeranieque dominus et heres, omnibus et singulis tam presentibus quam futuris tenore presencium volumus esse notum, quod in nostra nostrorumque baronum presencia constituti venerabilis in Christo pater dominus Iohannes, Dei gracia episcopus ecclesie Poznaniensis, et noster fidelis Nicolaus dictus Sulcovicz, talem infra scriptorum bonorum inter se fecerunt comutacionem: scilicet dominus episcopus prenominatus, suo et sui Capituli nomine dedit dicto Nicolao duas villas ecclesie sue, Zavidovicz et Warsowa vulgariter nuncupatas, pro villa patrimoniali ipsius Nicolai, Crob Sulconis nominata, cum omni iure et qualibet possessione ipsam a se et a sua ecclesia perpetuo resignando; prefatus vero Nicolaus suam

villam memoratam, secundum quod est limitata circumferencialiter, cum omni iure domino episcopo prefato a se et a suis filiis seu successoribus perpetuo resignavit habendam, tenendam et irrevocabiliter possidendam, comutandam, obligandam et ad usus placitos convertendam, iuxta quod ipsi domino episcopo et suis successoribus videbitur salubrius expedire: super quo nobis preces multimodas obtulerunt parte ex utraque, ut dictam comutacionem ratam et gratam habentes, nostris litteris patentibus dignaremur confirmare. Nos itaque ipsorum precibus inclinati, premissam ratificacionem sive comutacionem, salvo nostro iure, presentibus duximus confirmandam; in cuius rei testimonium presentem litteram fieri et nostri sigilli munimine iussimus comuniri. Actum in Poznania feria tercia ante Epiphaniam, anno Domini m.ccc.xxx quinto, presentibus hys testibus: venerabili in Christo patre domino Ianislao, divina et apostolice Sedis providencia archiepiscopo Gnezdnensi, Nicolao palatino, Iaroslao castellano Poznaniensi, Slawantha de Kalis, Nicolao de Medzirecz castellanis, et aliis quam plurimis fide dignis.

Zavidovicz, *Zawidowice.* Warsowa, *Warszówka.* Crob Sulconis, *dziś Sułkowice pod miastem Krobia.* Medzirecz, *Międzyrzecz.*

Nr. 1143.

Kazimirus rex Polonie etc. 1335 Ian. 3, Poznanie; ratam habet commutationem hereditatum Stephani subdapiferi Poznaniensis, dictarum Canclerzewicze et Rangoczino, cum hereditate Jędrzeiewo, Domui s. Michaelis Ordinis s. Iohannis propria.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. E, pars 2da, fol. 2v.

In nomine Domini amen. Ut non res geste in presencia maiestatis regie a memoria decedant, hominum opportune previsiones dictaverunt, ipsas apicibus futurorum noticie iugiter commendare. Eapropter nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie Pomoranieque dominus et heres, universis tam presentibus quam futuris volumus esse notum, quod cum nostram nostrorumque baronum accedentes presenciam fideles nostri, Stephanus subdapifer Poznaniensis de Gorca, et religiosus vir frater commendator cum toto conventu fratrum Domus sancti Michaelis prope civitatem Poznan, Ordinis beati Iohannis Hospitalis, nos de commutacione hereditatum facta inter ipsos taliter: quod ipse Stephanus de bona deliberacione dederit eis et eidem Domui sancti Michaelis assignavit hereditates suas, dictas vulgariter Canczlerzewicze et Rangoczino, iacentes circa lacum qui dicitur Welke iezoro, cum pratis eiusdem loci, que iacent inter ivucos (sic, intubos?) qui sunt in medio lacus eiusdem, et inter angulum exitus aque de eodem lacu, ac cum aliis minoribus tribus lacubus adiacentibus hereditati predicte Rangoczino, nec non cum pratis et toto dominio ac universis pertinenciis ad premissas hereditates, veluti solus tenuit, et ipsi eidem Stephano pro eo dederunt hereditatem suam dictam Andrzeyowo, similiter cum toto dominio et universis pertinenciis, excepta tamen decima, quam semetipsis reservaverunt: plenius informassent, supplicarunt humiliter et instanter, ut hanc ipsorum commutacionem ratihabicione nostri consensus et assensus confirmare dignaremur. Nos igitur benignius ipsorum precibus

inclinati, premissam commutacionem ratam habentes confirmamus, unde, in premissorum evidenciam, memoratis fratribus hanc dari iussimus litteram, nostri sigilli munimine roboratam. Actum Poznanie in vigilia Epiphanie Christi, anno Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo tricesimo quinto, presentibus hys nobilibus nostris: Iaroslao Poznaniensi, Slaventha Kalisiensi castellanis, Voyslao iudice Poznaniensi, Stephano de Drozin castellano, Nicolao de Myedzirzecz castellano, Ottone cancellario Poznaniensi, per cuius est manus datum.

Gorca, *zdaje się bydź Górka pod miastem Oborniki lub Mosina; oprócz tych jest kilka wsi tegoż nazwiska w województwie Poznańskiem.* Canczlerzewicze, Rangoczino, *osady znikłe, na których miejscu dziś wieś Krzyżewniki. Pierwsza z nich pokazuje się jeszcze pod pierwotnem nazwiskiem w księgach grodu Poznańskiego na początku XV w.* Welke iezoro, *jezioro pod wsią Wielkie, należącą już od pierwszéj fundacyi do Kawalerów ś. Jana Jerozolimsk.* (*cnfr. Nra. 104 i 213*). Exitus aque de lacu Welke, *odpływ do rz. Warta naprzeciw wsi Kiszewo.* Minores tres lacus, *jeziórka p. wsią Strzeszynek.* Andrzeyowo, *osada znikła, stała, zdaje się, na prawym brzegu rz. Warta w pobliżu m. Poznań.*

Nr. 1144.

Kazimirus rex Polonie etc. 1335 Ian. 6, Poznanie; ratam habet commutationem hereditatis Kelczonis filii Petri, dictae Niestronno, cum hereditate Capituli Gneznensis, dicta Podolin.

Pergam. orygin. Z przywieszonéj pieczęci pozostał sznur jedwabny, zielony. Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 101.

In nomine Domini amen. Ne vetustas temporis actus humanos insignes pati cogat naufragium oblivionis nubilo ac calumpnia multiplici novercante, assolet per scripti vigorem perhenius sortiri tutamentum, quo in posteris futurorum noticiam habeat testimonium veritati perhibendo. Proinde nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie, Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie Pomoranieque dominus et heres, universis presentibus et futuris tenore presencium esse volumus manifestum, quod inter honorabiles viros Capitulum ecclesie Gneznensis et Kelczonem filium Petri de Nestronno, super hereditatibus infra scriptis, in terra Polonie situatis, talis coram nobis comutacio intervenit. Dedit siquidem dictus Kelcz predicto Capitulo hereditatem suam, Nestronno dictam, cum omnibus utilitatibus suis, dominio et pertinenciis, et recepit ab eodem Capitulo hereditatem ipsorum, dictam in vulgari Podolyno, similiter cum suis utilitatibus et pertinenciis, per eos ex parte utraque perpetuo iure hereditario possidendas; ita tamen, quod eadem hereditas Nestronno et incole ipsius, libertate omnimoda, qua alie ville ecclesie Gneznensis gaudent, de nostro consensu et concessione perpetuis temporibus perfruantur, prefatus vero Kelczo servicia aliaque iura regni nostri, quemadmodum de Nestronno, sic de Podolino nobis facere in perpetuum sit astrictus. Nos autem comutacionem predictam ratam, gratam habentes ac firmam, presentibus confirmamus, in cuius testimonium rei, sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Poznanie in Epyphania Domini,

anno Domini m.ccc.xxx quinto, coram hys: Alberto palatino Cuyaviensi, Slawantha Kaliziensi, Zbylutho de Nakel castellanis, Wyrbanth Poznaniensi, Andrea Kaliziensi subcamerariis, et aliis pluribus fide dignis. Datum per manus domini Ottonis, cancellarii nostri.

Niestronno, Podolino, *dziś tak samo.* Nakel, *Nakło.*

Nr. 1145.

Maczko Borkovicz 1335 Apr. 16, Bencyn; protestatur, controversiam inter monasterium Paradyż et filios Uszcentae occasione hereditatis Wyszanów ortam, esse sopitam.

Pergam. orygin. W dolnym brzegu wcięcia poprzeczne od przywieszenia jednéj pieczęci.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 17. — Raczyński. Cod. diplomatic. Maior. Poloniae. (*Facsimile*).

In nomine Domini amen. Olim fides integritatis nomén habuit et nomen fidei erat celebre atque sanctum, nunc autem eius integritas quam plurimum evanuit et decrevit; ideo, que fiunt ab hominibus, litterarum testimoniis roborentur. Idcirco nos Maczko Borkovicz aput universos huius scripti inspectores publice recognoscimus protestantes, quod oriente controversia inter conspicuos viros et religiosos fratres de Paradiso Ordinis Cysterciensis, parte ex una, et inter Iohannem et Gnewomirum filios Uszcente, parte ex altera, pro hereditate que vulgariter nominatur Wyzssonowo in territorio Meczcyrecensi, quam sibi racione patrimonii appetebant, nostro nostrorumque curiensium consilio et auxilio mediante talis unyo intervenit et medium: quod dicti fratres et conventus de Paradyso prefatis Iohanni et Gnewomiro pro parte ipsorum, quam ibidem in Wyzsono se habere asserebant, tredecim marcas grossorum in duobus terminis, in Nativitate Christi sex cum dimidia et in festo Passche sex cum dimidia, persolverunt sub hac forma, quod memorati Iohannes cum Gnewomiro et ipsorum posteritas ad prefatam hereditatem nullum de cetero debeant habere respectum. Ut autem dictorum fratrum pecunie solucio et amicabilis unyo simul et nostra protestacio perpetuo inviolabiliter observetur, presentem litteram nostri sygilli munimine duximus roborandam, presentibus hiis testibus qui solucioni et unyoni simul et nostre protestacioni interfuerunt: primus Hinricus Theutunicus, secundus Sambbor de Nandne, tercius Vattha, et aliis quam plurimis fide dignis. Datum et actum Bencyn in die Resurrectionis Domini, anno Domini millessimo C.C.C tricessimo quinto.

Paradisus, *klasztor Paradyż.* Wyzssonowo, *Wyszanów.* Meczcyrecensis, *de Międzyrzecz.* Nandne, *Nądnia.* Bencyn, *Zbąszyń.*

Nr. 1146.

Nicolaus palatinus Poznaniens. et capitaneus Polonie 1335 Apr. 25, Gnezdne; confirmat donationem villae Męcierzyn, a Zarębka herede de Królikowo, ecclesiae Gneznensi factam.

Pergam. orygin. Pasek pergamin. od przywieszenia pieczęci, przez 2 wcięcia przewleczony.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 102.

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod coram nobis Nicolao, palatino Poznaniensi et capitaneo Polonie, et in presencia nobilium virorum infra scriptorum constitutus Zarambca heres de Crolicow, filius quondam Laurencii, publice recognovit, quod idem pater suus fecit commutacionem cum venerabili in Christo patre domino Ianislao, Gneznensi archiepiscopo, in presencia felicis recordacionis domini Wladislai, regis Polonie, super hereditatibus infra scriptis. Recepit siquidem predictus Zarambca a dicto domino archiepiscopo hereditatem dictam Panthnovice cum addicione pecunie, et sibi ac ecclesie Gnezdnensi hereditatem dictam Mencerzino hereditario iure in perpetuum assignavit. Insuper dictus Zarambca coram nobis prefatam hereditatem Mencerzino, nulli alii de iure debitam sed tantum sibi ex successione paterna, per modum commutacionis predicte, cum pleno dominio supradicto domino archiepiscopo et ecclesie Gnezdnensi voluntarie perpetuo resignavit. Nos vero recognicionem, commutacionem et resignacionem predictas, ratas et gratas habentes, ipsas nostris litteris confirmamus. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presentes scribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Actum Gnezdne in die sancti Marci ewangeliste, anno Domini millesimo CCC. tricesimo quinto, presentibus nobilibus viris: comitibus Nicolao castellano Gneznensi, Woyslao iudice Poznaniensi, Sbyluthone castellano de Uscze, Chebda castellano Brestensi, Wyrzbanta Poznaniensi et Andrea Kaliziensi subcamerariis, et aliis multis testibus fide dignis.

Crolicow, *Królikowo.* Panthnovice, *Pątnowo.* Mencerzino, *Męcierzyn.* Uscze, *Ujście.*

Nr. 1147.

Nicolaus palatinus Poznaniens. et Iarizlaus de Gywin miles 1335 Mai. 16, Vranchinfurth; occasione matrimonii filiae Kazimiri, regis Poloniae, et ducis Ludovici, filii imperatoris, certa momenta pacti ineundi placitant.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. B 2, p. 99. (Kopja).

Anno Domini M.CCC.XXXV, tercia feria proxima post dominicam Cantate Domino, fuerunt ista placitata per nobiles viros, dominum Nicolaum palatinum Poznaniensem et dominum Iarizlaum de Gywin militem. Primo videlicet, quod ipsius domini regis filia senior Polonie debet copulari legitime duci Ludovico, nato domini imperatoris, fratri domini marchionis Brandenburgensis, et quod sic debebit utrobique

certificari, quod non poterit in processu aliqualiter interrumpi. Secundo, debebit se idem dominus rex Polonie confederare domino imperatori et domino marchioni Brandenburgensi, sic, quod fideliter ipsis cooperetur contra quemlibet hominem, cuiuscunque conditionis existat, iure vel iustitia contentari nolentem; et etiam, quod cum nullo aliquam amiciciam contrahere debebit idem dominus rex, domino imperatori aut marchioni contrariam vel preiudicialem. Tertio, quod non debebit dominus rex aliquem dominum marchionem dampnificare, volentem per suos terminos sinere transire. Quarto, debebit dominus rex parere decisioni quatuor virorum discretorum ad hec eligendorum, quorum duo ex dominio ipsius domini regis, et duo ex terminis domini marchionis prenotati recipi debebunt, super dampnis universis, per familiares ipsius domini marchionis sibi illatis; qualitercunque illi tunc terminaverint, sic debebit ratum per ipsos dominos observari. Debebunt eciam ambo domini in die beati Iohannis Baptiste proxime venientis convenire, sic, quod ipse rex in vigilia ipsius beati Iohannis in Velen, et dominus marchio in Waldenborg debet constitui, et mutuo ipso die prenotato ad terminanda preconcepta negotia, et specialiter super dote et donatione propter nuptias, et quomodo unus alteri necessitatis tempore obsequi debeat et subsidium inferre, que ipsis dominis et ipsorum arbitrio reservate sunt, nullo impedimento penitus interveniente. In cuius rei testimonium, sigilla predictorum, Nicolai Posnaniensis palatini et domini Iarizlai de Gywin, presentibus sunt appensa. Datum Vranchinfurth, die et loco prenotatis.

Gywin, *u Riedla mylnie* Nywin, *Iwno; cnfr. Nr. 1005.* Velen, *Wieleń.* Waldenborg, *Woldenberg.* Vranchinfurth, *Frankfurt a./O.*

Nr. 1148.

Comes Nycolaus palatinus Posnaniens. Otto cancellarius Polonie et comes Iarislaus castellanus Posnaniens. 1335 Iun. 20, in opido Kunigesberg; dotem Elizabeth, filiae Kazimiri regis Poloniae et sponsae Ludovici, filii Ludovici imperatoris, definiunt, et quaedam momenta pacti, a partibus praedictis ineundi, ponunt.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. B 2, p. 100. (*Kopja*).

In nomine Domini amen. Anno a Nativitate eiusdem M.CCC.XXXV, feria tercia ante nativitatem sancti Iohannis Baptiste, fuerunt placitata et finaliter consummata in opido Kunigesberg omnia infrascripta, per nos, comitem Nycolaum palatinum Posnaniensem, dominum Ottonem cancellarium Polonie et comitem Iarislaum castellanum Posnaniensem, inter magnificos et illustres, Katzimirum regem Polonie, et dominum Ludovicum marchionem Brandenburgensem. Primo, quod illustris Ludovicus, domini Ludovici Romanorum imperatoris tertiogenitus, frater dicti domini Ludovici marchionis, debet legitime copulari illustri Elizabeth, filie seniori magnifici regis supradicti. Si predictus rex per honorabiles viros, comitem Nycolaum palatinum Posnaniensem, dominum Ottonem cancellarium Polonie et dominum Iarizlaum comitem castellanum Posnaniensem, induci poterit, ut dicte filie sue, nomine donacionis propter nupcias, decem milia sexagenarum grossorum Pragensium, secundum

cursum communem ferri Posnaniensis quo grossi examinantur et mensurantur, velit erogare, medietatem eo tempore quo copulati fuerint in prompto persolvendam, reliquam vero medietatem, eo tempore legitime certificando domino imperatori et marchioni supradictis sufficienti et ydonea caucione, infra annum et diem, qui dies pro sex septimanis reputatur, a copulacionis tempore computandam et persolvendam: hec predicta si per dominum regem fuerint adimpleta, videlicet quod summam decem milium sexagenarum superius expressam solverit nomine donacionis propter nupcias: tunc illustris Ludovicus, tertiogenitus antedictus, nomine dotis, illustri Elizabeth ante dicte duo milia marcarum argenti Brandenburgensis et ponderis, in certis redditibus ex ista parte fluvii Odere que respicit Poloniam, assignabit percipienda quamdiu vixerit, pacifice et quiete: et hec in advocaciis et districtibus civitatum Landisberg et Soldin, et in terminis pertinentibus ad easdem. Et si in huiusmodi advocaciis et districtibus tanta summa reperiri non poterit et haberi, tunc de viciniori advocacia vel districtu defectus supplebitur dicte summe. Civitates vero advocaciarum vel districtuum predictorum, promittent et omagium facient illustri Elizabethe predicte, et nomine suo cui vel quibus promissum vel omagium decreverit faciendum, quod fideliter iuvabunt, si aliquis vel qui rebellis vel rebelles invenientur in dicta dotis summa non solvenda, quod illam extorquere debeant a rebelli vel rebellibus supradictis. Tempus etiam copulationis predicte erit in festo sancti Michahelis proximo ad tres annos continuos subsequentes. Item presentatio illustris Elizabeth predicte et medietatis pecunie supradicte erit in Posnania, et ducetur pecunia, sub regis periculo, si violenter ablata fuerit, usque ad metas Marchie supradicte. Insuper dominus rex confederabit se cum domino Ludovico Romanorum imperatore et Ludovico marchione predictis, ita, quod fideliter mutuo sibi cooperabunt contra quemlibet hominem, cuiuscunque condicionis sive status existentem iustitiaque contentari nolentem, et hoc infra duos menses a requisitionis tempore continue subsequentes, cum trecentis galeatis; quibus dominus rex Polonie predictus, quando terminos Polonie introiverint, in expensis necessariis equorum et hominum providebit; et hoc sub periculo et dampno, si quod, quod absit, evenerit dicto marchioni, et profectu predicti domini regis, pro defensione Polonie contra quemlibet hominem, cuiuscunque status vel condicionis existentem. Si etiam munitiones alique caperentur in tali iuvamine, illas rex predictus obtinebit. Si vero homines in conflictu vel bello caperentur aut preda raperetur, illi vel illa, secundum numerum armatorum utriusque illustrium, equaliter dividentur. Preterea si, quod absit, Ludovicus aut Elizabet vel uterque illustrium predictorum morerentur ante dictam copulam consummatam, tamen confederatio predicta per triennium, continue subsequens a mortis tempore, durabit eodem vigore, sicut desuper est conscripta. Preterea, illustris rex et marchio predicti convenient die Nativitatis sancte Marie proxima, ad consumandum premissa literis aut caucionibus eisdem complacentibus omnia supradicta, rex in Velen, et marchio in Waldinborg. Et si necesse fuerit, ad viam mediam simul pergent et constituent eodem die et loco quatuor, duos hic, duos ibi, quibus attribuent plenariam potestatem, quod omnia negotia sive causas, inter eosdem hactenus versas sive in hominibus sive in bonis illustrium utrorumque, concordare, decidere vel determinare possint per iustitiam vel amorem. Et si in dicto loco et die dicti quatuor hec commode facere nequiverint, tunc dicti quatuor de alio loco et tempore, et de quinta persona si necesse fuerit supereligenda providebunt, que discordiam, quam dicti quatuor inter se fortassis habebunt, concordabit de consilio et consensu utriusque illustrium predictorum.

Item dominus rex predictus non permittet aliquos homines, extraneos aut suos terrigenas, dictum marchionem dampnificare volentes vel inimicis suis adiutorium facere volentes, cuiuscunque conditionis vel status existant inimici, per suas terras vel districtus transire, et hec absque scrupulo omnis doli. Hec omnia et singula nos placitatores supradicti domini regis, placitatoribus domini marchionis supradictis finaliter adimplenda data fide promisimus adinvicem, die et loco supradictis. Et in horum evidentiam, sigilla nostra presentibus sunt appensa, anno, die et loco predictis.

Kunigesberg, *Königsberg N. M.* Landisberg, *Landsberg a./W.* Soldin, *Soldin.* Velen, *Wieleń.* Waldinborg, *Woldenberg. Z tekstu Riedla zmieniliśmy: Str. 474 wiersz 20, Riedel ma* illustri. *Wiersz 21, R. ma* medietas. *Wiersz 19 od dołu, u R. brakuje jedno* quod. *Wiersz 10 od dołu, R. ma* consumendum. *Wiersz 2 od dołu, u R. braknie* providebunt.

Nr. 1149.

Fr. Mathias abbas monasterii Lindens. 1335 Iul. 16, in Linda; mansum agri in villa Wola Lądzka, suo monasterio a Petrzychone cive de Ląd donatum, Paulo certis conditionibus vendit.

Pergam. orygin. Na skrawku pergamin. przywieszona podłużna pieczęć przedstawia osobę duchowną, prawicą wspartą na pastorale, lewa zatarta; napis: Sigillum abbatis Landensis.

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata.

In nomine Domini amen. Noverint universi présentes litteras inspecturi et audituri, quod nos frater Mathias, abbas monasterii Lindensis Ordinis Cysterciensis, una cum conventu fratrum nostrorum profitemur in scriptis eisdem, quod cum Petrus dictus Chanewycz, quondam scultetus de Vola hereditate domus nostre, locando eandem hereditatem iure Theuthonico, Martino amico suo, ad dictam hereditatem vocato ut mansionem haberet in ipsa et eum in locacione hereditatis eiusdem iuvaret, mansum liberum de mansis ad sculteciam suam racione locacionis pertinentibus dederit, sibi et suis posteris iure hereditario imperpetuum pacifice possidendum, et Martinus idem eundem mansum vendiderit Petrzychoni civi nostro de Linda, super quo quidem manso eodem Petrzychone per Hermannum dictum Blanchuf, tunc scultetum hereditatis predicte, ad nostram presenciam evocato, et in ipsa causa lite coram nobis contestata, eodem Hermanno petente, dictum mansum sibi et sue scultecie per nos adiudicari, prefato Petrzychone respondente, petita ei concedi non debere; nos, auditis racionibus et proposicionibus partis utriusque, dictum Petrzychonem ab impeticione Hermanni eiusdem super repeticione mansi predicti sentencialiter absolverimus, ipsi Hermanno et suis successoribus perpetuo silencium inponentes, Petrzychonem vero et suos posteros in eiusdem mansi pacifica possessione ponentes, idemque Petrzychus pro salute anime sue nobis et nostro monasterio donaverit mansum eundem: nos ipsum mansum discreto viro Paulo vendidimus pro certa quantitate pecunie, sibi et suis legittimis successoribus, sub ea que sequitur condicione, prout predicti Martinus et Petrzychus ipsum possederunt, hereditarie imperpetuum possidendum. Ita videlicet, quod si dominum regem nostrum expedicionem facere contigerit extra terminos terre sue, dictus Paulus scultetum hereditatis predicte iuvare

tenebitur cum duodecimo denario, pro curru et expensis ad expedicionem eandem comparandis. Item, si idem scultetus aliquam nobis solucionem fecerit, predictus Paulus in adiutorium sculteti duodecimum denarium adiciet ad solucionem eandem. Eciam, si aliquando ad predictam nostram hereditatem descendere nos contigerit, et ipse scultetus in nobis et nostris equis pabulandis quippiam expenderit, prefatus Paulus ipsum in duodecimo denario in huiusmodi expensis iuvabit. Item, quando aliqui hospites, sex vel septem aut octo numero, ad eiusdem sculteti domum descenderint, et si quid apud ipsum expenderint, Paulus debebit eum cum duodecimo denario in expensis eisdem supportare; paucioribus vero quam sex, solus scultetus, et pluribus quam octo hospitibus qui ad eum venerint, villani expensas ministrabunt. Insuper memoratus Paulus tribus colloquiis magnis annuatim tenebitur interesse, et in tercio, in quo supradictus scultetus prandium nobis dare tenetur, ipsum scultetum pro prandio eodem cum denario duodecimo adiuvabit. Preterea, si aliquid unquam eidem Paulo de rebus ipsius acciperetur propter aliquam solucionem, quam villani ad mandatum regis dare deberent, ipsi villani sepedicto Paulo satisfacient pro rebus sibi acceptis. In cuius rei testimonium, presentes litteras eidem dedimus, nostri sigilli munimine roboratas. Actum et datum in Linda monasterio nostro, decimo septimo Kalendas Augusti, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quinto, presentibus fratribus nostris: Alberto priore, Henrico antiquo portario, Nicolao celerario, Iohanne subpriore, et aliis fratribus conventus nostri.

Lindensis, *de Ląd.* Vola, *Wola Lądzka.*

Nr. 1150.

Premislius dux Syradiens. 1335 Sept. 18, in Potrkow; commutationem hereditatis Ianislai archiepiscopi Gneznensis, dictae Proboszczewice, cum villa Thomislai heredis de Glinno et fratris ipsius Bartholomaei, dicta Korytkowo, certa conditione admittit.

Pergam. orygin. Pieczęć okrągła, przywieszona na pasku pergamin., przedstawia godło Ziemi Sieradzkiéj na tarczy trójkątnéj. Napis zatarty.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 103.

Noverint universi presencium noticiam habituri, quod nos Premislius, Dei gracia dux Syradiensis, publice protestari cupientes volumus esse notum, quod veniens reverendus pater Ianislaus, archiepiscopus Gneznensis, hereditatem suam Probosczewicze Thomislao heredi de Glinno et fratri suo Bartolomeo, mutacione facta pro hereditate que Coritcowo vulgariter nuncupatur, coram nostra nostrorumque baronum presencia, cum omnibus condicionibus predictam villam spectantibus spontanee in perpetuum resignavit, et a predictis idem archiepiscopus prenotatam villam Coritcowo suscipiens modo sub eodem. Tali autem condicione prehabitam mutacionem admisimus inter ipsos statuendam, quod sepedicti Thomislaus et Bartolomeus de Probosczewicz, servicium quodcunque de Coritcowo fecerunt, nobis servire tenebuntur. In huius rei testimonium, presentes litteras scribi fecimus, nostri sygilli munimine confirmantes. Actum et datum in Potrkow feria secunda in crastino sancti Lamperti, anno Domini m.ccc.xxx quinto, presentibus hys testibus: Andrea castellano Ro-

spiriensi, Nycolao iudice, Iancone thesaurario, Stanislao subcamerario Syradiensibus, et aliis plurimis fide dignis.

Proboszczewice, Glinno, Korytkowo, Piotrków, *dziś tak samo.* Rospiriensis, *de Rozprza.*

Nr. 1151.

Fr. Stanislaus de Cracovia etc. domini Pape penitenciarius 1335 Oct. 16, Avinione; protestatur, se cum Iaroslao archidiacono Cracoviensi, ad petitionem Gaucelini episcopi Albanensis, super quadam contracta irregularitate dispensavisse.

Pergam. orygin., w którego dolnym, założonym brzegu dwie dziurki, przerwane aż do brzegu.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 104.

Universis presentes litteras inspecturis, nos frater Stanislaus de Cracovia Ordinis Predicatorum, domini Pape penitenciarius, salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quasdem patentes litteras reverendissimi in Christo patris et domini Gaucelini Dei gracia episcopi Albanensis, penitenciarie domini nostri Pape curam gerentis, omni vicio et suspicione carentes, eius sigillo cum pendenti ut prima facie apparebat sigillatas, nos recepisse; quarum tenor sic incipit:

Gaucelinus miseracione divina episcopus Albanensis, religioso viro fratri Stanislao de Cracovia Ordinis fratrum Predicatorum, domini Pape penitenciario, salutem in Domino. Sua nobis Iaroslaus archidiaconus Cracoviensis, lator presentium, peticione monstravit, quod ipse olim, prout tibi exponet, fuit, prout adhuc est, racione bonorum temporalium et patrimonialium, que in regno et sub rege Polonie obtinet, astrictus etc.

Et sic finit:

Nos igitur auctoritate domini Pape, cuius penitenciarie curam gerimus, archidiaconum ipsum ab excommunicacione generali, quam propter hoc incurrit, et huiusmodi incendiorum, rapinarum, spoliorum, devastacionum et depopulacionum reatibus, ac peccatis suis aliis que nobis in foro confessionis apéruit, ad te, cum in curia habeat pro suis negociis ad presens remanere, iuxta formam Ecclesie remittimus absolutum, et mandantes ei inter alia sub debito prestiti iuramenti: ut ecclesiis, quibus fuerunt dicta incendia posita, et aliis, si quibus ex premissis ad satisfaccionem tenetur, de dampnis et iniuria huiusmodi satisfaciat conpetenter si eos comode poterit invenire: discrecioni tue committimus, quatenus, iniuncta inde sibi super premissis pro modo culpe penitencia salutari, super irregularitate, si quam sic ligatus, se non tamen in contemptum Clavium divinis officiis immiscendo, contraxit, secum, alio sibi non obstante canonico, misericorditer dispenses. Datum Avinione V Idus Octobris, pontificatus domini Benedicti Pape XII anno primo.

Post quarum litterarum recepcionem dominus archidiaconus nos cum instancia requisivit, ut dictas litteras execucioni debite duceremus. Nos igitur penitenciarius prefatus peticioni ipsius archidiaconi benignius annuentes, ipsius archidiaconi culpa diligenter considerata, ac eidem archidiacono iniuncta inde penitencia quam secundum

Deum anime sue saluti vidimus expedire, quodque, si quibus per contenta in litteris suprascriptis ad satisfactionem tenetur, satisfaciat quam cito et comode invenire poterit conpetenter, super irregularitate, si quam modo predicto contraxit, predictarum litterarum auctoritate, cum non invenerimus in eum canonicum quod obstaret, tenore presencium misericorditer dispensavimus cum eodem. In cuius testimonium, presentes litteras fieri fecimus, sigillique nostri, quo in officio penitenciarie prefate utimur, appensione muniri. Datum Avinione in ecclesia beati Petri, die sexta decima mensis Octobris, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quinto, Indictione tercia, pontificatus prefati domini nostri Pape, domini Benedicti Pape XII, anno primo.

Nr. 1152.

Iohannes episcopus Poznaniens. 1335 Oct. 18, Poznanie; Paulo et Michaeli fratribus, bona ecclesiae, dicta Plewiska, iure Theutonico ad locandum vendit.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. D, Nr. 75.

In nomine Domini amen. Quoniam memoria hominum labilis est, cum homo sit labilis et mortalis et ex vili et corrumptibili materia sit formatus, ideo necessario scripture ministerium est inventum, ut ea que in presenti hominum disposicione existerent ordinata, possint in posterum ad perpetuam rei memoriam liquide comprobari. Eapropter noverint universi, quod nos Iohannes, Dei gracia episcopus ecclesie Poznaniensis, cupientes condicionem bonorum nostrorum et ecclesie nostre prout possumus facere meliorem, bona nostra et ecclesie nostre, Plewyscze vulgariter nominata, Paulo et Michaeli fratri suo, scultetis nostris ibidem, ad parvos mansos Flamingos iure Theutonico locanda vendidimus pro certa pecunie quantitate, octo mansos, quos ante omnia ibidem ab uno fine elegerimus, pro nostro allodio reservantes. Ita sane, quod idem Paulus cum suis liberis seu successoribus, natis aut nascituris, quatuor mansos liberos ibidem nomine scultecie, quorum duos pariter et iterum ac iterum duos, prout mensura ipsis dederit, quos pro se elegerunt, cum uno orto libero in quolibet mansorum eorundem, in mensura ipsorum mansorum computando, et cum taberna, pistrino, maccello carnium, banco pistorum et sutorio, nec non cum fabro libere ac perpetuo possidebunt. Tercium vero denarium, duobus nobis solutis, de penis iudicialibus percipere tenebuntur: Paulus videlicet cum suis posteris duas partes ipsius tercii denarii, et Michael cum suis posteris terciam partem: similiter et de omnibus pertinenciis, thaberna videlicet, pistrino, macello, fabro, pistore, Paulus nomine quo supra duarum parcium, et Michael cum suis posteris tercie partis utilitatem percipere perpetue tenebuntur. Nobis eciam et nostris successoribus unam ibidem thabernam tantummodo reservantes, concedentes ipsis et eorum successoribus in bonis eisdem venaciones quaslibet exercere. Et si quos kmetones in mansis suis, aut eciam nos in nostris mansis, locaverimus seu locaverint, ipsi eos iudicare tenebuntur; et de penis iudicialibus tercium denarium percipient, et nos duos, iura quelibet incole dicte ville in civitate Poznaniensi requirendo. Quibus quidem incolis, per septem annos a solucione omnimoda nostrorum iurium, nostre mense debencium, quocunque nomine censeantur, damus et concedimus plenariam libertatem: quibus primis tribus annis, eciam a solucione ipsos absolvimus decimarum, residuis

vero quatuor annis, quilibet eorum duos scotos, duos grossos computando pro scoto, de manso quolibet pro decima solvere tenebuntur; qua libertate finita, unam maldratam triplicis frumenti, quatuor videlicet mensuras tritici, quatuor siliginis et quatuor avene cum sex scotis supra nominatis, annis singulis, in festo beati Martini, nomine census de manso quolibet nobis solvere, et in Glownam adducere dicti incole perpetue tenebuntur. Item vaccam bonam in festo beati Petri cum uno pullo de manso quolibet, porcum quoque bonum in festo beati Martini, latus carnium porcinorum bonum in festo Pasce, cum omnibus iure debitis annis singulis nobis solvent, et agros nostros exarare, ut iuris est per alias nostras villas Theutonicales, eciam tenebuntur; ad hec omnia nostri Poznaniensis Capituli consensu et voluntate specialiter accedente. In quorum testimonium, presentes sibi, sub nostro et dicti nostri Capituli sigillis, duximus concedendos in robur perpetue valiturum. Preterea eciam, si que onera dicto Paulo aut Michaeli supportanda contigerint, Paulus cum suis successoribus duas partes, et Michael cum suis terciam supportabunt; licitumque erit ipsis de scultecia eadem, cum nostro tamen consensu, disponere, prout eorum placuerit voluntati. Actum et datum Poznanie in die beati Luce ewangeliste, anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quinto, presentibus et consencientibus fratribus nostris de Capitulo, dominis Andrea preposito, Boguslao decano, Ylico scolastico, Dominico archidiacono, Voslao cantore, Iohanne custode, Clemente cancellario, Stephano decano Vratislaviensi, Andrea de sancto Spiritu, Iescone Bonum mane, canonicis nostris, et aliis pluribus fide dignis.

Plewysze, *Plewiska.* Glowna, *Główna.*

Nr. 1153.

Osanna abbatissa Ordinis Cisterciensis 1335 Oct. 21, Poznanie; de consensu conventus coenobii de Owińska, Sesterconi et Petro, filiis Raczlai, scultetiam hereditatis Dembogora vendit, ut eam iure Magdeburgensi locent.

Poznań. Towarzystwo przyjac. nauk. Owińska, privil. Nr. 7.

In nomine Domini amen. Ut ea que vacillantibus aguntur temporibus robur perpetue obtineant firmitatis, testibus veridicis et scriptis publicis perennari consueverunt. Noverint igitur universi tam presentes quam posteri ad quorum audienciam presens littera fuerit devoluta, quod nos Osanna, Dei gracia abbatissa Ordinis Cisterciensis, de consensu et consilio tocius conventus sororum nostrarum ibidem, vendidimus hereditatem nostram in Dambagora pro quinque marcis Sesterconi et Petro fratribus, filiis Raczlai dicti Nosek, et posteris seu successoribus eorum, perpetuo, libere, quiete et pacifice more Theutonico Magdeburgensi possidendam. In qua scultecia prefati Sestrko et Petrus, sculteti nostri, cum liberis eorum racione locacionis memorate ville nostre, Dambagora dicte, habebunt quatuor mansos liberos, tabernam, pistrinum, macellum, sutorium, omnia libera, et tercium denarium de qualibet re iudicata; ita tamen, quod unus eorum uno anno, et alter alio iudicabit, et tercium denarium, ad eos racione scultecie pertinentem, ambo inter se divident, ne cmethonibus in exigendis penis graves esse videantur. Et ut eadem villa nostra per cmethones in brevi possideatur, omnibus et singulis cmethonibus et incolis ad se venien-

tibus tres annos libertatis a regno, et sex a dominio nostro damus, concedimus et donamus; ita tamen, quod duobus annis evulsis, singuli cmethonum nostrorum de manso tres grossos, vel decimam campestrem nobis dare tenebuntur. Et quidquid durante libertate extirpaverint, sex annis plena et omnimoda gaudebunt libertate; qua evulsa, sculteterum unus, suo anno, in equo mediam alteram marcam valente post currum nostrum equitare tenebitur, et ad omnia nostra negocia, domui nostre competencia, in eodem equo serviet, sicut alii sculteti ceterarum villarum Theutonicalium, circa Poznaniam iacencium et sitarum, suis dominis facere et servire consueverunt. Preterea, sculteterum quilibet suo anno iuramentales denarios de iudicio percipient, sicut ubique est consuetudo sculteterum. Cmethones vero, sex annorum libertate expirante, festo beati Martini, singuli singulis annis, de quolibet manso quatuor mensuras annone, quatuor avene, duas tritici, duas hordei et fertonem usualis monete nobis dare et solvere tenebuntur, et eundem censum in propriis curribus suis sumptibus nobis adducent in Owensko. Preterea, sculteterum unus suo anno unum prandium, et cmethones duo prandia, vel fertonem grossorum nobis dabunt pro quolibet prandiorum. Item, sculteti ambo in eadem villa nostra habebunt unum pratum octo curruum, ubicunque pro sua eligent voluntate; cetera vero prata que in eadem nostra hereditate poterint inveniri, ad usus cmethonum convertantur, ita, ut ad singulos cmethones prata in suis mansis pertineant. Item, unus scultetus suo anno in lacu predicte ville nostre adiacente piscari poterit ad suam mensam, cum gulgustro vel cum illis retibus que wenczerze vulgariter nuncupantur. Ceterum excipimus mericam pro dominio nostro, in qua merica sculteti cum cmethonibus ligna pinnum edificia (sic), quibuscunque indiguerint pro domibus suis, excidere licite possunt; sed si quid vendere voluerint, hoc de nostra facient voluntate. Quod autem lignorum vel edificiorum in mansis est sculteterum vel cmethonum, singuli ad suas libere convertant utilitates et profectus. Insuper concedimus scultetis et cmethonibus nostris, in memorata villa nostra commorantibus, lutum quodam ex integro quod vulgariter appellatur Chechol, et aliud dimidium lutum quod Kobylebloto nuncupatur, tamdiu, quoadusque ipsis exliberabimus seu evincemus prata, que per heredes de Curecino nunc sunt occupata. Quicunque vero sculteterum seu cmethonum sepe dicte ville nostre venaciones aliquas voluerit exercere, quidquid ceperit seu venaverit, preter parvas aves, de toto conventui nostro quartam partem tenebitur reservare. Insuper cmethones supradicti ville nostre, evulsa libertate, festo Pasche, singulis annis, singuli triginta ova de quolibet manso, et unum agnellum omnes in commune nobis dabunt pro honore. Cmethones eciam memorate ville nostre, nobis ter in anno arare tenebuntur, et omnia alia iura et servicia nobis exhibebunt et facient, que cmethones aliarum villarum Theutonicalium suis dominis facere et impendere consueverunt. Excipimus eciam specialiter, quod, si prefati Sestrko et Petrus cum cmethonibus concordare non poterint, unus eorum, qui nobis et cmethonibus nostris aptior et valencior esse videbitur, apud fratrem redimere tenebitur partem scultecie memorate. Ut autem hec vendicio et vendicionis protestacio, per nos et conventum nostrum rite et laudabiliter facta et habita, perpetuo maneat inconvulsa, in huius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presentem literam Sestrconi et Petro fratribus et posteris seu successoribus eorum dedimus, sigillo nostro et conventus nostri roboratam. Actum et datum Poznanie in festo Undecem milium virginum, presentibus reverendis et honorabilibus personis: fratre Henrico de Prusecz, priore domus in Owensko, nec non Saula priorissa, Margarita subpriorissa,

Femka et Sulca sororibus de conventu ibidem in Owensko, et domino Philipo plebano de Werenicza, Saugio piscatore de Owensko, Swantcone et Floriano civibus de Insula, Potenciano filio Calisconis cive Poznaniensi, Venceslao sculteto de Troskotowo, et aliis quam pluribus viris discretis et honestis, ad hanc ordinacionem et vendicionem specialiter vocatis et rogatis. Acta sunt hec sub anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quinto.

Dambagora, *Dębogora.* Curecino, *Skorzęcin.* Prusecz, *Prusiec.* Owensko, *Owińska.* Werenicza, *Wierzenica.* Insula, *Ostrów, część miasta Poznań leżąca pomiędzy rz. Warta i Cybina przy tychże połączeniu; stały na niéj obok Tumu stary zamek książęcy i kościół św. Mikołaja.* Troskotowo, *Truskotowo.*

Nr. 1154.

Kazimirus rex Polonie etc. 1335 Nov. 23, in Poznania; Wierzbientae, succamerario Poznaniensi, facultatem locandi iure Novi fori villam Smogulec in civitatem confert.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscript. Poznaniens. a. 1542, fol. 92.

In nomine Domini amen. Ne ea, que de mera regum liberalitate ob merita subditorum pro ipsorum commodis perhenniter donantur, oblivione comite decidantur a memoria hominum, debent non immerito solempnium literarum apicibus roborari. Proinde nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie et terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Cuyavie, Lancicie Pomeranieque dominus et heres, universis tam presentibus quam futuris tenore presencium volumus esse notum, quod fidelibus serviciis et multiplicibus nostri fidelis Vyerzbanthe, subcamerarii Poznaniensis, consideratis et inspectis, que nobis pluries exhibuit et in futuro animo diligenti nititur exhibere, ut merita meritorum se gaudeant vicissitudine recompensari, ob merita igitur suorum fidelium serviciorum, in suis bonis super villam Smogulz vulgariter nuncupatam, situatam in terra Palukacensi, civitatem iure Theuthonico, scilicet Novoforensi, damus sibi et conferimus perpetuo locandi omnimodam facultatem, conferentes eidem et suis successoribus in ibidem, advocatum cum omni iure pro ipsorum libito libere statuendi, prout in nostris ceteris civitatibus ipsi advocati esse consueverunt. Preterea donamus militi nostro memorato in civitate supradicta cameras pannorum et cramorum sive institorum, macella carnium, bancos panum et sutorum, balneum, fabricam, et alia omnia et singula facienda sive construenda, iuxta quod sue suorumque successorum expedierit voluntati; eximentes et liberantes perpetuo advocatum cum civibus eiusdem civitatis ab omnibus iudiciis palatinorum et potestatibus, et ab omnibus iuribus Polonicalibus, serviciis, dacionibus, contribucionibus, collectis, solucionibus, exaccionibus, et aliis quibuscunque quocunque vocabulo forent nuncupate, et ab omnibus consuetudinibus Polonici iuris que ius Theutonicum perturbare consueverunt, et ab omnibus iudiciis palatinorum, castellanorum, iudicum, subiudicum, omnium officialium ministerialiumque eorundem, in omnibus causis sive penis, puta furti, sanguinis, homicidii et eciam quibuscunque: que omnia et singula inter gades civitatis commissa sive perpetrata, coram advocato eiusdem civitatis et scabinis iure Theutonico debebunt commode criminari, et ipse heres sive dominus civitatis, una cum suo advocato penas sive emendas secundum ius Theutonicum pro se recipient sive perci-

pient plenarie iudicati. Citati vero idem advocatus cum suis scabinis, tantum per nostram literam, in nostra curia iure Theutonico de se querulantibus respondere tenebuntur. In cuius rei testimonium, presentem literam fieri, et nostri sigilli munimine iussimus communiri. Actum in Poznania in die sancti Clementis, anno Domini M.CCC.XXX quinto, presentibus hiis testibus: Henrico palatino Kalisiensi, Ianussio castellano Landensi, Dobeslao venatore Poznaniensi, Thomislao de Bechow castellano, Andrea subcamerario Kalisiensi, Sangneo vicecancellario nostro et preposito sancti Michaelis in Cracovia, et aliis quam plurimis fidedignis.

Smogulz, *Smogulec.* Novoforensis, *de Novo foro, czyli Środa na Szląźku.* Landensis, *de Ląd.* Bechow, *Biechowo.*

Nr. 1155.

Kazimirus rex Polonie etc. 1335 Nov. 25, Poznanie; confirmat litteras, quas dederat ecclesiae Gneznensi: **Stephanus capitaneus regni Polonie 1318 Dec. 11, in Kalis,** et hereditatem Wierzbiczany, quae vigore praedictarum litterarum ecclesiae Gneznensi fuerat collata, compositione cum Iohanne de Pilica, ipsam impetente, facta, eidem ecclesiae adscribit.

Pergam. orygin. Od przywieszonéj pieczęci pozostał sznurek jedwabny, czerwony. Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 105.

In nomine Domini amen. Quod magnifica regum fieri decrevit auctoritas, ratum et firmum ac inviolabile debet perpetuo permanere. Hinc est quod nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavie Pomoranieque dominus et heres, ad universorum noticiam tam presencium quam futurorum volumus pervenire, quod venerabilis pater noster dominus Ianislaus, divina et apostolice Sedis providencia Gneznensis ecclesie archiepiscopus, in nostra et baronum nostrorum presencia personaliter constitutus, litteras patentes Stephani olym capitanei Polonie, pii genitoris nostri super hereditate Wirzbiczani nobis exhibuit in hec verba: *(Sequitur diploma Nr. 1003).*

Cum itaque prefatus dominus archiepiscopus nobis suis peticionibus plurimum institisset, ut, easdem litteras capitanei ratas et gratas habentes, ipsas nostris patentibus litteris confirmare dignaremur, nos quoque ad hoc fuissemus graciose inclinati, tandem Iohannes de Pylcia veniens ad nostram et baronum nostrorum presenciam dixit, se ad predictam hereditatem Wirzbiczani ius habere. Dum autem cum prefato domino archiepiscopo in ipsa questione hereditatis eiusdem aliquantulum processissent, tandem nobis mediantibus concordia inter ipsos extitit interposita in hunc modum, quod dominus Iohannes predictus, recepta a prefato domino archiepiscopo certa peccunie quantitate, omni iuri, si quod ad prefatam hereditatem Wirzbiczani habuit, cessit publice et renunciavit. Nos itaque, habita nobiscum deliberacione diligenti de maturo quoque consilio baronum nostrorum, prenotatas litteras capitanei ratas et gratas habentes, ipsas tenore presencium confirmamus, ascribentes sepedictam hereditatem Wirzbiczani iuxta tenorem litterarum capitanei iam expressum, videlicet cum toto lacu et prout in suis circumferenciis continetur, eidem domino archiepiscopo et ecclesie sue perpetuo in hys scriptis. Preterea eximimus dictam hereditatem Wirz-

biczani ab omnibus iudiciis et iurisdicionibus nostris et omnium palatinorum, castellanorum, iudicum, subiudicum et aliorum quorumlibet officialium nostrorum; ita, quod ipsa hereditas Wirzbiczani, eadem qua alie ville eiusdem ecclesie Gneznensis omnimoda gaudeat libertate. In quorum omnium testimonium, nostrum sigillum presentibus est appensum. Datum Poznanie in die beate Katherine virginis, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quinto, presentibus nostris fidelibus: Nicolao Kalisiensi et Nicolao de Bogoria palatinis, Andrea capitaneo Polonie, Crzivosandio subcamerario Cracoviensi qui hoc negocium ordinavit, et Sengneo vicecancellario per cuius manus presens scriptum transivit, et aliis pluribus fide dignis. Scriptum per manus Pribislai, aule nostre notarii.

Wirzbiczani, *Wierzbiczany*. Pylcia, *Pilica*. (*Cnfr. etiam Nr. 536*).

Nr. 1156.

Fr. Rudeherus commendator de Gdansc et Conradus dictus de Scheningen advocatus territorii Dersoviensis 1336 Mai. 1, in Libenhowe; possessiones monasterii de Ląd, in territorio de Tczew sitas, certis limitibus designari faciunt.

Poznań. Königl. Staats Arch. Ląd, Lib. privil. A, Nr. 10.

Nos fratres Rudeherus commendator de Gdansc, et Conradus dictus de Scheningen advocatus territorii Dersoviensis, notum facimus universis presentem literam visuris et audituris, quod veniens ad nos frater Mathias, abbas monasterii de Linda Ordinis Cisterciensis, humiliter petivit a nobis, ut propter frequentes querimonias et quotidiana gravamina, que fratres sui in Godeschow manentes paterentur a suis vicinis et ex gadibus in hereditatibus sui monasterii sub regimine nostro constitutis, admissione magistri et amore Dei suarumque oracionum respectu vellemus sibi de salubri remedio providere. Nos ipsius abbatis devotis peticionibus annuere volentes et paci religiosorum cum diligencia intendentes, vicinos predictorum fratrum ad nos fecimus convocari, ipsis studiose mandantes, ut cum abbate et suis fratribus prenominatis in iustis et certis metis concordarent, et ipsas metas sub circumfusis terrarum cumulis confirmarent. Incipientes itaque a Clodava, hereditate fratrum predictorum, usque in Kleschow, metas posuerunt a rivulo Clodave ad cumulum sub ornu ascendendo, ulterius ad cumulum, ultra ad carpenum circa viam, ultra per viam ad quercum, ultra ad quercum, ultra ad quercum, ultra ad sinistram supra montem ad quercum, ultra ad fagum versus rivulum Wolscemsa vulgariter nuncupatum, ultra ad fagum, ultra ad fagum, ultra ad fagum, item ad fagum, item ad tiliam, item ad quercum, ultra ad quercum, item ad fagum, ultra ad quercum, item ad fagum, ultra ad quercum, item ad fluvium circa lapidem Wolsiemza; et hee mete sunt omnes comulate. Item inter Klodawa et Fibinsa: a lapide circa Wolsemsam ad quercum, item ad quercum, deinde ad cumulum sub fago, ultra ad quercum, ultra super cumulum, ultra ad quercum, item ad quercum, item ad quercum, item ad quercum, item ad quercum, item ad quercum ultra cumulum, ultra ad fagum, item ad fagum, ultra ad quercum, item ad quercum, item ad fagum, ultra ad quercum, item super cumulum ultra ad quercum,

item ad fagum, ultra ad fagum, item ad fagum, ultra super cumulum, item ad fagum, ultra ad quercum, ultra ad fagum, ultra ad fagum, ultra ad fagum, item ad fagum, ultra super cumulum, ultra super cumulum, item super cumulum sub quercu, ultra super cumulum in palude, ultra ad quercum, ultra super cumulum, ultra ad quercum, item ad quercum, item ad quercum, item ad quercum, item ad quercum, item ad quercum, item ad quercum, ultra ad pinum, ultra ad quercum, item ad quercum, item ad quercum, ultra super cumulum, ulterius ad quercum, ultra ad vibicem, ultra in rivulum usque ad magnum quercum; et hee mete cumulate sunt. Item inter Clodavam et Suczyno: a magna quercu ultra pratum super cumulum iuxta fossatum ascendendo super cumulum, ultra super montem ad cumulum circa quercum, item ad cumulum sub quercu, ultra in valle super cumulum, ultra in fluvium Clodavam, ultra ad medium magne vallis Clodavam descendendo, ubi fluxus aque cadit in piscinam: illic fluxum ascendendo usque ad antiquum pontem, est meta inter fratres de Oliwa et fratres de Linda: ultra a ponte per paludem ascendendo ad novem quercus. Item inter Malam Villam et Podrogowo: a novem quercubus ad sylvam, ultra ad vibicem, item ad vibicem, ultra ad carpenum, ultra ad quercum, item ad quercum, ultra ad tyliam, ultra ad quercum, item ad quercum, ultra ad fagum, ad quercum, ultra ad fagum, ultra ad tyliam, ultra ad quercum, item ad quercum super paludem, ultra ad quercum, ultra super cumulum sub fago, item super cumulum in palude, item super cumulum sub tylea, item super cumulum circa viam, ultra ad quercum, ultra ad fagum, item ad fagum, ultra super cumulum, ultra ad fagum, ultra super cumulum circa rivulum, ultra ad alnum; et hee mete eciam sunt cumulate. Item inter Malam Villam et Laguschow: a quercu super vallum ultra ad quercum, ultra ad fagum, ultra super cumulum sub monte, item super cumulum sub corillo, item super cumulum sub vibice, item super cumulum sub quercu amputata, ab eodem cumulo, trahendo ad sinistram partem sub Laguscha quatuor funes et tres virgas et duos pedes, ad alnum in pallude signo communi consignatam, ab alnu ad quercum sub monte, ultra super cumulum sub fago, item ad fagum ultra ad quercum, ultra super cumulum sub tylea circa quercum, ultra super cumulum sub quercu, item super cumulum, ultra in vallem ad alnum circa fluvium Styna nuncupatum; et hee mete etiam sunt cumulate. Item inter Tramki et Laguschow: a cumulo inter fluvium Styna et rivulum de palude fluentem, qui facit divisionem usque ad cumulum circa viam et ultra usque ad alnum, ubi aqua per paludem est diffusa, ab alnu ultra ad alnum, ultra ad alnum, item ad alnum, signis consignatis quousque pervênerit ad predictum rivulum qui deducitur, usque ad alnum qui finem facit; et hee mete sunt eciam cumulate. Item inter Trampeke et Trampeke minor: de eadem alnu circa rivulum et cumulum ibidem, versus paludem in alnum, ultra in alnum, ultra ad quercum, ultra ad alnum, item ad alnum circa rivulum, ultra ad fagum, ultra ad quercum, ultra ad fagum, item ad fagum, ultra ad alnum, ultra super cumulum circa fagum, item super cumulum circa quercum, ultra super cumulum circa fagum, ultra ad quatuor fagos, ultra ad quercum, ultra super cumulum, ultra ad fagum, ultra in Clodavam; et hee mete eciam sunt cumulate. Item inter Saxuschow et Laguschow: a rivulo Saxuseveniza nuncupato ad fossatum, quod divisionem facit usque ad mediam paludem. Item inter Saxssew et Sobbewiz: per mediam paludem a fine usque ad finem, a fine paludis usque ad cumulum sub pomo. Item inter Saxuschow et Golambow: a pomo ad cumulum circa quercum, ultra ad cumulum, item ad cumulum sub quercu, item ad cumulum sub alnu, ultra ad cumu-

lum in fine paludis, ultra per paludem ad cumulum, ultra ad cumulum circa viam, item ad cumulum circa viam, item ad cumulum circa paludem. Item inter Saxucscsow et Clobuschow: ab illo cumulo circa paludem, usque ad cumulum, ultra ad cumulum sub quercu, item ad pinum, ultra ad quercum, item ad quercum ultra Saxreserensam; et hee mete sunt cumulate. Item inter Godeschew et Demelin: a medio laci, usque ad palum qui ibi infixus est, a palo usque ad alnum, ultra ad cumulum circa viam, ulterius ascendendo ad alnum, ultra ad alnum, ultra ad rivulum, ultra ad pinum, ultra ad quercum, ultra ad pinum, item ad pinum, ultra ad quercum, ultra ad pinum, ultra ad quercum, ultra ad quercum, item ad quercum, ultra ad cumulum sub quercu que facit divisionem; et hee mete sunt cumulate. Item inter Godeschow et Golambekow: ab eodem cumulo sub quercu ad tyliam, ultra ad quercum, item ad quercum, ultra per paludem ad quercum, item ad quercum, ultra ad cumulum sub pino, ultra ad quercum, item ad quercum, ultra ad carpenum, ultra ad cumulum sub quercu que facit divisionem; et hee mete sunt cumulate. Item inter Rostischow et Godeschow: de predicto cumulo sub quercu ad quercum, item ad quercum supra paludem, ultra ad quercum, item ad quercum, ultra ad quercum, item ad quercum, ultra cumulum circa viam, ultra ad cumulum, ultra ad cumulum, item ad cumulum circa viam, item ad cumulum super pratum, ultra ad fluvium Styna nuncupatum; et hee mete sunt cumulate. Item inter Godeschow et Koberschin: a cumulo super littus Styne ascendendo montem, ulterius ad montem, ultra ad montem lapidum, ultra ad cumulum sub trunco, ultra ad quercum, ultra ad truncum, ultra ad quercum super paludem, ultra ad quercum, ultra ad quercum, item ad quercum, item ad tyleam, ultra ad cumulum sub tribus tiliis, item ad quercum, item ad quercum, item ad tyleam que facit divisionem; et hee mete cumulate sunt. Item inter Godeschow et parvam Thure: a predicto cumulo sub tylea ad carpenum, item ad tyleam, item ad quercum, item ad pinum, ultra ad cumulum circa viam, item ad cumulum, item ad quercum, item ad quercum, item ad quercum, item ad quercum circa lacum Linovisce, ultra per littus ad cumulum, ultra ad vibicem, ultra ad quercum, ultra ad fagum, ultra ad quercum, item ad quercum, item ad quercum, ultra ad alnum, item ad cumulum circa lacus; hee mete sunt cumulate. Item inter Godeschow et maius Thure: de predicto cumulo per littus ad vibicem, ultra ad ulnum, ultra ad ulnum super rivulum, ad ulnum, ultra ad cumulum circa viam, ultra ad quercum, ultra ad quercum circa viam, ad corillum, ultra ad fagum, ultra ad carpenum, ultra ad tyleam, item ad tyleam, ultra ad carpenum, ultra ad pinum, ultra ad carpenum, ultra ad cumulum circa pratum, item ultra pratum ad tyleam, ad alnum in palude; et hee mete sunt cumulate. Item inter Godeschow et Zentschow: ab alno ascendendo per fluvium dictum Zyrzantynza, ad quercum circa viam, ulterius circa rivulum per cumulum ad quercum, ultra ad quercum, ultra ad tyleam supra paludem, ultra ad pinum, ultra per paludem ad cumulum ad tres quercus circumstantes, item per paludem ad quercum, ultra ad quercum, item ad quercum circa viam, item ad quercum, item ad quercum, item ad corulum, ultra ad quercum, item ad quercum, item ad corulum, ultra ad quercum, item ad quercum super littus laci, ultra ascendendo ad sinistras usque ad medium laci contra duos pinos, limitatis hereditatibus predicti domini abbatis et metis signatis et cumulis iuste et racionabiliter suppositis. In huius rei memoriam, presentem paginam scribi, et sigillorum nostrorum formula fecimus insigniri in caucionem pacis perpetue habende inter ipsum et suos vicinos et in testimonium veritatis. Actum coram nobis in Libenhowe anno Domini M.CCC.XXX

sexto, in die beatorum apostolorum Philippi et Iacobi, presentibus viris honestis et discretis: fratre Gunthero, domino Iohanne plebano de Kusterin, Nabur proconsule civitatis Dersoviensis, Mathia iudice dicto Kuiascez, Hermano Iuvel, Stanislao de Swinza, Schicha de Kleschow, Stanislao de Laguschow, Bartholomeo de Trampeke, Iohanne de Clobuschow, Iacobo de Sobewicz, fratrueles de Sobewicz, Sando de Golambow, Myskl de Golambow, Michael de Roszichischow, Otto de Koberszino, Hyeronymus de parva Thura, relicta Goslai de magna Thura, Mathias de Schinschow, Iohannes dictus Schicha, et aliis quam plurimis fidedignis.

Dersoviensis, *de Tczew.* Linda, *Ląd.* Godeschow, *Godziszew, z niem. Gardschau.* Clodava, *Kłodawa, z niem. Kladau.* Kleschow, *Kleczkow, z niem. Kleschkau.* Clodave rivulus, *rz. Kłodawka.* Wolscemsa riv., *Czerwona rz.* Fibinsa, *z niem. Wartsch.* Suczyno, *Sukczyn.* Oliwa, *Oliwa.* Mala villa, *Zła wieś, z niem. Bösendorf* Podrogowo, *Potengowo.* Laguschow, *Łaguszów, z niem. Lagschau.* Styna fluvius, *rz. Sina.* Tramki, *Trąbki.* Trampeke *et* Trampeke minor, *Trąbki wielkie i małe.* Saxuschow, *Zakrzewko.* Saxuseveniza rivulus, *rz. Zakrzewnica.* Sobbewiz, *Sobowice.* Golambow, *Gołąbków, z niem. Golmkow.* Clobuschow, *Kłobuszew, z niem. Klapschau.* Demelin, *Demlin.* Rostischow, *Rożyszew.* Koberschin, *Kobierczyn.* Parvum et maius Thure, *mała i wielka Turza.* Linovisce lacus, *jez. Liniewko.* Zentschow, *z niem. Stezlau.* Zyrzantynza rivulus, *nie odgadniony.* Libenhowe, *Liebenhof.* Kusterin, *z niem. Kurstein.* Swinza, *z niem. Schweinebude.* Schinschow, *z niem. zam. Siwiątki.*

Nr. 1157.

Benedictus Pp. XII 1336 Mai. 8, Avinione; mandat episcopo Posnaniensi, ut cum Petro monacho, qui in iuventute sua virilia occulte amputari fecerit, dispenset.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 503.

Benedictus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri . . episcopo Posnaniensi salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis dilecti filii Petri Conradi, monachi monasterii Laci sancte Marie Cisterciensis Ordinis tue diocesis, apud Sedem apostolicam constituti, petitio continebat: quod ipse olim in iuventute et subdiaconatus ordine constitutus cum audiret legi in Evangelio: Si scandalizet te manus tua, abscinde eam: arbitrans in hoc Deo magnum obsequium se prestare puerilique sensu seductus, sua virilia per manum cuiusdam famuli sui secularis amputari fecit, quodque deinde idem Petrus, tacito de huiusmodi defectu, ad superiores ordines, alias tamen, rite promoveri se fecit et in eisdem sic susceptis ordinibus ministravit, dispensatione super hoc apostolica non obtenta; quare idem Petrus nobis humiliter supplicavit, ut providere ei super hoc de opportune remedio dispensationis misericorditer dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eodem Petro, quod ipse, premissis nequaquam obstantibus, possit in ordinibus susceptis licite ministrare, auctoritate nostra dispenses, iniunctis sibi penitencia salutari et aliis que de iure fuerint iniungenda. Datum Avinione VIII Idus Maii, pontificatus nostri anno secundo.

Lacus sancte Marie, *klasztor we wsi Wieleń, późniéj w mieście Przemęt.*

Nr. 1158.

Fr. Mathias abbas de Lynda 1336 Mai. 17, in Lynda; approbat commutationem hereditatis Łęg et maldratarum in Kłobia monasterio suo propriarum, cum hereditatibus Mathiae episcopi et Capituli Kuiawiensis, dictis Grodziszewo cum attinentiis, anno 1328 Dec. 20 in Lenda perfectam.

Rzyszczew. Muczkow. Codex diplom. Poloniae, II Nr. 263. (Z pergaminu oryg., którego obie pieczęcie znikły).

In nomine Domini amen. Humanorum actuum gesta, oblivione faciente consueverunt tractu temporis deperire, si scripture testimonio vel testium suffragio non fuerint memorie commendata. Inde est quod nos frater Mathias, divina miseracione abbas de Lynda Ordinis Cysterciensis Gneznensis dyocesis, cupientes, ut gestorum inter venerabilem patrem dominum Mathiam, divina et apostolice Sedis providencia ecclesie Wladislaviensis episcopum, et Capitulum ipsius nomine ecclesie ipsorum ex parte una, et nos ac conventum nostrum nomine ecclesie nostre Lyndensis ex altera, plenior apud posteros memoria habeatur, notum facimus universis tam presentibus quam posteris presencium noticiam habituris, quod attendentes, qualiter villa, possessio seu hereditas ecclesie nostre, que Lang wlgariter nuncupatur, iacens in terra Cuyavie prope antiquam Wladislaviam, una cum septem maldratis decimalibus in villa magnifici principis domini Wladyslai regis Polonie, que Cloba dicitur, iacentibus, ad nostrum monasterium spectantibus, propter longam locorum distanciam minus utiles ecclesie nostre fore viderentur, et considerantes, quod villa, hereditas seu possessio ipsius domini episcopi Wladyslaviensis, Godzesovo wlgari vocabulo nuncupata, una cum ecclesia et decima ipsius ecclesie, molendino et lacu ipsius ville, ac aliis decimis in villa seu grangia nostra Clodava ac sortibus adiacentibus, et in Trambky, Chosemino, Szacrzewo quoque in terra Pomoranie iacentibus, ad mensam ipsius domini episcopi spectantibus, propter loci vicinitatem dicte grangie nostre Clodava et utilitatem uberiorem que exinde monasterio et ecclesie nostre, Deo propicio, poterit provenire, cum ipso domino episcopo de consensu Capituli sui, nostri conventus similiter consensu accedente, de dicta villa nostra Lang et septem maldratis in terra Cuyavie iacentibus in villa domini regis prenotata, ad nostrum monasterium seu ecclesiam spectantibus, permutacionem fecimus iuxta modum infrascriptum. Eidem siquidem domino episcopo ecclesie sue predicte nomine dedimus, tradidimus et resignavimus predictam villam, possessionem seu hereditatem nostram Lang una cum septem maldratis decimalibus predictis in prefata Cloba ad nostrum monasterium spectantibus, tytulo permutacionis, cum omnibus iuribus, fructibus, utilitatibus, pratis, nemoribus, mellificiis, piscacionibus in Visla et aliis aquis, molendino quoque et minera ferri, ac aliis universis et singulis pertinenciis suis, que nunc habentur vel in posterum poterunt reperiri. Ab ipso vero domino episcopo, ecclesie sue nomine, habito maturo consilio et deliberacione sufficienti, de consensu Capituli sui, nostri conventus similiter consensu accedente, pro omnibus et singulis predictis simili tytulo permutacionis recepimus dictam villam ipsius Godzesovo una cum ecclesia et decima ipsius ecclesie, iure quoque patronatus, molendino et lacu ipsius ville, ac aliis decimis ville seu grangie nostre Clodava et sorcium adiacencium, et in Trambky, Chosemino ac Szacrzewo in terra Pomoranie existentibus, eodem modo cum universis et

singulis iuribus, fructibus, utilitatibus et pertinenciis suis, que nunc sunt vel esse poterunt in futurum. Volentes et tenore presencium decernentes, quod ipse dominus episcopus et ecclesia Wladyslaviensis sua, omnia et singula predicta, per nos sibi data et assignata modo predicto, nos quoque et monasterium nostrum ac ecclesia nostra Lyndensis, similiter universa et singula prelibata, per ipsum nobis tradita et assignata, debeamus vicissim iure hereditario perpetuo possidere, temporalibus pro temporalibus, et spiritualibus pro spiritualibus sic canonice permutatis. Promittimus insuper, nomine monasterii et ecclesie nostre, pro nobis et successoribus nostris eidem domino episcopo et ecclesie ac successoribus ipsius de evictione predicte ville Lang ac septem maldratarum prelibatarum, ut, si quispiam eam vel eas inposterum evinceret, nos et monasterium ac ecclesia nostra et successores nostri ad reconpensam evictorum, ex pacto inter nos habito, tenebuntur (sic). In cuius rei testimonium, presentes litteras eidem domino episcopo dedimus, nostro et nostri conventus sigillorum munimine roboratas. Datum in Lynda monasterio nostro, sexto decimo Kalendas mensis Iunii, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto, presentibus honorabilibus et discretis viris: dominis Iohanne decano Wladyslaviensi, Iaroslao preposito, Borislao scolastico, Trayano cantore, Sandchone custode Crusficiensis, et Nicolao, canonicis Wladyslaviensis ecclesiarum; item fratribus nostris: Alberto priore, Iohanne subpriore, Nicolao celerario, Arnoldo portario, et aliis pluribus nostri conventus. Per hoc autem instrumentum, litteris sigillo communi abbatis et conventus ecclesie Lyndensis sigillatis, per nos abbatem et conventum predictos prefato venerabili in Christo patri domino Mathie, episcopo Wladyslaviensi, et ecclesie ipsius sub anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo octavo datis super eadem commutacione, que cum presentibus sunt eiusdem continencie et tenoris, non intendimus preiudicare; ymo ipsas approbantes et confirmantes cum instrumento presenti, eandem vim decernimus habituras.

Lynda, *Ląd.* Wladislaviensis, *de Włocławek.* Lang, *Łęg.* Antiqua Wladislavia, *Włocławek.* Cloba, *Kłobia.* Godzesovo, *Godziszewo, z niemiecka Gardschau.* Clodava, *Kłodawa, z niem. Kladau.* Trambky, *Trąbki.* Chosemino, *Kozmin.* Szaczrzewo, *Zakrzew.*

Nr. 1159.

Premyslius dux Syradie 1336 Iun. 10 (Aug. 19?), in Unyeyow; ratam habet commutationem hereditatis ecclesiae Gneznensis, dictae Leszno Kotowice, cum Grocholice, villa Floriani heredis de Kaznów.

Pergam. orygin., u którego w dolnym, założonym brzegu pasmo nici jedwabn., niebiesk., przez dwa wcięcia przewleczone. Pieczęci nie masz; pismo w wielu miejscach zniszczone.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 106.

In nomine Domini amen. Nos Premyslius Dei gracia dux Syradie notum facimus universis, quod venerabilis pater noster dominus Ianislaus, divina providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, et Florianus heres de Kaznovo, noster famulus, villas infrascriptas taliter pro utriusque commodo commutaverunt. Recepit ita-

que dictus dominus archiepiscopus pro se et sua ecclesia Gneznensi ab eodem Floriano villam seu hereditatem suam dictam Grocholyce per modum commutacionis, sitam in terra nostra Syradiensi, cum omnibus ad eam pertinentibus, prout in suis limitibus est distincta; dictus vero Florianus hereditatem dictam Leszczno a prefato domino archiepiscopo et sua ecclesia, que est sita in terra Lanciciensi, cum omnibus iuribus, prout in gadibus continetur recepit, per eum et suos liberos perpetuo possidendam. Nos vero eandem commutacionem ratam habentes et gratam, ipsam in presentibus confirmamus, volentes, ut dicta villa Grocholyce, plena sicut alie ville ecclesie gaudeat libertate. In cuius rei testimonium, presentes litteras predicto domino archiepiscopo dari iussimus, nostri sigilli appensione munitas. Actum et datum in Unyeyow in crastino dominice Respice, anno Domini M.CCC.XXX sexto, presentibus nobilibus viris: Nicolao iudice, Wenczeslao pincerna, Rozdzalio subiudice, Swentoslao tribuno Siradiensibus, Mathia castellano de Gnewkow, et aliis pluribus fide dignis.

Kaznovo, *Kaznów*. Grocholyce, *Grocholice*. Leszczno, *Leszno Kotowice*. Unyeyow, *Uniejów*. Gnewkow, *Gniewkowo*.

Nr. 1160.

Ludovicus (marchio Brandenburgens.) 1336 Iul. 20, Berlin; Sandzivogio de Czarnków annuum redditum conditione certi obsequii concedit.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. A 24, p. 23. (Kopja).

Ludovicus *etc.*, contulimus et presentibus conferimus strenuo viro Zanzowoye suisque veris heredibus sexaginta talenta denariorum annuorum reddituum, denariorum Brandenburgensium; xxx talenta in festo sancte Walpurgis, et totidem in festo Martini proxime tunc sequentis, singulis annis percipienda pariter et tollenda. Quam quidem summam dictis temporibus venientibus, et quamdiu idem nobis fideliter obsequetur et dampnis cavebit nostris et cum castro Cernekowe parebit, de camera nostra presentare procurabimus, quousque sibi in certis nostris bonis sive redditibus dictam summam decreverimus assignare. In cuius *etc.* Datum Berlin anno Domini M.CCC.XXXVI, sabbato ante festum beati Iacobi apostoli.

Nota. Tenor alterius littere sonat sicut ista.

Cernekowe, *Czarnków*.

Nr. 1161.

Ludwig (Markgraf von Brandenburg) 1336 Iul. 24, Berlin; gestattet denen von Guntersberg Buckow zu befestigen, und verspricht ihnen zur Wiedererlangung der von den Polen weggenommenen Veste Ujście behülflich zu sein.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. A 18, p. 107. (Kopja).

Wir Ludwig *etc.* bekennen offentlichen *etc.*, dat wy den vesten Mannen Walther, Gunther, Ridder; Luthke, Günther, Iohannes, Hartwich, Matheo, Henninghen

und Kopekin, Voltekens Sunen; Henning, Konstel und Kopekin, synen Sonen, alle geheyten von Guntersberg, haben ghegunnet un vorlavet meth guden Willen, dat sse buwen moghen und vesten in dem Dorpe tzu Buchowe edder in der Veltmarketh des sulven Dorpes dat ze van uns to Lehen han. Und wy scholen en ock helpen dedingen, meth den besten dat wy moghen, ere Vestene tzu Usth, de en de Polen affghewunnen hebben. Scholen sse ock vordedinghen eres Rechten wedder aller Malken, de se vor unrechten willen an Lyve edder an Gude. Dat is geschehen mit der Boscheydenheyt, dat sse und ere Erfnamen uns und unsen Erven und Nakomelingen denen scholen mit twygher Manne denste, baven drier Manne densth, der se uns van Rechte sculdich syn; und desse Veste de sse buwen willen, und ock alle Veste dę se edder ere Erfnamen noch gewynnen edder krigen mochten, scholen uns apen zin to aller Tith und to alle unsen Noden. Daht han ze uns gelavet vor szick und vor alle ere Frunde in rechten Truwen und ock vor alle ere Erven. In cuius testes Iohannes et Hermannus comites de Hennebergh, Iohannes Buch, Borthvelt. Datum Berlin, anno Domini M.CCC. XXXVI, in vigilia Iacobi appostoli.

Buchowe, *Buckow*. Usth, *Ujście*.

Nr. 1162.

Iohannes dux Slesie et dominus Glogovie 1336 Dec. 4, in Prsedemost; donationem possessionum in Sworzeń, quas Iohannes de Goldberg, altarista ecclesiae Glogoviensis, monasterio de Wieleń conferendas emerat, ratam habet, et incolas earum quibusdam privilegiis munit.

Transsumpt potwierdzony przez: Iohannes Boemie rex etc. 1337 Ian. 12, Wratislavie.

Poznań. Königl. Staats Arch. Priment Nr. 5.

In nomine Domini amen. Nos Iohannes, Dei gracia dux Slesie et dominus Glogovie, ad perpetuam rei geste memoriam notum facimus universis presentem paginam inspecturis, quod, licet ad benefaciendum omnibus Christiane fidei cultoribus ex innata nobis munificencia teneamur, presertim tamen hys, sub religionis habitu perpetuo Regi militantibus, pro nostra progenitorumque nostrorum salute donatis suffragiis divine maiestatis iugiter pulsantibus auditum, desiderio benefacere cogimur ampliori. Cum igitur vir discretus Iohannes dictus de Goltperch, altarista ecclesie Glogoviensis, zelo pietatis inductus bona ac possessiones in Swos districtus Glogoviensis, cum fundo suo, cum agris cultis et incultis, mericis, silvis, nemoribus, ortis, pratis, pascuis, paludibus et rubetis, mellificiis, venacionibus, molendinis iam constructis et adhuc construendis, cum aquis et piscacionibus universis, parvis et magnis, tam in Barichsca quam in Odra ad eadem bona seu possessiones in Swos pertinentibus ab antiquo, prout in suis metis et terminis circumferencialiter sunt distincta, cum iure patronatus, suis pecuniis, nomine et vice monasterii et conventus sui Laci sancte Marie, apud dominam Elizabeth relictam quondam Ottonis de Limpach et Nicolaum et Ottonem filios eorundem legittime comparasset, et eadem bona cum possessionibus et omnibus et singulis utilitatibus supradictis antedicto monasterio et

suo conventui idem dominus Iohannes nomine testamenti racionabiliter donavisset, tandem iam dicto domino Iohanne de Goltperch, ex parte una, nec non prefata domina Elizabeth cum Nicolao et Ottone filiis suis, ex parte altera, in nostra presencia constitutis, eadem bona et possessiones cum fundo in Swos, nomine predicti monasterii et conventus sui Laci (sic) sancte Marie, ad manus nostras, non decepti nec coacti, sed matura providencia liberaliter tradentes resignaverunt, nobis supplicantes affectuose, ut sepedicta bona cum fundo suo in Swos ac omnibus et singulis utilitatibus et redditibus supradictis, nomine predicti testamenti eidem monasterio et suo conventui conferre dignaremur. Nos vero precibus eorum inclinati, eandem emptionem, tradicionem et resignacionem coram nobis rite et racionabiliter factam gratificantes et ratificantes, tota et singula bona et possessiones, cum fundo suo et utilitatibus universis sepedicto monasterio et conventui suo in Laci (sic) sancte Marie, in persona venerabilis domini Nicolai, abbatis eiusdem monasterii Cisterciensis Ordinis, Poznaniensis diocesis, proprietatis tytulo donavimus, contulimus et apropriavimus libere et pacifice in perpetuum possidendum. Renunciamus nichilominus sepe nominatorum bonorum omni iure (sic) ordinario, extraordinario, cum molendinis et possessionibus seu utilitatibus universis; exementes prefata bona ab omnibus et singulis serviciis sive servitutibus, solucionibus, exactionibus, peticionibus, precariis, vecturis, angariis, perangariis, et vexacionibus universis quibuscunque nominibus censeantur, nichil nobis seu successoribus nostris in eisdem bonis iuris sive dominii de cetero reservando. Ut autem premissa robur perpetue firmitatis obtineant, presencia nostri sigilli appensione fecimus communiri. Actum et datum in Prsedemost in die beate Barbare, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto, presentibus testibus: dominis Schypcone Grellen, Petro de Swenkenvelt, Ottone de Malticz, militibus; Iohanne Unrue, Heynkone de Palaw, Iacobo de Valkenhein, et Petro prothonotario nostro, et aliis quam plurimis viris ydoneis et fide dignis.

Swos, *Sworzeń.* Barichsca fluv., *rz. Barycz.* Lacus sancte Marie, *klasztor we wsi Wieleń, późniéj przeniesiony do miasta Przemęt.* Prsedemost, *dziś z niem. Priedemost.*

Nr. 1163.

Nicolaus palatinus Poznaniens. et capitaneus terre Polonie et iudex Nicolaus Gneznens. et Kalisiens. 1336 Dec. 14, in Kalis; aream molendini et partem fluvii Stawka in villa Opatówek, Ianislao archiepiscopo Gneznensi contra petitionem Marci sculteti de Cienia adiudicant.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec., fol. 91.

In nomine Domini amen. Ut non possint in posterum attemptari calumpnia que nostris temporibus iudicio terminantur, providencia sapientum decrevit, ea scripture testimonio posteris commendare. Proinde nos Nicolaus palatinus Poznaniensis et capitaneus terre Polonie, et iudex Nicolaus Gneznensis et Kalisiensis, notum facimus universis ad quos devenerit scriptum presens, quod cum Marcus scoltetus de Czena venerabilem patrem dominum Ianisk., Gneznensem archiepiscopum, pro area molendini circa villam suam Opathow et pro fluvio dicto Czena, qui profluit a molendino Opathoviensi usque ad pontem dictum Babino, coram serenissimo domino

nostro Kazimiro rege Polonie convenisset, asserens, eandem aream molendini cum fluvio ad suam scolteciam iure hereditario pertinere, domino vero archiepiscopo per suum nuncium vel sindicum id negante, idem dominus noster rex commisit nobis eandem causam iudicialiter terminandam; et tunc idem scoltetus intencionem suam coram nobis se obtulit probaturum, et ad producendos testes, quos nominavit, in Kalis terminum acceptavit, quo adveniente, dictus Marcus, prout a mediatore didicimus, in probacione defecit. Nos vero predicto domino archiepiscopo prefatam aream molendini cum fluvio sentencialiter adiudicavimus, supradicto Marco scolteto et suis liberis super eisdem questionibus perpetuum silencium imponentes; in cuius rei testimonium, nostra sigilla presentibus sunt appensa. Actum in Kalis in crastino sancte Lucie virginis, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto, presentibus honorabilibus viris: Benyamyn thezaurario Gneznensi, Stanislao subiudice Kalisiensi, Laurencio herede de Slavino, Lubomiro scriptore et capellano nostro, aliisque pluribus fide dignis.

Czena, *Cień.* Opathow, *Opatówek.* Czena fluv., *rz. Stawka.* Slavino, *Stawin.*

Nr. 1164.

Iohannes Boemie rex etc. 1337 Ian. 12, Wratizlavie; confirmat privilegium, quod dederat monasterio de Wieleń: **Iohannes dux Slesie et dominus Glogovie 1336 Dec. 4, in Prsedemost,** eidemque monasterio varias libertates largitur.

Transsumpt oryginalny, potwierdzony przez: Karolus Romanorum rex etc. 1348 Nov. 15, Wratislavie.

Poznań. Königl. Staats Arch. Priment Nr. 5.

Nos Iohannes, Dei gracia Boemie rex ac Lucemburgensis comes, ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod vidimus litteras, non rasas, maculatas vel aliquo modo viciatas, patentes et legi fecimus illustris principis domini Iohannis, ducis Slezie et domini Glogoviensis, pendenti maiori sigillatas; quorum tenor per omnia erat iste: (*Sequitur diploma Nr. 1162*).

Quibus litteris patentibus per nos visis et plene intellectis, ad maiorem ipsius rei publice et graciarum evidentem cautelam et perpetuam memoriam ipsas litteras in hanc cartam redegi et transsumi et sigillorum nostrorum appensionibus ex certa nostra sciencia iussimus communiri, et ipsam presentibus approbamus, gratificamus et eciam confirmamus. Ad pleniorem ipsius nostre gracie cumulum, eidem monasterio concedimus, indulgemus auctoritate presencium et favemus, quatenus pro comodo ipsius monasterii Laci (sic) sancte Marie, fratrum et conventus utilitate et profectu, predictus abbas et conventus monasterii predictum monasterium in locum Swos prius tactum transferre, immutare, locare, translocare, efficere, construere, edificare valeant atque possint. Addicimus (sic) eciam, quod sepefatum monasterium omnia et singula bona, que per empcionem aut elemosinarum largicionem, aut principum vel aliorum Christi fidelium tradicionem comparaverint seu adipisci et quovismodo (obtinere) potuerint, sub omnibus libertatibus, immunitatibus et graciis, tan-

quam alia bona ipsius monasterii propria, perpetuo possideant harum nostrarum testimonio litterarum. Datum et actum Wratizlavie anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo septimo, die dominico post Epyphaniam eiusdem proximo.

Lacus sancte Marie, *klasztor we wsi Wieleń, nad jeziorem leżący, późniéj przeniesiony do miasta Przemęt.* Swos, *Sworzeń.*

Nr. 1165.

Kazimirus rex Polonie 1337 Mart. 5, s. l.; concedit Alberto et Martino, fratribus germanis, ut per flumen Noteć, inter villas Tur et Samoklęski pontem construere, et theloneum de eodem percipere possint.

Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplomatic. Poloniae, II, Nr. 487. (Kopja transsumptu, potwierdzonego przez Zygmunta króla r. 1539).

In nomine Domini amen. Ne res gestas coram regum magnificencia aboleat processus temporum, opportunum est, ut eas roboret solemnis titulus literarum. Eapropter nos Kazimirus, Dei gratia rex Polonie, universis tenore presentium potituris recognoscimus publice profitentes, quod in nostra nostrorumque baronum presentia ex miseratione divina et nostra regis Polonie tribuimus Alberto et Martino, germanis fratribus, facere et construere pontem per flumen dictum Nothes inter suas hereditates, hoc est inter Thur et Samokłoski (sic), teloneum tenere et habere, molendinum facere etiam dicendo (sic) wlgariter, et Ruda civitatem edificare et iure Theutonicali ut regales civitates tenent et habent, et cum omnibus utilitatibus que possunt ibi fieri in suis metis et terminibus (sic) circumferentialiter distinctis, duraturis et perpetuis temporibus pacifice et quiete perpetualiter habere et possidere, in flumine et retro flumen. Incipiendo [a] Dambovi Osthrow, quod (sic) est inter Thur et Zulczino, ab Ostrow, quam recte transit, ad istud latus (sic) qui est inter Thur et Zulcino, a lacu, quem recte transit, ad Krzivibor, a Krzivibor, quam recte transit, ad limitem Gozizen, a limite Gozizen, tunc Gorzenski bor et Thurska dambrowa, inde ad smug, quem transit, a flumine Nothsza et sicut patebit in nomine domini (sic). In cuius rei testimonio (sic), sigillum nostrum (sic) iussimus munimine roborari in robur perpetuum. Actum et datum in Carnisprivio anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo, presentibus his testibus: viris nobilibus Nicolao de Miedzirzecz, Sbilutho de Uszczie, Boguscha Iuvenis Wladeslavie castellanis, Cristino subdapifero Calissiensi, Segnewo vicecancellario nostre curie, per cuius est manus datum.

Nothes, *Noteć rz.* Thur, *Tur, dziś młyn na rz. Noteć.* Samokloski, *Samoklęski.* Ruda civitas, *osada ta w tem miejscu dziś nie istnieje, tylko o milę odległości, z drugiéj strony m. Rynarzew.* Zulczino, *Żurczyn.* Krzivibor, Gozizen, Gorzenski bor, Thurska dambrowa, *nie odgadnione.* Uszczie, *Ujście.* Iuvenis Wladeslavia, *Inowrocław.*

Nr. 1166.

Iohannes Bohemie et Casimirus Polonie reges 1337 Mart. 12, Posnanie; ratione violentiarum, per homines sui dominii in terris suis mutuo perpetratarum, compositionem faciunt.

Dogiel. Codex diplomatic. I, pag. 3.

Nos Iohannes Bohemie, et Casimirus Dei gratia Polonie reges, universis presentes literas inspecturis salutem et notitiam subscriptorum. Salus, vita et perennis tranquillitas, benedictio pacis irradiata claris fulgoribus per orbis refulget climata, dum regnorum subditis et terrarum incolis de commodis salubriter providetur. Eapropter terrarum pacem et tranquillitatem nutrire pro viribus cupientes, ordinamus unanimiter et indissolubiliter observari debere volumus nos invicem et insimul promittentes: quod, si per aliquos homines principum nobis utrobique subiectorum seu de terris eorundem, aliqua damna parte ab utraque contingerent perpetrari, propter hoc pacis unio inter nos concorditer facta non debet violari, sed in suo robore temporibus perpetuis firmissime perdurare. Sane, discordie materia taliter perpetrata, aut damna vel spolia quecunque hinc inde per maleficos irrogata, per capitaneos, Vratislaviensem, Calissiensem, Glogoviensem et Posnaniensem, inter se ipsos mutuo requisitos sine procrastinatione qualibet, prout rationabile fuerit, dirimantur. Ita tamen, quod si de aliquo dictorum regnorum, aut de terris nostris et principum nobis alternatim subiectorum aliqua damna et spolia perpetrarentur, capitanei Calissiensis, Vratislaviensis, et Posnaniensis, et Glogoviensis inter se ac vicissim tenebuntur intimare, ac ipse capitaneus sub quo talia sunt commissa, ipsos maleficos pro iustitia facienda statuere tenebitur in locis et civitatibus infra scriptis, videlicet capitaneus Vratislaviensis in Vartemberg, et capitaneus Calissiensis in Ostrzeczow, et capitaneus Glogoviensis in Fhrawenstad, et capitaneus Posnaniensis in Costen, a die requisitionis ad duas septimanas indilate, et eundem seu eosdem maleficos, si se ipse vel ipsi proprio iuramento, adhibitis duobus testibus probis et honestis, de furto non suspectis, non expurgaverint, ab eodem die per alias duas septimanas per fideiussoriam cautionem, parti adverse contentam eidem, ad satisfactionem congruam et condignam compellendo. Si vero taliter spolia committentes, domino suo vel capitaneo inobedientes in hoc existerent aut rebelles et ad mandatum ipsorum de spolio sic commisso comparere aut satisfacere recusarent, mox ipse dominus sive capitaneus, sub quo castra, fortalitia, aut possessiones habebunt, ipsa vallare et expugnare tenebitur. Et si per ipsos ad id sufficere non valerent, ipse capitaneus, sub quo spolia sunt commissa, ipsos ad eadem expugnanda, prout melius poterit, etiam suis sumptibus adiuvabit. Quibus castris ac fortalitiis expugnatis ac acquisitis, ipsa penitus destruantur, et bonis eorundem venditis, lesis indilate fiat emenda: nisi talia castra aut fortalitia, terrarum confinia contingerent: tunc dominorum arbitrio temporalium relinquatur, an ea magis destrui vellent, aut potius, in ipsis locatis hominibus pacificis, ipsa pro se et terrarum defensione reservare, prius damna passis satisfactione condigna promissa. Cum autem spoliatores quoscunque, de uno regno ad aliud ac terras nostre ditionis aut principum nobis subiectorum, quod absit, contingeret transire spolia committentes, volumus et mandamus per capitaneos utriusque partis ipsos maleficos per fora publice proclamari et efficaciter impediri, et si fieri poterit, de-

tineri: alioquin damna per huiusmodi spoliatores facta, ipsimet, in quorum munitionibus et apud quos reperti fuerint, lesis de proprio infra duas ut premittitur septimanas satisfacere tenebuntur. Spoliatores vero ipsi, in regnis Bohemie et Polonie predictis ac in omnibus nostris et principum nobis subiectorum terris efficaciter sint proscripti; et licet post factam emendam damna passis, in predictis omnibus regnis atque terris pro profugis habeantur et vox ipsorum tanquam funesta et reproba contra omnem hominem reputetur, donec gratiam utriusque nostrum mereantur obtinere. Ceterum volumus inviolabiliter ordinantes, quod hi, qui profugos aut spoliatores huiusmodi de uno regno ad aliud cum spoliis vel sine spoliis insequuntur, per terrigenas eiusdem regni ad quod fugiunt in agitatione et in insecutione fideliter adiuventur; alias ipsi, qui pro auxilio et iuvamine in agitatione huiusmodi spoliatorum requisiti fuerint, inobedientes et rebelles, nostrum amborum indignationem procul dubio se noverint incursuros, et nichilominus iidem requisiti et rebelles, omnia damna inde secuta sine quavis difficultate persolvent eisdem, per quos fuerint super huiusmodi insecutione ut premittitur requisiti. Volumus etiam, ut hec nostra pacis ordinatio, per decem annos continue computandos in suo robore immutabiliter et inviolabiliter permaneat et inconcusse perseveret. In huius rei testimonium, *etc.* Actum et datum Posnanie, die sancti Gregorii Pape, anno M.CCC.XXXVII.

Vartemberg, *z niemiecka zam. Syców.* Ostrzeczow, *Ostrzeszów.* Fhrawenstad, *Wschowa.* Costen, *Kościan.*

Nr. 1167.

Iohannes dux Zlesie etc. 1337 Mart. 27, Wratislavie; protestatur, se civitates et territoria de Gora et Wschowa, a Iohanne rege Bohemiae in feudum perpetuum accepisse.

Sommersberg, Scriptores etc. I, pag. 874.

In nomine Domini amen. Nos Iohannes Dei gracia dux Zlesie, dominus Stinavie, ad universorum noticiam tam presentium quam futurorum volumus publice pervenire, quod nos bona et nostra libera voluntate, sana mente et corpore, maturo et deliberato nostro nostrorumque publico consiliariorum consilio, sponte, libere, non compulsi, non coacti nec aliqua suggestione pravitatis illecti, terram nostram Goram cum civitate et castro Gora, territorio, et omnibus et singulis limitibus, dominio, honore, iurisdictione, baylia meri et mixti imperii, iuribus, patrociniis et presentationibus ecclesiasticorum beneficiorum, nec non vasallis feudalibus, vasallagiis, feudis emphyteutis et ad glebam adscriptis hominibus suis universis, que et qualescunque sint et in quibuscunque rebus consistant vel consistere poterunt in futurum, et cum omnibus libertatibus et utilitatibus, agris cultis et incultis, vallibus, montibus, campis, pratis, pascuis, venacionibus, aucupationibus, piscinis, molendinis, piscationibus, aquis aquarumque decursibus, sylvis, rubetis, nemoribus et aliis singulis pertinentiis et appendiis suis, serenissimo principi domino nostro, domino Iohanni eadem gratia Boemie regi, comiti Lucemburgensi, et nomine suo suis heredibus seu successoribus, Boemie regibus, iuste, rite, legitime et rationabiliter, exhibitis ceremoniis et solemnitatibus venditionis et emtionis que in huiusmodi contractibus adhiberi consueverunt,

vendidimus vendimusque vero titulo et nomine venditionis tradimus, stipulatione mutua inter nos hinc inde celebrata, pro mille marchis grossorum denariorum Pragensium, Polonicalis numeri, pecunie parate; quam pecuniam nos profitemur percepisse et habere, ipsum dominum regem et successores eius de ipsa pecunia solutos, nosque quietos publice cognoscentes. Ipse autem dominus rex, ipsam terram Goram cum civitate castroque Gora et territorio suo nec non vasallis et utilitatibus suis, una cum civitate Vrowenstadt, expedita et exoluta penes dominum Conradum Olsnicensem ducem, fratrem nostrum, nobis in feudum honorabile et perpetuum dedit, cum aliis terris nostris et civitatibus possidenda, fruenda, utenda et utifruenda, et habenda usque ad tempora vite nostre pacifice et quiete, tunc demum post mortem nostram ad ipsum dominum regem et successores suos, Boemie reges, protinus libere devolvenda. Ipsa autem terra Gorensis cum civitate Vrowenstadt et ipsarum vasalli et homines, nobis interim in vita nostra intendere, parere, obedire et subesse debent subesseque promittere absque omni prestito fidelitatis homagio aut etiam iuramento; verumtamen ipsa terra prefata Vrowenstadt ac vasalli et homines earum, statim prefato domino regi nomine suo, suisque successoribus, Boemie regibus, prestare tenentur fidelitatis debite homagium et fidei iuramentum, ipsumque solum et successores suos verum, legitimum, supremum et immediatum dominum recognoscere debebunt. Nos autem volumus, promittimus et tenemur prefatas terram Gorensem cum civitate Vrowenstadt, ac earum vasallos, feudales et homines prefatos, penes antiqua iura, libertates, immunitates et gratias eorum nostris inviolabiliter conservare temporibus, nullamque eis inferre seu inferre quempiam permittere molestiam, iniuriam aut offensam, pro totis nostris viribus et pro posse. Idem etiam dominus rex promisit, promittit et tenetur, nos, vasallos, terras, civitates et earum homines, penes iura, libertates, privilegia et immunitates omnes et singulas nostras manutenere, servare et custodire, prout alii principes Polonie vasallos suos habent eisque quomodolibet potiuntur; nos quoque non molestare, impedire vel etiam amovere debet ab ipsa possessione pacifica terrarum, civitatum, castrorum et possessionum omnium totis vite nostre temporibus, prout in ipsius domini regis litteris super eo datis evidentius apparet. Renunciantes itaque expresse, pro nobis, vasallis, civitatibus et hominibus nostris universis et singulis, presentibus et futuris, in premissis omnibus eorumque quolibet, omni actioni, exceptioni, explicationi, prescriptioni, impetitioni, interiectioni doli vel mali, non numerate pecunie, non soluti, non ponderati et non electi auri vel argenti, cuilibet exceptioni alii iuris, tam canonici quam civilis seu municipalis, reformationis, constitutionis, consuetudinis, privilegii, indulgentie aut statuti etiam literarum apostolicarum, aut in imperatorum vel aliorum qoarumcunque forma vel conceptione verborum interpretatorum seu interpretandorum: que privilegia, statuta, indulgentias, reformationes, constitutiones et litteras, exnunc prout extunc esse intelligi volumus cassa et irrita et inania, nulliusque fore efficacie penitus aut momenti; ita quod prorsus assumatur, quod nobis aut vasallis vel in civitatibus nostris, contra premissa aut premissorum aliqua, in toto vel in parte, posset de iure aut inde facto competere in futurum, vel quocunque alio modo, forma, seu quesito quovis colore alio, valeat aliqualiter suffragari. Promittentes corporali prestito iuramento tactis corporaliter Dei Evangeliis, contra premissa vel eorum aliquod, verbo aut facto, directe et indirecte, publice vel occulte ullo unquam tempore non venire. In quorum omnium testimonium atque robur perpetuo valiturum, presentes conscribi et nostri sigilli munimine fecimus communiri. Datum et actum Wratislavie in domo regali, sub testi-

monio et in presentia virorum, dominorum Ottonis de Globus, Petri de Droffen, Wolframi de Panowicz, Ottonis de Maticem, Lutholdi de Lottin, et Nicolai advocati de Stinavia ac aliorum nonnullorum fide dignorum, ad hoc vocatorum et rogatorum, anno Domini M.CCC.XXXVII, feria V ante dominicam in qua cantamus Letare.

Stinavia, *Ścieniawa, z niemiecka Steinau.* Gora, *dziś z niemiecka Guhrau.* Vrowenstadt, *Wschowa.*

Nr. 1168.

Capitulum ecclesie Poznaniens. 1337 Iun. 24, Poznanie; protestatur, Pribislaum, canonicum Poznaniensem, bona Binkowo Michaeli wlodario de Łęg iure Theutonico ad locandum tradidisse.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscription. Costens. a. 1555, fol. 454.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria, nisi scripturarum et testium munimine perhenentur. Eapropter nos Boguslaus decanus, Dominicus archidiaconus, Woislaus cantor, Iohannes custos, Clemens cancellarius, Steffanus decanus Vratislaviensis, Andreas prepositus hospitalis sancti Spiritus de Santo, Nicolaus Czezucha, Andreas de Choinicza, Paulus de Bohemis, totumque Capitulum ecclesie Poznaniensis notum facimus universis, quod dilectus nobis frater in Christo dominus Pribislaus, concanonicus noster Poznaniensis, de nostra unanimi voluntate et consensu bona sua in Byenkowo prope Szrzem, que a nobis et a nostra Poznaniensi ecclesia possidet, Michaeli wlodario de Lank, sculteto suo, dedit et tradidit, iure Theuthonico ad parvos mansos Flimingos locanda in hunc modum: quod idem scultetus, suo suorumque liberorum et successorum legittimorum nomine, duos mansos liberos ibidem cum thaberna, fabro, pistoria, macello carnium, cumque terno denario qui sibi de iudiciis derivabuntur duobus denariis eidem domino Pribislao solutis, cumque laneo sutorio et lacu ibidem adiacenti libere ac perpetue debeat possidere. Incole vero dicte ville, octo annorum gaudebunt ab omnibus solucionibus sibi et ecclesie nostre debitis, angariis seu perangariis, quocunque nomine censeantur, plenaria libertate. Qua libertate finita, de manso quolibet quatuor mensuras siliginis, quatuor tritici et quatuor avene, cum fertone grossorum annis singulis in festo beati Martini solvere tenebuntur; aliasque soluciones et servicia, que cetere ville eodem iure fundate, huic in valore et quantitate similes, ad mensam episcopalem Poznaniensem spectantes consueverunt solvere, prestare et solvere similiter tenebuntur. In cuius rei testimonium et robur perpetuo valiturum, presentes nostri et ipsius domini Pribislai sigillorum appensione fecimus communiri. Actum et datum Poznanie feria tercia infra octavas Corporis Christi, anno Domini M.CCC trigesimo septimo, presentibus: domino Nicolao de Oboziczsko, Petercone de Kaczkowo, Nemeslao de Oczyeschin, Stanislao de Penczkow, et aliis presentibus fidedignis.

Santo, *zamiast Santok.* Choinicza, *Chojnica.* De Bohemis, *zamiast de Czechy.* Byenkowo, *Binkowo.* Szrzem, *Śrem.* Lank, *Łęg.* Flimingos, *zam. Flamingicos.* Oboziczsko, *Oborzysko.* Kaczkowo, *Kaczkowo.* Oczyeschin, *Ocieszyn.* Penczkow, *Penczków.*

Nr. 1169.

Com. Nicolaus heres de Gostina quond. filius Alberti 1337 Aug. 5, s. l.; civibus de Gostyń plures possessiones et iura largitur.

Poznań. Königl. Staats Arch. Relation. Costens. a. 1729, fol. 136. (Kopja z pergaminu opatrzonego pieczęcią).

In nomine Domini amen. Evanescit accio temporalis cum tempore, nisi firmetur idoneis testibus et literis sigillatis. Noverint ergo universi presentem paginam inspecturi, quod nos comes Nicolaus heres de Gostina, quondam filius Alberti, sano corpore, animo deliberato, suorum amicorum et aliorum proborum virorum de consensu, pro reformacione nostre civitatis, dicte Gostine, dedimus nostris civibus Gostinensibus mercacionem salis. Item dedimus prenominatis civibus quinque scampna pistorum. Item dedimus dictis civibus scampni sutorum duas partes, terciam partem advocatus obtinebit. Item dedimus prenominatis civibus omnes ortos, a civitate usque Paseczne, cum aliis hortis, ab hospitali usque ad molendinum advocati. Item dedimus predictis civibus metretam censualem, annuatim in festo sancti Martini, de inferiori molendino. Item dedimus predictis civibus silvam, a molendino advocati usque ad mediam viam que currit in Kunow, cum pascuis et utilitate. Item dedimus prenominatis civibus borram Gostinensem, exceptis mellificiis. Item dedimus predictis civibus montem et planiciem pro pascuis, inter metas Bresenses et inter mansos advocati Gostinensis. Item dedimus prememoratis civibus nostris hereditatem vulgariter dictam Brzeze, cum omni dominio et iuribus nec non utilitatibus que in prefata villa sunt aut fieri possunt, solo censu excepto, quem pro dominio nostro reservamus; ita tamen: quamcunque exaccionem, cives predicti sub iuramento prout se taxaverint, Brezenses vero incole sub eodem iuramento per medium, predictam exaccionem magistro civium cum consulibus pro necessitate civitatis dicte Gostine tenebuntur pensitare. Item dedimus prenominatis civibus Gostinensibus Czachorow, Golam, Dalesyno, Pozegowo, Posice, Drenczewo, Smogorzewo, Grabonog, Bodzewo, Podrecze in monte, Zulkowo per medium, et omnes alie ville, quecunque sunt iure Theutonico locate in districtu Costinensi. Ad tria generalia iudicia unusquisque scultetus cum duobus scabinis tenebitur adstare; et si que cause fuerint, scilicet homicidia, furta, vulnera, aut alie cause qualescunque eorum iudiciorum non pertinentes, coram nostro iudicio Gostinensi debent iudicari, et ibi predicti sculteti consequentur earum penas. Item dedimus sepedictis civibus, quod si aliqua persona, cuiuscunque condicionis fuerit, et videns sibi violentiam in prefata civitate per aliquem imminere, ad domum nostri civis propter bonum pacis intraverit, omni timore postposito prefatus civis, quocunque modo poterit, sine rerum periculo ipsum habet defensare tamdiu, donec ipsum iudicio poterit presentare. Item damus prenominatis civibus, quod si alique persone coram hominibus verbis aut factis, exceptis vulneribus aut lesione corporis, inter se litigaverint, quicunque eorum per duos idoneos testes suam iusticiam comprobaverit, ille causam querelle prioris coram iudicio obtinebit. Item dedimus, quod si aliqua homicidia aut mutilaciones aut vulnera, quocunque casu, in nostra civitate sepedicta Gostina per cives aut per quemcunque evenerint, et reus evaserit, et amici sui vel quicunque pro bonis suis coram iudicio promiserint, interim nos aut procuratores nostri nec advocatus de predictis bonis intromittere se non

presumat, donec ad tria iudicia reus vocatus fuerit; et si predictus reus ad prenominata iudicia non comparuerit, extunc nobis dimidia pars predictorum bonorum presentetur, residuamque partem uxor predicti rei et pueri pacifice possidebunt. Si vero sepedictus reus iudicio comparuerit et cum adversario suo concordaverit, sua bona integraliter obtinebit. Item dedimus predictis civibus, quod si quis debitor eorum undecunque in civitatem Gostinam intraverit, ipsum aut pignus suum cum signo advocati tamdiu detineant, quousque satisfaccionis a prefato debitore habuerint complementum. Item prenominatis civibus pepercimus iuramenta, quecunque dimissa fuerint propter Deum; excipientes, si aliqua concordia occulta fuerit inter eos, tunc noster advocatus de penis nostris et suis intromittatur. Item dedimus prenominatis civibus, quod in circumstanciis prenominate civitatis, infra unum miliare tabernam nullus locare presumat. Item dedimus sepedictis civibus, ut omnis nostra donacio prenominata vigorem plenius accipiat, aut si per nostram oblivionem, aut si per nostros cives Gostinenses obmissa fuerit, damus omnia iura, que in regestris Kalisiensibus plenarie continentur. Ut autem nostra sollempnis donacio immobilis permaneat, presentem paginam nostri sigilli munimine iussimus roborare presentibus hiis testibus: Iacobo de Parsk, Iohanne advocato de Shrzem, Floriano de Podrecze, Vito de Podrecze, Nicolao, fratre suo eciam de Podrecze, nec non Martino advocato nostro Gostinensi et aliis quam plurimis fidedignis, sub anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo. Scripta sunt hec per manus Iohannis, eruditoris scholarum nec non notarii civium sepedicte civitatis Gostinensis, feria tercia ipso die sancti Dominici confessoris.

Gostina, *Gostyń.* Paseczne, *Piaski.* Kunowo, Brzezie, Czachorowo, Gola, Daleszyn, Pożegowo, *dziś tak samo.* Posice, *pewnie Podrzecze* (*dolne*). Drzenczewo, Smogorzewo, Grabonog, Bodzewo, Podrzecze, Ziółkowo, *dziś tak samo.* Costinensis, *de Kościan.* Parsk, *Parsk.* Shrzem, *w powyższéj kopji* Stetin, *zam. Śrem.*

Nr. 1170.

Nicolaus com. palatinus Poznaniens. 1330 (sic) Aug. 5, s. l.; hereditatem Brzezie Henrico et Barthossio de Krobia, ad locandum ex sexto manso confert.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscription. Vschovens. a. 1611, fol. 151. Inscription. Costens. a. 1617, fol. 485. (*Kopja sporządzona w grodzie Wschowskim z pergaminu jakoby orygin., o którego pieczęci nie masz wzmianki. Potwierdził go tylko wpierw tegoż roku Jan Gostyński, Kawaler Maltański, i swą pieczęcią opatrzył. Do oblaty w grodzie Kościańsk. służył tylko następujący transsumpt grodu Wschowskiego*).

In nomine Domini amen. Cunctorum gestorum perit memoria, nisi testibus veridicis et scripturis publicis fuerit roborata. Proinde ego Nicolaus comes palatinus Poznaniensis volens ad effectum debite cognicionis deducere, universis et singulis presentis privilegii noticiam habituris propalo et declaro: quomodo anno Domini M.CCC.XXX contulimus Henrico nostro dilecto subdito cum Barthossio de Kroba hereditatem nostram ville Brzeze ex sexto manso locandam, dantes in terra aquisita octo annos libertatis, et de terra inaquisita sedecem annos; et ex huius ville totali

locacione evenerunt super eum sex mansi. Cui Henrico ac illius legitimis successoribus dedi et do perpetuis temporibus omnimodam ac eviternam horum sex mansorum fruicionem, et libertatem ipsos mansos vendendi, commutandi, donandi, alienandi et in suos usus beneplacitos convertendi, prout sibi ac illius legitimis successoribus melius et utilius videbitur expedire. Insuper excipio hos sex mansos ab omni meo censu, do autem et concedo omnes labores et servimina civitati mee Gostin. Item admitto eidem sculteto, erigere in eadem scultecia molendinum ventile. Item admitto illi fovere trecenta ovium libereque pascere in his sex mansis et in tota villa, absque dampno vilanorum. Ut autem hec nostra solempnis donacio immobilis permaneat, presentem paginam nostri sigilli munimine iussimus roborare presentibus hiis testibus: Iacobo de Parsk, Iohanne advocato de Shrzem, Floriano de Podrecze, Vitto de Podrecze, nec non Martino advocato nostro Gostinensi et aliis quam pluribus fidedignis, sub anno Domini M.CCC.XXX. Scripta sunt hec feria tercia ipso die Dominici confessoris.

Kroba, *Krobia.* Brzeze, *Brzezie.* Gostin, *Gostyń.* Parsk, *Parsk.* Shrzem, *Śrem.* Podrecze, *Podrzecze. Powyższy dokument podajemy na tem miejscu, aby uwydatnić pewność, iż poprzedni służył mu za pierwowzór. Gostyń z przyległościami należał wówczas do Przedpełkowiczów rodu Łodziów, Mikołaj zaś powyższy, który dopiero po śmierci Wincentego został wojewodą Poznańskim, zatem po r. 1331, należał do rodu Doliwów. Cnfr. Nra. 841, 863, 974 i 1129.*

Nr. 1171.

Andreas et Petrus fratr. germani etc. 1337 Sept. 10, in Pyzdry; protestantur, se a Matheo abbate de Ląd unum mansum ante civitatem Pyzdry iacentem, sub certo pacto accepisse ad colendum.

Włocławek. Lib. privilegior. monasterii Ląd, pag. 159.

In nomine Domini amen. Nos Andreas et Petrus fratres germani, filii quondam Iohannis dicti Crosl, civis Pyzdrensis, recognoscimus per presentes, quia a reverendo viro domino Matheo abbate, et conventu fratrum monasterii Landensis Gnesnensis diocesis Ordinis Cisterciensis, mansum quem possident situm ante Pyzdry civitatem iuxta spinetum, per ipsos pro annuo censu nobis expositum, perpetuo accepimus pro nobis et nostris posteris ac successoribus colendum et exarandum sub hoc pacto, quod ipsi domino abbati et fratribus predictis ac eorum successoribus seu monasterio ipsorum predicto, de dicto manso ratione census, singulis annis, infra octavas beati Martini duos lapides de sepo solvere tenemur nos et posteri ac successores nostri; hoc in ordinatione reservato, quod quocunque anno predictum censum nos vel nostri successores non solverimus aut solvere neglexerimus in termino prenotato, extunc imediate ipso facto idem mansus ad ipsos, dominum abbatem videlicet et fratres predictos sive successores aut ad monasterium ipsorum, sine omni difficultate, lite et controversia et absque ullo impedimento, quibus omnibus exnunc renuntiamus, libere revertetur, per eos perpetuo possidendus eo iure, quo parentes nostri, qui eundem mansum prefatis fratribus et monasterio pro remedio animarum suarum et nostra salute contulerunt, in eiusdem mansi possessione fuerunt. In cu-

ius rei testimonium et ordinationis evidentiam pleniorem, presentes literas sigillorum civitatis Pyzdrensis et nostri, Andree, quo ad presens ambo cum fratre nostro Petro usi sumus, appensione duximus roborandas. Datum et actum in Pyzdry quarta feria infra octavas Nativitatis sancte Marie virginis, anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo, presentibus discretis viris: Hermanno advocato, Hermanno magistro civium, Nicolao Godini, Iohanne sartore, Iohanne dicto de Bervoldi civitate, Chunnado dicto Clysan, Nicolao Vohiel, et aliis civibus Pyzdrensis civitatis.

Landensis, *de Ląd.* Bervoldi civitas, *dziś Bernstadt, z niem. zam. Bierutów na Szlązku.*

Nr. 1172.

Galhardus de Carceribus nuncius apostolicus 1337 s. d. et l.; Benedictum Pp. XII de rebus in Polonia gestis docens, regem Bohemiae castrum Milicz occupare velle denuntiat.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae; I, 519.

Sanctissime pater, de negociis Sedem apostolicam et vestre sanctitatis cameram tangentibus in regno Polonie, ordinavi et disposui per omnia ut sequitur:

Item, pater sancte, sciat vestra sanctitas, quod rex Bohemie predictus vult callide submittere quoddam castrum dictum Milicz, quod est episcopi et Capituli ecclesie predicte Wratislaviensis et in regno Polonie predicto, et offert eis pecuniam, asserens, quod non vult carere quin castrum habeat supradictum. Quod si fiet, in maximum dampnum vestre camere redundabit; nam sicut aliis in locis per eum occupatis inter regnum Polonie omnia iura camere predicte depereunt, ita ibidem similiter deperibunt, et cum illo castro, cum sit fortissimum et quasi clavis regni Polonie ab illa parte, omnia castra circumvicina acquiret, in preiudicium ac dampnum camere predicte, et dampnum maximum et irrecuperabile devoti filii vestri domini regis Polonie supradicti. Quare placeat vestre sanctitati inhibere episcopo et Capitulo supradictis, quod nec nomine vendicionis nec alio quesito colore ipsum castrum ponant in manibus potencie secularis nec regis Bohemie supradicti, si hoc ex causis predictis vestre sanctitati videbitur expedire. Et pure propter Deum placeat vestre sanctitati, in dignitatibus istarum parcium conferendis ponderare fidelitatem, devocionem et utilitatem quam vestra camera habet a Polonis, et devocionem et utilitatem quam habet a Theuthonicis vel Bohemis, nam tanta est differencia, sicut lucis ad tenebras: nam isti dicunt et recognoscunt, sanctam Romanam matrem ecclesiam eis debere dominari, illi autem asserunt, eisdem debere ancillari et esse sub tributo.

Milicz, *Milicz.*

Nr. 1173.

Benedictus Pp. XII 1337 Sept. 12, s. l.; episcopo et Capitulo Wratislaviensi interdicit, ne ad alienationem castri Milicz inconsulta Sede apostolica procedant.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae; I, 521.

Benedictus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis Capitulo Wratislaviensibus salutem et apostolicam benedictionem. Ad nostri apostolatus auditum relationis assercio fide digne perduxit, quod aliqui, suarum animarum negligentes salutem, vos ad alienandum quoddam castrum valde opulentum ac vocatum de Melitz, ad vos et ecclesiam Wratislaviensem pertinens, inducere moliuntur; et licet non de vestra confidamus prudentia, quod ad tante temeritatis audaciam, sicut esset predicti castri alienatio, nullatenus prorumpetis, ut tamen cautiores super hiis vos reddamus, vobis tenore presentium districtius inhibemus et mandamus expresse, ne ad alienationem dicti castri quoquomodo presumatis procedere nobis et Sede apostolica inconsultis; quod si secus facere, quod absit, presumpseritis, penas adversus alienatores rerum ecclesiasticarum immobilium a iure statutas poteritis merito formidare; de presentatione autem presentium vobis facienda fieri volumus instrumentum publicum seriem earum continens, nobis fideliter remittendum. Datum II Idus Septembris, pontificatus nostri anno tertio.

Melitz, *Milicz.*

Nr. 1174.

Ludoldus dyctus Weruez 1337 Nov. 11, in Vyelun; **pro damnis per patrem suum b. m. Ludoldum ecclesiae Gneznensi illatis, hereditatem Brzosa ecclesiae praedictae confert.**

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec., fol. 112 v.

Noverint universi presencium noticiam habituri, quod nos Ludoldus dyctus Weruez, reverendo in Christo patri domino Ianislao, divina et apostolice Sedis providencia sancte ecclesie Gneznensis archiepiscopo, hereditatem nostram dictam Brzosa, sitam in terra Vyelunensi prope Balam, pro dampnis que pater noster Ludoldus dictus Weruez, pye recordacionis, ecclesie Gneznensi intulit, conferimus, et predicto domino archiepiscopo et ecclesie Gneznensi in perpetuum resignamus cum omnibus utilitatibus, que in predicta hereditate ad presens dinoscantur habere et in posterum poterint evenire. Datum et actum in Vyelun in die beati Martini episcopi et confessoris, anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo septimo, coram honorabilibus viris: Sethegio de Cruzyna Dychonevicze (sic) castellano in Vyelun, Vysslao de Gazzyna, Petro dicto Tubyenhein, Stephano de Maslowicz, Alberto de Benazycz.

Brzosa, *Brzoza.* Vyelunensis, *de Wieluń.* Bala, *Biała.* Cruzyna, *Kruszyna.* Gazzyna, *nie odgadniome; może mylnie zam.* Stazzyna, *t. j. Starzeniec.* Tubyenhein, *familja niemiecka, dziś Taubenheim.* Maslowicz, *Masłowiec.* Benazycz, *Bieniondzyce.*

Nr. 1175.

Henricus capitaneus Kalisiens. 1338 Febr. 12, in Kalys; protestatur, Dominicum et Crajkonem, heredes de Rajsko, partem dictae villae Gneznensi ecclesiae pro 12 marcis grossorum certis sub stipulationibus obligavisse.

Pergam. orygin. Z dwóch przywieszonych pieczęci pozostały, z pierwszéj wcięcia poprzeczne w dolnym brzegu, z drugiéj ułamki bez wycisku, na pasku pergamin. wiszące. Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 107.

Nos Henricus capitaneus Kalisiensis notum facimus universis ad quos devenerit scriptum presens, quod Dominicus et Crayko, heredes de Raysko, in nostra presencia constituti recognoverunt, se obligasse venerabili patri domino Ianislao, Gneznensi archiepiscopo, et ecclesie sue partem hereditatis eiusdem Raysko que ipsos contingit, a pomerio in medio campi ibidem iacente, parti eiusdem incluso, usque ad gades villarum infra scriptarum: de Varsow, de Modla et de Marquarcze, pro duodecim marcis grossorum, pro qualibet marca quatuor solidos computando. Tenebit autem idem venerabilis pater et ecclesia sua infra spacium quatuor annorum dictam partem hereditatis prefate; quibus elapsis, predicti Dominicus et Crayko aut eorum heredes dictam pecuniam in parato supradicto domino archiepiscopo et ecclesie sue persolvent integraliter et complete. Si quid autem per agricolas aut cmetones ipsius domini archiepiscopi in iam dicta parte obligata fuerit extirpatum, eodem extirpato, eciam si redemerint, sepe dictus dominus archiepiscopus et sui homines perfruentur. In cuius rei testimonium, nostrum ac dictorum Dominici et Crayconis sigilla presentibus sunt appensa. Actum in Kalys secundo Idus Februarii, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo octavo, presentibus nobilibus viris: Swentoslao de Rychnovo, Pakoslao Iacubovicz, Bogufalo de Raysko, Alberto Crovicza, Stosz de Osczeclino, Miroslao de Arnoltovo, et aliis quam plurimis fide dignis.

Rajsko, Warszew, Modla, *dziś tak samo.* Marquarcze, *Marchwacz.* Rychnovo, *Rychnów.* Iacubovicz, *t. j. de Jakubice.* Crovicza, *t. j. de Krowica.* Osczeclino, *Oszczeklin.* Arnoltovo, *Jarantowo.*

Nr. 1176.

Fr. Helmanus commendator domus Cruciferor. b. Iohannis prope Poznan. 1338 Febr. 14, Poznanie; ratam habet ordinationem, inter se et Mathiam, archidiaconum Plocensem et Poznaniensem canonicum, ratione decimarum in villa Maniewo factam.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 122.

Noverint universi ad quos presens scriptum pervenerit, quod ego frater Helmanus, commendator domus Cruciferorum beati Iohannis prope Poznaniam, de fratrum meorum consensu, per honorabilem virum dominum Voyslaum cantorem Poznaniensem et dominum Nicolaum vicarium Poznaniensem ordinacionem et concordiam inter me, nomine domus pretacte, et honorabilem virum magistrum Mathiam archidiaco-

num Plocensem et Poznaniensem canonicum, nomine prebendarum, habitam atque factam super decima in Manevo: cuius pars dimidia, nomine prebende quam domus beati Iohannis predicta ab ecclesia Poznaniensi possidet, et dimidietas eiusdem residua, super prebendam dicti magistri Mathie, ex ordinacione huiusmodi facta, in futurum annis singulis recipi ac tolli debebit: ratam et gratam habens, ut robur firmitatis in posterum valeat optinere, meum sigillum presentibus est appensum. Datum Poznanie XVI Kalendas Marcii, sub anno Incarnacionis Domini m.ccc.xxx octavo: dum tamen reverendi in Christo patris domini.. episcopi Poznaniensis specialiter ad hoc accedat assensus.

Manevo, *Maniewo.*

Nr. 1177.

Consules civitatis Nove Kalis 1338 Mart. 26, s. l.; Iohanni episcopo Poznaniensi pro divinis in bonis suis, inter fluvios Noteć et Drawa sitis, infra unum annum rehabendis tantundem solvere promittunt, quantum alii in eisdem partibus residentes solverint, si tamen summa 30 sexagenas grossorum Pragens. non excederet.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 123.

Noverint universi presencium noticiam habituri, quod nos consules civitatis Nove Kalis promittimus venerabili in Christo patri domino Iohanni, episcopo ecclesie Poznaniensis, dare et facere de bonis nostris inter Notesz et Dravam in festo beati Martini proximo, pro divinis in dictis partibus rehabendis a festo Penthecostes per unum annum continuum, ad summam triginta sexagenarum grossorum Pragensium, quidquid alii in dictis partibus residentes facient et donabunt. Datum anno Domini m.ccc tricesimo octavo, feria quinta ante dominicam qua cantatur Iudica.

Nova Kalis, *z niemiecka Kalies.* Notesz, *rz. Noteć.* Drava, *rz. Drawa.*

Nr. 1178.

Michael dictus Grotkot castellanus de Konstad 1338 Mai. 1, in Byczyna; profitetur, Kraynam, abbatissam de Ołobok, cum Nicolao Boemo et fratre eius ratione villae Chrościn ordinationem quandam iniisse.

Poznań. Königl. Staats Arch. Ołobok, Acta non foliata.

Ab humana labuntur memoria, que nec voce testium nec sigillorum apicibus eternantur. Hinc est quod nos Michael dictus Grotkot, castellanus de Tutenstad (sic), presentibus publice profitemur, quod Krayna, abbatissa Olobocensis, feria sexta in die sanctorum apostolorum Philippi et Iacobi cum nostro subdito, scilicet Nicolao Boemo, nec non cum suo fratre, Marcz nomine, talem ordinacionem et contractum iniit in nostra et aliorum proborum virorum presencia de villa Chroscino, de qua sibi aliqua iura indebite vendicabat: ut dicta domina ipsi Boemo causa pacis et concordie, ut sua bona iam nominata quieto iure possideret, sibi ac suo fratri quartam

dimidiam marcam persolveret in parato, pro eo, ut ab eis dictis fratribus et ab eorum posteris cum suo cenobio ab omni postera repeticione et postulacione sit quieta. Testes vero sunt qui presentes fuerunt cum hec fierent: Iacobus de Gothardisdorf, Albertus Birkenhain, Albertus Werneri, Iohannes advocatus Byczynensis, et ipsi consules dicte civitatis, scilicet Tilo, Mixx, Henricus cum suo filio Heynkone; Nicolaus de Arena, Nicolaus, sculteti de Lubinicz, cum Iohanne suo fratre et aliis pluribus fidedignis. Acta et ordinata sunt hec in Byczyna sub dominice Incarnacionis anno m.ccc. tricesimo octavo. Et ut maius robur existat, presentem litteram consignari fecimus sigillo nostro et advocati Iohannis, et sigillo ipsius civitatis Byczynensis.

Tutenstad, *pewnie mylnie zam. Konstadt lub też Gutentag na Szląsku.* Olobocensis, *de Ołobok.* Chroscino, *Chrościn.* Gothardisdorf, *Gottersdorf.* Byczynensis, *de Byczyna.* Lubinicz, *Lubnice.*

Nr. 1179.

Benedictus Pp. XII 1338 Mai. 4, Avinione; nuntiis Sedis apostolicae mandat, ut Ianislao archiepiscopo Gneznensi et Iohanni episcopo Poznaniensi, de magistro et fratribus domus Theutonicae iustitiae complementum faciant.

Transsumpt orygin., potwierdzony przez: Galhardus de Carceribus etc. et Petrus Gervasii etc. 1339 Sept. 15, in villa de Warsszow.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 109. — T. Działyński, Lites ac res gestae, I, p. 36. — Theiner, Monum. histor. Poloniae, I, 542. (*Fragment*).

Benedictus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, magistris Galhardo de Carceribus, preposito Titulensi Colocensis diocesis, ac Petro Gervasii, canonico Aniciensis ecclesiarum, apostolice Sedis nuntiis, salutem et apostolicam benedictionem. Grave nimirum nec immerito gerimus et molestum, cum persone ecclesiastice, et presertim iugo observantie regularis astricte, que se debent pro domo Domini murum defensionis opponere, adversus ecclesias et personas ecclesiasticas, quibus debent defensionis presidium exhibere, incendia, rapinas et spolia, et quod est nephandius, homicidia committere dampnabiliter non verentur. Dudum siquidem ex proposita venerabilis fratris nostri Ianislai, archiepiscopi Gneznensis, in consistorio coram nobis et fratribus nostris lacrimabili conquestione non absque cordis amaricatione percepimus: quod magister et fratres Ordinis beate Marie Theutunicorum in partibus et prope partes regni Polonie commorantes, proprie salutis et professionis ut videtur immemores, terram Magne Polonie ac civitatem et diocesim Gneznensem in magno nimis armatorum exercitu hostiliter invadentes, parrochialem ecclesiam sancti Laurentii Gneznensis, ac archiepiscopalem et alias domos dilectorum filiorum canonicorum et aliorum ministrorum ecclesie Gneznensis iuxta ipsam ecclesiam consistentes, ac Zneynam, Uneyov, Lanchicie ac Oppathow, opida Gneznensis dyocesis, ac fortalitia seu castra et collegiatas ac parrochiales ecclesias, necnon archiepiscopales et dilectorum filiorum canonicorum collegiatarum ac plebanorum parrochialium ecclesiarum domos, in eisdem opidis consistentia, necnon Wladislaviensem ecclesiam, dicte Gneznensis ecclesie suffraganeam, totaliter, ac triginta villas et ultra, ad archiepiscopum et ecclesias predictas spectantes, cum ecclesiis existentibus in eisdem, nonnulla etiam

alia, ecclesias, castra, oppida, villas et alia loca, ad Gneznensem et Wladislaviensem predictas ac Poznaniensem et Plocensem ecclesias, eiusdem Gneznensis ecclesie suffraganeas spectantia, que per ipsos magistrum et fratres ab aliorum oppressionibus debuissent, ad quod per Sedem apostolicam deputati fuerant, specialiter defensari, illa, rebus et bonis omnibus mobilibus repertis in eis, per ipsos more predonico dispersis et raptis et quo eis placuit asportatis, cum vestibus sacris et aliis ornamentis ecclesiasticis omnibus earundem ecclesiarum ignis incendio concremarunt, nonnullas personas tam ecclesiasticas quam etiam seculares commorantes ibidem, aliquas earum videlicet dehonestando ac etiam captivando alias vero inhumaniter occidendo, multis ibidem stupro corruptis virginibus quas inibi repererunt, de quibus omnibus idem magister et fratres nullam satisfactionem facere curaverunt, quinymo quasi continue archiepiscopo et ecclesiis predictis multiplices iniurias inferunt atque dampna: quare pro parte dicti archiepiscopi, tam pro se quam pro ecclesiis et personis ecclesiasticis supradictis fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hiis paterna diligentia curaremus. Nos igitur apud Sedem apostolicam informari volentes, an magister et fratres predicti super premissis infamia laborarent, dilecto filio nostro Petro, tituli sancte Praxedis presbitero, et bone memorie Iohanni, sancti Theodori dyacono, tunc viventi, cardinalibus, commisimus oraculo vive vocis, ut se super hoc apud Sedem ipsam plenius informarent, nobisque referrent, que per informationem huiusmodi reperirent; ac deinde per eos super huiusmodi infamia informatione recepta dictoque Iohanne postmodum ab hac luce subtracto, ipsoque Petro, cardinalibus, se de speciali mandato nostro de Romana curia pro certis arduis negotiis absentante, demum venerabilis frater noster Iohannes, episcopus Portuensis, de speciali mandato per nos vive vocis oraculo sibi facto, de informatione huiusmodi per dictos cardinales ut prefertur recepta, cuius acta sibi fecimus assignari, fecit in consistorio coram nobis et dictis fratribus nostris relationem plenariam et fidelem. Et quia per relationem huiusmodi nobis constat, quod magister et fratres predicti super premissis noscuntur infamia laborare, nos nolentes nec valentes illa, si vera sint, salva conscientia conniventibus occulis pertransire, quin contra invasores, incendiarios, sacrilegos et malefactores huiusmodi, prout predictorum excessuum enormitates exposcunt, ne ipsorum impunitas aliis in exemplum transeat, debite procedamus, discretioni vestre de dictorum fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, incendiarios ecclesiarum predictarum, cuiuscumque status, ordinis et conditionis existant, auctoritate nostra in ecclesiis et locis aliis, ubi expedire videritis, generaliter excommunicatos publice nuntietis et faciatis per alios nuntiari, quorum absolutionem duximus dicte Sedi specialiter reservandam; ac deinde de predictis incendiis necnon invasionibus, depredationibus, iniuriis atque dampnis, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, vocatis qui fuerint evocandi, informari curetis: et si vobis constiterit legitime de invasione seu dampnis et incendiis supradictis et personis que talia perpetrarunt, eosdem incendiarios nominatim excommunicatos publice nuntietis diebus dominicis et festivis, et per alios in locis ubi expedire videritis nuntiari faciatis et ab omnibus artius evitari, et tam eos quam alios invasores necnon rapinarum et dampnorum huiusmodi illatores, ad redificationem ecclesiarum, domorum et aliorum edificiorum, per eos vel occasione ipsorum ut premittitur destructorum, ad satisfactionem et emendationem aliorum bonorum immobilium predictorum necnon ad restitutionem rerum mobilium ablatarum seu amissarum, vel solucionem estimationis

ipsarum seu emendationem dampnorum supradictis rebus mobilibus illatorum, taxatione per vos prius facta de dictis bonis mobilibus pro personarum et negocii qualitate, ac valore seu extimatione ipsorum mobilium ablatorum, raptorum seu incensorum et deperditorum, ubi ipsorum mobilium valor seu extimatio aliter probari non poterit, iuramento eiusdem archiepiscopi et venerabilium fratrum nostrorum .. Poznaniensis et Wladislaviensis et .. Plocensis episcoporum, et aliorum qui pertulerunt dampna huiusmodi, declaranda, eisdem archiepiscopo et episcopis et aliis dampna passis integraliter faciendam, nullo super hoc eisdem invasoribus, incendiariis et dampnorum illatoribus appellationis suffragante remedio, sententialiter condempnetis, huiusmodi sententiam, quam super premissis proferri contigerit, executioni debite demandantes, contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, dignitatis, ordinis seu conditionis extiterint, per excommunicationis et suspensionis in personas, et interdicti in terras seu ecclesias eorumdem ac universitates seu communitates earumdem terrarum, ac alia iuris remedia prout expedire videritis compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Pape VIII, predecessoris nostri, qua cavetur: Ne aliquis extra suam civitatem aut diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur; seu: Ne iudices, a Sede deputati predicta, extra civitatem et dyocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultrà unam dietam a fine dyocesis eorundem trahere presumant; ac de duabus dietis: in Concilio generali et aliis quibuscunque constitutionibus, a predecessoribus nostris, Romanis pontificibus, tam de iudicibus delegatis quam de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdicioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare; seu si eisdem magistro et fratribus vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel eorum ecclesie, civitates, castra et loca ecclesiastico subiici interdicto, seu quod ultra vel extra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi eorumque locis, personis, ordinibus seu nominibus propriis mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenoris existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta vestre iurisdicionis explicatio in hac parte quomodolibet valeat impediri, et de quibus quoque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda fit in nostris litteris mentio specialis. Ceterum volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum per alium inchoatum, quamvis idem inchoans ullo fuerit canonico impedimento prepeditus; quodque vobis et utrique vestrum a data presentium sit in premissis omnibus et eorum singulis perpetuata potestas et iurisdicio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent, et iurisdicio vestra super premissis omnibus et eorum singulis, per citationem vel modum alium perpetuata legittime extitisset, quorumcunque constitutorum contraria non obstante. Quod si prefati magister et fratres in hac parte processibus vestris efficaciter parere non curaverint ac etiam obedire, eos ex parte nostra peremptorie citetis, ut infra semestris temporis spatium post citationem vestram huiusmodi, cum omnibus eorum et dicte domus exceptionum privilegiis, si que habent, iidem magister et fratres, videlicet quos per informationem huiusmodi principales et precipuos reperitis predictorum exces-

suum patratores, personaliter, alii vero procuratorem seu procuratores ydoneos, plenum et sufficiens mandatum ac plenam et liberam potestatem habentem seu habentes ad obedientiam et parendum, eorum nomine et pro parte sua, super premissis apostolicis ordinationibus, beneplacitis et mandatis, apostolico conspectui se presentent, hiis que super premissis, iudicio vel concordia, facienda, iniungenda et statuenda duxerimus, plenarie parituri, et alias facturi et recepturi, quod de Sede eiusdem processerit beneplacito voluntatis. Alioquin, si non comparuerint et dicta privilegia portaverint illa dicte Sedi apostolice ostensuri, extunc privilegia ipsa suspendimus et ipsos interim suis ordinariis volumus esse subiectos, ac nichilominus contra eos, prout iustum fuerit et expedire viderimus procedemus, eorum absentia non obstante. Ceterum, si forte prefatos magistrum et fratres, per vos vel alium seu alios ausi non fueritis in domibus seu domiciliis citare eorundem, vel ipsi impedimentum prestiterint ne citari valeant in eisdem, volumus et decernimus: vobis et cuilibet vestrum presentium auctoritate licere, ipsos diebus aliquibus dominicis vel festivis, cum populus convenerit ad divina, ut sic facta citatio ad eos pervenire verissimiliter presumatur, citare vel citari facere publice in ecclesiis civitatum vel locorum insignium, magis vicinorum, in quibus possitis tute morari, ac deinde procedere contra illos, sive citati taliter, statuto ipsis termino peremptorio competenti, coram vobis compareant sive comparere contempnant, iuxta formam presentium ac si citati alias legittime extitissent: quem quidem citationis modum vobis sit licitum observare etiam in aliis citationibus faciendis de illis seu contra eos: ut coram vobis debeant comparere ut premittitur. Quas quidem citationes ita volumus et decernimus eosdem artare citatos, ac si eas personaliter apprehendissent et in eorum presentia facte essent, quacunque constitutionum contraria non obstante. Diem vero citationis illius, per quam predicti magister et fratres citati fuerint ut coram vobis ut premittitur debeant comparere, et quidquid super premissis duxitis faciendum, nobis per vestras litteras vel instrumentum publicum, harum seriem continentia, fideliter intimare curetis. Datum Avinione IIII Nonas Maii, pontificatus nostri anno quarto.

Zneyna, *Żnin.* Uneyov, *Uniejów.* Oppathow, *Opatówek.* Wladislaviensis, *de Włocławek.*

Nr. 1180.

Kazimirus Polonie rex etc. 1338 Mai. 4, Kalis; in civitate Kalisz annuale forum statuit, a festo s. Margarethae per octo dies duraturum.

Dwa pergam. orygin. U każdego sznur jedwabny, czerwony, przez 2 wcięcia przewleczony; pieczęci nie masz.

Kalisz. Archiwum Rządowe, Diplomata. — Warszawa. Biblioteka prywatna, Diplomata.

In nomine Domini amen. A magnifica regum celsitudine digne consolacionis premia permerentur, quos fidei puritas gratos reddit et acceptos; ubi enim obsequium est promptum, ibi premium sit paratum. Eapropter nos Kazimirus, Dei gracia Polonie rex et terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiavie Pomoranieque dominus et heres, universorum noticie tam presencium quam futurorum presentibus declaramus, quod consideratis et perspectis multiplicibus obsequiis, nobis constanter

per fideles nostros cives Kalisienses inpensis et in posterum inpendendis, cupientes nichilominus melioracionem civitatis eiusdem nostre Kalisiensis, eidem civitati et omnibus habitantibus in ea exnunc damus, conferimus et donamus annuale forum, statuentes illud in festo sancte Margarete virginis, incipiendo a vigilia eiusdem sancte virginis Margarete, usque per octo dies continue quod durare debet, et amodo semel in anno in eodem festo temporibus perpetuis duraturum. Absolventes cives dicte civitatis et eorum posteros, omnesque hospites aliunde ratione fori ibidem se transferentes, de consilio maturo baronum nostrorum ab omnibus iurisdicionibus, quecunque sint aut quocunque nomine notentur, et ab omni solucione thelonearia, ab omnibusque hiis, que annuale forum inpedire vel perturbare consueverunt. In cuius rei testimonium, presentes scribi et nostri sigilli munimine iussimus roborari. Datum et actum Kalis die sancti Floriani, anno Domini M.CCC.XXX octavo.

Nr. 1181.

Ianislaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1338 Mai. 5, Gnezne; lacum Głęboczek monasterio de Trzemeszno contra petitionem Benedicti custodis Gneznens. adiudicat.

Transsumpt orygin., potwierdzony przez: Vincencius archiepiscopus Gneznens. 1448 Mart. 18, Gnezne; *w pergam. pozostały dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci.*

Trzemeszno. Privil. Conv. Canon. Regul. Lateran.

Noverint universi presencium noticiam habituri, quod cum coram nobis Ianislao, divina et apostolice Sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, inter honorabilem virum dominum Benedictum custodem Gneznensem, ex una, et religiosos viros Nicolaum prepositum et conventum monasterii Trzemeschnensis Ordinis sancti Augustini, parte ex altera, super lacu Glamboczecz dicto, qui iacet prope Duszno circa limites Trzemesenses, orta fuisset materia questionis, predicti prepositus et conventus de Trzemeszna sufficienter per testes iuratos, scilicet sacerdotes et milites probaverunt, dictum lacum Glamboczecz ad se et ad suum monasterium predictum legittime a multis temporibus pertinere. Nos visis probacionibus huiusmodi, deliberacione cum fratribus nostris prehabita diligenti, predictum lacum Glamboczecz dictis preposito et conventui ac monasterio predicto Trzemesznensi adiudicare curavimus, prefato Benedicto custodi super ipso perpetuum silencium imponentes. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum presentibus est appensum. Actum et datum Gnezne in die sancti Gothardi, anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo octavo, presentibus dominis: Ywone preposito, Vincencio decano, Przeczlao archidiacono, Iohanne scolastico et Petro cancellario, et aliis canonicis Gneznensibus.

Lacus Glamboczecz, *jez. Głęboczek.* Duszno, *Duszno.*

Nr. 1182.

Iohannes episcopus ecclesie Poznaniens. 1338 Mai. 31, Poznanie; ratam habet concordiam, inter fr. Helmannum commendatorem domus b. Iohannis prope Poznań, et Mathiam archidiaconum Plocensem et Poznaniensem canonicum, ratione decimarum in Maniewo initam.

Pergam. orygin. Skrawki pergamin. od przywieszenia dwóch pieczęci. Poznań. Archiv. Capituli. III, 17.

In nomine Domini amen. Nos Iohannes, Dei gracia episcopus ecclesie Poznaniensis, notum facimus universis, quod cum inter dilectum nobis fratrem in Christo magistrum Mathiam, Plocensis ecclesie archidyaconum et nostrum Poznaniensem canonicum, ex una, et religiosum virum fratrem Helmannum, commendatorem domus beati Iohannis prope Poznaniam, parte ex altera, nomine prebendarum suarum Poznaniensium super decima in Manevo coram nobis materia questionis suborta fuisset et usque ad productionem testium ventilata, tandem partes eedem cupientes parcere laboribus et expensis proborum intervenientibus consiliis, in nostra presencia constitute, magister videlicet Mathias suo et sue predicte prebende nomine, et frater Helmannus sue domus prefate sive prebende sue Poznaniensis nomine, talem inter se concordiam inysse sunt confessi: quod videlicet perpetuis temporibus in futuro magister Mathias dicto nomine dimidiam partem, et . . commendator dicte domus aliam dimidiam partem suarum prebendarum, nomine prefate decime in Manevo tollere et percipere teneantur. Nos vero eandem concordiam ratam et gratam habentes, de nostri Poznaniensis Capituli speciali consensu presentis scripti patrocinio confirmamus; in cuius rei testimonium, sigilla, nostrum et dicti Capituli nostri presentibus sunt appensa. Datum et actum Poznanie in die Penthecostes, anno Domini m.ccc.xxx octavo, presentibus et consentientibus dominis: Bogufalo decano, Woyslao cantore, Iohanne custode, Stephano decano Wratislaviensi, Clemente cancellario, Stephano de Wladislavia, Czesantha, Mathia de sancto Spiritu, Iescone de sancto Nycolao, Andrea, Msczigneo, Paulo notario, canonicis nostris, et aliis.

Manevo, *Maniewo.* Wladislavia, *Włocławek.* S. Spiritus, s. Nicolaus, *dziś nie istniejące kościoły w Poznaniu.*

Nr. 1183.

Henricus provisor terre Kalisiens. et consules civitatis eiusdem Kalisiens. 1338 Iun. 8, in Kalis; protestantur, relictam Ianussii de Dobrzec una cum filiis promisisse, se hereditatem Lelewo, quondam a Wlostone fratre ipsius ecclesiae Gneznensi obligatam, infra viginti annos non redemturam.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 92.

Nos Henricus provisor terre Kalisiensis, Zybotha, Iasco, Iohannes dictus Marcrabius et Iohannes de Bochna, consules civitatis eiusdem Kalisiensis, notum facimus

universis ad quos devenerit scriptum presens, quod domina relicta quondam Ianussii Dobriciensis, nostri concivis, cum suis filiis coram nobis personaliter constituti recognoverant, fratrem suum Wlostonem, bone memorie, partem hereditatis sue de Czena, que pars Lelewo appellatur, venerabili patri domino Ianislao Gneznensi archiepiscopo pro triginta marcis grossorum Pragensium obligasse, addentes eadem Bona et sui filii et promittentes, pro remedio anime fratris sui predicti ac progenitorum suorum, quod eandem partem hereditatis infra viginti annos nec ipsi nec aliquis de eorum proximis debeat redimere, sed idem dictus dominus archiepiscopus et ecclesia sua dictam partem hereditatis ad dictos annos pacifice possidebit. In quorum testimonium, nostrum Henrici et civitatis Kalisiensis sigilla presentibus sunt appensa. Actum in Kalis in crastino sancte Trinitatis, anno Domini m.ccc.xxx octavo.

Dobriciensis, *de Dobrzec.* Czena, *Cienia.* Lelewo, *osada znikła.*

Nr. 1184.

Iohannes episcopus ecclesie Poznaniens. 1338 Iun. 30, Poznanie; decimas mensae suae in villis Brzezie et Siedlec, domus b. Iohannis Ierosolimitani prope Poznań propriis, cum decimis domus eiusdem in villis Czerlejno, Czerlejnko et Wydzierzewice commutat.

Pergam. orygin. Skrawki pergamin. od przywieszonych niegdyś 3 pieczęci, każdy przez 2 wcięcia przewleczony.

Poznań. Archiv. Capituli. III, 16.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria que fiunt in tempore, nisi scripturarum et testium munimine roborentur. Idcirco noverint universi presencium noticiam habituri, quod nos Iohannes, Dei gracia episcopus ecclesie Poznaniensis, de speciali nostri Poznaniensis Capituli voluntate pariter et assensu commutacionem decimarum infrascriptarum ad nostram episcopalem mensam pertinencium, cum religiosis viris, fratre Helmano commendatore domus beati Iohannis prope Poznaniam Ordinis beati Iohannis Ierosolimitani et .. suo conventu, pro ipsorum decimis infrascriptis fecimus matura deliberacione prehabita in hunc modum. Decimas siquidem nostre mense in bonis ipsorum fratrum, videlicet in Brseze et in Sedilcze, cum adiacencia dicta Oborsino que adiacet in Brseze et cum ceteris omnibus adiacentiis eorum que vulgariter Prsisodlki nominantur, pro decimis ipsorum fratrum in utroque videlicet Czirnelino, parvo et magno, cum adiacencia duorum mansorum qui sunt in Widgersevicz et cum ceteris omnibus earum adiacenciis dedimus, per nos et ipsos perpetue possidendas. In cuius rei testimonium, presentes nostro et nostri Capituli ac.. conventus ipsorum fratrum sigillorum appensione duximus roborandas, presentibus et consencientibus fratribus nostris de Capitulo, dominis Andrea preposito, Bogufalo decano, Ylio scolastico, Dominico archidyacono, Woyslao cantore, Iohanne custode, Clemente cancellario, Iacobo thezaurario, Czesantha, Iescone de sancto Nycolao, Andrea, Paulo, canonicis nostris, et aliis. Datum Poznanie in crastino beatorum Petri et Pauli, anno Domini m.ccc.xxx octavo.

Brseze, *Brzezie.* Sedilcze, *Siedlec.* Oborsino, Prsisodlki, *osady znikłe.* Czirnelino magnum *et* parvum, *Czerlejno i Czerlejnko.* Widgersevicz, *Wydzierzewice.*

Nr. 1185.

Fr. Hermanus abbas in Obra Myloscey capitaneus in Bencyn et alii 1338 Sept. 9, in Bencyn; protestantur, Vattham de Nądnia, se nunquam monasterium Paradyż in bonis Zakrzew impediturum, promisisse.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia dwóch pieczęci, z których jedyna pozostała, a osobno zachowana, jest podłużna i wyobraża osobę duchowną w infule, obróconą w prawo; prawica wsparta na pastorale, na lewéj spoczywa księga. Napis: S. Hermani abbatis de Obra.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma C 18.

Nos frater Hermanus abbas in Obra, Myloscey capitaneus in Bencyn, Myscys de Grocz, Francko scriptor domini Maczkonis Borkovicz, Nycolaus, Gotfin, Cuno sutor, consules et iurati civitatis in Bencyn, ad comunem notitiam volumus devenire, quod Vattha de Nandne in nostra corporali presencia constitutus et coram multitudine hominum copiosa in bona valetudine sui corporis, non compulsus nec coactus, sed ultro et sponte, fratri Petro et domino abbati in Paradiso Ordinis Cysterciensis et suis fratribus ibidem commorantibus manu ad manum pepegit, quod nec per se nec per suos successores, nunquam et in evum, in bonis que Zakrow in vulgari nuncupantur, deinceps per eum nec a posteris suis dictus dominus et sui fratres non debent impedire (sic), sed magis iuxta posse ipsius promovere (sic). In huius rey testimonium et ad evidenciam pleniorem, sigillum nostrum et sigillum domini Maczkonis Borkovicz propter carenciam aliorum testium presentibus sunt appensa. Actum et datum in Bencyn feria quarta in crastino Nativitatis sancte Marie virginis illibate, anno Domini myllesimo CCC. tricesimo octavo.

Bencyn, *Zbąszyń.* Grocz, *Grojec.* Nandne, *Nądnia.* Paradisus, *klasztor Paradyż.* Zakrow, *Zakrzew.*

Nr. 1186.

Ludovicus (marchio Brandenburg.) 1338 Oct. 12, Kungesberg; Betkino de Ost et Dobrogostio de Sierakowo, sororio ipsius, 41 mansos in villa Gossow et villam Buchholtz confert.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. XXIV, 27. (Kopja).

Noverint *etc.* quod nos Ludovicus *etc.* contulimus et presentibus conferimus strenuo militi Betkino de Ost, nec non strenuo viro Dobergost de Sierakowo eiusdem sororio, fidelibus nostris dilectis, ipsorumque veris et legitimis heredibus ob amorem quem ipsis gessimus, in solidum et ad manum coniunctam in villa Gossowe XL mansos cum uno, ab omni datione et servitute reali et personali solutos et liberos, cum iure patronatus ecclesie ibidem, villamque dictam Buchholtz prope Bernowe, cum equi servicio et omni iure, utilitate, commodo, honore et libertate, sicuti villam et mansos predictos tenuimus et habuimus, perpetue, quiete et pacifice possidendos. In cuius *etc.* Testes: Yseltfriet, Heylo, Bortvelt, Gerwinus prepositus in Bernowe, Io-

hannes plebanus in Kungesberg. Datum Kungesberg anno Domini M.CCC.XXXVIII, feria secunda post Dyonisii.

Sierakowo, *u Riedla mylnie* Santzkowe. *Archiv. Consistorii Metropol. Gneznens. A. C. anni 1416 wspominają Benaka wojewodę Poznańsk. ojca Benaka i Dobrogosta, a brata Sędziwoja z Uzarzewa i Dobrogosta z Sierakowa, z których ostatni zdaje się bydź wzmiankowanym tu Dobrogostem.* Santzkowe, *mogłoby też bydź Sękowo p. m. Szamotuły.* Gossowe, *Gossow.* Buchholtz, *Buchholtz.* Bernowe, *Bernstein.* Kungesberg, *Königsberg N. M.*

Nr. 1187.

Ludovicus et Stephanus fratres (marchiones de Brandenborch) 1338 Oct. 12, Kungesberg; compluribus militibus castrum de Rabenstein certis conditionibus reaedificare permittunt.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. XVIII, p. 112. (Kopja).

Noverint *etc.* quod nos Ludovicus et Stephanus fratres, licentiavimus strenuis viris Walthero, Gunthero militibus, Luttege, Gunthero, Iona, Hertwico, Matheo, Henningo et Copkino filiis Volcekens, Henningo, Konstel et Copkino filiis suis dictis de Guntersberg, ex mera mentis nostre benivolencia, ut castrum Rabensteyn, quondam per nos desolatum et destructum, reedificare poterint dum voluerint et munire munimentis prout ipsis videbitur convenire, dummodo castrum dictum Butowe, quod ex consensu nostro prius edificaverant, per ipsos dissolvatur penitus et rumpatur. Debebunt eciam ipsi cum dicto castro et ceteris suis munitionibus prope Netzam vel alibi habitis vel habendis et suis pertinenciis, contra quemlibet cuiuscunque condicionis existentem, illustribus principibus ducis Wartizlai filiis, avunculis nostris dilectis duntaxat exceptis, sine dolo perpetuo parere, et a nobis tenere in iustum feodum et legale. Tenebimur eciam, ipsos, ut castrum quoddam ipsorum dictum Uzst, a Polonis conquisitum, consequantur et rehabeant, per placita si potuerimus adiuvare, et ipsos fovere manuquetenere contra quoslibet ipsis iniuriam vel violenciam inferentes vel inferre volentes, pro nostris viribus et ipsorum iuribus fideliter defensare. Non debebunt eciam ipsi Polonos quovismodo invadere, nisi de nostro consensu fuerit et beneplacito voluntatis. In cuius *etc.* Testes *ut supra.* Datum Kungesberg anno Domini M.CCC.XXXVIII, feria secunda ante Galli.

Castrum Rabensteyn, *nie odgadnione.* Butowe, *Bütow.* Netza, *rz. Noteć.* Uzst, *Ujście.* Kungesberg, *Königsberg N. M.*

Nr. 1188.

Kazimirus rex Polonie etc. 1338 Dec. 13, Poznanie; Maczkoni, filio Pribislai Borkowicz quondam palatini Poznaniensis, castrum et oppidum Koźmin cum villis adiacentibus confert, multis privilegiis a se dotata.

Warszawa. Archiw. Główne. Ks. M. 33, f. 258.

In nomine Domini amen. A magnifica regum celsitudine digne consolacionis premia promerentur, quos fidei puritas gratos reddit et acceptos; ubi enim obsequium est promptum, ibi premium sit paratum. Eapropter nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie et terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiavie Pomeranieque dominus et heres, universorum noticie tam presencium quam futurorum presentibus declaramus, quod ponderatis multiplicibus obsequiis, nostro patri bone memorie domino Wladislao, olim regi eiusdem regni, et nobis per Pribislaum dictum Borkowycz, quondam palatinum Poznaniensem, et Maczkonem filium suum exhibitis, et precipue in aquisitione ab inimicis nostris castrorum, videlicet Szbanschin, Copanycza et Przeprostinya, et in aliis servitiis autenticis, ut merita gratiarum vicissitudine compensentur ceterique per hoc in exhibitionibus obsequiorum inveniantur efficaces, nunc damus, conferimus et donamus Maczkoni eidem et suis progenitis castrum nostrum et civitatem Coszmyn vulgariter dicta, cum villis omnibus eisdem adiacentibus, videlicet Orla, Borzanczyce, Golyna, Wolkowo, Dobyeiewo, Lypowiecz, Wrothkowo, Skalowo, Czancthnyky, Lyssowo, Cobyerzno, Crzemesno, Lussyna gora, et Czyelicza, Wonelyczy, secundum quod in suis metis et limitibus circumferentialiter sunt distincte vel etiam limitate, cum omnibus utilitatibus, usibus, redditibus, fructibus, silvis, quercetis, nemoribus, venationibus animalium cuiusvis generis existant, aquis, pascuis, tabernis, molendinis, ac universis proventibus qui nunc ibi sunt aut esse poterunt in futuro, et toto dominio militari, iure hereditario et perpetue tenendas, possidendas et habendas cum omni potestate donandi, vendendi, commutandi, pro suaque et suorum posterorum voluntate convertendi. Volentes autem prelibatum Maczkonem et suos legittimos successores ad ampliora virtutum impendia provocare, ut ex eo presens profectus et futurus augeatur, eundem et suos posteros, civesque et incolas prefatos villarum predictarum eximimus ab omnibus iuribus Polonicalibus, a stan, narzas, podwod, strosza, podworowe, a bove, a vacca, a porco ab oveque et ab aliis universis, et ab omnibus iudiciis, iurisditionibus atque potestatibus omnium palatinorum, castellanorum, iudicum, subiudicum, ministerialium quoque et officialium universorum; ita, ut coram ipsis vel eorum aliquo, pro causis et negociis quibuscunque, parvis sive magnis, non teneantur, nisi coram nobis vel capitaneo nostro, dum per litteram nostram, munitam nostro sigillo vel capitanei nostri, fuerint evocati, de se querulantibus respondere. In causis autem criminalibus, puta furti, sanguinis, homicidii, incendii, mutilacionis et aliis quibuscunque, prelibato Maczkoni et suis progenitis, advocato vel scultetis predictarum hereditatum, iudicandi et puniendi plenam conferimus potestatem. Insuper, dum se homines civitatis et villarum antedictarum mutuo vel unus alium occiderit, sibi et suis posteris penam capitis percipiendi plenam damus potestatem. In quorum omnium testimonium et evidentiam pleniorem, presentes scribi et nostri sigilli munimine iussimus roborari. Actum Poznanie in die beate Lucie virginis, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo octavo, presenti-

bus honorabilibus et nobilibus viris, domino Ianislao archiepiscopo sancte Gneznensis ecclesie, domino Iohanne episcopo, domino Nicolao palatino Poznaniensi, Henrico palatino Kalisiensi, Iaroslao castellano Poznaniensi, domino Ottone cancellario Polonie et cantore ecclesie Sandomiriensis per cuius manus est datum, et aliis multis fidedignis.

Szbanschin, *Zbąszyń*. Copanycza, *Kopanica*. Przeprostinya, *Przyprostynia*. Coszmyn, *Koźmin*. Orla, *Orla*. Borzanczyce, *Bożęcice*. Golyna, *Golina*. Wolkowo, *Walkowo*. Dobyeiewo, *nie odgadnione*. Lypowiecz, *Lipowiec*. Wrothkowo, *Wrotkowo*. Skalowo, *Skałowo*. Czancthnyky, *nie odgadnione*. Lyssowo, *Lisówki*. Cobyerzno, *Kobierno*. Crzemesno, *Trzemeszno*. Lussyna gora, *nie odgadnione*. Czyelicza, *Dzielice*. Wonelyczy, *Wolenice*. *Wiersz 8 zam.* palatinum Poznaniensem, *w księdze metrycznéj jest mylnie* palatini Poznaniensis; *cnfr. Nr. 1023.*

Nr. 1189.

Maczco advocatus Oborniciens. 1339 Ian. 3, s. l.; collationem macelli carnium, a patre suo b. m. Rudgero quondam advocato Oborniciensi, monasterio Łeknensi donati confirmat.

Pergam. orygin. W dolnym brzegu trzy wcięcia poprzeczne od przywieszenia pieczęci.

Kurnik. Biblioteka. Diploma Nr. 11.

In nomine Domini amen. Presentis vite condicio statum habet instabilem, et ea que habent essenciam, cedunt invisibiliter ad non esse. Eapropter noverint universi presencium noticiam habituri, quod Rudgerus felicis recordacionis, advocatus quondam Oborniciensis adhuc in bona mentis et corporis sui valitudine constitutus, bonis operibus cupiens diem sue peregrinacionis prevenire ac prudenter advertens, quod nil morte cercius et nichil incercius hora mortis, hoc solerti cognacione (sic) premeditans, macellum carnium in medio foro civitatis Oborniciensis, aut, si in aliquem alium locum locaretur, preiudicium ac impedimentum nullum penitus ex eo genereretur (sic), quot tytulo patrimonii ad ipsum pertinebat, pro sue ac suorum progenitorum animarum remedium (sic) ac salute monasterio dicto Lekno contulit, dedit ac donavit hoc modo, quod predictum maccellum carnium nec vendi nec dari nec donari alicui debeat, sed pro utilitate ac reparacione predicti monasterii fructus et census perpetuo debeat converti. In cuius rei testimonium et ad confirmacionem pleniorem, ego Maczco advocatus, succedens in locum patris mei predicti Rudgeri, hanc litteram scribi iussi, et meo sigillo (sic) munimine roborari coram milite Bronissio de Obyezerze et fratre suo Lenardo, nec non coram consulibus eiusdem civitatis, videlicet Petro sutore, Iohanne Precnow, Iaclo textore, Henrico doleatore, et aliis fide dignis. Datum et actum dominica die in octava beati Iohannis apostoli et ewangeliste, sub anno Domini m.ccc.xxx.ix.

Oborniciensis, *de Oborniki*. Lekno, *Łekno*. Obyezerze, *Objezierze*.

Nr. 1190.

Conradus dux Slezie etc. 1339 Iun. 9, in Frowynstat; venditionem bonorum Steinwere, quam Lucco de Racwicz in rem civitatis Wschowa fecerat, confirmat.

Pergam. orygin. Na sznurze z nici półjedwabn., czerwon. przywieszona pieczęć okazuje osobę w szacie długiéj po za kolana, stojącą pomiędzy dwoma wieżami, z mitrą książęcą na głowie; w prawicy miecz dobyty, o prawe ramię oparty; na lewicy mała tarcz trójkątna przedstawia Orła rozpostartego, bez korony. Napis odłamany. Contrasigillum: mały Orzeł taki, jak na tarczy; napis: S. Ducis Conradi . . . . . .

Warszawa. Archiw. Główne. — Stronczyński. Wzory, Nr. 32.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripto vel testimonio litterarum fuerint consignata. Igitur nos Conradus, Dei gratia dux Slezie et dominus Olsnicensis, notum facimus universis presentibus et futuris tenorem litterarum presentium inspecturis, quod Lucco de Racwicz homo noster in nostra presencia sanus mente et corpore deliberacioneque matura prehabita constitutus, bona sua Steynvere nuncupata vulgariter, in foribus civitatis Frowenstat situata, fidelibus nostris civibus nomine civtatis (sic) ibidem vendidit, rite et rationabiliter resingnavit Nos vero huiusmodi venditionem atque resingnacionem effectui mancipare cupientes, bona supradicta cum proventibus et utilitatibus omnibus ad ipsa pertinentibus, prout in suis terminis et grenitiis circumferencialiter sunt distincta, prenominatis civibus pro utilitate eiusdem civitatis Frowynstat contulimus, in perpetuum hereditarie, quiete et pacifice possidenda, nec non cum omni eo iure, quo ipsa supradictus Lucco habuit et possedit. In cuius rei testimonium, presentes fieri iussimus et sigilli nostri munimine consignari. Actum in Frowynstat feria quarta proxima post diem sancti Vincentii martiris, anno Domini M.CCC.XXX nono, presentibus: domino Henrico de Gorin, Poppone de Hugwitz, Conado de Sildow, Symone de Senfelt, Henrico de Zenicz, Nicolao Vesche, et aliis multis fide dingnis. Datum per manus Clementis notarii curie nostre, qui a nobis presentia habuit in conmissis.

Olsnicensis, *de Oleśnica, z niemiecka Oels.* Steynvere, *osada znikła.* Frowynstat, *Wschowa.*

Nr. 1191.

Paulus iudex terre Sandomiriens. 1339 Aug. 24, in civitate Sandomiriensi; Iohanni episcopo Cracoviensi hereditatem Jeziorko contra petitionem relictae et filii Wladimiri de Bostów adiudicat.

Pergam. orygin., w którego dolnym założonym brzegu dwa paski pergaminowe, przez wcięcia poprzeczne przewleczone.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 108.

Nos Paulus, iudex a domino rege in terra Sandomiriensi deputatus, una cum Henrico subiudice Sandomiriensi recognoscimus universis publice presencium noticiam habituris tam presentibus quam futuris, quod causa que inter venerabilem in Christo patrem dominum Iohannem, divina et apostolice Sedis providencia episcopum Cracoviensem, super quadam hereditate sua et ecclesie sue nomine Iezorco, ex una parte, et dominam Przchnam, relictam Wladimiri condam heredis de Bostow, et

filium ipsius Pelkam, parte ex altera ab aliquibus temporibus iam retroactis exorta et ventilata fuit coram nobis in iudicio domini regis Kazimiri: qui quidem eandem causam filio Gardomiri Andree commiserant ipsumque in eadem causa prolocutorem et procuratorem legitimum facientes; qui tandem proponens coram nobis, quod predicta hereditas, quam prenominatus dominus ephiscopus violenter detineret, ad dominam et filium suum predictos hereditario iure pertineret, ad quod conprobandum terminus eis die tercio sancti Bartholomey in Sandomiria per nos fuit assignatus; quo termino adveniente, sepedictus Andreas prefate domine iniectionem et filii sui probare non potuit, prout se intromiserat et debebat. Nos vero volentes unicuique omne iusticie complementum facere secundum regni consuetudinem approbatam, ut debemus et tenemur, eandem hereditatem dictam Iezorco sepius nominate domine Przechne et filio suo Pelce propter negligenciam probacionis ipsorum prolocutoris abiudicavimus, eis et ipsorum legitimis successoribus de eadem perpetuum silencium imponentes. Prenotato autem domino pontifici iam dictam hereditatem, sibi et suis successoribus adiudicavimus in perpetuum possidendam tenendam et habendam tamquam vero et legitimo possessori, prout expostulat ordo iuris. In cuius rey testimonium et evidenciam pleniorem, eidem domino episcopo nostras litteras dedimus nostrorum sigillorum appensione consignatas. Acta sunt hec predicto tercio die sancti Bartholomey in civitate Sandomiriensi, sub anno Domini millesimo trecentesimo XXX nono, presentibus hiis nobilibus: Iohanne Crzivosandi subpincerna Sandomiriensi, Nicolao Cancora Visliciensi, Raphaele notario eiusdem iudicii domini regis, Vito herede de Iancovic, Sdziscone de Midlow, Stephano de Placzcovic, et aliis quam plurimis fide dignis eidem iudicio presidentibus, ac eciam Petro officiale, qui huius cause fuit exsequtor.

Iezorco, *Jeziorko.* Bostow, *Bostów.* Iancovic, *Jankowice.* Midlow, *Mydłów.* Placzcovic, *Płaczkowice.*

Nr. 1192.

Galhardus de Carceribus prepositus Tytulens. etc. et Petrus Gervasii canonicus Aniciens. 1339 Sept. 15, in villa de Warsszow; ut apostolicae Sedis nuntii et executores, et iudices in causa quae vertitur inter Ianislaum archiepiscopum Gneznens. et Iohannem episcopum Poznaniens., ex una parte, et magistrum et fratres Ordinis Hospitalis domus b. Mariae Theutonicorum, ex altera, sententiam diffinitivam dicunt.

Pergam. orygin., u którego na końcu obok oświadczeń obu Notariorum publicorum *obok siebie położonych,* Signa *tychże narysowane. U dolnego założonego brzegu wiszą na paskach pergamin. trzy pieczęcie. Pierwsza okrągła, przedstawia pomiędzy dwiema wieżami popiersie osoby w koronie z aureolą, równéj z temiż wysokości; pod niem trójkątna tarcz z zatartem godłem. Napis:* S. Galhardi de Carceribus Prepositi Titulien. *Druga pieczęć podługowata, połamana, bez wycisku. Trzecia mała, okrągła przedstawia popiersie Biskupa błogosławiącego, z pastorałem w lewéj; napis:* S. O . . . ovien.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 109.

In nomine Domini amen. Sub anno Nativitatis eiusdem millesimo CCC.XXX nono, Indiccione septima, vicesima prima die mensis Octobris, in domo habitacionis

honorabilis viri domini Nicolai plebani sancti Stephani officialis Cracoviensis, hora quasi sexta, in presencia mei notarii infrascripti et testium subscriptorum, vocatorum ad hoc specialiter et rogatorum, discretus vir Dyonisius canonicus Uneyoviensis dyocesis Gneznensis quandam litteram seu instrumentum publicum, summam difinitivam continens latam in Warsovia dyocesis Poznaniensis per venerabiles viros, dominos Galhardum de Carceribus prepositum Tytulensem Colocensis dyocesis et Petrum Gervasii canonicum Aniciensis ecclesiarum, apostolice Sedis nuncios, virtute commissionis ipsis facta (sic) a Sede predicta pro parte reverendorum patrum, dominorum Ianislai Gneznensis archiepiscopi et Iohannis episcopi Poznaniensis ecclesiarum, et contra religiosos viros, dominos magistrum generalem, comendatores et fratres singulos Ordinis beate Marie domus Theutunicorum, scriptam per manum Alberti Cristini clerici Cracoviensis dyocesis, et ipsius et magistri Petri de Montilio clerici Aniciensis, notariorum publicorum, signis, nominibus ac subscripcionibus, cum sigillis dictorum nunciorum pendentibus signatum ut prima facie apparebat, exhibuit, legit ac eciam publicavit, petens ipsum dominum officialem, ut michi, notario infrascripto, auctoritate ordinaria cum interposicione decreti mandaret, quatenus dictum instrumentum publicum transscriberem et redigerem in publicam formam. Idem dominus officialis, attendens peticionem dicti Dyonysii iustam et consonam equitati, auctoritate ordinaria predicta cum interposicione decreti michi notario infrascripto mandavit, ut dictum instrumentum publicum, summam continens predictam, fideliter transscriberem de verbo ad verbum, nil addendo vel minuendo, et transscriptum huiusmodi redigerem in publicam formam. Cuius quidem instrumenti publici dictam summam continentis tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

In nomine Domini amen. Noverint universi, quod nos Galhardus de Carceribus prepositus Tytulensis Colocensis dyocesis et Petrus Gervasii canonicus Aniciensis ecclesiarum, apostolice Sedis nuncii et executores et iudices in causa que vertitur inter reverendos in Christo patres et dominos, dominum Ianislaum archiepiscopum Gneznensem et dominum Iohannem episcopum Poznaniensem, ex una parte, et venerabiles ac religiosos viros, magistrum et fratres Ordinis Hospitalis domus beate Marie Theutunicorum in partibus Prussie, ex altera, ab eadem Sede apostolica specialiter deputati, pridem recepimus litteras apostolicas veras et integras ac omni suspicione carentes, cum bulla plumbea sanctissimi patris et domini nostri domini Benedicti, divina providencia Pape XII, in filo canapis more Romane curie bullatas ut prima facie apparebat, cum ea qua decuit reverencia, de verbo ad verbum tenorem qui sequitur continentes: (*Sequitur diploma Nr. 1179*).

Quarum siquidem litterarum apostolicarum auctoritate, ad instanciam dominorum archiepiscopi et episcopi seu procuratorum suorum predictos magistrum et fratres dicti Ordinis, ac specialiter et nominatim commendatores eiusdem Ordinis, videlicet commendatorem generalem Culmensem, ac de Thorun, de Grudencz, Lipaviensem, Radinensem, Egilpergensem, Golubensem, Strosburgensem, Papoviensem, Wencslavicensem ac de antiquo castro Thorun, et in terra Cuyavie Nessoviensem, Orloviensem, Murinensem, Brestensem, Covaloviensem, Radzeyoviensem ac Mosburgensem, in terra vero Pomoranie Swecensem, Gdanensem, Tarszoviensem et Camenensem, in terra autem Prussie Marienburgensem, Stumensem, Lessinensem, Elbinensem, de Lesk ac Rigensem, ac quoscunque dictarum terrarum commendatores, coram nobis in iudicium iuxta mandatum predictum apostolicum ad certum locum et terminum fecimus evocari. Comparentibus igitur in iudicio coram nobis loco et termino supradictis per-

emptorio reverendis in Christo patribus, domino Ianislao archiepiscopo Gneznensi et domino Iohanne episcopo Poznaniensi predictis, nobis predictum mandatum apostolicum presentarunt in iudicio, et demum suos procuratores constituerunt et ordinaverunt apud acta, videlicet magistrum Albertum plebanum de Bochna Cracoviensis dyocesis, qui procuratorio nomine eorundem libellum seu suam peticionem summariam in iudicio obtulit in scriptis ipsis presentibus, petens et requirens, contra magistrum et fratres ac commendatores predictos, vel aliam personam legittime intervenientem, procedi per nos iuxta tenorem peticionis ipsius ac litterarum apostolicarum continenciam predictarum. Quibus propositis et oblatis, comparuit eciam discretus vir, dominus Iacobus de Arnoldi villa plebanus Culmensis dyocesis, procurator et procuratorio nomine magistri et fratrum predictorum, qui de procuratorio suo fidem faciens per publicum instrumentum, scriptum et signatum per manum publici notarii et dicti magistri sigilli appensione munitum; cuius tenor talis est. *(Sequuntur litterae plenam potestatem continentes, Iacobo plebano de Arnsdorf nomine Ordinis Theutonici datae, in opere vero T. Działyński: Lites ac res gestae inter Polonos Ordinemque Cruciferorum I, pag. 21 insertae.)*

Predicto eciam procuratorio producto, dictus procurator, protestacione premissa: quod non intendebat in nos consentire tanquam in iudices suos vel dominorum suorum nec comparere vel coram nobis: ex causis frivolis et minime racionabilibus a nobis ad Sedem apostolicam appellans, a presencia nostra confestim illicenciatus recessit. Nos vero attendentes, quod in dicta causa, predictorum magistri et fratrum ac commendatorum seu procuratoris eorum absencia non obstante, de iure et vigore apostolici rescripti procedere poteramus, instante procuratore dictorum dominorum archiepiscopi et episcopi et petente: per nos in causa predicta procedi: peticionem ipsius oblatam pro parte dictorum dominorum archiepiscopi et episcopi recepimus, tenorem qui sequitur continentem:

Coram vobis venerabilibus viris dominisque, Galhardo de Carceribus Titulensi preposito Colocensis dyocesis et Petro Gervasii canonico Aniciensi, nunciis apostolice Sedis et in causa seu causis infrascripta seu infrascriptis iudicibus specialiter a Sede apostolica deputatis, discretus vir Albertus plebanus de Bochna Cracoviensis dyocesis, legittimus procurator reverendorum virorum dominorum in Christo patrum, domini Ianislai archiepiscopi Gneznensis et Iohannis episcopi Poznaniensis ac suorum Capitulorum, nomine procuratorio eorundem et quorumlibet ipsorum contra religiosos viros, Theodricum magistrum generalem et fratres Ordinis sancte Marie Theutunicorum in partibus Prussie commorantes, et contra quamlibet personam legittime intervenientem pro eis et pro quolibet ipsorum, proponit et dicit: quod dudum propositum in consistorio coram sanctissimo in Christo patre et domino, domino Benedicto Papa XII, et coram reverendis patribus dominis cardinalibus, qui tunc temporis erant, pro parte dictorum dominorum archiepiscopi Gneznensis et episcopi Poznaniensis, quod dicti magister et fratres proprie salutis et professionis immemores, terram Magne Polonie cum magno exercitu armatorum hostiliter intrantes et invadentes, civitatem et dyocesim Gneznensem, parrochialem ecclesiam sancti Laurencii in Gnezna et alias domos iuxta ipsam ecclesiam consistentes, ac Zneynam, Uneyow, Lanchiciam, Oppathow, Grzegorzow opida, nec non Slupcza opidum ad episcopum et ecclesiam Poznaniensem pertinens in dyocesi Gneznensi, ac parrochiales ecclesias atque archiepiscopales et canonicorum collegiatarum et plebanorum parrochialium ecclesiarum in eisdem opidis consistentes, nec non villas ad ipsum archiepiscopum et episcopum

predictum Poznaniensem et ipsorum Capitula iuribus dominii spectantes cum ecclesiis existentibus in eisdem, illa, rebus et bonis omnibus repertis in eis hostiliter raptis et asportatis, cum sacris vestibus et aliis ecclesiasticis ornamentis earundem ecclesiarum concremarunt, nonnullas eciam personas tam ecclesiasticas quam seculares ibidem commorantes dehonestando, captivando, occidendo, virgines stupro corrumpendo, et predictis omnibus et singulis, que omnia vera erant et sunt, ad audienciam dicti sanctissimi patris deductis, ac eidem suplicato pro parte dicti domini archiepiscopi, tam pro se quam pro dicto domino episcopo Poznaniensi et ecclesia sua et aliis personis ecclesiasticis: ut providere super sic propositis de opportuno remedio dignaretur: et tandem de mandato eiusdem sanctissimi patris recepta sufficienti informacione in curia Romana, per quam apperuit, quod dicti magister et fratres de predictis omnibus et singulis erant infamati, idem sanctissimus pater, nolens predicta facinora, si veritatem habent, conniventibus oculis pertransire, voluit, decrevit et ordinavit vobisque cum clausula: vos aut unum vestrum: commisit et apostolica auctoritate mandavit eciam de consilio dominorum cardinalium fratrum suorum, quatenus, forma commissionis vobis facte servata, ipsos super premissis omnibus et singulis deberetis sentencialiter condempnare, huiusmodi sentenciam, quam super premissis proferri contigerit, execucioni debite demandantes, et alia facturi, que in eadem commissione continentur. Quare petit procurator predictus nomine quo supra, per vos dominos iudices ante omnia procedi ad denunciandum et denunciari faciendum in generale incendiarios ecclesiarum predictarum qui in ipsarum ecclesiarum incendio culpabiles extiterint, et nunciando et nunciari faciendo: quod eorum absolucio soli Sedi apostolice sit reservata: et quod deinde, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, recipiatis iuxta eandem commissionem summariam informacionem, quam quidem idem procurator facere se promptum offert et paratum, et qua recepta, pro predictis dampnis, per cremacionem predictam locorum predictorum et asportacionem quarumlibet rerum, et iniuriis ac interesse ipsi domino archiepiscopo et ecclesie sue illatis, que quidem dampna, iniurias et interesse bona fide extimat ad decem milia et octingentas marchas, preter ecclesias crematas in bonis laycorum, que extimare non potest. Petit eciam in premisso pro dampnis, domino Poznaniensi episcopo et ecclesie sue irrogatis per eosdem magistrum et fratres in locis pertinentibus ad eum et ecclesiam suam, ac iniuriis et interesse, que quidem dampna et iniurias et interesse bona fide extimat ad octo milia et ducentas marchas et quadraginta septem marchas, per nostram sentenciam diffinitivam condempnari, ipsosque, cum constiterit vobis in premissis esse culpabiles, post sentenciam diffinitivam latam in eos, cogatis per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, invocato eciam si opus fuerit auxilio brachii secularis, ad satisfaccionem realem et plenariam, faciendam de omnibus et singulis suprascriptis, procedentes ad citacionem de dicto magistro et fratribus faciendam secundum tenorem vobis facte commissionis, et quod insuper procedatis ad omnia et singula facienda, que in predictis litteris apostolicis continentur.

Predicta autem omnia et singula petit dictus procurator cum fructibus perceptis et qui percipi potuerunt et expensis factis, protestando de faciendis, salvo sibi iure addendi, minuendi, declarandi, et ceteris beneficiis.

Recepta igitur peticione predicta prestitoque de calumpnia et veritate dicenda iuramento litterario contestandi, per dictum procuratorem dominorum predictorum archiepiscopi et episcopi in contumaciam adverse partis datis, eciam articulis et te-

stibus productis et examinatis ipsisque et eorundem attestacionibus publicatis, tandem in causa predicta pro parte dictorum dominorum archiepiscopi et episcopi renunciatum extitit et conclusum, et nos in partis alterius contumaciam huiusmodi pro concluso. Nos itaque, visis et auditis informacionibus et probacionibus et aliis in dicta causa probatis et acticatis, ac iuribus cause ipsius et meritis iusticie lance discussis et diligenter examinatis, deliberacione prehabita plenaria et diligenti nobiscum et eciam compertis, dictisque magistro et fratribus ac commendatoribus citatis ad audiendum nostram diffinitivam sentenciam ad diem presentem, dictisque dominis archiepiscopo et episcopo ob hoc in nostra presencia constitutis et presentibus ac ferri per nos diffinitivam sentenciam postulantibus, prefatis magistro et fratribus ac commendatoribus contumaciter absentibus, quorum absencia Dei presencia repleatur, sacrosanctis Dei evangeliis positis coram nobis ut nostrum de vultu Dei prodeat iudicium et oculi nostri videant equitatem, sedentes pro tribunali in loco et termino ad hoc partibus asignato, Dei nomine invocato qui precepit iuste filios hominum iudicare:

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Quia constat nobis, informacione plenaria et diligenti prehabita, ex probatis legittime et acticatis coram nobis pro parte dictorum dominorum archiepiscopi et episcopi in predicta causa, quod frater Theodricus de Aldemburk, nunc magister generalis Ordinis domus Hospitalis beate Marie Theutunicorum, tunc marascalcus exercitus fratris Luderi de Brunswik tunc magistri generalis Ordinis supradicti, ac commendatores seu advocati Culmensis, de Thorun, de Grudencz, Lippoviensis, Radinensis, Egilpergensis alias dictus de Coprziwnicza, Golubensis, Strosbergensis alias dictus de Brodnicza, Papoviensis, Wencslavicensis ac de antiquo castro Thorun, ac de terra Cuyavie Nessoviensis, Orloviensis, Murinensis, Brestensis, Covalovicensis, Radzeyoviensis et Mosburgensis alias dictus de Przedcze, ac de terra Pomoranie Swecensis, Gdanensis, Tarszoviensis, Camenensis, nec non de terra Prussie Marieburgensis, Stumensis, Lessinensis, Elbinensis, de Lesk ac Rygensis, nec non fratres dicti Ordinis predictorum et aliorum locorum et parcium predictarum, qui tunc erant cum valido et hostili exercitu et vexillis erectis, timore Dei postposito et dyabolo suadente, more predonico regnum Polonie intrando et devastando ecclesias in Grzegorzow et collegiatam ac parrochialem in Uneyow, in Gosczonovicze et sancti Laurencii in suburbio Gneznensi, in Chartolupia, in Gora, in Slupcza, in Mlodzegevo, nec non ecclesiam Wladislaviensem kathedralem et duo hospitalia infirmorum pauperum, unum ante Brest et aliud in Iuvene Wladislavia, et ecclesias in Brachlino, in Vinecz igne incenderunt, et ablatis inde per eos prius kalicibus, libris et ornamentis, thesauris et aliis depositis dictarum ecclesiarum, eas cum sanctuariis et Sanctorum reliquiis et ymaginibus penitus combusserunt; quia constat nobis eciam, quod predicti magister, commendatores, advocati et fratres dicti Ordinis beate Marie Theutunicorum, locorum et parcium predictorum, cum eorum exercitu valido et vexillis erectis more predonico villas, civitates et opida, ad predictos dominos archiepiscopum et episcopum seu ad eorum ecclesias pertinencia, videlicet Grzegorzow cum quatuor villis sibi adiacentibus, scilicet Kelczova, Slupcza, Scovelicze et Chelm, opidum Uneyow cum castro et villis adiacentibus eisdem, videlicet Sobbotca, Croslino, Czichmana, Ostrowsko, Velemno, Orzeskovo, Ubislaw, Kobilniki, Zarono, Popovo, Nemislow, Gosczonovicze, Oppathow, Hilme, Zneynam cum villis eidem adiacentibus, videlicet Gora, Murczino, Podgorzino, Balovesino, Wrzuthi, Wilczkovo, Doblevo, Czaple, Dochunovo, Gorzice, Iancewo, Slavomirze, Biscupino, Lupcza, Czatome, Slawno, Woyucino, Scepancewo, Kweczszevo, Valissew, Osycow, Slupcza, Wirzbecicze, Semarzevo,

Czansim, Murzinowo, Mloduyewo, Winnagora, Canthi, omnibus bonis mobilibus se moventibus per eos primitus ablatis et exportatis a locis predictis, ipsa loca igne combusserunt, vastaverunt et desolaverunt multis hominibus inibi interfectis et in captivitatem deductis mulieribusque denudatis penitus et oppressis, et alia dampna plurima eisdem dominis archiepiscopo et episcopo et eorum ecclesiis et subditis intulerunt: idcirco predictos, fratrem Theodricum de Aldembuch (sic) magistrum nunc generalem, nominatim, ac commendatores et advocatos ac fratres dicti Ordinis beate Marie Teuthunicorum locorum et parcium predictorum, qui predictas ecclesias combusserunt et quorum occasione combuste et incense fuerunt, auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa pronunciamus in hiis scriptis excommunicatos, ac per episcopos et prelatos et ecclesiarum rectores civitatum et dyocesum Gneznensis, Poznaniensis, Wlodislaviensis, Plocensis, Cracoviensis, Lubucensis, Culmensis et Wratislaviensis, sub pena suspensionis ab eorum officiis, in ecclesiis suis diebus dominicis et festivis, dum populus ad divina convenerit, mandamus per se vel per alium publice nunciari, absolucione ipsorum, fratris Theodrici de Aldenbuk (sic), nunc magistri generalis, ac commendatorum et fratrum predictorum, dictarum ecclesiarum incendiariorum, Sedi apostolice tantummodo reservata, ipsosque magistrum, commendatores et fratres dicti Ordinis beate Marie Theutonicorum, dictarum ecclesiarum incendiarios et dampnorum predictorum illatores et excessuum patratores, ad reedificacionem predictarum ecclesiarum, domorum et aliorum edificiorum, per eos vel occasione ipsorum ut premittitur destructorum, et ad satisfaccionem et emendacionem plenariam aliorum bonorum mobilium et dampnorum super ipsis illatorum, nec non ad restitucionem rerum mobilium ablatarum seu amissarum, vel ad solucionem extimacionis ipsarum, taxacione per nos prius facta pro parte dicti domini archiepiscopi Gneznensis: que omnia dampna et deperdita, ablata et amissa et incensa, preter ecclesias, ad decem milia et octingentas marchas taxamus et extimamus, prout eciam dictus dominus archiepiscopus, corporali per ipsum primitus prestito iuramento, se et subditos suos passum fuisse et amisisse et perdidisse asseruit et declaravit, et que eciam illata dampna, deperdita et amissa ac incensa, preter ecclesias, ad octo milia et ducentas marchas taxamus, prout eciam idem dominus episcopus Poznaniensis se et suos subditos passos et dampnificatos fuisse ac perdidisse et amisisse declaravit et asseruit coram nobis corporali similiter prestito iuramento, nec non et in expensis in dicta lite et occasione ipsius factis, quas in trecentis et triginta marchis Polonici ponderis et monete, taxacione per nos prius habita et facta, prout predicti domini archiepiscopus et episcopus predictam summam se expendisse dixerunt et asseruerunt eorum corporali prestito iuramento, in hiis eisdem scriptis per hanc nostram diffinitivam sentenciam eisdem dominis, archiepiscopo Gneznensi et episcopo Poznaniensi, sepedictos magistrum, commendatores et fratres domus Hospitalis beate Marie Theutunichorum de Prussia sentencialiter condempnamus. In quorum omnium testimonium et ad evidenciam pleniorem et certitudinem, presentem diffinitivam sentenciam, una cum insercione rescripti apostolici ac procuratoriorum et libelli superius insertorum et transscriptorum, scribi et in hanc publicam formam redigi mandamus per notarios publicos scribasque nostros infrascriptos et sigillorum nostrorum appensione muniri; et ut fides plenaria et indubitata transscripto rescripti apostolici ac procuratoriorum predictorum superius transscriptorum adhibeatur ubicunque et coram quibuscunque, in iudicio vel extra, ac si originalia apparerent, ac omnibus aliis et singulis, supradictis scriptis et narratis nostram auctoritatem interponimus iudicia-

riam et decretum. Acta fuerunt hec in villa de Warsszow Poznaniensis dyocesis infra ecclesiam parrochialem sancti Iohannis Baptiste dicti loci, anno a Nativitate Domini M.CCC.XXX nono, Indiccione VII, pontificatus sanctissimi patris et domini nostri, domini Benedicti divina providencia Pape XII anno quinto, et die quintodecima mensis Septembris circa horam Vesperarum, presentibus reverendis patribus, dominis Clemente Plocensi, Stephano Lubucensi episcopis, ac venerabilibus patribus, fratre Guillelmo de Suleow, fratre Iohanne de Mogila abbatibus, et dominis Nicolao Agriensi, Gregorio Czesnensi Zagrabiensis dyocesis, et Petro Lanchiciensi Gneznensis dyocesis prepositis, ac domino Iaroslao archidiacono ecclesie Cracoviensis, et pluribus aliis tam clericis quam laycis in magna multitudine, testibus fidedignis ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(Sequuntur declarationes notariorum publicorum: Alberti Cristini clerici Cracoviensis dyocesis, Petri de Montilio clerici Aniciensis et Alberti Gregorii de Lelovia clerici Cracoviensis dyocesis, publicorum auctoritate apostolica et imperiali notariorum.)

Uneyoviensis, *de Uniejów.* Tytulensis, *de Titel.* Colocensis, *de Colocsa, na Węgrzech.* Aniciensis, *de Annecy.* Culmensis, *de Chełmno.* Thorun, *Toruń.* Grudencz, *Grudziądz.* Lipaviensis, *de Lipinki.* Radinensis, *de Radzyn, z niem. Rehden.* Egilpergensis, *zam. de Koprzywnica, dziś Engelsburg.* Golubensis, *de Golub.* Strosburgensis, *de Strassburg, zam. de Brodnica.* Papoviensis, *de Papów, z niem. Papau.* Wencslavicensis, *de Wenzlaw, niegdyś komanderya, pewnie pom. m. Chełmża i Grudziądz.* Nessoviensis, *de Nieszawka, wsi nad rz. Wisła, naprzeciw m. Toruń leżącéj.* Orloviensis, *de Orłowo.* Murinensis, *de Murzynno.* Brestensis, *de Brześć Kujawski.* Covaloviensis, *de Kowal.* Radzeyoviensis, *de Radziejów.* Mosburgensis, *de Przedecz.* Swecensis, *de Świecie.* Gdanensis, *de Gdańsk.* Tarszoviensis, *de Tczew.* Camenensis, *de Kamień.* Marienburgensis, *de Malborg.* Stumensis, *de Gniew.* Lessinensis, *z niem. de Lessen.* Elbinensis, *de Elbląg.* Lesk, *Lötzenburg, dziś Lötzen.* Rigensis, *de Ryga.* Bochna, *Bochnia.* Arnoldi villa, *Arnsdorf.* Zneyna, *Żnin.* Lanchicia, *Łęczyca.* Oppathow, *Opatówek.* Grzegorzow, *Grzegorzew.* Slupcza, *Słupca.* Aldemburk, *Altenburg.* Gosczonovicze, *Gosczanów.* Chartolupia, *Charłupia.* Gora, *Góra p. m. Warta.* Mlodzegevo, *Młodzejewo.* Wladislaviensis, *de Włocławek.* Iuvenis Wladislavia, *Inowrocław.* Brachlino, *Bracholin.* Vinecz, *Winiec.* Kelczova, *Kiełczew.* Slupcza, *Słupeczka.* Scovelicze, *Skobielice.* Chelm, *Chełmno.* Sobbotca, *Sobótka.* Croslino, *Chruścin.* Czichmana, *Cichmiana.* Ostrowsko, *Ostrowsko.* Velemno, *Wielenin.* Orzeskovo, *Orzeszków.* Ubislaw, *Ubisław.* Kobilniki, *Kobylniki.* Zarono, *Szarów.* Popovo, *Popów.* Nemislow, *Niemysłów.* Hilme, *Ilno.* Gora, *Góra p. m. Żnin.* Murczino, *Murczyn.* Podgorzino, *Podgórzyn.* Balovesino, *Białożewin.* Wrzuthi, *może Wrzosy.* Wilczkovo, *Wilczkowo.* Doblevo, *Dobrylewo.* Czaple, *w Nr. 7* Scaple, *osada znikła okolicy m. Żnin.* Dochunovo, *Dochanowo.* Gorzice, *Gorzyce.* Iancewo, *Junczewo.* Slavomirze, *Słabomirz.* Biscupino, *Biskupin.* Lupcza, *Lubcz.* Czatome, *Cotuń.* Slawno, *Sławno.* Woyucino, *Wojcin.* Scepancewo, *Sczepanowo.* Kweczszevo, *Kwieciszewo.* Valissew, *Waliszewo.* Osycow, *Osikowo.* Wirzbecicze, *Wierzbno.* Semarzevo, *Samarzewo.* Czansim, *Ciążyń.* Murzinowo, *Murzynowo.* Winnagora, *Winnagóra.* Canthi, *Kąty.* Villa de Warsszow, *Warszawa.* Lubucensis, *de Lubusz, z niem. Lebus.* Suleow, *Sulejów.* Mogila, *Mogiła.* Agriensis, *de Eger, z czeska Cheb.* Czesnensis, *de Cieszyn.* Zagrabiensis, *de Zagrzeb, z niem. Agram.*

Nr. 1193.

Galhardus de Carceribus prepositus Titulens. et Petrus Gervasii canonicus Aniciens. apostolice Sedis nuncii 1339 Oct. 28, in Cracovia in domo Fr. Predicatorum; sententiam diffinitivam, latam a se contra Ordinem Theutonicorum in Prussia in causa inter ipsum Ordinem, ex una, et archiepiscopum Gneznensem et episcopum Poznaniensem, ex altera parte vertente, Ordini praedicto per abbates de Mogilno et de Brzesko ac per praepositos de Trzemeszno, de Jeżewo, de Płock ac de Opole intimandam mandant; ipsumque Ordinem, si satisfactionem pro damnis archiepiscopo et episcopo praedictis illatis praestare renuerit, tamdiu ab universo clero Gneznensis et Rigensis provinciarum excommunicatum nuntiandum praecipiunt, donec a Sede apostolica absolutionem fuerit consecutus.

Pergam. orygin., u którego na skrawkach pergamin. dwie pieczęcie przywieszono. Pierwsza okrągła przedstawia pomiędzy dwiema wieżami, równéj z temiż wysokości popiersie osoby ukoronowanéj, z aureolą; pod nią tarcz trójkątna zatarta; napis: S. Galhardi de Carceribus prepositi Titulien. *Z drugiéj pieczęci pozostał szczątek paska pergaminowego. Przy końcu obok oświadczeń* Notariorum publicorum *signa tychże narysowane.*

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 110.

Galhardus de Carceribus prepositus Titulensis et Petrus Gervasii canonicus Aniciensis ecclesiarum, apostolice Sedis nuncii et ad infrascripta iudices et executores ab eadem Sede apostolica specialiter deputati, venerabilibus et religiosis viris, de Mogilno, . . de Vitow et . . de Bresco monasteriorum abbatibus, ac . . de Tremisno, . . de Ieszevo, Gneznensis et Cracoviensis diocesum, ac sancti Benedicti et sancte Marie Magdalene in Ploczk, nec non . . Opoliensis Wratislaviensis diocesis prepositis, salutem in Domino et mandatis nostris, ymmo verius apostolicis, firmiter obedire. Litteras sanctissimi patris et domini nostri, domini Benedicti divina providencia Pape XII, sub vera eius bulla plumbea in filo canapis more Romane curie bullatas, non viciatas, non cancellatas nec in aliqua sui parte suspectas nos recepisse in hec verba: (*Sequitur diploma Nr. 1179*).

Quarum siquidem litterarum auctoritate nos per legittimam citacionem ad nostram presenciam evocatis religiosis viris, fratre Theoderico Ordinis Hospitalis beate Marie domus Theutonicorum magistro generali de Prussia, et commendatore generali, advocato Culmensi nec non commendatoribus omnibus nominatim, videlicet de Thorun, de Grudencz, Lipaviensi, Radinensi, Egilpergensi qui in Polonico dicitur Coprziwnicza, Golubensi, Strosbergensi qui in Polonico dicitur Brodnicza, Papoviensi, Wenczlavicensi ac de antiquo castro Thorun, item in Cuyavia Nessoviensi, Orloviensi, Murinensi, Brestensi, Covalevicensi, Radzeoviensi, et advocato Mosburgensi qui in Polonico dicitur Przedcze, item in terra Pomeranie Swecensi, Gdanensi, Tharsoviensi, Camensi, item in terra Prussie Marienburgensi, Stumensi, Lessinensi, Elbinensi, advocato de Lesk ac Rigensi, nec non aliis omnibus commendatoribus eiusdem Ordinis quorumcunque locorum illarum parcium, ac omnibus et singulis fratribus eiusdem Ordinis ad instanciam reverendorum in Christo patrum, dominorum Ianislai archiepiscopi Gneznensis et Iohannis episcopi Poznaniensis, super quibusdam iniuriis et

dampnis, eisdem dominis et ipsorum ecclesiis per eosdem magistrum, commendatores et fratres illatis et excessibus commissis in terra Magne Polonie et aliis circumvicinis locis, per cause cognicionem debitam nos sufficienter informantes, tandem, prehabita dicta informacione diligenti et refutata appellacione frivola pro parte dicti magistri et fratrum interposita, invocato Dei nomine, per nostram diffinitivam sentenciam rite latam predictos magistrum, commendatores et fratres, predictorum dampnorum et iniuriarum illatores et excessuum patratores, inter cetera ad reedificacionem ecclesiarum in predicta terra Magne Polonie et aliis circumvicinis locis in provincia Gneznensi consistentibus, et domorum ac aliorum edificiorum per eos vel occasione ipsorum destructorum et incensorum, et ad satisfaccionem et emendacionem aliorum bonorum immobilium et dampnorum super ipsis illatorum, nec non ad restitucionem rerum mobilium ablatarum seu amissarum, vel ad solucionem extimacionis ipsorum: pro quibus dampnis et iniuriis dicto domino Gneznensi archiepiscopo et ecclesie sue per eosdem magistrum et fratres illatis, preter ecclesias per eos concrematas et alias destructas, in decem milibus et octingentis marcis, pro dampnis vero et iniuriis dicto domino Poznaniensi episcopo et ecclesie sue per ipsos illatis, exceptis ecclesiis per ipsos vel ipsorum occasione concrematis et alias destructis, in octo milibus et ducentis marcis, insuper et pro expensis, in dicta lite per dictos dominos archiepiscopum Gneznensem et episcopum Poznaniensem factis, in trecentis triginta marcis Polonici ponderis et monete, dandis et persolvendis dominis archiepiscopo et episcopo predictis per dictos magistrum, commendatores et fratres, ipsos condempnavimus iusticia mediante. Et quia parum prodesset ferre sentenciam nisi esset qui eam debite execucioni mandaret, idcirco auctoritate apostolica qua in hac parte fungimur vobis et vestrum cuilibet districte precipiendo mandamus, semel, secundo et tercio ac peremptorie vos monendo et iniungendo sub pena excommunicacionis, quam in vos et vestrum quemlibet ferimus in hiis scriptis, dicta monicione premissa, nisi feceritis quod mandamus, quatenus vos omnes et personaliter accedentes ad presenciam predictorum magistri, commendatorum et fratrum vel ad eorum domicilia, si tute potestis et secure, alioquin vos, domini . . de Mogilno et de Bresco abbates et preposite de Tremisno accedentes ad Iuvenem Wladislaviam Wladislaviensis diocesis, et vos, domine abbas de Vitow et preposite de Ieszow accedentes in Warsoviam Poznaniensis diocesis, vos autem domini prepositi de sancto Benedicto et de sancta Maria Magdalena de Ploczk ac . . Opoliensi accedentes ad civitatem et ecclesiam Plocensem, predictos fratrem Theodricum magistrum ac commendatores et fratres dicti Ordinis supradictos, ex parte nostri auctoritate apostolica, semel, secundo et tercio ac peremptorie in ecclesiis maioribus dictorum locorum, una die dominica cum aliis duobus diebus sequentibus, cum populus ad divina convenerit, moneatis, quatenus infra quatuor menses, a die vestre monicionis proxime numerandos, predictas pecuniarum quantitates dictis dominis archiepiscopo Gneznensi et episcopo Poznaniensi seu ipsorum certo mandato solvant integraliter et satisfaciant de eisdem, et quod eciam infra unius anni spacium, omnes ecclesias, per eos vel eorum occasione combustas vel alias destructas, equivalenter et secundum equalem ipsarum estimacionem et valorem reedificent omni dolo et fraude cessantibus. Alioquin, nisi predicti magister, commendatores et fratres, predictorum dampnorum ac iniuriarum illatores et excessuum patratores, dictas pecunie quantitates dominis archiepiscopo et episcopo predictis seu aliis de mandato ipsorum solverint et satisfecerint integraliter et complete, ac predictas ecclesias per eos vel ipsorum occasione combustas et alias

destructas equivalenter et secundum equalem extimacionem ipsorum et valorem reedificaverint, omni dolo et fraude remotis, infra terminos supradictos, nos ipsos magistrum, commendatores et fratres singulos, et alios dictorum dampnorum et iniuriarum illatores et excessuum patratores, in scriptis, predicta monicione premissa, predicta apostolica auctoritate excommunicamus, et in eorum collegia, capitula et conventus, suspensionis sentencias conferimus in hiis scriptis; quas excommunicacionis et suspensionis sentencias si per duos menses, post dicti quadrimestris temporis spacium immediate sequentes, animo sustinuerint indurato, nos easdem sentencias aggravantes, auctoritate apostolica supradicta, nobis in hac parte commissa, ipsorum exigente contumacia omnes ecclesias, civitates, castra, opida et villas, ac omnem terram dictorum magistri, commendatorum et fratrum dominio subiectam, hiis eisdem scriptis ecclesiastico supponimus interdicto. Preterea auctoritate apostolica predicta requirimus et monemus reverendissimum in Christo patrem, dominum archiepiscopum Rigensem ac ipsius suffraganeos, nec non Wratislaviensem, Cracoviensem, Poznaniensem, Plocensem, Lubucensem et Camensem episcopos, nec non abbates, priores, gardianos, decanos, prepositos, archidiaconos, plebanos et ecclesiarum rectores et eorum vices gerentes seu vicarios, et alias personas ecclesiasticas, seculares et regulares, exemptas et non exemptas, per civitates et dioceses ac provincias Gneznensem et Rigensem constitutos, semel, secundo et tercio et peremptorie sibi precipiendo mandamus in virtute sancte obediencie, dictisque dominis archiepiscopo et episcopis sub pena suspensionis ab officio pontificali, ceterisque sub pena excommunicacionis, quas penas ipsos et eorum quemlibet prout diximus incurrere volumus ipso facto nisi fecerint quod mandamus: quatenus predictos magistrum, commendatores et fratres dicti Ordinis Hospitalis beate Marie domus Theutunicorum de Prussia, predictorum dampnorum et iniuriarum illatores et excessuum patratores, transacto predictarum monicionum spacio, in suis ecclesiis per se vel per alium seu alios diebus dominicis et festivis excommunicatos denuncient publice tamdiu, donec a domino nostro Papa vel a nobis, satisfaccione premissa, de predictis meruerint absolucionis beneficium obtinere, et dictum interdictum, transactis sex mensibus, infra terras, civitates, castra, opida et villas ac ecclesias, predictorum magistri, commendatorum et fratrum dominio subiectas, firmiter teneant inviolabiliter et observent; intimantes nichilominus eisdem magistro, commendatoribus et fratribus, quod si in premissis et circa premissa se contumaces reddiderint vel rebelles, nos ad citacionem personalem et ad alia procedemus, prout per litteras apostolicas recepimus in mandatis. Diem vero monicionis vestre huiusmodi ac formam, et quidquid super premissis duxeritis faciendum, nobis per vestras patentes litteras vel instrumentum publicum fideliter intimare curetis in signum executi mandati. In quorum omnium testimonium, presentes litteras seu instrumentum publicum scribi et publicari mandavimus per notarios publicos infrascriptos et sigillorum nostrorum munimine roborari. Acta sunt hec in Cracovia in domo fratrum Predicatorum, XXVIII die mensis Octobris, anno Domini millesimo CCC.XXX nono, Indiccione septima, hora tercia vel quasi, pontificatus sanctissimi patris et domini nostri, domini Benedicti divina providencia Pape XII anno quinto, presentibus religiosis viris: fratre Clemente subpriore, fratre Mathia et fratre Blascone Ordinis Predicatorum conventus Cracoviensis, domino Alberto Gregorii de Lelovia presbitero, magistro Petro Brzeti et Nicolao de Agria clericis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis. (*Sequuntur declarationes Alberti Cristini clerici*

Cracoviensis diocesis, et Petri de Montilio clerici Aniciensis, notariorum publicorum, signis eorundem insignitae.)

Titulensis, *de Titel.* Aniciensis, *de Annecy.* Mogilno, *Mogilno.* Vitow, *Witów.* Bresco, *Brzesko.* Tremisno, *Trzemeszno.* Ieszevo, *Jeżów.* Opoliensis, *de Opole, z niemiecka Oppeln.* Culmensis, *de Chełmno.* Thorun, *Toruń.* Grudencz, *Grudziądz.* Lipaviensis, *de Lipinki.* Radinensis, *de Radzyn, z niem. Rehden.* Egilpergensis, *de Engelsburg, czyli de Koprzywnica.* Golubensis, *de Golub.* Strosbergensis, *de Strassburg, czyli de Brodnica.* Papoviensis, *de Papów, z niem. Papau.* Wenczlavicensis, *de Wenzlaw, niegdyś komendoryi, która leżała pom. miast. Chełmża a Grudziądz.* Nessoviensis, *de Nieszawka.* Orloviensis, *de Orłowo.* Murinensis, *de Murzynno.* Brestensis, *de Brześć Kujawski.* Covalevicensis, *de Kowal.* Radzeoviensis, *de Radziejów.* Mosburgensis, *de Przedecz.* Swecensis, *de Świecie.* Gdanensis, *de Gdańsk.* Tharsoviensis, *de Tczew.* Camensis, *de Kamień, z niem. Kammin.* Marienburgensis, *de Marienburg, czyli de Malborg.* Stumensis, *de Stuhm, czyli de Gniew.* Lessinensis, *z niem. de Lessen.* Elbinensis, *de Elbing, czyli de Elbląg.* Lesk, *Lötzenburg, dziś Lötzen.* Rigensis, *de Ryga.* Iuvenis Wladislavia, *Inowrocław.* Wladislaviensis, *de Włocławek.* Lubucensis, *de Lubusz, z niem. Lebus.* Lelovia, *Lelów.* Agria, *Eger, z czeska Cheb.*

Nr. 1194.

Iohannes episcopus Poznaniens. 1339 Nov. 10, Poznanie; protestatur, Vincentium decanum Gneznensem et canonicum Poznaniensem, villam Capituli dictam Stęszewko Nicolao et Iacobo de Szrapki ad ius Novi fori vendidisse.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 198.

In nomine Domini amen. Cum propter humane labilitatem memorie ea que hominum disposicione ordinantur necesse sit scripturarum et testium apicibus perennari, idcirco noverint universi, quod constitutus coram nobis Iohanne, Dei gracia episcopo ecclesie Poznaniensis, ac nostro Capitulo dilecto nobis fratre in Christo domino Vincencio decano Gneznensi et nostro Poznaniensi canonico, nec non Nicolao de Schrzapky et Iacobo genero suo, idem dominus decanus confessus est, se scolteciam in villa Capituli nostri quam habet et possidet ab eodem nostro Capitulo, dicta Stanschewo, predictis Nicolao et Iacobo vendidisse ad ius Theutonicum Novi fori sive Srzedense; ita quod ydem Nicolaus et Iacobus quatuor mansos liberos ibidem, duos et duos, pariter cum una thaberna, pro nobis secunda reservata seu pro domino ipsius ville qui eam tenet aut pro tempore tenuerit, cum fabro, sutore, pistore, carnium maccello, et cum tercio denario iudiciali, nobis seu dicto domino ville reservatis duobus denariis, nomine ipsius scoltecie suo et successorum seu liberorum nomine perpetuo debeant possidere. Venaciones eciam avium, perdicum et aliarum, nec non ferarum et leporum inibi licite exercebunt. Si quoque structuras capreolorum fecerint, dominus ville cum ipsis labores cum fructibus habebit et feret per dimidium. Licitum eciam erit ipsis piscari cum rethi dicto slampnicza in duobus lacubus, in Malge et in alio maiori, eidem vicinius adiacenti. Structuram insuper unam inter structuras versus Wronczino tenebunt. Domino vero ville cum equo apto, sicut ceteri scolteti

ecclesie deservire tenebuntur. Preterea ipsius ville incole octo annorum, a festo beati Martini nunc proximo computando, gaudebunt plenaria libertate, ita quod primis quatuor annis nec decimam solvere tenebuntur, post quatuor vero annos ipsa decima taxabitur, et valor ipsius qui tunc erit, solvetur pro decima in festo beati Martini quatuor annis residuis. Finita autem libertate eadem, de manso quolibet in eodem festo annis singulis duas mensuras tritici, quinque siliginis et quinque avene, cum uno fertone, ad mensuram Poznaniensem census nomine solvere et in Poznan adducere tenebuntur, et ceteras soluciones prestare eidem domino ville, prout cetere ville ecclesie nostre, eidem similes in eodem iure, solvunt et prestant. Quatuor eciam mansos dictus dominus decanus sub suo ibidem allodio reservavit, nostro et nostri Capituli ad hec consensu speciali accedente. In quorum testimonium, sigilla nostrum et dicti Capituli presentibus sunt appensa. Actum et datum Poznanie in vigilia beati Martini, anno Domini m.ccc. tricesimo nono, presentibus et consencientibus: dominis Bogufalo decano, Ylico scolastico, Dominico archidiacono, Woyslao cantore, Iohanne custode, Andrea cancellario, Paulo, Ambrosio, canonicis nostris, et aliis fidedignis.

Schrzapky, *Szrapki.* Stanschewo, *Stęszewko.* Novum forum, *Neumarkt, t. j. Środa na Szląztku.* Wronczino, *Wrączyn.*

Nr. 1195.

Ianislaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1340 Mart. 10, Cracovie; quosdam articulos constitutionum, ab episcopis Cracoviensibus editarum modificat.

Heyzmann, Statuta synodalia. IV, p. 32.

Ianislaus, divina et apostolice Sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, ad perpetuam rei memoriam. Quoniam non debet reprehensibile iudicari si secundum varietatem excessuum delinquenteş variis penis, qui magis delinquerint, maioribus, qui minus, minoribus, qui vero in nullo, minime puniantur: ideo sollicitudinis nostre opera digne dirigimus, si querimus, ut inter probos innocencia tuta fiat, et improbi a suis actibus noxiis animadversione debita percellantur. Sane visitacionis nostre officium in civitate et dyocesi Cracoviensi nobis iure metropolitico nunc agentibus, clamosa insinuacione et querulosis clamoribus nostris auribus est delatum, quod nonnulli venerabiles fratres nostri Cracovienses episcopi qui pro tempore fuerunt, quasdam constituciones et statuta fecerunt, per quas processu temporum id (sic) quod factum fuerat ad remedium tendente ad noxam, iusti pro iniustis, et pii plerumque pro impiis indebite puniuntur; propter quod expedit dictarum constitucionum rigorem equitatis moderamine declarare. Declaramus igitur tenore presencium de consilio fratrum nostrorum aliorumque peritorum religiosorum et secularium, dictas constituciones, cuiuscumque tenoris existant, in quibus contineri quomodolibet reperitur: quod in quocumque loco clericus ordinatus vulneratus vel occisus fuerit, in illo mox debet interdictum ecclesiasticum usque ad satisfaccionem condignam et relaxacionem eiusdem inviolabiliter observari et cessacio fieri a divinis: ad ea loca dumtaxat extendi debere: in quibus malefactores seu occisores huiusmodi

commorantur, aut habitatores dictorum locorum prefatis malefactoribus vel occisoribus in malefaciendo prestiterint consilium, auxilium et favorem, seu si liberare poterant a morte et lesione, et non liberaverunt, seu si malefactores et occisores eosdem capere et tenere poterant, et ex malicia, que eo ipso presumitur, minime detinuerunt: in quibus habitatores eorundem locorum non sunt, pensatis qualitate et facti circumstanciis, sine culpa. Alioquin, cum pecata suos auctores tenere debeant, idem malefactores seu occisores dumtaxat statutis penis et aliis puniendi animadversionibus condignis et debitis, prout facti qualitas suaserit et criminis enormitas, subiacebunt. Ad huius statuti evidenciam clariorem et memoriam firmiorem, sigillum nostrum et venerabilis fratris nostri domini Iohannis episcopi Cracoviensis presentibus est appensum. Datum Cracovie, in officio nostre visitacionis, sexto Idus Marcii, anno Domini M.CCC.XC (sic).

Nr. 1196.

Ianislaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus et Iohannes episcopus Poznaniens. 1340 Mart. 23, Poznanie; protestantur, Kazimirum regem Poloniae hereditates Skorzęcin et Barcinek, quas coenobium de Owińska heredibus de Kowalskie pro minus iusto pretio vendiderat, redemisse et eidem coenobio restituisse.

Poznań. Towarzystwo przyjac. nauk. Owińska, privil. Nr. 8.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que aguntur in tempore simul cum decursu temporum evanescunt, sapientum decrevit auctoritas, facta hominum digna memoria scripture testimonio cum annotacione testium posterorum noticie commendare. Igitur nos Ianislaus, divina et apostolice Sedis gracia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, et Iohannes, Dei gracia episcopus Poznaniensis, notum facimus universis tam presentibus quam futuris ad quos pervenerit presens scriptum, quod cum abbatissa et conventus sanctimonialium de Owensko, Poznaniensis diocesis, hereditates ipsarum dictas in vulgari Curszancino et Barchcino nobilibus viris, domino Boguphalo, Petrconi, Prandote et Simeoni, heredibus de Kowalske pro minus iusto precio tacte inopia vendidissent, serenissimus princeps dominus Kazimirus, Polonie rex illustris, progenitorum suorum vestigia desiderans imitari et nolens eleemosinas ipsorum ad pios usus conversas ad alios devenire, dictas hereditates Curzancino et Barchcino tanquam pius dominus et patronus a predictis fratribus de propria redemit pecunia, et eas supradicto monasterio de Owensko iterato, devocione tactus, misericorditer condonavit, tali condicione adiecta, quod in qualibet septimana, due misse defunctorum in iam dicto monasterio pro patronis et heredibus regni Polonie dici debeant et compleri; ad quod implendum, prefata abbatissa et sorores coram nobis personaliter constitute, se firmiter obligarunt. In quorum omnium testimonium, nostra sigilla presentibus sunt appensa. Datum Poznanie decimo Kalendas Aprilis, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo, presentibus honorabilibus viris fratribus nostris: dominis Yvone preposito, Vincencio decano, Petro scolastico Gneznensi, Voislao canonico, Andrea cancellario, Pribyslao canonico Poznaniensi, ac aliis fidedignis.

Owensko, *Owińska.* Curszancino, *Skorzęcin.* Barchcino, *Barcinek.* Kowalske, *Kowalskie.*

Nr. 1197.

Kazimirus rex Polonie 1340 Mart. 24, in Pisdri; roborat commutationem medietatis hereditatis Mathiae de Myślibórz dictae Sługocin, cum hereditate Niewodnik monasterii Ląd propria.

Pergam. orygin. Gruby sznur nici jedwabnych, żółtych, z którego pieczęć znikła. Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata.

In nomine Domini amen. Ne res gestas coram regum magnificentia aboleat processus temporum, opportunum est, ut eas roboret sollempnis titulus litterarum. Eapropter nos Kazimirus Dei gracia rex Polonie universorum noticie tam presencium quam futurorum recognoscimus publice profitentes, quod in nostra nostrorumque baronum presencia discretus vir Mathias de Misliborz constitutus, sanus mente et corpore existens, non compulsus nec coactus neque per aliquem errorem seductus, sed bona deliberacione sui animi, medietatem sue hereditatis Slugoczino vulgariter dicte et angulum circa Lossina iacentem, prout medietas predicte hereditatis in suis metis et terminis circumferencialiter est distincta, cum omnibus utilitatibus, usibus, fructibus et universis pertinenciis ad ipsam, religiosis viris, domino Mathie abbati et toti conventui de Landa Ordinis Cisterciensis, pro hereditate ipsorum Newodnik vulgariter dicte (sic), ante Cruswiciam site (sic), dedit per modum commutacionis, libereque (sic) coram nobis a se et a suis progenitis ac amicis quibuscunque resignavit eidem domino abbati et suis successoribus ac toti conventui prelibato, iure hereditario perpetuo tenendam, habendam, vendendam, donandam, commutandam ac possidendam, pro sua et suorum posterorum voluntate convertendam; promittens dictum abbatem et conventum predictum, si per quem vel per quos pro dimidietate sepedicte hereditatis inpediretur, exbrigare. Preterea volentes de nostra gracia speciali dictum abbatem ac conventum predictum reddere consolatum, dedimus ius super dimidietatem premisse hereditatis, quo omnes ville et hereditates predicti monasterii fruuntur; pro quo nobis preces multimodas ex utraque parte obtulerunt, ut eandem commutacionem inter ipsos factam nostro sigillo confirmaremus. Nos autem ipsorum precibus benignius acclinati, commutacionem supradictam ratam et gratam habentes presentibus confirmamus, dantes domino abbati et suis successoribus et conventui sepedicto presentem litteram in robur et testimonium perpetue firmitatis. Actum in Pisdri feria sexta ante Letare, anno Domini m.ccc.xl, presentibus hiis testibus: Iaroslao Poznaniensi, Nicolao Kalisiensi palatinis, Iaroslao archidiacono Cracoviensi, Iohanne castellano Kalisiensi, Gerando capitaneo Syradiensi, Nicolao iudice Poznaniensi, et aliis multis fidedignis. Datum per manus domini Otte cancellarii Polonie.

Misliborz, *Myślibórz.* Slugoczino, *Sługocin.* Lossina, *nie odgadnione.* Landa, *Ląd.* Newodnik, *osada znikła.*

Nr. 1198.

Kazimirus rex Polonie 1340 Mart. 24, in Pyzdra; confirmat commutationem hereditatis Niewodniki monasterii Ląd propriae, cum dimidietate villae Mathiae de Myślibórz, dictae Sługocin.

Poznań. Königl. Staats Arch. Ląd, Lib. privil. A, Nr. 7.

In nomine Domini amen. Cum vendiciones, empciones seu commutaciones nullum robur teneant firmitatis nisi solemni titulo litterarum et testium annotacione roborentur, proinde nos Kazimirus Dei gracia rex Polonie recognoscimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod venientes ad nostram nostrorumque baronum presenciam dominus Mathias abbas una cum conventu de Landa Ordinis Cisterciensis, sani mente et corpore existentes, non compulsi, non coacti, sed de bona deliberacione suorum amicorum ac voluntate nostra ac consensu speciali, hereditatem suam Newodnik vulgariter dictam, ante Crusviciam sitam, cum omnibus utilitatibus et universis pertinenciis ad ipsam spectantibus, prout in suis metis et terminis circumferencialiter est distincta, nichil penitus pro se relinquentes, discreto viro Mathie de Mysliborz pro dimidietate ville sue Slugocino vulgariter dicte, et pro angulo circa Losina iacenti per modum commutacionis dederunt, libereque coram nobis resignaverunt eidem Mathie et suis successoribus iure hereditario in perpetuum tenendam, habendam, donandam, commutandam, vendendam, cum eo iure, quo ante dimidietatem predicte sue hereditatis tenebat, ac possidendam, pro sua suorumque posterorum voluntate convertendam, promittentes ipsum a quolibet homine, si per quem vel per quos pro eadem hereditate impediretur, exbrigare; pro quo nobis preces multimodas ex utraque parte obtulerunt, ut hoc quod inter ipsos lucide extitit ordinatum sive factum, nostro regio sigillo confirmaremus. Nos igitur ipsorum precibus benignius acclinati, commutacionem supradictam ante ipsos factam ratam ac gratam habentes, presentibus confirmamus, dantes prefato Mathie et suis legittimis successoribus presentem litteram, nostro sigillo munitam in robur et testimonium perpetue firmitatis. Actum in Pyzdra feria sexta ante Letare, anno Domini m.ccc.xl, presentibus hiis testibus: Iaroslao Poznaniensi, Nicolao Kalisiensi palatinis, Iaroslao archidiacono Cracoviensi, Iohanne castellano Kalisiensi, Gerando capitaneo Siradiensi, Nicolao iudice Poznaniensi, et aliis multis fidedignis. Datum per manus domini Otta cancellarii Polonie.

Landa, *Ląd.* Newodnik, *osada znikła.* Myślibórz, Sługocin, *dziś tak samo.* Łosina, *osada znikła.* Pyzdra, *Pyzdry.*

Nr. 1199.

Andreas heres de Cossonow castellanus Poznaniens. etc. 1340 Apr. 25, Gnezne; protestatur, Sandivogium heredem de Czaple tres partes praedictae hereditatis certis sub pactionibus Bodzantae decano Cracoviensi obligavisse.

Pergam. orygin., u którego na pasku pergamin. przywieszona pieczęć kasztelana Andrzeja; (pieczęć XLIX).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 111.

Nos Andreas heres de Cossonow, castellanus Poznaniensis nec non summus capitaneus terre Polonie, significamus omnibus tam presentibus quam futuris ad quorum noticiam devenerit scriptum presens, quod nobilis vir Sandzyvogius heres de Czaple sanus et incolumis mente et corpore nostro se conspectui offerens, unam partem dicte hereditatis Czaple ad ipsum spectantem ex successione paterna, ac aliam partem prefate hereditatis, quam aquisivit iudicialiter in Katherina sua uterina sorore in decem marcis grossorum, quadraginta octo grossos computando pro marca, atque terciam partem in eadem hereditate Czaple, sibi obligatam per Bodzatham suum fratrem, heredem eciam hereditatis eiusdem, in duabus marcis grossorum, viro honorabili ac discreto domino Bodzathe, decano Cracoviensis ecclesie, coram nobis efficaciter obligavit, per ipsum, cum omnibus et singulis fructibus seu utilitatibus que intra gades sive limites earundem parcium derivari poterunt, tenendas pacifice et quiete, donec sibi persoluta fuerit ex integro pecunia supradicta. Tali condicione inclusa, quod dictus Sandzyvogius primas duas partes ipsius hereditatis, nisi post sex annos a data presencium, terciam vero partem, post unum annum a festo Penthecosten venturo proxime, poterit liberare. In cuius rei testimonium, presentem litteram scribi et nostri sigilli robore iussimus communiri. Actum Gnezne tercio die post diem sancti Alberti, sub anno Domini M.CCC. quadragesimo, presentibus nobilibus viris: Falone castellano de Dzbansyn, Dzyrsislao venatore Landensi, Beniamin dapifero Gneznensi, et Ianussio herede de Starczynow, ac aliis pluribus fidedignis.

Cossonow, *Koszanowo.* Czaple, *nie odgadnione, może* Scaple *Nru. 7, dawna posiadłość katedry Gnieźnieńsk. Cnfr. Nr. 1102.* Dzbansyn, *Zbąszyń.* Landensis, *de Ląd.* Starczynow, *Starczynów.*

Nr. 1200.

Nicolaus advocatus Slupzcens. 1340 Aug. 29, in Slupzca; partem agrorum suae advocatiae Petro de Piotrowice vendit.

Pergam. orygin. Od przywieszon. pieczęci pozostał skrawek pergamin.

Poznań. Archiv. Capituli. III, 17a.

In nomine Domini amen. Ego Nicolaus advocatus Slupzcenssis notum fore cupio tam presentibus quam futuris hanc litteram visuris, quod sortem quendam sive partem meorum agrorum liberorum ad meam pertinentem advocatiam predictam, que in longitudine protenditur a septis civitatis Slupzce usque ad gades Petrovicensses,

quam Petro et Alberto defuncto, heredibus de Petrovize germanis, in vi marcis grossorum obligaveram paupertate nimia oppressus, non in assignato michi termino liberare potui ullo modo. Eapropter eandem sortem sive partem meorum dictorum agrorum liberorum, prefato Petro de Petrovize, filiis suis ac successoribus fratrisque sui defuncti liberis, bona deliberatione cum meis filiis et amicis prehabita, pro eisdem vi marcis, quas eis tenebar, dedi et presentibus do cum eadem libertate, qua ceteros manssos possideo, et in celebri iudicio resignavi perpetuo libere possidendum, vendendum aut quidquid sibi de eadem sorte placuerit faciendum. Et si predictum Petrum aut suos successores sortem eandem agrorum vendere contigerit, si ego Nicolaus advocatus seu mei successores in pecunia felices fuerimus, quod simus viciniores quam alii ad redimendum. Si etiam servitium quodcunque emerserit, ego Nicolaus advocatus meique successores hoc tenebuntur exbrigare. Et ne alicui in posterum dubietatis scrupulus de nostra empcione oriatur, presentem litteram sigillo honorabilium virorum civium Slupzcensium, quia sigillo proprio carui, petivi munimine roborari. Actum et datum in Slupzca in die beati Iohannis Decollationis, sub anno Domini M.CCC. quadragesimo, presentibus testibus infrascriptis: dominis canonicis Posenanienssibus, Mischignewo procuratore episcopi dicte ecclesie, Petro plebano Slupzcensi, Ratiborio fratre domini episcopi iam predicti, Nicolao puxili, Pezcoldo in acie, Nicolao de Cenyn, Iacussio divite, Petro fratre suo, Iohanne dicto Wecel, Martino dicto Neze, consulibus et civibus Slupzcenssibus, et aliis quam plurimis fide dignis. Scriptum per manus Heynrici scriptoris Slupzcensis.

Slupzcenssis, *de Słupca.* Petrovicenssis, *de Piotrowice.* Cenyn, *Cienin.*

Nr. 1201.

Nicolaus filius Martini canonicus ecclesie s. Georgii in Gnezna 1340 Nov. 10, Poznanie; Laurentio, filio Iohannis Mandri, scultetiam in hereditate ecclesiae de Rogoźno dicta Łasiniec confirmat.

Pergam. orygin., miejscami podziurawiony, u którego przywieszono cztery pieczęcie. Od pierwszéj pozostał sznurek jedwabny, czerwony; od drugiéj dwa wcięcia poprzeczne; od trzeciéj sznurek jak od pierwszéj; od czwartéj wcięcia poprzeczne.

Poznań. Archiv. Capituli. III, 18.

In nomine Domini amen. Cunctorum perit memoria, nisi voce testium vel scripture presidio fuerint roborata. Noverint igitur universi tam presentes quam posteri harum seriem inspecturi, quod ego Nicolaus, filius Martini civici Gneznensis dicti Tagcsi et canonicus ecclesie sancti Georgii in Gnezna plebanusque ecclesie in Rogosna, volens Lasiczino hereditatem ecclesie mee in Rogosna locare et meliorare, que a multis temporibus est deserta, percipiens, quod Laurentius filius Iohannis dicti Mandri, filii Bogdani, ex empcione suorum predecessorum sit scultetus verus et legitimus in Lasiczino hereditate ecclesie mee supradicte, prefato Laurentio et suis posteris legittimis scultetiam in predicta hereditate ecclesie mee presentibus confirmo, ipsum et posteros suos scultetia investiens de eadem; dans sibi et posteris suis in prefata hereditate quatuor mansos liberos, macellum carnium, pistrinum, sutoriam,

fabrum, et tertium denarium de qualibet re iudicata. Do eciam sibi et suis successoribus quartum ferrum in rubigine, que rubigo vulgariter Ruda nuncupatur, et pratum in Senno, a prato meo a Nywka usque ad Studzonkam, et quadraginta arbores mellificiorum, omnia ista perpetuo libere, quiete et pacifice possidenda. Kmetones vero qui in predicta hereditate ecclesie mee sederint vel ad ipsam venerint ad sedendum, *(8 litt. des.)* annis a dominio meo, quocunque anno quis venerit, plenam et omnimodam habebit libertatem. A decima vero quilibet kmetonum quatuor annorum plena et integra gaudebit libertate, qua libertate evulsa, quitquid ex ... *(18 litt. des.)* libertate quatuor annorum, post quatuor annos, michi et successoribus meis decimam quilibet kmetonum dabit manipulatim; quod vero postea extirpabitur, de tertio frumento michi et successoribus meis omnes decimabunt. Totali autem libertate exspirante, kmetones qui in predicta villa sederint, singulis annis, festo beati Martini mensuram tritici, quatuor annone, quinque avene et quinque scotos grossorum michi et successoribus meis pro censu perpetuo solvere tenebuntur. Item, libertate exspirante, in tribus magnis iudiciis tria prandia, scultetus unum et kmetones duo vel tres scotos grossorum dabunt pro quolibet prandiorum. Item sculteto et kmetonibus ibi sedentibus licitum erit aves et bestias quaslibet capere, tamen dominum eorum, me videlicet et successores meos, de venacione honorando. In quorum omnium testimonium et evidenciam pleniorem, presentem litteram prefato Laurentio et suis posteris dedi, sigillis meo et honorabilium virorum: domini Voyslai cantoris ecclesie Poznaniensis, comitis Sandivogii, et Ambrosii canonici et magistri scole Poznaniensis roboratam. Actum et datum Poznanie in vigilia sancti Martini, anno Domini M.CCC. quadragesimo, presentibus supradictis honorabilibus viris quorum sigillis presens littera est roborata, videlicet domino Voyslao cantore, comite Sandivogio tunc herede in Rogosna et Ambrosio canonico et magistro scole Poznaniensis, nec non comite Virbanta subcamerario Kalisiensi et Hyngussio advocato in Rogosna, et aliis pluribus fide dignis.

Rogosna, *Rogoźno.* Lasiczino, *Łasiniec.* Senno, *Sienno.* Nywka, Studzonka, *miejscowości nie odgadnione.*

Nr. 1202.

Com. Voytech palatinus Cuyaviens. etc. 1341 Ian. 6, in Paccoscz; nomine amicorum suorum limites inter Łąck et Wierzchucin, hereditatem monasterii de Byszewo, ordinat.

Pergam. orygin. Na skrawku pergam. przywieszona okrągła pieczątka okazuje na tarczy trójkątnéj godło rodu Leszczyców; napis zatarty.

Poznań. Königl. Staats Arch. Koronowo, 74.

Universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, hoc scriptum visuris vel audituris, nos comes Voytech palatinus Cuyaviensis et heres de Paccoscz cupimus fore manifestum, quod cum inter religiosos viros abbatem et fratres de Byssovia, et inter nos et amicos nostros super terminis in bonis, videlicet Comorsa et Lancz et Wyrcuthyn, fuisset orta dissensio, nos, de voluntate omnium amicorum nostrorum qui aliquod ius habebant ad dictam hereditatem Lancz, cum prenominatis

fratribus, abbate et conventu de Byssovia, de ipsorum spontanea voluntate talem cum ipsis fecimus ordinacionem seu hereditatum limitacionem. Limitaverunt autem limites dictorum bonorum Comorsa et Lancz ita, ut incipiatur primo a rivulo qui vocatur Plutwicza, ubi extendunt se mete directe per unam vallem inter Lancz et Comorsam usque ad locum ville qui Comorsa vocabatur, de quo loco ville cessit dictus dominus abbas cum consilio fratrum suorum propter bonum pacis et propter concordiam inter nos factam, licet predictum locum ville nominatim dictum monasterium haberet scriptum in suis instrumentis. Ab eodem eciam loco ville, extendunt se mete usque ad unam quercum ex utraque parte signatam, ubi nec nobis nec abbati ulterius equitare placuit, quia nobis videbatur, quod ipsa bona Comorsa et Lancz inter se plures gades non haberent, licet ipsa Comorsa cum aliis bonis sibi adiacentibus plures haberet metas. Et sic finito primo pariete, secundus inchoatur a prima meta que est circa rivulum Plutwicza, et extendit se circa rivulum predictum ascendendo, ita, quod totus rivulus cum uno litore et cum toto usufructu et utilitate, pertineat ad claustrum Byssovie cum hys lacubus per quos rivulus transit, videlicet Scarbevo magno et Scarbevo parvo et Buchovo, quia ad dictum claustrum pertinebant ex antiquo. Aliud vero litus cum pratis suis pertinet ad Lancz usque ad unam quercum, ex utraque parte signatam, circa lacum qui dicitur Dluge, qui totus pertinet in Byssoviam. Et sic finito secundo pariete, incipitur tercius a quercu predicta, ex utraque parte signata, circa lacum Dluge, et sic limites eius se extendunt inter Lancz et Wyrcuthyn directe usque ad lacum qui dicitur Zeligocz, ita, quod dimidius lacus pertinet in Lancz et dimidius in Wyrcuthyn. Et ultra lacum Zeligocz extendunt se mete usque ad unam paludem que dicitur Coslove blotto, in qua palude est ultima meta cum hereditate Wyskydno dicta. In cuius limitacionis et concordie perpetuam evidenciam, sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum in die Epyphanie in Paccoscz, anno Domini m.ccc. quadragesimo primo.

Paccoscz, *Pakość*. Byssovia, *Byszewo*. Comorsa, *osada znikła*. Lancz, *Łąck*. Wyrcuthyn, *Wierzchucin*. Plutwica, *lewy przypływ strumienia Rokitka, prawego przypływu rz. Noteć. Cnfr. Dodatki*. Scarbevo magnum et parvum, *jeziora leżące obok osad tegoż nazwiska*. Buchovo lacus, *jezioro obok osady Buszkowo*.

Nr. 1203.

Kazimirus rex Polonie 1341 Mai. 6, in Wislicia; ratam habet donationem sortis hereditatis Brzezie, quam Stanislawa et Wisenega anno 1338 in rem neptis ipsarum Feliciae, consortis Nicolai de Topola, observata consuetudine praescriptionis fecerant.

Fr. Piekosiński. Kodeks dyplomat. Małopolski I, Nr. 214. (*Z pergam. orygin., u którego na sznurku jedwabn., pąsow. przywieszona majestatowa pieczęć Kazimierza króla*).

In nomine Domini amen. Cum donaciones, vendiciones, resignaciones, obligaciones, empciones qualescumque non possunt obtinere robur perpetue firmitatis nisi sollempni tytulo literarum et anotacione testium fuerint roborate, eapropter nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie, ad noticiam universorum tam presencium quam futu-

rorum deducimus per presentes et publice declaramus, quod venientes ad nostram nostrorumque baronum presenciam sub anno Nativitatis Domini M.CCC.XXX octavo, in octava beati Stanislay, discrete mulieres, domine et heredes de Breze villa sic dicta, videlicet Visenega et Stanislava, non coacte nec compulse aut per aliquem errorem seducte, sed de bona deliberacione habitoque maturo consilio amicorum ipsarum dederunt, donaverunt, assignaverunt et resignaverunt Felicie nepti ipsarum, uxori providi viri Nicolay dicti de Thopola, partem hereditatis, que ipsas contingit in Breze ex paterna successione, tenendam, habendam et possidendam, et progenitores (sic) ipsius legittimi (sic) racione dotalicii in quinquaginta marcis grossorum, prout dicta pars ipsarum est in suis terminis limitata; ita tamen, quod exnunc dicta Felicia debet se intromittere de medietate dicte hereditatis sibi assignate, aliam vero medietatem predicte domine Visenega et Stanislava usque ad tempora vite ipsarum pacifice possidebunt, et post decessum ipsarum de hoc seculo, tunc dicta domina Felicia de eadem parte se ex integro intromittet in perpetuumque possidebit et ipsius progenitores: hoc adiecto et prout consuetudo in provincia Polonie hactenus observatur, quod, si est aliquis propinquior ad dictam hereditatem obtinendam, potest eandem redimere in dictis quinquaginta marcis grossorum. Nos vero usi consilio baronum nostrorum statuimus terminum infra spacium unius anni: si esset aliquis propinquior ad dictam hereditatem, ipsam redimat in dictis quinquaginta marcis grossorum. Quo anno elapso et termino per nos assignato ad redimendam dictam hereditatem propinquiori, si esset aliquis, et ad hoc duobus annis subsequentibus elapsis, veniens ad nostram et nostrorum baronum presenciam predictus Nicolaus de Thopola, cuius interest, nobis humiliter suplicavit, ut dictam assignacionem et resignacionem dicte hereditatis, uxori sue predicte lucide factam, dignaremur nostro sigillo et appensione ipsius regio confirmare, cum nullus predictam hereditatem redemit in dictis quinquaginta marcis grossorum infra tempus premissum. Unde nos supplicacionibus prius dictarum dominarum Visenecze et Stanislae demum Nicolay de Thopola aclinati, considerantes eciam, quod nullus est propinquior ad dictam hereditatem tenendam, ex quo ipsam non redemit in tam prolixo tempore, nisi ipsa Felicia et ipsius progenitores, predictam donacionem, resignacionem et assignacionem, per predictas dominas lucide factam ratam et gratam habentes, predictis Nicolao et uxori ipsius ac progenitoribus ipsorum tenendam, habendam et possidendam perpetuis temporibus presentibus confirmamus, et appensione nostri sigilli regalis roboramus. Datum et actum in Wislicia die dominica post octavam beati Adalberti, sub anno Nativitatis Domini M.CCC. quadragesimo primo, presentibus nobilibus viris, dominis Spiczmiro castellano Cracoviensi, Mstugio palatino Sandomiriensi, Mstigneo palatino Cracoviensi, Petro castellano Sandomiriensi, Andrea Radomiensi et Warsio Voynicensi castellanis, et aliis multis.

Breze, *Brzezie.* Thopola, *Topola.* Radomiensis, *de Radom.* Voynicensis, *de Wojnicz.*

Nr. 1204.

Kazimirus rex Polonie etc. 1341 Oct. 14, in Pisser; Iacobo civi de Pyzdry tertiam partem molendini, in fluvio Warta ultra castrum Pyzdrense siti confert.

Poznań. Königl. Staats Arch. Relation. Pyzdrens. a. 1566, fol. 19.

In nomine Domini amen. Cuncta que aguntur in tempore simul cum cursu temporis elabuntur, nisi scripti apicibus et testimonio testium perhenniter roborentur. Quapropter nos Kazimirus Dei gracia rex Polonie, Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie Pomoranieque dominus et heres, ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum deducimus per presentes et publice declaramus, quod cupientes utilitatem regni nostri et augmentum ipsius peramplius ampliare in molendinis et in aliis locis fluviorum, in quibus nostris predecessoribus et nobis hactenus nulla penitus utilitas proveniebat, presertim in fluvio Vartha, sic vulgariter nuncupato, circa civitatem Pisser decurrente, ut ex hoc nobis presens fructus fiet et futurus, habito consilio baronum nostrorum damus et confferimus per presentes Iacobo civi de Piser, filio quondam Helmani dicti de Grinbarc, et successoribus ipsius in perpetuum tercium denarium seu terciam partem molendini iure hereditario, cum quibuscunque ad quodcunque esse potuerit (sic) cuiuscunque condicionis existant. Quod molendinum iacet in Vartha fluvio sic nuncupato ultra castrum civitatis in Piser, constructum iam per dictum Iacobum. Et ut melius et uberius dictum molendinum valeat per ipsum Iacobum vel successores ipsius construi, ad pressumpcionem ad hoc faciendam validiorem, cum quotcunque rotis esse potuerit, damus et confferimus sibi et posteris suis omnimodam facultatem et liberam potestatem, terciam partem dicti molendini seu tercium denarium ipsius iure hereditario habendam, tenendam, possidendam, commutandam, vendendam pro peccunia vel sine peccunia, quomodolibet donandam pacifice et quiete, duabus partibus dicti molendini duobusque denariis pro nobis et nostris successoribus duntaxat reservatis; hoc tamen adiecto, quod quicunque vel quocienscunque dictum molendinum in toto vel in aliqua parte sui viciarent vel destruerent, tunc nos vel nostri posteri predicto Iacobo vel suis successoribus, aut alteri dictam terciam partem eo tēpore possidenti, duos denarios, ipse vero Iacobus aut posteri ipsius, tercium dare et solvere aut ponere pro reformacione, correccione ac melioracione dicti molendini debet. Actum et datum in Pisser die dominica proxima ante diem beati Galli, anno Domini millesimo CCCXLI, presentibus nobilibus viris: Iaroslao pallatino, Andrea castellano, Ottone cancellario Poznaniensibus, Sengneo vicecancellario, Vilczkone subdapiffero Sandomiriensibus et Iascone subagazone Cracoviensi, et aliis multis.

Pisser, *Pyzdry*.

Nr. 1205.

Clemens Pp. VI 1342 Iul. 8, Avinione; Iaroslaum ecclesiae Gneznensi in archiepiscopum praeficit et de more commendat.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 576.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Iaroslao, electo Gneznensi, salutem et apostolicam benedictionem. Apostolatus officium nobis quamquam insufficientibus meritis divina dispositione commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi adiuvante Domino cupientes, soliciti reddimur, ut cum de ipsarum ecclesiarum regiminibus agitur committendis, quantum ab eo permittitur cuius vices in terris gerimus, eis in pastores tales preficere studeamus, de quibus, consideratis virtutibus desuper eis traditis, presumimus verisimiliter et tenemus, quod creditas sibi animas verbo instruere valeant et exemplo, ac eorum studio loca que ipsorum fuerint deputata custodie, spiritualium et temporalium Deo propitio grata suscipiant incrementa. Dudum siquidem ecclesia Gneznensi per obitum bone memorie Ianislai archiepiscopi Gneznensis, qui in illis partibus debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii . . decanus et Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum ac deliberantes in ipsius electionis negotio per formam procedere compromissi, tibi eiusdem ecclesie canonico, necnon dilectis filiis Yvoni de Chantin, Alberto Paluke et Andree de Wislitia ac Ottoni dicto Lis, concanonicis tuis, providendi ea vice, de te aut eorum altero vel de aliis de Capitulo memorato, eidem Gneznensi ecclesie de pastore concesserunt unanimiter liberam potestatem: ita tamen, quod postquam tu et iidem college tui vel maior pars vestrum, in aliquam personam ydoneam de vobis ipsis vel de Capitulo memoratis concorditer consensissetis, unus vestrum, suo et collegarum ac decani et Capituli predictorum nomine personam huiusmodi eligeret in communi, et provideret de illa Gneznensi ecclesie prelibate. Tu vero et college predicti huiusmodi potestate recepta recedentes in partem, post deliberationem quam inter vos habuistis super huiusmodi negotio diligentem, demum prefati college tui in te, in diaconatus ordine constitutum, direxerunt unanimiter vota sua: et tandem prefatus Andreas, ex potestate sibi ac eisdem collegis a prefatis Capitulo ut premittitur tradita et de expresso consensu collegarum ipsorum, vice eorum et decani et Capituli predictorum te in archiepiscopum Gneznensem elegit, dictique decanus et Capitulum electionem huiusmodi concorditer approbarunt, ipsamque clero et populo fecerunt solenniter publicari; tuque postmodum electioni predicte, infra tempus a iure statutum ad instantiam dictorum decani et Capituli humiliter consensisti, et tam tu per te ipsum, quam prefati decanus et Capitulum per eorum certos procuratores et nuntios ydoneos, ad Sedem apostolicam propter hoc specialiter destinatos, presentato nobis ipsius electionis decreto a nobis suppliciter postulastis, ut confirmare electionem huiusmodi de benignitate apostolica dignaremur, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Nos igitur electionem prefatam tueque persone merita, per venerabilem fratrem Petrum episcopum Prenestinum, et dilectos filios nostros Imbertum Basilice duodecim Apostolorum presbiterum ac Raymundum sancte Marie Nove diaconum, cardinales, examinari fecimus diligenter, et facta nobis super hiis ab eisdem

episcopo et cardinalibus relatione plenaria et fideli, quia electionem eandem invenimus de te, viro utique litterarum scientia predito, morum honestate preclaro, in spiritualibus provido et in temporalibus circumspecto et aliis virtutum meritis multipliciter insignito, canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmavimus, teque, interim ad sacerdotium rite promotum, ipsi Gneznensi ecclesie prefecimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, et subsequenter per venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum episcopum Albanensem tibi fecimus munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque conceptis, quod prefata Gneznensis ecclesia, per tue diligentie studium tuamque industriam circumspectam, gratia tibi suffragante divina regetur utiliter et prospere dirigetur, ac salutis et prosperitatis suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi onus a Domino suscipiens reverenter, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod eadem ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retributionis premium, nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione VIII Idus Iulii, pontificatus nostri anno I.

In e. m. Decano et Capitulo ecclesie Gneznensis, Clero et populo civitatis et diocesis Gneznensium, ac Universis suffraganeis ecclesie Gneznensis, *ut eidem obedientiam etc. exhibeant.*

Chantin, *Chęciny.* Wislitia, *Wiślica.*

Nr. 1206.

Clemens Pp. VI 1342 Iul. 8, Avinione; Iaroslaum electum Gneznensem Kazimiro regi Poloniae commendat.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 577.

Clemens episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Kazimiro regi Polonie illustri, salutem et apostolicam benedictionem. In amore virtutum et operibus caritatis decet celsitudinem regiam haberi continue studiosam, maxime cum ex hiis tibi procul dubio retributionis eterne premium et humane laudis preconium acquiratur. Dudum siquidem *etc. sicut in diplomate praecedenti, usque:* suscipiet incrementum. Quia igitur, fili carissime, virtutis opus esse dinoscitur, personas ecclesiasticas, et presertim dignitatum titulis insignitas benigno favore prosequi, easque verbis et operibus pro Regis eterni gloria venerari: serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Iaroslaum electum ac dictam ecclesiam sue cure commissam habens pro divina et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos, dicto electo circa recuperanda, manutenenda et amplianda bona et iura prefate ecclesie Gneznensis te liberalem exhibeas et in cunctis oportunitatibus gratiosum, ita quod idem electus, regii favoris fultus presidio, in commissa predicte ecclesie sibi cura possit assidue Deo propicio prosperari, ac tibi exinde a retributore bonorum omnium perennis vite premium rependatur, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Avinione VIII Idus Iulii, pontificatus nostri anno I.

Nr. 1207.

Clemens Pp. VI 1342 Iun. 27, (Iul. 11?) Avinione; Iaroslaum archiepiscopum Gneznensem a sententia excommunicationis absolvit, et solutionem cuiusdam pecuniae prorogat.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 575.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Iaroslao archiepiscopo Gneznensi salutem et apostolicam benedictionem. Eximie devotionis sinceritas quam ad nos et Romanam geris ecclesiam rationabiliter promeretur, ut ea tibi favorabiliter concedamus, que serenitatem conscientie tue et quietem animi prospicere dinoscuntur. Cum itaque hodie electionem, nuper per dilectos filios .. decanum et Capitulum Gneznensis ecclesie, tunc pastore carentis, de persona tua canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio in consistorio auctoritate apostolica duxerimus confirmandam, teque ipsi ecclesie prefecerimus in archiepiscopum et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie committendo, tuque deinde in nostra constitutus presentia nobis duxeris exponendum, quod ratione certe quantitatis pecunie, per carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum regem Polonie illustrem camere nostre debite, statuto termino non solute, ad cuius solutionem te sub excommunicationis pena voluntarie obligaras, te sententia huiusmodi tempore dicte prefectionis fore ligatum, et propterea confirmationem et prefectionem huiusmodi effectum debitum nequivisse sortiri verisimiliter dubitabas, ac demum supplicaveris nobis humiliter, quod super hiis tibi de oportuno remedio providere dictumque terminum prorogare de benignitate apostolica dignaremur: nos huiusmodi tuis devotis supplicationibus inclinati, te apostolica auctoritate tenore presentium ab eadem excommunicationis sententia, si eam forsitan incurristi, absolvimus de dono gratie specialis, omneque impedimentum et quemcumque defectum, que circa hec tibi possent obsistere quomodolibet vel nocere, totaliter amoventes, confirmationem et prefectionem huiusmodi, premissis nequaquam obstantibus, perinde valere volumus ac decernimus et tenere, ac si tempore confirmationis et prefectionis huiusmodi ligatus de dicta sententia non fuisses, et nichilominus terminum solutionis dicte pecunie, auctoritate predicta usque ad quatuor menses a data presentium computandos in antea prorogamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, amotionis, voluntatis, constitutionis et prorogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.* Datum Avinione V Kalendas (? Idus) Iulii, pontificatus nostri anno primo.

Nr. 1208.

Clemens Pp. VI 1342 Iul. 11, Avinione; Iaroslao archiepiscopo Gneznensi pallium concedit.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 578.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Iaroslao archiepiscopo Gneznensi salutem et apostolicam benedictionem. Pridem nos electionem, per di-

lectos filios decanum et Capitulum ecclesie Gneznensis dudum de persona tua ad eandem ecclesiam, tunc pastore carentem, canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmantes, te ipsi ecclesie prefecimus in archiepiscopum et pastorem, ac demum per venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum episcopum Albanensem tibi fecimus munus consecrationis impendi, prout in nostris litteris super hiis confectis plenius continetur. Cum autem postmodum pallium, insigne plenitudinis videlicet pontificalis officii, a nobis pro parte tua fuisset cum ea qua decuit instantia postulatum: nos huiusmodi supplicationibus annuentes, pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum, per dilectos filios nostros Raymundum sancte Marie Nove, et Iohannem sancti Angeli diaconos cardinales tibi fecimus assignari, ut illo infra ecclesiam tuam, illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in ipsius Gneznensis ecclesie privilegiis continentur, recepto per eos a te postmodum, nostro et ecclesie Romane nomine, fidelitatis solite iuramento. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et iusticiam, dante Domino qui dat munera et largitur premia, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, ac ecclesiam Gneznensem, sponsam tuam, cures solicite auctore Domino spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Avinione V Idus Iulii, pontificatus nostri anno primo.

Nr. 1209.

Imbertus Basilice XII apostolorum presb. cardinalis etc. 1342 Iul. 30, Avinione; dat Iaroslao archiepiscopo Gneznensi testimonium de certa summa pecuniarum, quas idem archiepiscopus sacro Collegio Romano pro totali suo communi servitio persolverat.

Pergam. orygin., przy którym na pasku pergamin. wisi ułamek pieczęci bez wycisku.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 112.

Nos Imbertus Basilice XII apostolorum presbyter cardinalis, sacri collegii reverendorum patrum dominorum sancte Romane ecclesie cardinalium camerarius, tenore presentium recognoscimus et fatemur, quod venerabilis in Christo pater dominus Iaroslaus, archiepiscopus Gnezniensis, pro totali suo communi servicio in quo prefato collegio tenebatur, centum florenos auri, item pro totali servicio, familie predictorum dominorum cardinalium quinque florenos auri, quatuordecim solidos, sex denarios monete currentis, per manus domini Iohannis de Aynovia, cancellarii ecclesie Wratislaviensis, nobis pro ipso collegio recipientibus tempore debito solvi fecit: de quibus sic solutis, ipsum archiepiscopum, successores suos, ecclesiam suam ac bona sua prefati collegii nomine absolvimus et quitamus. In cuius rei testimonium, presentes litteras fecimus fieri et sigilli nostri appensione muniri. Datum Avinione die penultima mensis Iulii, anno Domini M.CCC.XLII, Indiccione X, pontificatus sanctissimi patris et domini nostri, domini Clementis divina providencia Pape sexti, anno primo.

Aynovia, *Hajnau na Szlązku.*

Nr. 1210.

Kazimirus rex Polonie 1342 Octob. 10, Cracovie; villam Kwieciszewo iure Novi fori in civitatem transfert.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscript. Poznaniens. a. 1570 I, fol. 446.

In nomine Domini amen. Quamvis legalibus actibus reges foveant fideles suos, potissimum tamen est, ut matrem Ecclesiam venerando subditis eius semper nova dentur commoda, et ea in robur perpetuum introducantur. Eapropter nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie, recognoscimus universis tenore presencium protestantes, quod zelo pietatis et amoris, nutu Dei atque venerabilis in Christo patris domini Iaroslai sancte ecclesie Gneznensis archiepiscopi, ad eandem Gneznensem ecclesiam votis accensi, ea que commodum et utilitatem important eius subditorum, velut idem venerabilis in Christo pater nos docuit ex nunc instauramus. Itaque villam eiusdem ecclesie dictam vulgariter Qwieczyszow, secundum quod in suis terminis est circumquaque limitata, de nomine ville in ius et nomen civitatis, et de iure Polonico in ius Theuthonicum Novi fori, quod Srzedzkie polonice dicitur, cum suis articulis et clausulis omnibus transferimus, ibidem perpetuo duraturum. Hec igitur civitas Quecisow ea, qua relique civitates sancte matris ecclesie fruuntur, gaudeat libertate sub eo quod diximus iure Theuthonico, atque eius omnes cives et incole habeant omni feria tercia forum singulis annis et hebdomadis in perhenne. Quos quidem cives communiter et indivisim nullus turbet castellanus, nullus inquietet palatinus, nullius subiudicis subsint officio, nec quisquam eorum vel alter quilibet, ipsos vel ex eis quemquam pro emendis seu negociis quibuslibet ad proprium trahant iudicium vel examen; sintque, presenti freti privilegio, soluti ab omnibus aliis (sic) sub tuicione sancte matris ecclesie requiescentes. In causis vero criminalibus, ut ius est Theuthonicum advocatus civitatis ordinet et disponat. Nos vero ad vota memorati in Christo patris nostri hec omnia ducentes, in robur eternum presentes nostro insignio (sic) muniri iussimus, super impeticione qualibet nostris successoribus sub ira Dei perpetuum silencium imponentes. Actum Cracovie die sanctorum martyrum Gereonis et sociorum eius, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, presentibus hiis nobilibus: Spicimiro castellano, Imramo palatino, Iohanne iudice Cracoviensibus, Petro Nosal Sandomiriensi, Iacussio Kalisiensi (sic), Iarando Rosperiensi castellanis, et aliis multis fidedignis. Datum per manus domini Zbignei, prepositi et cancellarii nostri Cracoviensis.

Qwieczyszow, *Kwieciszewo.* Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szląsku.* Rosperiensis, *de Rozprza.* Iacussius castellanus Kalisiensis, *zapewne omyłka, może zam.* Zarnoviensis; *cnfr. Piekosiński, Kod. dyplomat. Katedry Krakowsk. Nr. 172.*

Nr. 1211.

Kazimirus rex Polonie etc. 1343 Mart. 2, Poznanie; villam Stodoły, monasterii de Trzemeszno propriam, de iure Polonico in ius Sredense transfert.

Pergam. orygin. W dolnym brzegu dwie dziurki od zawieszenia pieczęci. Trzemeszno. Privil. Conv. Canon. Reg. Later.

In nomine Domini amen. Quoniam facta mortalium oblivionem inducunt, vel morte intercepta, sicut experiencia docuit solent adnullari si non fuerint testimonio legittimo virorum proborum ac litterarum serie perhenniter roborata, ob hoc igitur et obinde nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie et terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie Pomoranieque dominus et heres, universis tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris volumus esse manifestum, quod cupientes viros religiosos, fratres de Tremesna, a strepitu causarum calumpniosarum extrahere, ut liberius Creatori nostro debitum exhibere possent famulatum, pro remedio animarum nostrorum antecessorum pie memorie salutisque nostre et nostrorum, exnunc villam eiusdem monasterii de Tremesna, Stodoli vulgariter nuncupatam, iacentem in terra Cuyaviensi, secundum quod in suis metis et terminis circumferencialiter est distincta ac limitata, de iure Polonico in ius Theutonicum, Sredense vulgariter nuncupatum transferrimus perpetuo duraturum; removentes ibidem omnia iura Polonicalia, consuetudines et servitutes, veluti narzaz, stroza, a vacca, a bove, porco, ove, angariasque et perangarias universas, que ipsum ius Theutonicum aliqualiter possent inpedire vel perturbare. Preterea ex nostra gracia speciali, fratres monasterii prelibati et eorum succedaneos kmethonesque ville nominate ab omnibus iuribus et iurisdicionibus, nec non vexacionibus et serviciis quibuslibet omnium palatinorum, castellanorum, iudicum, subiudicum, ministerialiumque et officialium universorum facimus in perpetuum liberos et solutos; sic, quod coram ipsis et eorum quolibet, pro causis et negociis quibuscumque, parvis sive magnis, non teneantur respondere, nisi incole hereditatis predicte coram scolteto per fratres monasterii supradicti ipsis deputato, et scoltetus coram nobis, non aliter quam suo iure Theutonico, de se querulantibus respondebunt. In causis autem criminalibus universis, puta furti, sanguinis, homicidii et aliis quibuscumque, scolteto hereditatis sepedicte iudicandi, puniendi ac penam recipiendi iuxta exigenciam iuris Theutonici plenam conferrimus facultatem. In quorum omnium testimonium et evidenciam clariorem, presentes scribi et nostri sigilli munimine mandavimus roborari. Actum Poznanie dominica Invocavit me qua cantatur, anno Domini mccc quadragesimo tercio, presentibus hys testibus: venerabile in Christo patre domino Iaroslao archiepiscopo ecclesie Gneznensis, Nicolao palatino Kalisiensi, Otthone cancellario Polonie, Andrea Poznanie, Sbiluthone de Nakel castellanis, et aliis quam pluribus fide dignis. Datum per manus Segnei, prepositi sancti Michaelis in castro Cracoviensi et vicecancellarii curie nostre.

Stodoli, *Stodoły*. Sredensis, *de Środa, z niem. Neumarkt.* Nakel, *Nakło.*

Nr. 1212.

Clemens Pp. VI 1343 Mart. 27, Avinione; universis fidelibus, ad instaurandam ecclesiam Gneznensem eleemosynas largientibus indulgentias concedit.
Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 587.

Clemens episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Ecclesiarum fabricis manum porrigere adiutricem pium apud Deum et meritorium reputantes, frequenter Christi fideles ad impendendum ecclesiis ipsis auxilium nostris litteris exhortamur, et ut ad id eo forcius animentur quo magis ex hoc animarum commodum se speraverint adhipisci, nonnunquam pro hiis temporalibus suffragiis spiritualia eis munera, videlicet remissiones et indulgentias, elargimur. Cum itaque, sicut venerabilis frater noster Iaroslaus archiepiscopus Gneznensis nuper nobis exposuit, ecclesia Gneznensis, que pre aliis ecclesiis in partibus Polonie nobilis et insignis existit, propter sui antiquitatem parietibus eius cadentibus, reedificari cepit sollempniter novis muris et opere sumptuoso, ad cuius consumationem operis, ipsius ecclesie redditus, cum sint tenues et exiles, minime sufficere dinoscuntur, nisi Christi fidelium caritativis subsidiis opus huiusmodi supportetur: universitatem vestram rogamus et ortamur in Domino in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus attendentes provide, quod inter holocausta virtutum illud Deo acceptabilius redditur, quod de pinguedine caritatis offertur, de bonis vobis a Deo collatis, prefate ecclesie pro huiusmodi reedificatione ipsius pias elemosinas et grata caritatis subsidia errogetis, ut per subventionem vestram opus ipsum valeat consumari. Et nos per hoc et alia bona (sic), Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui eidem ecclesie manus ad hoc porrexerint adiutrices, unum annum et unam quadragennam de iniunctis sibi penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium minime valituris, quas mitti per questuarios districtius inhibemus, eas, si secus actum fuerit, carere viribus decernentes. Datum Avinione VI Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Nr. 1213.

Nicolaus palatinus Kalisiens. et capitaneus Polonie 1343 Mart. 27, in Zneyna; protestatur, occasione limitationis hereditatum Pniewy et Grzmiąca, inter Iaroslaum archiepiscopum Gneznensem et Falonem Album, ratione molendini ab eodem archiepiscopo in fluvio Grzmiąca construendi concordiam intervenisse.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 66 v.

In nomine Domini amen. Quoniam omnium habere memoriam divinum est pocius quam humanum, igitur nos Nicolaus, palatinus Kalisiensis et capitaneus Polonie, ad universorum noticiam deducentes qui presentes inspexerint protestamur et cognoscimus et publice profitemur, quod nobis de mandato speciali illustris principis domini Kazimiri, regis Polonie, personaliter accedentibus ad limitacionem hereditatum Pnewo et Grzmanca, inter venerabilem patrem dominum Iaroslaum, sancte Gne-

znensis ecclesie archiepiscopum, et nobilem virum Falonem Album mediante iusticia faciendam, et in eadem limitacione personaliter existentibus, inter eosdem dominum archiepiscopum et Falonem talis concordia intervenit: quod videlicet dominus archiepiscopus et ecclesia Gneznensis habebit ius, sicut in antea habebat, in superiori sive inferiori loco clausure fluvii dicti Grzmancza edificandi et locandi, cum quotcunque rotis poterit, molendinum walvi vel korzeczny dictum vulgariter, aquam elevando, secundum quod pro utilitate eiusdem molendini sibi melius videbitur expedire. Ex qua edificacione molendini, ipsa aqua quantumcunque limites suos excreverit inundando et se ad bona Falonis supradicti quomodolibet effundendo, ipse Falo et sui posteri dictum dominum archiepiscopum et successores ipsius non habebunt impetere neque super eo iudicialiter convenire; imo penitus dictus Falo et sui successores, in aqua sic elevata tam in piscatura quam in aliis quibusvis utilitatibus nullum perpetuo ius habebunt. Actum circa molendinum Falonis in fluvio Grzmancza, et datum in Zneyna feria quinta post diem Annunciacionis gloriose Virginis, anno Domini m.ccc.xliii, presentibus nobilibus et honorabilibus viris, comitibus et prelatis, videlicet Alberto Kosczelecz Cuyaviensi palatino, Andrea Poznaniensi, Sbiluto Naklensi, Petro Radimiensi castellanis, Dobrogostone Milessic vexillifero Poznaniensi, Wyrzbanta subcamerario Kalisiensi, preterea Yvone preposito, Vincencio decano, Thomislao cantore, magistro Mathia scolastico Gneznensibus, et multis aliis fide dignis.

Pnewo, *Pniewy.* Grzmanca, *Grzmiąca.* Zneyna, *Żnin.* Kosczelecz, *Kościelec.* Naklensis, *de Nakło.* Radimiensis, *de Radzim.*

Nr. 1214.

Kazimirus rex Polonie 1343 Iun. 13, Poznanie; perficit venditionem hereditatis Wawrzyszkowo, quondam per Ianislaum archiepiscopum Gneznensem a Miroslao de Suchoręcz emptae, eamque libertatibus antiquarum villarum ecclesiae Gneznensis munit.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 54.

In nomine Domini amen. Quamvis gesta coram regibus satis firma dinoscuntur, ne tamen ab integritate sua fluctuentur, opportunum est, ut et vi scripturarum solida sint in futurum, et pro matris Ecclesie viribus, hysdem scripturis sumant perpetuum incrementum. Eapropter nos Kazimirus Dei gracia rex Polonie universis tenore presencium publice protestamur, quod: cum ad nostram nostrorumque baronum accedens presenciam discretus vir Miroslaus de Suchoriczicze, pro hereditate Wavrziscovo venerabili in Christo patri domino Iaroslao, Dei gracia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, forma communi coram nobis movisset questionem, dicens, quod ipsam hereditatem Wavrziscovo dominus Ianislaus, clare memorie olim archiepiscopus Gneznensis, emisset ab eo pro triginta marcis Thorunensium grossorum et solvisset sibi pro ea decem marcas, petebatque, ut antea idem dominus archiepiscopus solveret sibi sedecem marcas residuas, quia solverat sibi post obitum quatuor dicti archiepiscopi, aut retrorsum reciperet pecuniam et ville cederet dicioni; ipse vero memoratus dominus Iaroslaus archiepiscopus sufficienter astruebat, eciam

volens privilegiis ostendere, Gneznensem ecclesiam eandem hereditatem Wavrziscovo a centum annis quiecius possedisse, sed pocius propter evitanda questionum disturbia dictum dominum Ianislaum, olim archiepiscopum, ipsam empcionem contraxisse; sicque causa hinc inde volutata, quid iuris terre fuerit super his, quidque nostre militumque diffinitive extiterit decerni, ambo pariter hoc petebant: tandem iuxta ius terre ab antiquo clarius observatum, commune baronum in eo resedit decretum, ut idem dominus archiepiscopus, ex quo post obitum antecessoris sui solverat quatuor marcas, ultimas eciam sedecem marcas solvat. Ambo ergo contenti hoc decreto, idem Miroslaus, de consensu et unanimi voluntate fratrum suorum, videlicet venerabilis in Christo patris domini Iohannis episcopi Poznaniensis, atque Nicolai et aliorum ad quos ville dicte ius dinoscebatur pertinere, tunc in causa presencium, dictam hereditatem Wavrziscovo in manus dicti domini Iaroslai archiepiscopi et ecclesie Gneznensi, cum omni iure et toto dominio quod sibi et dictis suis et eius fratribus aut progenitis eorum ibidem competebat, pro dictis triginta marcis resignavit irrevocabiliter et expresse tenendam, habendam, donandam, vendendam, commutandam convertendamque, prout archiepiscopo et ecclesie Gneznensi videbitur opportunum; igitur ambo humiliter nobis supplicarunt, ut hec nostro insignio firmaremur. Nos vero eorum precibus favorabiliter inclinati, motique legali munificencia quam nobis a multis retroactis temporibus ipse dominus archiepiscopus Iaroslaus ultra omnes reverenter impendit, eą libertate et eo iure quo relique ville dicioni Gneznensis ecclesie subiecte fruuntur, eandem eciam villam Wavrziscovo gaudere presentibus decernentes, premissa omnia et singula rata, grata habentes atque firma, presentibus gratuite confirmamus, eidem domino Iaroslao archiepiscopo et ecclesie Gneznensi dantes hanc litteram munitam nostro insignio in robur omnium premissorum. Actum Poznanie feria sexta in crastino Corporis Christi, anno Domini m.ccc.xl tercio, presentibus hys nobilibus nostris: Iaroslao Poznaniensi, Nicolao Kalisiensi palatinis, Andrea castellano Poznaniensi, Nicolao Poznaniensi, Dobeslao Kalisiensi iudicibus, domino Petro preposito beati Floriani et vicecancellario curie nostre, per cuius manus est datum.

Suchoriczicze, *Suchoręcz*. Wavrziscovo, *wieś nad rz. Kamionką, która później została wzniesiona na miasto i kasztelanią Kamień.*

Nr. 1215.

Kazimirus rex Polonie etc. 1343 Iun. 14, Poznan; Petro castellano de Radzim et Dobrogostio vexillifero Poznaniensi privilegium renovat, vigore cuius oppidum Targowa Górka iure Theutonico et clausulis ipsius frui possit.
Warszawa. Archiw. Główne. Ks. M. 33, f. 694.

In nomine Domini amen. Quia dubiorum ex dubitacione fluctuantium nulla est vel habetur penitus certitudo, necessaria est declaratio seu confirmacio presidentis, que ambiguitatem tollat et fidem faciat posteris in futurum. Eapropter nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie Pomeranieque dominus et heres, noticie universorum tam presencium quam futurorum presentibus declaramus, quia cum nostram nostrorumque baronum presenciam

accedentes fideles nostri Petrus castellanus Radzimski et Dobrogost vexillifer Poznaniensis, fratres patrueles, heredes in Milesna Gorka, nos informassent: quomodo privilegium super iure Theutonico et foro super eandem civitatem Mileszna Gorka crematum eis extiterit, et quomodo foro minus debite ex eo utebantur, ex quo probacionem non poterant induxisse: sicque supplicarunt nobis humiliter, quatenus ius Theutonicum cum suis clausulis omnibus daremus eorum civitati Mylesna Gorka, forum licite omni feria tercia celebrandum ibidem presentibus instaurantes. Sed ne iura Polonicalia, que alias ipsum ius Theutonicum turbare consueverunt, impetant eandem civitatem et cives, eadem ibi omnia generaliter et singula penitus amputamus. Absolvimus etiam dictos fideles nostros Petrum et Dobrogostonem ac eorum fratres et progenitos eorum omnes, necnon et cives ab omnibus iudiciis, iurisditionibus et potestatibus omnium palatinorum, castellanorum, iudicum, subiudicum et ministerialium universorum, ita quod coram ipsis vel eorum aliquo, pro causis tam magnis quam parvis nulli debeant respondere, nisi coram nobis vel capitaneo Polonicali, dum per literam, munitam nostro vel eius sigillo, evocati fuerint, tunc iure suo Theutonico querulantibus respondebunt. In causis criminalibus universis, advocato civitatis predicte plenam conferimus facultatem. In horum igitur omnium evidentiam, presentes scribi et nostri sigilli munimine iussimus roborari. Actum Poznan sabato in octava sancte Trinitatis, anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo tercio, presentibus his nobilibus nostris: Iaroslao Poznaniensi, Nicolao Kalisiensi palatinis, Andrea castellano Poznaniensi, Nicolao Poznaniensi, Dobeslao Kalisiensi iudicibus, Otta cancellario Polonie, per cuius est manus datum.

Radzimski, *de Radzim.* Milesna Gorka, *dziś Targowa Górka.*

Nr. 1216.

Kazimirus rex Polonie 1343 Iun. 16 (17?), in Gnezna; omnibus iudiciariam potestatem gerentibus mandat, ut Iaroslaum archiepiscopum Gneznensem in quibuslibet causis per procuratorem agere permittant.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 5. — Warszawa. Archiw. Główne, Kopjar. Gnieźnieńsk. (Transsumpt potwierdzony przez Władysława króla, a. 1426 Sept. 12, Sandomirie).

Kazimirus Dei gracia rex Polonie fidelibus suis palatinis, castellanis, capitaneis, procuratoribus, iudicibus, subiudicibus, et universis quorum noticie exhibitum fuerit presens scriptum, graciam suam. Cum venerabilis in Christo pater dominus Iaroslaus, Dei gracia ecclesie Gneznensis archiepiscopus, propter diversitatem locorum in quibus bona archiepiscopalia sita sunt et hereditatum ecclesie predicte pluralitatem a se et inter se distancium, per quoslibet citatus in terminis iudicialibus commode non valeat comparere et predictis personaliter interesse, ad nostram et baronum nostrorum accedens presenciam nobis instancius supplicavit, ut sibi hanc gracie prerogativam largiremur, quod in hereditaria vel quavis alia questione, in quemlibet agendi aut eciam de se cuilibet querulanti iudicialiter per procuratores suos legittimos respondendi licencia frueretur, ratum, gratum atque firmum haberi promittentes, quitquid in causis suis, ecclesie sue et hereditatum ipsius quibuslibet, per procuratores

suos iudiciali discussione fuerit ordinatum atque factum. Nos igitur in hoc non aliud, quam quod unicuique reddatur iusticie plenitudo affectantes, ne per frequenciam terminorum iudicialium archiepiscopalis dignitas vilescere videatur, et inter graves et venerabiles mediocresque personas differencia saltem habeatur aliqualis, vobis universaliter omnibus et singulariter universis auctoritate presencium precipiendo mandamus, quatenus dominum archiepiscopum predictum, per procuratores suos idoneos, cum instrumento vel instrumentis, suo et Capituli Gneznensis sigillis de ratihabicione signato vel signatis, quos ad causam vel causas miserit vel deputaverit, elegerit, aut duxerit eligendos seu mittendos, in questionibus hereditariis seu hereditatem vel hereditariam questionem contingentibus, causis eciam magnis et parvis, in quemlibet licite ac sine contradictione agere sua absencia non obstante permittatis; sic, quod eciam in similibus de se conquerenti vel conquerentibus, modo simili respondere teneatur. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presentes dari fecimus, nostri sigilli munimine roboratas. Actum in Gnezna feria proxima post diem Viti et Modesti martirum, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tercio, presentibus hys nobilibus nostris: Iaroslao Poznaniensi, Nicolao Kalisiensi palatinis, Andrea castellano, Nicolao iudice Poznaniensi, Dobeslao iudice Kalisiensi, et aliis multis fidedignis. Datum per manus domini Ottonis cancellarii Polonie.

Transsumpt Archiwum Głównego datuje: feria tertia post diem, *etc.*

Nr. 1217.

Kazimirus rex Polonie 1343 Iul. 8. Kalis; paganis contra Ordinem domus Theutonicae auxilium se non praestiturum promittit.

Pergam. orygin. Na skrawkach pergaminowych przywieszona pieczęć majestatyczna Kazimierza króla.

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata. — Riedel, Cod. diplomatic. Prussic. III, Nr. 31.

In nomine Domini amen. Quoniam plasmatoris omnium Ihesu Christi nulla ad Belial convencio reperitur, ideo utrique eorum simul nemo fideliter militans in hac vita poterit deservire. Sane nos Kazimirus Dei gracia rex Polonie quantum ex fragilitate humana valemus, dominicis preceptis ex omnibus viribus nostris cupimus inherere, hostis hostis (sic) antiqui caliditatem declinare, ac solius Dei omnipotentis gloriam queritare. Et licet, proh pudor, hec perficere non possimus condigne, nichilominus signum bone voluntatis in hoc volumus hostentare, quod propter bonum commune omnium Christi fidelium simul et salutem, nec non ob reverenciam venerabilis in Christo patris domini Iaroslai divina providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopi, et propter conplementum ordinacionis per ipsum dominum archiepiscopum facte inter nos, ex una, et religiosos viros dominum magistrum .. generalem et fratres Ordinis Hospitalis beate Marie supradicti, quoniam libentissime complectimur in hoc puncto, paganis infidelibus contra eosdem religiosos viros .. magistrum et fratres, nec non contra quoscunque Christicolas nullatenus adesse volumus et promittimus, consilio, auxilio vel favore, clandestine vel apperte. In quorum omnium testimonium et evidenciam pleniorem, presens scribi et nostri sigilli munimine mandavimus robo-

rari. Datum Kalis in die Kiliani et Sociorum eius beatorum martyrum, anno Domini m.ccc.xl tercio.

Nr. 1218.

Kazimirus rex Polonie 1343 Iul. 8, Kalis; profugis, qui in guerra contra Ordinem domus Theutonicae gesta recesserant, et omnibus qui se eidem Ordini subdiderant, veniam et gratiam suam largitur.

Pergam. orygin. Na skrawkach pergaminowych wiszą ułamki pieczęci majestatycznéj Kazimierza króla.

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata.

In nomine Domini amen. Suadente misericordia expedit interdum excedentibus veniam tribuere de commissis. Sane nos Kazimirus Dei gracia rex Polonie contemplacione retribucionis iudicis eterni opus iusticie pro posse libentissime exercemus, specialiter, cum propter bonum pacis et concordie, mutuo initarum cum religiosis viris magistro et fratribus Ordinis beate Marie domus Theutonicorum Ierosolimitane ex pari consensu et obligacione, ad opus venie flectimur et movemur, promittentes constanter, quod omnibus profugis, qui a nobis et regno nostro in guerra preterita contra dictos dominum magistrum et fratres ex quacunque causa aut occasione recesserant, veniam et graciam nostram tribuimus cum effectu, volentes, quod ad bona redeant propria libere et inpune, aut ad arbitrium suum vendendi, permutandi vel qualitercunque disponendi pro suo libitu liberam habeant facultatem. Ceterum, cum necessitas legem non habeat, nemini eorum, qui se predictorum magistri et fratrum dominio subdiderunt, aut alias metu amicicie vel favoris vel quacunque alia causa occasione propter motam guerram ipsis adheserunt, videlicet civitatibus Brest, Wladislavia iuniori, nec non terrigenis, propter bonum pacis et concordie premissorum, de magnificencia nostre regie celsitudinis omnibus indeferenter ignoscenciam elargimur, promittentes nunquam ad animum revocare vel vindictam sumere, per nos vel per alium, quomodolibet pro omni eo, quod dicto vel facto contra nos vel aliquem nostrum per quempiam est commissum. In quorum omnium testimonium et evidenciam pleniorem, presens scribi et nostri sigilli munimine mandavimus roborari. Datum Kalis in die Kyliani et sociorum eius beatorum martyrum, anno Domini m.ccc.xl tercio.

Brest, *Brześć Kujawski.* Wladislavia iunior, *Inowrocław.*

Nr. 1219.

Kazimirus rex Polonie 1343 Iul. 8, Kalis; captivos in guerra cum Ordine domus Theutonicae factos libere, sicut et idem Ordo, dimittendos statuit.

Pergam. orygin. W dolnym brzegu wcięcia poprzeczne od przywieszenia jednéj pieczęci.

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata.

In nomine Domini amen. Magne pietatis opus, captivis tribuere libertatem. Proinde nos Kazimirus Dei gracia rex Polonie afflictionem et gemitum captivorum,

in guerra hactenus inter nos ex una, et religiosos viros.. dominum magistrum et fratres Ordinis Hospitalis beate Marie Theuthonicorum Ierosolimitani parte ex altera detentorum precordialiter attendentes, propter bonum pacis et concordie inter nos mutuo initarum, omnibus captivis eorundem, pretextu predicte guerre in regno nostro vel circiter, ubicumque vel a quocumque detineantur vel deducti sunt seu deducentur, damus et promittimus omnimodam libertatem, taliter, quod nec ipsos nec eorum fideiussores monicio aliqua debeat comitari, ex pari condescensu et obligacione viceversa tenenda a premissis magistro et fratribus; mandantes omnibus regnicolis nostris districte precipiendo: quod sub optentu nostre gracie omnes captivi indifferenter exnunc protinus soluti ac liberi emittantur, ne animadversionem nostram ipsos sentire accidat in hoc facto, si secus fuerit attemptatum. In quorum omnium testimonium et evidenciam pleniorem, presentes scribi et nostri sigilli munimine mandavimus roborari. Datum Kalis in die Kyliani et sociorum eius beatorum martyrum, anno Domini m.ccc.xl tercio.

Nr. 1220.

Kazimirus rex Polonie 1343 Iul. 8, Kalis; promittit, se pro damnis, Ordini domus Theutonicae per terrarum suarum maleficos post pacem cum eodem Ordine factam illatis, omnimode satisfacturum.

Pergam. orygin. Pismo miejscami zniszczone; na skrawku pergaminowym przywieszona pieczęć majestatyczna Kazimierza króla.

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata.

In nomine Domini amen. Cum ea que tractatu amicabili pro pacis et confederacionis perpetue comodo communiter condicuntur, omnes fideles ad plenum sevare (sic) consueverunt et tenere, proinde nos Kazimirus Dei gracia rex Polonie notum facimus universis, quod cupientes cum religiosis viris Ludolpho Cuning, magistro generali Ordinis beate Marie Ierosolimitani Hospitalis domus Theutonice, fratribusque Ordinis eiusdem ac hominibus ipsorum unionem atque concordiam bene ceptam et felicius consumatam inviolabiliter observare, ne, quod per multorum fatigas laudabiliter ordinatum *(7 lit. del.)*... tum, unius impedimento malefici possit vituperabiliter violari, promittimus sine dolo et omni specie capcionis proculmota: quod si per aliquos terrarum nostrarum maleficos terris et hominibus magistri et fratrum predictorum dampna, iniurie, violencie vel alique inferentur lesiones aut offense, et de hys in terris nostris habens possessiones fuerit accusatus et convictus, nostris parere volens iussionibus et mandatis, condignam satisfactionem exhibere tenebitur dampna passis. Si vero nostris obedire contempnens preceptis profugus effectus fuerit, tunc iuxta estimacionem bonorum, ipsius possessionibus pro nobis reservatis, restauracionem ablatorum reddere tenebimur hys, qui perceperunt dampna, iniurias vel offensas sic illatas; talem vero vel tales, una cum magistro et fratribus predictis tamquam inpeditorem vel inpeditores boni communis persequi volumus et debemus tamdiu, quousque ad restitucionem ablatorum aut debitam emendam lesis et offensis compellentur. Per talium nichilominus inpeditorum perturbaciones, concordia et confederacio inter nos ordinata non debet aliqualiter violari, sed pocius in suo vigore permanebit, premissis tot et talibus confederacionum munimentis firmius roborata.

Hec igitur omnia harum serie confirmamus. Datum Kalis die beatorum martyrum Kiliani et eius sociorum, anno Domini m.ccc.xl tercio.

Nr. 1221.

Primores Maioris Poloniae et Cuiaviae 1343 Iul. 8, Kalis; Ordini domus Theutonicae spondent, se regem Kazimirum, si pacem cum eodem Ordine nuper perfectam violare vellet, non iuvaturos.

Pergam. orygin., u którego na skrawkach pergamin. 11 okrągłych pieczęci zawieszono. Pierwsza rodu Grzymałów, (tegoż kształtu co pieczęć XLVI); *napis:* S. Iaroslai ... ini Pozn. *Druga rodu Doliwów; napis:* S. Nicolai palatini Pozn. *Trzecia rodu Szaszorów; napis:* S. Andree cas ... Poznan. *Czwarta rodu Leszczyców; napis:* S. Alberti ... *Piąta rozłamana, wycisk godła starty; napis:* S. Io ... sis. *Szósta rodu Nałęczów; napis:* S. comitis To ... ai ... an. *Siódma rodu Doliwów; napis starty. Ósma rodu Wezenborgów; napis:* S. Macz ... orcowi; (pieczęć XLVIII.) *Dziewiąta rodu Pałuków; napis:* ... iluti filii Slawnici; (pieczęć XLVII). *Dziesiąta rodu Grzymałów; napis:* S. Necolai de Plozeevo; (pieczęć XLVI). *Jedenasta rodu Habdanków; napis starty.*

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata. — Dogiel, Cod. diplom. R. Poloniae, IV, Nr. 65.

In nomine Domini amen. Quoniam omnium habere memoriam divinum est pocius quam humanum, nos Iaroslaus Poznaniensis, Nicolaus Kalisiensis, Albertus Brestensis et Iohannes Wladislaviensis palatini, Andreas Poznaniensis, Thomislaus Gneznensis, Ianussius Kalisiensis, Maczco Landensis, Sbiluth Naklensis castellani, Nicolaus Poznaniensis, Dobeslaus Kalisiensis iudices, ad universorum tam presencium quam futurorum noticiam deducimus per presentes, quod ad mandatum speciale serenissimi principis domini nostri Kazimiri, Dei gracia regis Polonie, promittimus et spondemus ex certa sciencia, bona fide, reverendo et religioso viro domino et fratri Ludolfo Cunig magistro generali, et fratribus Ordinis beate Marie domus Theutonice, quod si idem dominus noster rex vel quivis alii, cuiuscunque status, dignitatis, condicionis existant, concordiam initam et feliciter consumatam cum predictis magistro et fratribus violabunt, contraveniendo iure vel facto quomodolibet contra ipsam occasione terra (sic) terrarum Pomoranie, Culmensis et Michaloviensis, super quibus est concordia huiusmodi consummata: eidem domino nostro regi vel cuilibet alteri, qui occasione predictarum terrarum magistrum et fratres predictos forte impeterent, non assistemus nec eum vel eos iuvabimus, verbo vel facto, consilio vel auxilio, puplice vel occulte, ad inpediendum huiusmodi concordiam vel totaliter dissipandam; sed pocius manutenebimus eum, hortabimur fideliter et consulemus salubriter, prout melius poterimus bona fide, ad eandem concordiam firmiter et inviolabiliter observandam. Et ut hanc promissionem nostram iuxta debitum plenius impleamus, presentes litteras in testimonium scribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari. Actum Kalis in die beatorum Kiliani et sociorum eius martirum, anno Domini m.ccc.xl tercio.

Na dziesiątéj pieczęci Plozeevo, *Błażejewo.* Brestensis, *de Brześć Kujawski.* Wladislaviensis, *zamiast Juniwladislaviensis, t. j. de Inowrocław.* Landensis, *de*

Lqd. Naklensis, *de Nakło.* Terra Culmensis, *de Chełmno.* Terra Michaloviensis, *de Michałów.*

Nr. 1222.

Cives et universitas civium Poznaniens. Kalisiens. etc. civitatum 1343 Iul. 8, Kalis; Ludolpho Kunigh magistro generali et Ordini domus Theutonicae spondent, se regem suum vel quemlibet alium, si concordiam cum eodem Ordine ratione terrarum Pomoranie, de Michałów et Chełmno initam violaverit, non iuvaturos.

Transsumpt orygin., potwierdzony przez: Iohannes Culmens. et Gerhardus Pomezaniens. episcopi 1421 Nov. 5, in castro Schonenberg. *U pergaminu wisi pieczęć Gerharda biskupa; druga znikła.*

Königsberg. Königl. Staats Arch. Schiebl. 60, Nr. 31. — Voigt, Cod. diplom. Pruss. — Działyński, Lites ac res gestae I, p. 34.

In nomine Domini amen. Quoniam omnium habere memoriam divinum est pocius quam humanum, nos igitur cives et universitas civium Poznaniensis, Kalisiensis, Wladislaviensis et Brestensis civitatum, ad universorum tam presencium quam futurorum noticiam deducimus per presentes, quod ad mandatum speciale serenissimi principis domini nostri Kazimiri, Dei gracia regis Polonie, promittimus et spondemus ex certa sciencia, bona fide, reverendo et religioso domino et fratri Ludolpho Cunig magistro generali et fratribus Ordinis beate Marie domus Theotonice, quod si idem dominus noster rex vel quivis alii, cuiuscunque status, gradus, condicionis, dignitatis existant, concordiam initam et feliciter confirmatam cum predictis magistro et fratribus violabunt, contraveniendo iure vel facto quomodolibet contra ipsam occasione terrarum Pomeranie, Culmensis et Michaloviensis, super quibus est concordia huiusmodi confirmata (sic): eidem domino nostro regi vel cuilibet alteri, qui occasione predictarum terrarum magistrum et fratres predictos forte impeteret, non assistemus nec eum vel eos iuvabimus, verbo vel facto, consilio vel auxilio, publice vel occulte, ad impediendam huiusmodi concordiam vel totaliter dissipandam; sed pocius manutenebimus eum, hortabimur fideliter et consulemus salubriter, prout melius poterimus bona fide, ad eandem concordiam firmiter et inviolabiliter observandam. Et ut haec promissionem nostram iuxta debitum plenius impleamus, presentes litteras in testimonium scribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari. Datum et actum Kalis die beatorum Kiliani et sociorum eius martyrum, anno Domini m.ccc.xl tercio.

Nr. 1223.

Iarislaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus Mathias Wladislaviens. Iohannes Poznaniens. Clemens Ploczens. ecclesiarum episcopi 1343 Iul. 8, in Kalis; generalem remissionem omnium iniuriarum et damnorum largiuntur, quae ecclesiis ipsorum, durante bello inter Ordinem Theutonicorum et regnum Poloniae, per praedictum Ordinem fuerant illata.

Transsumpt orygin., potwierdzony przez: Iohannes Culmens. et Gerhardus Pomezaniens. episcopi 1421 Nov. 5, in castro Schonenberg.

Königsberg. Königl. Staats Arch. Schiebl. 75, Nr. 13. — Voigt. Cod. diplom. Prussic. III, Nr. 32.

Nos Iarislaus divina providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, Mathias Wladislaviensis, Iohannes Poznaniensis et Clemens Ploczensis eadem gracia ecclesiarum episcopi, una cum venerabilibus fratribus nostris prepositis, decanis, canonicis et Capitulis earundem ecclesiarum tenore presencium in publicam deducimus nocionem, quod postquam, zizaniorum satore procurante, inter nos et nostras ecclesias ex una, et inter honorabiles et religiosos viros, dominos magistrum et fratres Ordinis Hospitalis sancte Marie domus Theutunicorum Ierosolymitani parte ex altera, occasione diversorum amfractuum hincinde motorum, super quibus eciam tempore domini Benedicti bone memorie Pape duodecimi, pontificatus sui anno quarto, a nobis seu nostrum aliquibus ad honorabiles viros, magistros Galhardum de Carceribus prepositum Titulensem Colocensis dioceseos, ac Petrum Gervasii canonicum Anicensis ecclesiarum littere apostolice fuerant impetrate, multitudo gwerrarum, dissensionum et discordiarum onustarum periculis pollulasset tractu temporis longioris, donec pacis auctor Dominus Iesus Cristus, zelator bonorum operum, exstirpato discordiarum et tribulacionum flamine fructus pacis et tranquillitatis dulcifluos faceret salutifere efflorere, quod exinde gloria Deo altissimo, salus et exultacio omnibus hominibus utrarumque parcium exuberat et resultat. Quapropter satisfaccione congrua nobis impensa, nos una cum Capitulis et subditis nostris, consolacione et gaudio receptis divinitus, pia compassione et ignoscencia omnium iniuriarum et dampnorum immemores, durantibus gwerris et discordiis eisdem nobis illatorum et nostris a magistro et fratribus prefati Ordinis vel ab ipsorum subditis quibuscunque irrogata fuerint, remissionem premissorum in nos et nostros commissorum facimus generalem et de quolibet specialem, ipsa nunquam ad animum revocare vel vindictam sumere de eisdem tenore presencium promittentes, omni dolo et fraude exclusis, accione eciam iniuriarum vel impeticione qualibet in casu simili uti volentes in foro ecclesiastico vel civili; renunciantes insuper expresse tenore presencium omnibus iniuriis, dampnis, maleficiis, contumeliis, dicto et facto nobis aut alicui nostrum pendente gwerra illatis in bonis, possessionibus et personis: que omnia ob Dei reverenciam pacisque et concordie unionem semper tenere promittimus illibata. In cuius testimonium et evidenciam pleniorem, nostra et predictorum Capitulorum nostrorum sigilla presentibus sunt appensa. Datum in Kalis in die beatorum Kiliani et sociorum eius martyrum, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tercio.

Nr. 1224.

Clemens Pp. VI 1343 Iul. 13, Avinione; Iaroslao archiepiscopo Gneznensi commissionem denarii b. Petri colligendi, a Galhardo de Carceribus factam confirmat.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 593.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri .. archiepiscopo Gneznensi salutem et apostolicam benedictionem. Sicut dilecti filii magistri Galhardi de Carceribus, prepositi ecclesie Titulensis Colocensis diocesis relatio patefecit, dudum, cum ipse prepositus, qui pro colligendo censu annuo, qui denarius beati Petri vulgariter in illis partibus nuncupatur, ecclesie Romane in regno Polonie debito per regnicolas dicti regni, et aliis certis negociis ipsam ecclesiam tangentibus olim cum litteris oportunis apostolicis ad partes destinatus easdem, se disponeret ad Sedem apostolicam certis rationabilibus causis redire, te frater, de cuius fidelitate ac zelo devotionis et reverencie quem ad eandem geris ecclesiam nobis per eum multipliciter commendatis confidens, collectorem dicti census in tuis civitate ac diocesi sub certis modis et formis auctoritate apostolica sibi commissa deputare ac constituere procuravit. Nos igitur deputationem huiusmodi ratam habentes et gratam, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus super collectione huiusmodi, per te vel alium seu alios, a te sicut expediens fuerit deputandos, super hoc intendere diligenter et fideliter, quousque per nos inde aliud ordinatum extiterit non postponas, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; non obstante, si eis vel eorum aliquibus, communiter vel divisim, a Sede sit indultum predicta, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione III Idus Iulii, pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Episcopis Cracoviensi, Poznaniensi, Wladislaviensi, Plocensi et Culmensi.

Nr. 1225.

Clemens Pp. VI 1343 Iul. 13, Avinione; Iaroslao archiepiscopo Gneznensi mandat, ut denarium b. Petri per se et episcopum Poznaniensem collectum, ad cameram apostolicam mittat.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 594.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri .. archiepiscopo Gneznensi salutem et apostolicam benedictionem. Volentes pecunias de censu annuo, qui denarius beati Petri vulgariter in illis partibus nuncupatur, nobis et ecclesie Romane in tuis ac Poznaniensi civitatibus et diocesibus debitas, per te ac venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Poznaniensem vel vestros subcollectores collectas, ad nostram cameram fideliter destinari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus huiusmodi pecunias, per prefatum episcopum Poznaniensem vel eius subcollectores, ut prefertur, collectas recipiens ab episcopo Poznaniensi predicto, illas

una cum hiis quas tu per te vel tuos subcollectores collegisse dinosceris, mittere ad nostram cameram cum integritate procures, certificaturus eandem sicut commodius poteris de premissis. Volumus autem, quod eundem Poznaniensem episcopum, et alios quorum intererit, possis absolvere plenius et quitare de hiis, que inde receperis ab eodem: nos quoque tibi de sufficientis quitationis cautela faciemus, cum easdem pecunias ad cameram ipsam miseris provideri. Datum Avinione III Idus Iulii, pontificatus nostri anno secundo.

Nr. 1226.

Clemens Pp. VI 1343 Iul. 13, Avinione; Iohanni episcopo Poznaniensi mandat, ut denarium b. Petri per se collectum archiepiscopo Gneznensi tradat.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 598.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Poznaniensi salutem et apostolicam benedictionem. Volentes pecunias de censu annuo, qui denarius beati Petri vulgariter in illis partibus nuncupatur, nobis et ecclesie Romane in tuis civitate et diocesi debito, per te tuosque subcollectores collectas ad nostram cameram fideliter destinari, venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Gneznensi per litteras nostras mandamus, ut pecunias ipsas a te recipiens, eas una cum illis quas per se suosque subcollectores de dicto censu in suis civitate ac diocesi noscitur collegisse, ad cameram supradictam transmittat. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus easdem pecunias, per te ac tuos subcollectores de dicto censu ut prefertur collectas, eidem archiepiscopo studeas integraliter assignare. Nos autem prefato archiepiscopo te quitandi de hiis que inde sibi assignaveris, per predictas litteras concedimus potestatem. Datum Avinione III Idus Iulii, pontificatus nostri anno secundo.

Nr. 1227.

Iohannes episcopus Poznaniens. ecclesie 1343 Iul. 25, Wladislavia Iuvenis; una cum fratre suo Nicolao de Będlewo amicabilem compositionem ratam habet, quam filiaster ipsorum Miroslaus de Suchoręcz cum Iaroslao archiepiscopo Gneznensi super hereditate Wawrzyńczewo fecerat.

Pergam. orygin., u którego na paskach pergaminowych przywieszono cztery pieczęcie. Z tych pierwsza, trzecia i czwarta znikły; druga przedstawia na tarczy trójkątnéj godło rodu Doliwów; napis: S. Nicolai de Bendlow.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 113.

In nomine Domini amen. Noverint universi tam presentes quam posteri ad quorum noticiam devenerit scriptum presens, quod nos Io. Dei gracia episcopus Poznaniensis ecclesie et Nicolaus frater noster heres de Bandlevo, filii quondam Sandivogii heredis de Lodza, recognoscimus presentibus et publice profitemur, quod cum Miroslaus filius quondam Bodzathe heredis de Suchorancecz, filiaster noster, cum suis consanguineis et cognatis venerabili in Christo patri domino Iaroslao, sancte

Gneznensis ecclesie archiepiscopo, super hereditate Wavrzicevo vulgariter nuncupata movissent inquietando ipsum et incolas perturbando indebite questionem, cum eadem hereditas per ipsum archiepiscopum et predecessores suos multis retroactis temporibus iusto tytulo sit possessa pacifice et quiete; et licet prefatus dominus archiepiscopus predictus filiastros nostros iure et iusticia potuisset evadere tanquam iustus, volens tamen vexacionem suam redimere et finem imponere inquietacioni et turbacioni que occasione hereditatis prefate fuerant suscitate, cum memoratis Myroslao et suis consanguineis et cognatis, interveniente certa summa pecunie, amicabiliter concordavit. Nos itaque prefatus episcopus cum fratre nostro predicto, et specialiter cum Miroslao superius nominato et aliis coniunctis personis huiusmodi concordiam et redempcionem vexacionis ratas et gratas habentes, promisimus et promittimus eidem domino archiepiscopo et ecclesie Gneznensi coram nobili viro comite Nicolao, palatino Kalisiensi et capitaneo Polonie, quod ipsum et ecclesiam suam predictam super dicta hereditate Wavrzicevo non inquietabimus, nec eidem vel incolis hereditatis eiusdem per nos vel alios aliquod incomodum faciemus, et de evictione, si per nobis coniunctos fuerit impeditus, specialiter obligamur. In cuius rei testimonium, nostrum, fratris nostri Miroslai predicti, ac domini palatini et capitanei supradicti presentibus sunt appensa sigilla. Actum Wladislavia Iuvenis in die beati Iacobi apostoli, anno Domini m.ccc.xliii, presentibus nobilibus viris: Andrea castellano Poznaniensi, Iohanne palatino Wladislaviensi, Thomislao castellano Gneznensi, et aliis fidedignis.

Bandlevo, *Będlewo.* Lodza, *Łódź.* Suchorancecz, *Suchoręcz.* Wavrzicevo, *osada w kilka lat późniéj wzniesiona na miasto Kamień.* Wladislavia Iuvenis, *Inowrocław.* Wladislaviensis, *de Inowrocław.*

Nr. 1228.

Clemens Pp. VI 1343 Oct. 10, Avinione; Iaroslao archiepiscopo Gneznensi mandat, ut denarium b. Petri in Wratislaviensi, Lubucensi et Caminensi dioecesibus collectum recipiat, et ad cameram apostolicam mittat.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 603.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri . . archiepiscopo Gneznensi salutem et apostolicam benedictionem. Volentes pecunias de censu annuo, qui denarius beati Petri vulgariter in illis partibus nuncupatur, nobis et ecclesie Romane in Wratislaviensi, Lubucensi et Caminensi civitatibus et diocesibus debito, per venerabiles fratres nostros . . Wratislaviensem, . . Lubucensem et . . Caminensem episcopos, vel eorum et cuiuslibet ipsorum subcollectores collectas et imposterum colligendas ad nostram cameram fideliter destinari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus huiusmodi pecunias, per prefatos Wratislaviensem, Lubucensem et Caminensem episcopos, vel eorum aut cuiuslibet ipsorum subcollectores, ut prefertur, collectas et ut premittitur colligendas, recipiens ab episcopis supradictis, illas mittere ad nostram cameram cum integritate procures, certificaturus eandem sicut commodius poteris de premissis. Volumus autem, quod eosdem Wratislaviensem, Lubucensem et Caminensem episcopos et alios quorum intererit, possis

absolvere plenius et quittare de hiis que inde receperis ab eisdem: nos quoque tibi de sufficientis quitationis cautela faciemus, cum easdem pecunias ad cameram ipsam miseris provideri. Datum Avinione VI Idus Octobris, pontificatus nostri anno secundo.

Nr. 1229.

Nycolaus heres in Nestachovo 1343 Nov. 3, s. l.; Petro molendinatori molendinum in Sołacz aedificandum et possidendum certis conditionibus confert.

Pergam. orygin. Na grubym sznurze jedwabnych nici wyblakłych zawieszona okrągła pieczęć Mikołaja przedstawia godło rodu Dąbrowa, bez tarczy; napis: S. Nicolai de...

Poznań. Archiw. Miejskie. Diploma Nr. 11.

In nomine Domini amen. Quoniam que aguntur in tempore simul labuntur cum tempore nisi litterarum serie fuerint declarata, noverint universi idcirco tam presentes quam futuri ad quos presencium series devolvetur, quod nos Nycolaus heres in Nestachovo attendentes fidelitatem Petri nostri molendinatoris ibidem, nostra bona voluntate et deliberata damus et contulimus eidem Petro suisque posteris legittimis, natis et nascendis, molendinum nostrum in Nestachovo hereditarie perpetueque edificandum et possidendum tali condicione: quod Petrus predictus et sua legittima posteritas debent nobis nostrisque legittimis successoribus dare et molere sine metretha unam mensuram farine siliginis perpetuo singulis octo diebus, et alteram mensuram de nostra propria siligine nobis molere sine metretha et nostris posteris tenebitur omni septimana. Sin autem aliquando sibi siliginem non mitteremus, de labore eiusdem septimane debet esse supportatus. Dedimus eciam prescripto Petro et sue posteritati prefate unum pratum, ita longum sicut se piscina ostendit et exstendit, et unum ortum circa molendinum situm versus Ysycze, et in piscina piscari parvis retibus pro suo usu, et non magnis, sicut est sagena parva vel magna. Preterea eciam damus Petro et sue prescripte posteritati voluntatem liberam et bonam, sub prescripta condicione et censu nostrum molendinum dandi, commutandi et vendendi, prout sibi et sue prenotate posteritati videbitur melius expedire; presentibus vero testibus infrascriptis, videlicet Maczkone Selic proconsule tunc civium Poznaniensium, et Iohanne Gelhor, Petro de Obornic, et Laurencio notario Poznaniensis civitatis. Datum et actum feria secunda infra octavas Omnium Sanctorum, sub anno Domini M.CCC.XL tercio.

Nestachovo, *dziś Sołacz.* Ysycze, *Jerzyce.* Obornic, *zam. Oborniki.*

Nr. 1230.

Iaroslaus s. Gneznensis ecclesie archiepiscopus 1343... Gnezne; hereditatem ecclesiae suae dictam Chruślin, iure de Środa ad locandum Blasio confert.

Pergam. orygin., którego cały prawy bok odpadł. Na sznurach z nici jedwabn. dwie pieczęcie przywieszono. Pierwsza na sznurze zielon., podługowata, przedstawia biskupa siedzącego na tronie i błogosławiącego, z pastorałem w lewéj; napis: S. Iaroslai Dei Gra... Archiepi. *Druga na sznurze z nici zielon. i czerwon. Kapituły Gnieźnieńskiéj;* (pieczęć XXIV).

Gniezno. Archiw. Capituli Metropol. Nr. 113a.

(*Vacat*) ea que aguntur sub tempore simul cum decursu temporis evanescunt nisi litterarum et testium testimonio fuerint perhennata, igitur (*v.*) sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus ad perpetuam rei memoriam notum facimus universis ad quos pervenerit scriptum presens, quod (*v.*) . . . ntum suffragante Domino possumus intendentes, hereditatem nostram et ecclesie nostre dictam vulgariter Chroslino, sitam in districtu (*v.*) Gneznensis videlicet Capituli, Blasio concessimus et dedimus iure Theuthonico, quod servatur in Srzoda Slezie, vel unde ius illud (*v.*) vendentes sibi soltheciam in eadem pro certa pecunie quantitate. Dantes et assignantes eidem et suis successoribus legittimis (*v.*) . . . onis tres mansos liberos, thabernam, tercium denarium ortorum iuramentorum et cuiuslibet iudicati, iure hereditario perpetuo possidenda (*v.*) poterunt. De inculta prorsus terra infra sex annorum spacium a solucione decime damus et concedimus omnimodam libertatem, qua (*v.*) totali, solvetur nobis decima manipulatim in campis. Elapsa autem libertate iam dicta, incole predicti quatuor mensuras tritici, quatuor (*v.*) fertonem grossorum nobis et nostris successoribus in festo beati Martini, annis singulis, de manso quolibet solvere tenebuntur. Declarantes, quod (*v.*) habet locare duas thabernas et pro se terciam, quartam vero rector ecclesie qui pro tempore fuerit, nomine eiusdem sue ecclesie possidebit. Ipse eciam sol . . . (*v.*) duos ortos liberos, ad nostrum vero dominium residui pertinebunt, quos ipsemet eciam solthetus tenebitur ad locandum. Concedimus eciam (*v.*) fines mansorum suorum, videlicet in silva, mellificiis sive pratis, et quas inibi poterit reperire. Que omnia ad ipsam soltheciam ascripta (*v.*) predictum, iure hereditario perpetuo possidebunt. Si vero eundem Blasium sine prole utriusque sexus ab huius seculi tramite contingat decedere, (*v.*) soltheciam ad tempora sue vite, nisi tunc ad ulteriora connubia decreverit convolare. Preterea, cum decime iure divino debentur ecclesiis et ministris (*v.*) meretur Christiano nomine nuncupari qui decimas solvere contradicit, cumque quasi in toto regno Polonie a solthetis contrarium communiter observetur (*v.*) superna disposicione vocati tenemur arguere quemlibet de peccato, ne sanguis subditorum nostrorum de manu nostra in extremi iudicio examinis requiratur (*v.*) . . . entes conniventibus oculis pertransire, cum tanto graviora sint scelera, quanto diucius infelicem animam detinent alligatam: statuimus et mandamus eidem soltheto (*v.*) de agris propriis, quos suis sumptibus et laboribus exarabit, decimam persolvat et det libere sive iuri militali illi ecclesie, ubi audit divina et percipit (*v.*) . . tus vel successor ipsius agros sue solthecie kmetonibus exposuerit ad colendum, extunc iidem kmetones una cum nostris kmetonibus censum cum (*v.*) in gonithwam solvere tenebuntur. Et quoniam iura predicte civitatis Sroda no-

bis sunt prorsus incognita, omnia iura que commodum (*v.*) et integra protestamur. In cuius rei testimonium, nostrum et nostri Capituli sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum Gnezne in die beati (*v.*) . . . XLIII, presentibus honorabilibus viris: dominis Yvone preposito, Vincencio decano, Thomislao cantore, Preclao archidiacono, magistro Mathia scolastico (*v.*) aliis dominis canonicis et prelatis ad Capitulum congregatis.

Chroslino, *Chruślin w powiecie Sochaczewskim.* Srzoda Slezie, *z niemiecka Neumarkt.*

Nr. 1231.

Iohannes episcopus Poznaniens. 1344 Ian. 15, Poznanie; Iacobum canonicum Poznaniensem plebanumque Sredensem, rectorem ecclesiae de Krerowo instituit, et censu mensae suae in oppido Środa colligendo dotat.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 97.

In nomine Domini amen. Cunctorum que fiunt in tempore perit memoria, nisi scripturarum et testium ad perpetuam rerum memoriam munimine perhennentur. Idcirco nos Iohannes, Dei gracia episcopus Poznaniensis ecclesie, notum facimus: universis in Christo fidelibus hanc litteram inspecturis, salutem et prosperitatem in Domino suscipere sempiternam. Ad noticiam publicam nostra assercione tam presencium quam futurorum volumus devenire singulorum, quod spontanea nostra voluntate perhennem perpendentes recompensam, ex gracia nostra speciali censum mansorum quinque ad mensam nostri principatus proprie spectantem, in Sroda colligendum, parochiali ecclesie in Krirowo dedimus, et hoc de nostro nostrique Capituli consensu, videlicet Andrea preposito, Bogufalo decano, Voyslao archidiacono, Iohanne custode, Yllico scolastico, Andrea cancellario, Stephano decano Wrathislaviensi, Vincencio decano Gneznensi, Ambrosio canonico, Iacobo canonico et plebano de Sroda, et aliis quam plurimis fidedignis. Et quoniam de consensu nostro nostrique Capituli in ipsa ecclesia supradicta perpetuus est locatus vicarius, et tempore videlicet sue vite eidem vicario in iure suo quod optinet non intendimus derogari, post cuius vicarii obitum, dicto Iacobo administracionem spiritualium et temporalium, curam atque animarum regimen in ipsa ecclesia in Crirowo committentes, investimus ipsum verum et legitimum rectorem ecclesie et pastorem. Censum vero supradictum, plebanus Pribignevus ibidem de consensu nostro ac nostri Capituli pro se excepit, ita sane, quod ipsum vero dominus Iacobus possideat racione cambii pro sua ecclesia commutata, sue vite temporibus possidendum et habendum seu percipiendum, expectans, quousque melius sibi providebimus et largius, summa Salvatoris gracia nobis sollercius condonata. Ne de donacione dicti census aliquis nostrorum successorum possit vacillare, in testimonium veridicum presentem litteram porreximus, nostri caractere sigilli et nostri Capituli nec non prepositi ecclesie memorate (communitam). Datum et actum Poznanie presentibus et consencientibus fratribus nostris prescriptis et dominis Capituli pretacti, ibidem nobiscum sedentibus pro kathedra XVIII Kalendas Februarii, anno Domini m.ccc. quadragesimo quarto.

Sroda, *Środa.* Crirowo, *Krerowo. (Cnfr. Nr. 1109).*

Nr. 1232.

Wladislaus dux Lanchicie et Dobrinens. 1344 Febr. 3, Lanchicie; protestatur, molendinum et locum molendini circa Ostrów ad ecclesiam Gneznensem pertinere.

Pergam. orygin. Na sznurze z nici jedwabn. przywieszona okrągła pieczęć przedstawia męża zbrojnego okrytego długą suknią, stojącego w łuku tryumfalnym; w prawéj ręce trzyma miecz, w lewéj tarcz trójkątną; napis zatarty.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 114.

In nomine Domini amen. Nos Wladislaus, Dei gracia dux Lanchicie et Dobrinensis, ad universorum noticiam deducimus quibus presens scriptum nosse fuerit oportunum, quod orta inter nos ex una, et venerabilem in Christo patrem dominum Iaroslaum, divina providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopum, ex altera super molendino seu situ molendini prope et circa Ostrow, hereditatem ecclesie iacentem ante villam ecclesie Lanchiciensis que Cosczelnaves vulgariter appellatur, materia questionis: asserentes nos dictum molendinum seu locum molendini ad nostram mensam ducalem spectare, domino archiepiscopo contrarium affirmante, scilicet ad mensam archiepiscopalem et ad ecclesiam Gneznensem pertinuisse et eciam pertinere: tandem receptis probacionibus fide dignorum utrimque, investigavimus tam per nostros quam per alios fide dignos, prefatum molendinum seu locum molendini circa Ostrow non ad nos, sed ad archiepiscopum et eius ecclesiam pertinere; habitoque super hoc sufficienti consilio et tractatu, dicimus et presentibus publice protestamur, predictum molendinum seu locum molendini circa Ostrow ante villam domini archiepiscopi Cosczelnaves vulgariter nuncupatam, pertinuisse et hactenus pertinere, atque amodo in perpetuum spectare debere ad dominum archiepiscopum et ad ecclesiam Gneznensem, contradiccione et dubitacione super hoc de cetero non obstantibus, et ipsum dominum archiepiscopum Gneznensem qui pro tempore fuerit, possessione gaudere debere dicti molendini seu loci molendini pacifica et quieta. Ne igitur super hoc cuipiam in posterum dubium oriatur, presentes protestacionis litteras eidem domino archiepiscopo concessimus ad munimen, nostri sigilli charactere roboratas. Actum et datum Lanchicie in crastino Purificacionis beate Marie virginis, anno Domini m.ccc.xl quarto, presentibus nobilibus nostris: Boryvugio iudice, Stephano vexillifero, Preczslao venatore et Dominico subiudice Lanchiciensibus, et aliis pluribus fide dignis.

Ostrów, *osada znikła.* Cosczelnaves, *dziś Tum p. Łęczycą.*

Nr. 1233.

Consules et magistri iurati Poznanie civitat. 1344 Mai. 1, Poznanie; guerram inter communitatem pannicidarum et textorum civitatis Poznań exortam, quibusdam pactionibus interpositis sopiunt.

Pergam. orygin. Na plecionkach nici jedwabn., niebiesk., zielon. i czerwon. wiszą mała i wielka pieczęć miasta Poznań; (pieczęć LI i L).

Poznań. Archiw. Miejskie. Diploma Nr. 12. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Poloniae 91.

Noverint universi quibus expedit tam presentes quam futuri quorum noticie presencium series refertur, quod coram nobis consulibus, videlicet Maczcone proconsule, Henrico Duc, Pascone dicto Vronic, Symcone Parvo, Ludcone et Henrico de Crossin, et magistris iuratis tocius communitatis Poznanie civitatis, in congruum consilium nostrum venientes et stantes consilio maturo et decreto cum bona voluntate magistri pannicidarum, videlicet Kyrstanus de Wynar et Hanco Rychelnic hac eorum communitas tota, et magistri textorum, scilicet Tyczco Rychelnic et Nycolaus gener Nikelonis et eorum communitas tota, simul et semel dederunt nobis omnem inter se dissensionem et guerram in manus nostras, nichilominus nobis promittentes ryte et racionabiliter, quod quidquid inter eos dictaremus et stabiliritaremus (sic), deberet esse firmum et illibatum in perpetuum. Nos vero sub nostro iuramento attendentes et pensantes defectus et profectus partis utriusque et civitatis tocius communitatis, ordinavimus et stabilitamus statutum inviolandum et perseverandum sine dolo tali condicione: quod magistri prescripti textorum cum eorum communitate debent vendere tribus hominibus unum stamen, et non pluribus, talia vero stamina, qualia soli conficiunt, et non emunt aput alienos. Prohibemus eciam omnibus cuiuscunque sint condicionis, quod nemo debet emere lanam cum parva pensata, que vulgariter dicitur Vuczer (Unczer?), in nostro foro, nisi soli textores, sed in lybra lapidis vel manu pensando nostri concives, sed advena nullus. Ceterum vero possunt textores habere omne forum cum eorum pannis prenotatis, in quacunque civitate forum fuerit statutum et confirmatum ab antiquo per principes et reges. Ordinamus eciam, quod nostri textores debent pannos incidere in annaly foro eorum pannos sicut est proscriptum (sic), nisi alie civitates aliis textoribus pannos incidere prohiberent, nec tunc amodo nostri textores incidere debent. Et quicunque predicta conscripta et statuta infringeret, quociens peccabit, tociens III marcas civitati dabit, vel graciam inveniat civitatis. Et ut ordinacio conscripta et statuta illibata perpetue perseveret et firma, sigillum maius et minus, quod est secretum nostre civitatis, presentibus est apensum. Datum Poznanie in die beatorum Philippi et Iacobi apostolorum, actum sub anno Domini millesimo CCC quadragesimo quarto.

Crossin, *zam. Crossen, z niem. zam. Krośno.* Wynar, *Winiary.*

Nr. 1234.

Iaroslaus archiepiscopus totumque Capitulum s. Gneznens. ecclesie 1344 Oct. 29, Lanchicie; cum Ordine Theutonicorum ratione percipiendi decimas campestres in Pomorania amicabilem compositionem faciunt, et bona sua Chojniczka, cum merica Gambarzów dicta commutant.

Pergam. orygin., u którego przywieszono dwie pieczęcie. Pierwsza na sznurze jedwabn., zielon., podługowata przedstawia biskupa siedzącego na tronie pod cymborium, pod stopami na trójkątnéj tarczy godło rodu Bogorja; napis: S. Ieroslay. Dei. gra. Gneznen. Archiepi. *Druga Kapituły Gnieźnieńskiéj;* (pieczęć XXIV).

Königsberg. Königl. Staats Arch. Schiebl. 75, Nr. 25.

In nomine Domini amen. Nos Iaroslaus divina providencia archiepiscopus totumque Capitulum sancte Gneznensis ecclesie tenore presencium notum facimus universis, quod cum reverendo et religioso viro domino fratre Ludolfo Cunig, Ordinis fratrum Hospitalis beate Marie domus Theuthonice Ierosolimitani magistro generali, et cum ceteris fratribus eiusdem Ordinis racione decimarum campestrium amicabilem unionem fecimus in hunc modum. Videlicet, quod in diocesi nostra terre Pomeranie, de omnibus bonis predictorum domini magistri generalis et fratrum iure Theuthonicali expositis ad culturam redactis, vel cum aliqua ex eisdem ad cultum redacta fuerint in futuro, possessores talium bonorum de quolibet manso censuali duos scotos Prutheniealium seu Thorunensium denariorum usualis monete, nomine decime nobis, successoribus nostris et ecclesie nostre Gneznensi predicte, in festo beati Martini episcopi, ab eo tempore quo et quando dominus magister et fratres predicti censum suum incipient recipere ab eorundem bonorum possessoribus, annis singulis solvere perpetuo teneantur. Et si quempiam illorum pro non soluto censu huiusmodi per nos vel auctoritate nostra excommunicari contingeret, et ille sic excomunicatus non solvendo censum induratus perstiterit infra mensem, extunc commendator, sub cuius regimine fuerit excomunicatus vel excomunicati huiusmodi, illum vel illos ad solvendum ipsum censum per tradicionem sufficiencium pignorum nostro nunccio compellere effectualiter teneatur. Verumptamen ab huiusmodi solucione decimarum, omnia bona ad usum predictorum domini magistri et fratrum pertinencia, que araturis ipsorum arando coluntur vel colentur in futurum eo modo quo a Sede apostolica privilegiata existunt, libera esse volumus et exempta. Adicimus eciam, quod quilibet militum et feudalium terre eiusdem debet habere pro usu suo quatuor mansos a predicta solucione decimarum liberos et exemptos, et eisdem quatuor mansis liberis, non pluribus, eorum filii et successores legittimi, sive unus sive plures fuerint, sint contenti. Si vero ultra quatuor mansos iidem milites aliqua bona habuerint ad culturam redacta, de quolibet manso eorundem bonorum dare debent duos scotos sicut de manso alio censuali. Preterea, propter complacenciam quam ipsi domino magistro prefato et fratribus fecimus duos scotos de manso quolibet acceptando ut prefertur, sepedicti magister et fratres dederunt nobis et ecclesie nostre Gneznensi centum mansos de terra in campo et merica Gambarzow vulgariter dicto, sitos in terra Pomeranie in districtu Slochoviensi, titulo permutacionis pro bonis nostris et ecclesie nostre parvum Choynicz vulgariter nuncupatis, per utramque partem perpetuo possidenda, sicut sunt parti per partem libere resignata; hoc specialiter apposito et

adiecto, quod predicti centum mansi locari valeant iure Teuthonico vel alio modo quo nobis et successoribus nostris utilius videbitur expedire, quodque predicti centum mansi et incole degentes in eis, ab omnibus servitutibus, solucionibus, exaccionibus, talliis et collectis, magnis et parvis, quibuscunque nominibus censeantur, et ab edificacione et reedificacione castrorum ac ab omnibus expedicionibus sint liberi per omnia et exempti. Noluit enim magister cum fratribus aliquod ius vel iudicium seu iurisdiccionem aliquam sibi, fratribus vel Ordini in memoratis centum mansis et in hominibus in eisdem degentibus reservare; sed totum ius, iudicium et iurisdiccionem nobis, successoribus nostris et ecclesie Gneznensi dedit, tradidit et donavit ac transtulit: quod predictos centum mansos et homines locatos in eis iudicabimus, nos et nostri successores, in omnibus causis magnis et parvis, civilibus et criminalibus, et specialiter causas pro illatis verberibus, vulneribus, mutilacionibus, homicidiis, que commissa et perpetrata fuerint infra limites sive gades centum mansorum dictorum, in villa vel extra villam, in via vel extra viam, vel eciam infra limites ubicunque; quodque pro perpetratis sceleribus, secundum quod iudicium nostrum dictabit, possimus, nos et nostri successores aut procuratores vel nuncii ad hoc specialiter deputati, iudicare et iudicium exercere, penas debitas infligere ac pecuniales exigere et tollere, prout excessus et scelera exegerint perpetrata. Insuper addidit nobis et nostris successoribus ac ecclesie nostre magister cum fratribus suis et Ordine de sua gracia speciali, quod homines sive incole degentes in centum mansis nominatis superius, ad expedicionem quamcumque ire vel mittere aut subsidium aliquod prestare minime teneantur. Omnia itaque et singula prelibata, quatenus partem nostram respiciunt, promittimus et spondemus magistro generali et fratribus ac Ordini implere et tenere perpetuo, si dominus magister generalis, qui pro tempore fuerit, cum fratribus suis et Ordine prefatis, ea que ipsos respiciunt, nobis, successoribus nostris et ecclesie nostre Gneznensi firma, inviolata et integra observabunt. In quorum testimonium et evidenciam pleniorem, nostra sigilla presenti privilegio sunt appensa. Datum et actum Lanchicie in Capitulo convocato et celebrato in crastino beatorum apostolorum Symonis et Iude, anno Domini millesimo ccc.xlııı, presentibus honorabilibus viris, dominis Ywano preposito, Vincencio decano, Matthia scolastico, Benchone custode, et aliis quam pluribus canonicis Gneznensibus ad Capitulum congregatis.

Gambarzow merica, *z niem. Bischofswalde.* Slochoviensis, *de Człuchów.* Parvum Choynicz, *Chojniczka.*

Nr. 1235.

Fr. Ludolfus Kunik Ordinis fratrum etc. domus Theutonice magister general. 1344 Nov. 13, in Margeburg; ordinat perceptionem decimarum ab archiepiscopis Gneznensibus in bonis ecclesiae eorum in Pomorania sitis.

Pergam. orygin., u którego przywieszona pieczęć wielka Zakonu.

Königsberg. Königl. Staats Arch. Schiebl. 75, Nr. 27a. — Voigt. Cod. dipl. Prussic.

In nomine Domini amen. Nos frater Ludolfus Kunik, Ordinis fratrum Hospitalis beate Marie domus Theutonice Iherosolemitane magister generalis, una cum Ca-

pitulo nostro, ac preceptorum nostrorum necnon de maturo aliorum fratrum nostrorum consilio, voluntate et consensu, tenore presencium litterarum notum facimus universis, quod attendentes graciosum affectum venerabilis in Christo patris ac domini, domini Iaroslay sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopi, quem habuit et habet hactenus ad Ordinem nostrum ut experiencia docuit et docet, pensatisque suis laboribus quos sustinuit pro Ordinis nostri commodo et honore, et presertim racione amicabilis unionis quam una cum Capitulo suo fecit nobiscum et Ordine nostro, in hunc modum videlicet: quod omnia bona nostra et Ordinis nostri terre Pomeranie consistencia in Gneznensi dyocesi, iure Thewtonicali exposita, ad culturam iam redacta vel cum redacta fuerint in futuro, possessores talium bonorum de quolibet manso censuali duos scotos Pruthenicalium denariorum usualis monete, nomine decime eidem domino archiepiscopo, successoribus suis et ecclesie Gneznensi in festo beati Martini episcopi, ab eo tempore, quo et quando nos et commendatores nostri vel alii ad hoc specialiter deputati censum nostrum in eisdem bonis incipiemus reecipere, annis singulis perpetue solvere teneantur. Verumptamen ab huiusmodi solucione decimarum, omnia bona nostra ad usum et nostri Ordinis pertinencia, que araturis nostris arando coluntur vel colentur in futurum, libera volumus esse et exempta. Adicimus eciam, quod quilibet militum et feodalium terre eiusdem debet habere pro usu suo quatuor mansos a predicta solucione decimarum liberos et exemptos, et eisdem quatuor mansis liberis, non pluribus, eorum filii et successores legittimi, sive unus sive plures fuerint, sint contenti. Si vero ultra quatuor mansos iidem milites seu pheodales aliqua bona habuerint, de quolibet manso eorumdem bonorum ad culturam redacto dare debent duos scotos sicut de manso alio censuali. Ville vero Polonicales, decimam secundum morem et consuetudinem in terra Pomeranie hactenus observata persolvent. Et si quemquam illorum pro non soluto censu debito per ipsum dominum archiepiscopum vel alium auctoritate sua excommunicari contingeret, et ille sic excommunicatus non solvendo censum nomine decime induratus perstiterit infra mensem, extunc commendator, sub cuius regimine existunt excommunicatus vel excommunicati huiusmodi, illum vel illos ad solvendum ipsum censum per tradicionem sufficiencium pignorum nuncio eiusdem domini archiepiscopi compellere effectualiter teneatur: nos itaque magister generalis predictus una cum fratribus nostris et Ordine, pro predictis omnibus cupientes eidem domino archiepiscopo et sue ecclesie complacere, damus, assignamus et tradimus eidem domino archiepiscopo, suis successoribus et ecclesie Gneznensi centum mansos terre in campo vel merica vulgariter Gambarzow dicto, sitos in terra Pomeranie in districtu Slochoviensi, a nobis et a fratribus nostris assignatos, tytulo permutacionis recipientes ab eo et suo Capitulo hereditatem Parwum Choynitz vulgariter nuncupatam. Dedimus eciam predictos centum mansos eidem domino archiepiscopo pro supplemento defectus decimarum, et pro eo, quod omnia bona nostra et Ordinis terre Pomeranie consistencia in predicta dyocesi Gneznensi, locare et exponere iure Thewtonico valeamus. Quorum bonorum possessores, de quolibet manso censuali duos scotos annis singulis solvere teneantur; preterquam bona nostra et pheodalium nostrorum, que eximi volumus ut prefertur. Predictos vero centum mansos damus, tradimus et resignamus prelibato domino archiepiscopo, suis successoribus et ecclesie Gneznensi iure Thewtonico vel alio quo eidem utilius videbitur expedire ad locandum et exponendum, et facientes ipsos centum mansos et incolas degentes in eis, liberos et exemptos ab omnibus servitutibus, solucionibus, exaccionibus et collectis, magnis et parvis, quocunque nomine

censeantur, nullum nobis vel Ordini nostro iudicium vel iuridicionem quomodolibet conservando; sed ipse dominus archiepiscopus plenum dominium a nobis in eisdem centum mansis iuris obtinens et sui successores vel procuratores aut nuncii speciales, iudicabunt et iudicia exercebunt in incolis degentibus in predictis centum mansis, tam de magnis quam de parvis causis, et specialiter de excessibus et causis civilibus et criminalibus mutilacionem et homicidium contingentibus, ubicunque commissa fuerint infra limites centum mansorum, in villa vel in villis, extra viam vel in via aut alias ubicunque; quotque pro perpetratis sceleribus, archiepiscopus memoratus, sui successores, procuratores vel nuncii speciales penas debitas infligere et exigere valeant, plenam eis concedimus facultatem. Admittentes de nostra gracia speciali, quod memorati incole qui in suprascriptis centum mansis deguerint, ad nullam expedicionem ire, mitti aut aliquod prestare subsidium teneantur: excepto, quod insultus inimicorum terram Pomeranie dum invaderet, extunc pro defensione terre dicte contra huiusmodi insultus, iuxta possibilitatem eorum cum aliis terre incolis se opponent; necnon et ad castri reedificacionem et edificacionem, sub cuius regimine consisterint et ad quod refugium habent vel habebunt, pro suo posse facienda iuvamina sint astricti. In quorum omnium testimonium et evidenciam ad premissa pleniorem, nostrum sigillum autenticum seu mayus presentibus duximus appendendum. Datum et actum in Margeburg in die beati Brytzcii episcopi, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto, presentibus honorabilibus et religiosis viris, fratribus nobis in Christo dilectis, Henrico de Boventhyn magno commendatore, Wynrico de Knyppenrade marsalko, Alexandro de Kornre hospitalario et commendatore Helbyngensi, Conrado de Brungisheym trapario commendatore de Kyrsburg, Fredrico de Spyra thezaurario, Theodrico de Spyra commendatore de Thorun, Theodrico de Lychtynhayn, Abrahardo Gryfe, fratre Iohanne capellano nostro, Popone de Reynsteyn, Iohanne de Falkeynsteyn, et aliis pluribus fidedignis.

Na stronie odwrotnéj napisano ręką XIV w.: Hec littera est cassata per novum contractum, et habetur de verbo ad verbum in nova littera domini archiepiscopi. Gambarzow, *z niem. Bischofswalde.* Slochoviensis, *de Człuchów.* Parvum Choynitz, *Chojniczka.* Margeburg, *Malborg.* Helbyngensis, *de Elbląg.* Kyrsburg, *Kiszpork.* Thorun, *Toruń.*

Nr. 1236.

Fr. Ludolfus Kunig Ordinis fratrum etc. domus Theutonice magister general. 1344 Nov. 22, in Kyrsburg; ratificat privilegia, quae dederant ecclesiae Gneznensi: **Mscug dux Pomoranie 1290 s. d., in Gnezna,** et **Mistiwyus dux Pomoranie 1284 Sept. 13, in Nakel;** villas quoque Sucha et Lubiewo eidem ecclesiae confert.

Pergam. orygin., w wielu miejscach przeżarty; z przywieszonéj pieczęci pozostał sznur jedwabny, zielony. Dopełniono z: Lib. privil. XV sec. fol. 54v.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 115.

In nomine Domini amen. Ut maior fides gestis adhibeatur negociis, expedit, ut conscripcione litterarum, que veritatis continet testimonium, lucide perhennentur.

Igitur nos frater Ludolfus Kunig, Ordinis fratrum Hospitalis beate Marie domus Theutonice Ierosolimitane magister generalis, notum facimus universis presencium noticiam habituris et publice profitemur, nos duo privilegia auttentica illustris principis domini Mistwyni quondam ducis Pomeranie, non cancellata, non rasa nec in aliqua sui parte viciata, super donacione quorundam bonorum sancte Gneznensi ecclesie tradita vidisse; quorum privilegiorum primi, tenor sequitur in hec verba: (*Sequitur diploma Nr. 659.*)

Tenor autem secundi privilegii talis est: (*Sequitur diploma Nr. 544.*)

Nos igitur attendentes probitatis merita venerabilis in Christo patris domini Iaroslay sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopi, pensatisque multiplicibus favoribus et amiciciis, nobis et Ordini nostro per ipsum exhibitis et impensis, ipsi ac eius successoribus et ecclesie Gneznensi supradicte prescripta privilegia in omnibus suis clausulis et articulis, ut prescribitur, et donaciones in ipsis contentas, duas quoque villas, videlicet Sucha et Lubow, cum omnibus utilitatibus et proventibus ad ipsas pertinentibus ac libertatibus eisdem in prescriptis privilegiis contentis: in quibus quidem villis duo servicia militaria habebamus, a quibus serviciis sepedictum dominum Iaroslaum archiepiscopum eiusque successores et ecclesiam Gneznensem perpetue liberos dimittimus et solutos: specialis amicicie favorem, per venerabilem patrem dominum Iaroslaum, archiepiscopum predictum, nobis et Ordini nostro benevole multocies exhibitum specialiter attendentes, maturo fratrum nostrorum consilio unanimique consensu accedente ratificamus, approbamus, confirmamus et presentibus innovamus; adicientes insuper et volentes, quod incole predictarum villarum Sucha et Lubowo, cum aliis incolis terre Pomeranie contra quoslibet invasores terre eiusdem, et castrorum firmacionem (sic) sub quorum dominio et regimine existunt, pro posse suo fideliter subsint. In quorum premissorum fidem et robur firmitatis perpetue, presentes sigilli maioris nostri appensione fecimus roborari. Datum et actum in Kyrsburg anno Domini m.ccc quadragesimo quarto, in die Cecilie virginis, presentibus honorabilibus et religiosis viris, fratribus nobis in Christo dilectis, Heynrico de Beventhyn magno commendatore, Wynrico marschalko, Allexandro de Kornre hospitalario et commendatore Helbingensi, Conrado de Brungisheym trapario et commendatore de Kyrsburg, Frederico de Spira thesaurario, Theodorico de Spira commendatore de Thorun, Abrahardo Grife, domino Iohanne capellano nostro, Popone de Reynsteyn, Iohanne de Falkeynstein, sociis nostris; Saulo et Iohanne nostris notariis, et aliis pluribus fide dignis.

Sucha, *Sucha.* Lubow, *Lubiewo.* Kyrsburg, *później* Christburg, *czyli Kiszpork.* Helbingensis, *de Elbląg.* Thorun, *Toruń.*

Nr. 1237.

Iaroslaus s. Gneznensis ecclesie archiepiscopus 1345 Apr. 26, Gnezne; ecclesiae parochiali in Osiek a se fundatae, decimas mensae suae de villa Sycewo largitur.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. proventuum fol. 8. (Foljant pisany ręką XVII w. Kopja z oryginału opatrzonego pieczęciami).

In nomine Domini amen. Noverint universi presencium litterarum noticiam habituri, quod nos Iaroslaus, divina providencia sancte Gneznensis ecclesie archi-

episcopus, fundata ecclesia in Osek ad honorem omnipotentis Dei et beati Nicolai gloriosissimi confessoris, pro consolacione ipsius ecclesie, ut ministri eius habeant unde vivant, decimam mense nostre in villa Sziczewo prope Mokolino predicte in Osek ecclesie de fratrum nostrorum, Gneznensis videlicet Capituli voluntate unanimi et consensu, tenore presencium ascribimus et adiungimus per presentes. In cuius rei testimonium, presens privilegium scribi fecimus et nostro ac predicti nostri Capituli sigillorum karactere communiri. Actum et datum Gnezne in crastino beati Marci ewangeliste, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, presentibus honorabilibus viris, dominis Ivone preposito, Vincencio decano, Thomislao cantore, Predslao archidiacono, Mathia scolastico, Benkone custode et Nicolao cancellario, et aliis plurimis canonicis in Capitulo congregatis Gneznensibus.

Osek, *Osiek.* Sziczewo, *Sycewo.* Mokolino, *Mąkolin.*

Nr. 1238.

Vincencius decanus Gneznensis 1345 Apr. 26, Gnezne; hereditatem Szczepanowo Vitali Sbilutonis ad locandum iure Theutonico exponit.

Pergam. orygin., w jednem miejscu przetlały, u którego w dolnym, założonym brzegu dwa grube sznurki z niekręconego jedwabiu; pierwszy czerwony, drugi żółty, każdy przez dwa wcięcia poprzeczne przewleczony.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 118.

In nomine Domini amen. Ne ea que geruntur in tempore simul cum decursu temporis evanescant, debent litteris autenticis cum subscripcione testium posterorum noticie commendari. Proinde nos Vincencius, decanus Gneznensis ecclesie notum facimus universis ad quorum noticiam pervenerit scriptum presens, quod melioracioni bonorum eiusdem Gneznensis ecclesie quantum adiuvante Domino possumus intendentes, hereditatem dictam Sczepancowo, sitam in territorio Sneynensi, quam ab eadem Gneznensi ecclesia obtinemus, de consensu et voluntate eiusdem Gneznensis ecclesie Capituli Vitali Sbilutonis iure Theutonico, quo cives Sneynenses utuntur, exposuimus ad locandum; vendentes eidem pro certa pecunie quantitate scolteciam in eadem, et dantes sibi et suis liberis ac successoribus legittimis nomine eiusdem scoltecie quatuor mansos liberos, medietatem tabernarum, pistorum, carnificum, sutorum, tercium denarium iuramenti et cuiuslibet iudicati perpetuo possidenda, quatuor mansos liberos (*6 lit. des.*) reservantes ibidem. Preterea incolis quos idem scoltetus de novo locaverit, quatuor annis (*8 lit. des.*) et octo annis a solucione census concedimus libertatem; ita tamen, quod elapsis quatuor annis libertatis eiusdem, solvent una cum antiquis kmetonibus ibidem decimam manipulatim in campis (*6 lit. des.*) censum, videlicet tres scotos usualis monete. Postquam autem elapsi fuerint octo anni libertatis huiusmodi, amodo incole locati noviter coequabuntur antiquis, et solvent omnes et singuli decimam manipulatim in campis et fertonem argenti usualis monete de quolibet manso in festo beati Martini, nobis et nostris successoribus perpetuis temporibus obligati. Sed prefatus scoltetus et sui posteri, de ipsorum quatuor mansis liberis dabunt decimam manipulatim, vel pro quolibet manso tres scotos rectori ecclesie ibidem, ubi audiunt divina et percipiunt ecclesiastica Sacramenta. Et quoniam iura Theutonicalia nobis sunt incognita, omnia iura que co-

modum et utilitatem respiciunt dominorum, salva nobis et integra reservamus. In quorum testimonium et evidenciam, nostrum et predicti Capituli Gneznensis sigilla presenti privilegio sunt appensa. Actum et datum Gnezne in crastino beati Marci ewangeliste, anno Domini millesimo CCC.XLV, presentibus venerabili in Christo patre domino Iaroslao archiepiscopo, Ywone preposito, Vincencio decano, Thomislao cantore, Preczslao archidiacono, Mathia scolastico, Benedicto custode et Nicolao cancellario, ac aliis plurimis canonicis in Capitulo congregatis Gneznensibus.

Sczepancowo, *Szczepanowo.* Sneynensis, *de Żnin.*

Nr. 1239.

Martinus decanus Lanchiciens. etc. 1345 Apr. 26, Gnezne; hereditatem ecclesiae Gneznensis dictam Budzisław Nicolao, filiastro Michaelis de Dębnica, ad locandum iure Sredensi exponit.

Pergam. orygin., u którego dwie pieczęcie przywieszono. Pierwsza na sznurku lnian., czerwon. Kapituły Gnieźnieńsk.; (pieczęć XXIV). *Druga na sznurku lnianym, niebiesk. podługowata, zatarta daje tylko rozpoznać zarys osoby w szatach duchownych.*

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 117.

In nomine Domini amen. Ne ea que geruntur in tempore simul cum decursu temporis evanescant, debent litteris autenticis cum subscripcione testium posteris commendari. Proinde ego Martinus, decanus Lanchiciensis et canonicus Gneznensis ecclesie notum facio universis ad quorum noticiam pervenerit scriptum presens, quod melioracioni bonorum eiusdem Gneznensis ecclesie quantum valeo intendens Domino adiuvante, hereditatem dictam Budzislave sitam in territorio Zneynensi, quam ab eadem Gneznensi ecclesia obtineo, de consensu et voluntate eiusdem Gneznensis ecclesie Capituli Nicolao filiastro Michaelis de Dapnicia iure Theutonico, Sredensi videlicet, exposui ad locandum; vendens eidem in eadem villa scolteciam pro certa pecunie quantitate, dando sibi et suis liberis ac successoribus legittimis nomine eiusdem scoltecie duos mansos liberos et duos ortos eciam liberos, tabernam liberam, tercium denarium iuramentorum et cuiuslibet iudicati, quodque possit cum parvo rethe in lacu ibidem circa litus piscari. Et si succedente tempore faber vel sutor ibidem locati fuerint, ego et ecclesia Gneznensis ac mei successores medietatem census qui ab eis derivari poterit medietatem (sic) habebimus, et medietatem aliam prefatus scoltetus et sui posteri obtinebunt. Ceterum incole qui locati sunt ibidem et qui de cetero locabuntur, a solucione census duodecim annis, a solucione vero decime sex annis tantummodo, et hoc de agris noviter extirpandis, habebunt omnimodam libertatem. De agris enim prius excultis, decimam exnunc manipulatim in campis solvere teneantur. Postquam autem evoluti fuerint duodecim anni libertatis pretacte, memorate hereditatis incole maldratam triplicis frumenti, modium videlicet tritici, modium siliginis et modium avene ac fertonem argenti usualis monete, de quolibet manso annis singulis racione census et decime in festo beati Martini michi, successoribus meis et ecclesie Gneznensi perpetuo solvere tenebuntur. Alia eciam iura Sredensia, que commodum et utilitatem respiciunt dominorum, reservo integra atque salva, et secundum quod aliarum villarum Capituli Gneznensis ecclesie domi-

nis eorum servicia exhibebunt, ita prefatus scoltetus michi et meis successoribus exhibebit. In quorum testimonium et evidenciam, presenti privilegio sigilla Capituli Gneznensis et meum iuxta consuetudinem sunt appensa. Actum et datum Gnezne in crastino beati Marci ewangeliste, anno Domini millesimo ccc.xlv, presentibus venerabili in Christo patre domino Iaroslao archiepiscopo et honorabilibus viris, dominis Ywone preposito, Vincencio decano, Thomislao cantore, Preczslao archidiacono, Mathia scholastico, Benedicto custode, Nicollao cancellario, et aliis plurimis canonicis Gneznensibus in Capitulo congregatis.

Budzislave, *Budzisław*. Zneynensis, *de Żnin*. Dapnicia, *Dębnica*. Sredensis, *de Środa na Szląsku, z niem. Neumarkt.*

Nr. 1240.

Com. Iohannes heres de Waldow 1345 Apr. 28, in Transich; monasterio de Byszewo hereditates Lipinny, Mąkowarsk, Dzidno et Luczmin resignat.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn., wypłowiał. przywieszono dwie pieczęcie; z tych pierwsza znikła, druga połamana, w kawałkach bez wycisku.

Poznań. Königl. Staats Arch. Koronowo Nr. 78.

In nomine Domini amen. Acta hominum delet oblivio, que nec scriptis nec testibus perhennantur. Nos igitur comes Iohannes, heres de Waldow universis tenorem presencium visuris seu audituris volumus fore notum, quod nos una cum nostris legittimis successoribus resignamus domino abbati, nomine Petro, in Byssovia totique conventui dicti cenobii omnes hereditates seu possessiones, quarum nomina sunt hec: Lypichino, Mankowarscho, Zedno, Lucime, cum pratis, silvis, nemoribus, lacubus, rubetis, stagnis, rivis, et cum omnibus aliis pertinenciis et utilitatibus dictarum hereditatum. Quarum hereditatum mete se extendunt usque fluvium qui Sampolna vulgariter nuncupatur, cum pratis nichilominus que Lachovo nominantur inter Sampolnam et fluvium Dbra iacentibus, in quibus hereditatibus et pratis dictum monasterium iniuste impedivimus; promittentes, quod nec nos nec aliquis successorum aut heredum nostrorum supradictas hereditates seu possessiones ius aliquod habeant redimendi aut alio quocumque modo vendicandi, sed quod fratres dicti monasterii, abbas et conventus Ordinis Cysterciensis, prelibatas hereditates seu possessiones iure hereditario in perpetuum pacifice debeant possidere. In cuius rei testimonium et perpetuam memoriam, presentem litteram nostri sigilli munimine ac eciam filii nostri, videlicet Petri, digne duximus roborandam. Datum et actum in Transich in die beati Vitalis martiris gloriosi, anno Domini m.ccc quadragesimo quinto, presentibus hys testibus: Iohanne de Sycow, Conrado de Cotemirze, Nicolao de Czelezthin, Conrado de Czecherocz, Eberhardo de Racegnive, Iacobo de Rischow, et aliis quam pluribus fide dignis.

Waldow, *Wałdowo*. Byssovia, *Byszewo*. Lypichino, *Lipinny*. Mankowarscho, *Mąkowarsk*. Zedno, *Dzidno*. Lucime, *Luczmin*. Sampolna fluv., *rz. Sępolna, prawy przypływ rz. Brda*. Lachovo, *Lachowo*. Dbra fluv., *rz. Brda*. Transich, *Trzęsacz*. Sycow, *Szuczyn*. Cotemirze, *Kotomierz*. Czelezthin, *Czelencin*. Czecherocz, *Sierock*. Racegnive, *Raczyniewo*. Rischow, *Ryszewo*.

Nr. 1241.

Kazimirus rex Polonie 1345 Mai. 23, Cracovie; civitati Wschowa villam Przyczyna confert.

Poznań. Königl. Staats Arch. Fraustadt, Lib. privil. fol. 4.

In nomine Domini amen. Quod magnifica regnantis maiestas facere decrevit ob merita suorum fidelium, debet esse firmum et stabile roburque perpetue firmitatis obtinere. Proinde nos Kazimirus, Dei gratia rex Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod considerata magna fidelitate et constantia multiplici nobis exhibita per nostros fideles cives de Wschowa, ob quam fidelitatem cupientes ipsis ex nostra gracia specialem consolationem impertiri, ut eo maior fidelitas inter ipsos vigeat et eadem civitas melioretur, damus, iniungimus et ordinamus civitati predicte et universitati in Wschowa villam dictam Przyczyn, cum ecclesia et dominio pertinente ad ipsam villam, que iacet ante predictam civitatem, prout eadem villa in circumferentiis suis est distincta et limitata tenendam, habendam et perpetuo possidendam. Preterea damus ipsis civibus, in silvis nostris et borris iacentibus prope Wschowam ligna cuiuscunque sint generis succindere, recipere ad plancandam eandem civitatem aut ad quamvis aliam utilitatem ipsius civitatis, nullo penitus ipsos et quemlibet ipsorum in hoc impediente et perturbante. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum duximus presentibus appendendum. Datum Cracovie in crastino sanctissime Trinitatis, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto.

Wschowa, Przyczyna, *dziś tak samo.*

Nr. 1242.

Kazimirus rex Polonie 1345 Mai. 23, Cracovie; cives de Wschowa ab omnibus theloneis liberos esse iubet.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn., zielon. wiszą ułamki pieczęci majestatycznéj Kazimierza króla.

Poznań. Königl. Staats Arch. Stadt Fraustadt, Nr. 1.

Kazimirus Dei gracia rex Polonie, universis theloneatoribus vel vices eorum gerentibus in nostro regno existentibus in quibuscunque locis, ad quos presens scriptum pervenerit, graciam suam cum plenitudine omnis boni. Cum credamus vos et unumquemlibet vestrum non latere, quomodo cives de Vschova magnam nobis fidelitatem ostenderunt, in qua sunt persistentes, non modica dampna in rebus et in destructione eiusdem civitatis incurrerunt: nos ob hoc cupientes predictam civitatem et omnes in ipsa habitantes meliorare ipsisque ad consolacionem ipsorum specialem graciam largiri, ipsos perpetuo quemlibetque ipsorum absolvimus et liberamus ab omnibus et ab singulis theloneis seu guidagiis, in quibuscunque locis et quarumcunque personarum existant secularium vel spiritualium, vobis et cuilibet vestrum gracie nostre sub obtentu inhibentes, quominus a predictis civibus et a quolibet ipsorum,

cum quibuscunque rebus, mercibus, mobilibus et immobilibus contingat transire, theloneum non recipiatis vel quoquemodo exigere presumatis. Datum Cracovie in crastino sancte Trinitatis, anno Domini m.ccc.xl quinto. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum est appensum.

Vschova, *Wschowa.*

Nr. 1243.

Clemens Pp. VI 1345 Mai. 27, apud Villam novam; archiepiscopo Gneznensi mandat, ut Arnaldum de Lacavssina, collectorem census annui Sedi apostolicae debiti, in praedicto censu colligendo et camerae apostolicae transmittendo adiuvet.

Pergam. orygin., w czterech miejscach przegryziony, u którego na sznurku konopnym przywieszona bulla Clemens Pp. VI.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 119.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri .. archiepiscopo Gnegnensi salutem et apostolicam benedictionem. Dudum exigendi, colligendi et recipiendi censum annuum, qui de . . . (*12 lit. des.*) vulgariter nuncupatur, nobis et ecclesie Romane in partibus regni Polonie debitum, concessimus (*6 lit. des.*) Arnaldo de Lacavssina, canonico ecclesie Tu . . . (*10 lit. des.*) per nostras certi tenoris litteras, sicut in eis continetur, plenius potestatem. Volentes igitur pecunias (*3 lit. des.*) dicto censu tam per eundem canonicum quam quosvis alios collectas et colligendas ad nostram cameram fideliter destinari, fraternitati tue, de qua fiduciam in Domino gerimus pleniorem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus, non derogando in aliquo commissioni dicti canonici super predictis aut processibus per ipsum factis, quoscunque debitores census predicti tuarum nec non Wratislaviensis, Posnoniensis, Lubicensis et Caminensis civitatum et diocesium ad solvendum censum ipsum, per te vel alium seu alios, si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellere non postponas; non obstante, si eis vel eorum aliquibus, communiter vel divisim, a Sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et nichilominus easdem pecunias collectas, una cum prefato canonico, si presens fuerit, alias per te ipsum certis mercatoribus fide ac facultatibus ydoneis assignare procures, qui eorum periculis et expensis pecunias ipsas eidem camere, vel in villa Brugensis Tornacensis diocesis, dilecto filio Iacobo de Malabayla mercatori Astensi vel eius sociis aut factoribus ibidem morantibus, infra octo vel decem menses a die assignationis que (*5 lit. des.*) facta eis fuerit de dictis pecuniis (*7 lit. des.*) persolvere debeant integraliter et perfecte, faciendo super assignatione quam de dictis pecuniis feceris, ut prefertur, publi . . . (*8 lit. des.*) . . . enta confici per te ad nostram cameram (*12 lit. des.*) . . . as nichilominus super hiis fideliter transmittenda. Datum apud Villam novam Avinionensis diocesis VI Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno quarto.

Gnegnensis, *zam. Gneznensis.* Posnoniensis, *zam. Poznaniensis.* Lubicensis, *de Lubusz, z niem. Lebus.* Caminensis, *de Kamień, z niem. Kamin.* Villa Brugen-

sis, *Brüge.* Tornacensis, *de Tournay.* Astensis, *de Asti.* Villa nova, *miasteczko w Piemoncie.*

Nr. 1244.

Ludowicus (marchio Brandenburgens.) 1345 Aug. 2 (?), Kopanitz; Nicolao de Biechowo palatino Poznaniensi pecunias quasdam hac conditione assignat, si amicitia, inter Kazimirum regem Poloniae et inter se praeconcepta, processum habuerit.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. A 18, p. 17. (Kopja).

Noverint *etc.* quod nos Ludowicus *etc.* consideratis meritis et fidelibus obsequiis, nobis per nobilem virum Nycolaum de Bechowe, palatinum Pozenaniensem quodammodo exhibitis et adhuc in posterum fideliter exhibendis, nec non fidelitatis promisso nobis prestito, eidem suisque heredibus legitimis de mera mentis nostre benivolentia deputavimus, assignavimus, deputamus et presentibus assignamus xxx marcas argenti Brandenburgensis et ponderis annuorum reddituum, tollendas et percipiendas in pensione civitatis nostre Arnswold: quarum singulis annis quindecim in festo beati Martini et quindecim in festo beate Walpurgis deinceps subsequentis tollere debebit inpedimento quolibet procul moto: tam diu, quousque nos, heredes aut successores nostri, sibi vel suis heredibus in cc marcis argenti Brandenburgensis satisfecerimus, dictas xxx marcas pro premissa pecunia non sub defalcationis titulo exsolvendo. Talem approbantes deputacionem per presentes, ut premittitur, si inter illustrem fratrem nostrum Kazimirum, regem Polonie, atque nos, processum habuerit amicitia preconcepta; volentes quoque, ut advocatus noster presens ibidem seu qui pro tempore fuerit, prenotato Nycolao de Bechowe et suis heredibus, si pretacte civitatis nostre Arnswold pensio cuiquam deputata foret vel esset, de aliis terrarum nostrarum obventionibus, annue, temporibus preexpressis memoratam pecuniam det, porrigat et ministret. In cuius *etc.* Testes: Wolfsteiner, Swyker, Husener, Lochin, Bombrecht magister coquine, Satzenhofer, Otto de Helbe cum ceteris. Datum Kopanitz, anno XLV, post octavam sancti Iacobi.

Bechowe, *Biechowo.* Arnswold, *Arnswalde.* Kopanitz, *Kopanica.*

Nr. 1245.

Clemens Pp. VI 1345 Sept. 2, Avinione; ratas habet constitutiones, quas pro ecclesia Poloniae ediderat: **Fr. Gentilis presbyter cardinal. apostol. Sedis legatus 1309 Nov. 10, Posonii.**

Helcel. Starodawne prawa Polskiego pomniki, I p. 390. (*Kopja sporządzona przez:* Iohannes Pauli de Policz, clericus Pragens. diocesis, publicus auctoritate imperiali notarius etc. 1359 Mart. 29, Wratislavie).

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Hiis que interdum pro libertate ac utilitate ecclesiarum ac earum prelatorum et aliarum

personarum ecclesiasticarum, presertim per legatos Sedis apostolice a latere missos, ut status ecclesiarum et prelatorum ac personarum predictorum magis decorus et honorabilis perseveret, tam provide quam salubriter statuuntur et eciam ordinantur, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem, ut illa perpetuis futuris temporibus illibata consistant, que nostro fuerint presidio communita. Sane peticio venerabilis fratris nostri Apeczconis episcopi Lubuczensis nobis nuper exhibita continebat, quod dudum bone memorie Gentilis, tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, in regno Ungarie ac provincia Polonie, infra quam ecclesia Lubuczensis existit, et quibusdam aliis terris eidem regno adiacentibus auctoritate Sedis apostolice plene legacionis fungens officio, in concilio videlicet per eum apud Posonium Strigoniensis diocesis constitutum in dicto regno Ungarie celebrato, nonnullas constituciones pro libertate ac utilitate ecclesiarum ac earum prelatorum et aliarum personarum ecclesiasticarum infra fines legacionis sue consistencium edidit, utiles et salubres inhibiciones, prohibiciones, decreti interposiciones, ac excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias et nonnullas penas alias continentes, prout in litteris prefati cardinalis inde confectis, ipsius sigillo munitis, quarum quidem constitucionum certa capitula de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, continetur. Quare pro parte dicti episcopi nobis extitit humiliter supplicatum, ut capitula predicta et omnia in eis contenta, cum prefate littere timeantur vetustate consumi, fulcire apostolico munimine dignaremur. Nos igitur ecclesias et earum prelatos ac personas ecclesiasticas predictas in suis libertatibus ac utilitatibus, quantum cum Deo possumus, confovere volentes, ipsius episcopi supplicationibus inclinati capitula predicta rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenores autem dictorum capitulorum tales sunt: (*Sequitur diploma Nr. 928*).

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Avinione quarto Nonas Septembris, pontificatus nostri anno quarto.

Nr. 1246.

Ludovicus (marchio Brandenburgens.) 1345 Sept. 10, Berlyn;
Ordini s. Iohannis Ierosolimitani castrum et oppidum Czaplinek confert.
Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. A 24, p. 37. (Kopja).

Noverint *etc.* quod nos Ludovicus *etc.* dedimus, donavimus et presentibus damus et donamus honorabilibus et religiosis viris Ordinis sancti Iohannis Ierosolymitani domus Hospitalis fratribus, meritorum suorum fidelium nobis exhibitorum et adhuc exhibendorum consideratione, castrum et opidum Tempilburg cum singulis et universis, ipsis, videlicet castro et opido de iure seu ex debito pertinentibus suis pertinentiis, in antea perpetuis temporibus quiete et pacifice possidendum, tenendum pariter et habendum. Adiectione tamen tali addita, quod prenotati Ordinis fratres, nobis et heredibus nostris cum pretactis opido et castro contra quemlibet hominem, cuiuscunque conditionis seu status fuerit, sine contradictione qualibet perpetue, quotiens-

cunque et quocunque tempore nobis heredibusque nostris necesse fuerit et ipsos habuerimus requisitos, parere debeant et patere. In cuius *etc.* Testes: burggravius de Nürenberg, H. comes de Swarzburg, Büch, Mütner, Swyker, Wolfsteiner, Husener, Lochin, Hele pincerna, magister coquine, Hasso senior, q. (sic) Wolf, Wolkowe, Loterpeck. Datum Berlyn, anno XLV, sabbato post Nativitatem virginis Marie.

Tempilburg, *Czaplinek.*

Nr. 1247.

Kazimirus rex Polonie 1345 Sept. 26, in Poznan; civitati Wschowa partem hereditatis Nowe Przyczyny confert.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn., czerwon. i żółt. przywieszona mała pieczęć Kazimierza króla, wyobrażająca Orła w koronie; napis: S. Kazimiri D'i. gra. regis Poloie.

Poznań. Königl. Staats Arch. Fraustadt Nr. 1.

In nomine Domini amen. Nos Kazimirus Dei gracia rex Polonie recognoscimus universis tenore presencium potituris, quod melioracioni civitatis nostre Wschowa solliciter intendentes ut ex eo nobis presens profectus et futurus augeatur, exnunc igitur totam partem hereditatis dicte Nowa Pricz: que olim fuerat Mathie de Panwicz ac sue coniugis et ad nos nunc pertinet et nunc in nostram cessit dicionem, videlicet quinquaginta mansi cum censu: istos igitur L mansos cum censu viris famosis, fidelibus nostris omnibus civibus de Wschowa damus, tradimus et donacionis perpetue tytulo conferimus, in perpetuum tenendos et habendos cum omni iure et toto dominio, ac cum universis utilitatibus, proventibus, usibus, redditibus nec non cum universis pertinenciis ad ipsos, ut eciam eos predicti Mathias seu eius uxor post eum tenuerunt; sicque eosdem mansos dantes civibus predictis, eandem nostram donacionem presentibus confirmamus. Datum in Poznan feria secunda ante festum beati Michaelis, anno Domini m.ccc.xl quinto, nostro regio sub sigillo.

Nowa Pricz, *Przyczyna, nie wiadomo, górna czy dolna.*

Nr. 1248.

Ludowicus (marchio Brandenburgens.) 1345 Nov. 16, Driesen; villam Buchholtz Ordini s. Iohannis Ierosolimitani eodem iure et forma appropriat, quibus Betkino de Ost et Dobrogostio de Szamotuły pertinebat.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. A 19, p. 15; A 24, p. 38. (Kopje).

Noverint *etc.* quod nos Ludowicus *etc.* ad instantem requisitionem strenuorum virorum Betkini de Ost, militis, et Dobergozcii de Samptur, fidelium nostrorum dilectorum, cum matura deliberatione nostrorum consiliariorum appropriavimus et appropriare decrevimus per presentes honorabilibus viris et religiosis, commendatori ceterisque fratribus presentibus et futuris domus sive curie dicte Quartzan Ordinis

domus sancti Iohannis hospitalis Ierosolymitani, villam Bucholt prope Bernowe ad dictam domum Quartzan, eo iure, forma, modo et conditione, quibus dictis Betkino et Dobergozcio pertinebat, perpetuis temporibus sine datione, precaria, exactione et angaria quibuslibet pacifice seu quiete sine inpedimento quolibet pertinendam. Renuntiantes *etc.* Testes: Wolfsteiner, Husener, Satzenhofer, Altman et Conradus Helé. Datum Driesen, anno XLV, feria quarta post Martini.

Samptur, *Szamotuły*. Quartzan, *Kwarczan*. Bucholt, *Buchholtz*. Bernowe, *Bernstein*. Driesen, *Drzeń*, *późniéj Drezdenko*.

Nr. 1249.

Kazimirus rex Polonie 1346 Apr. 6, Kalis; ratam habet commutationem hereditatum ecclesiae Gneznensis dictarum Bobry et Piekart, cum hereditate Stephani et Ianussii fratrum de Sośnica, dicta Godzisze, quam privilegiis antiquarum villarum eiusdem ecclesiae munit.

Pergam. orygin. Od przywieszenia pieczęci pozostał sznur jedwabny, zielony. Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 120.

In nomine Domini amen. Cum commutaciones seu resignaciones inter quoslibet qualescunque robur non optineant firmitatis, nisi consensu regum testiumque annotacione per vim scripti extiterint perhennate, eapropter nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie noticie universorum tam presencium quam futurorum presentibus declaramus, quod in nostra nostrorumque baronum presencia constituti venerabilis in Christo pater dominus Iaroslaus, divina providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, parte ex una, et Stephanus ac Ianussius fratres uterini de Sosnicza, parte ex altera, sani et incolumes mente et corpore omnes cum bona deliberacione commutacionem bonorum suorum inter se mutuam fecerunt, que est talis. Ipse namque dominus archiepiscopus cum consensu Capituli sui ecclesie Gneznensis, Bobri et Pikartowo hereditates ecclesie premissis Stephano et Ianussio ac eorum progenitis tenendas hereditarie, militali et non ecclesiastico iure, pro hereditate ipsorum Godzesewo resignavit. Ipsi autem Stephanus et Ianussius, eandem hereditatem suam Godzessowo, non reservantes quitquit amplius pro se vel pro suis pueris seu propinquis aut amicis quibuscunque iuris in Godzesewo vel dominii, sed totaliter in manus premissi domini Iaroslai archiepiscopi irrevocabiliter tradiderunt, nobis humiliter supplicantes, ut ipsam eorum commutacionem nostro insignio ratificare dignaremur. Nos autem moti eorum omnium votivis instanciis dictam eorum commutacionem gratam habentes, presentibus gratuite confirmamus. Sed ne matris Ecclesie generosam propaginem, dum nobis suo premisso negocio viciabatur, sine graciis regalibus preterire videamur, ergo, ut filius Ecclesie, dictam hereditatem Godzesewo, supprimentes ibidem omnia iura preiudicialia ecclesie, gaudere decernimus omni iure, quo ville subiecte ecclesie Gneznensi gaudent et ipsa ecclesia privilegiis nostrorum predecessorum eciam gaudet feliciter consolata. Hoc eciam presentibus duximus declarandum, quod utraque pars sibi mutuo circa commutacionem eandem promisit presencialiter coram nobis pro intercessione in iudicio et eviccione, si alteri per quempiam super bonis predictis sic solempniter commutatis ad invicem moveri contingeret questionem. In

horum igitur omnium evidenciam, presentibus nostrum sigillum est appensum. Actum Kalis feria quinta ante dominicam Domine ne longe, anno Domini millesimo ccc.xl sexto, presentibus hys nobilibus nostris: Nicolao palatino Kalisiensi, Thomislao Poznaniensi, Sbilutho Gneznensi, Beniamino Naklensi, Wenceslao Siradiensi, Iarando Rospiriensi castellanis, et aliis multis fide dignis. Datum per manus domini Otte, cancellarii nostri Poznaniensis.

Sosnicza, *Sośnica.* Bobri, *Bobry.* Pikartowo, *Piekart.* Godzesewo, *Godzisze.* Naklensis, *de Nakło.* Rospiriensis, *de Rozprza.*

Nr. 1250.

Kazimirus rex Polonie etc. 1346 Iun. 6, in Pizdri; confirmat privilegia, quae dederant monasterio de Łekno: **Boleslaus dux Polonie 1258 Febr. 14, in Gnezna, Wlodizlaws dux Polonie 1216 Mart. 15, in Poznan,** et **Premisl dux Polonie 1260 (sic) Febr. 24, Poznanie.**

Wągrowiec. Archiv. monasterii. Protocollum 2dum fol. 37. (Kopja z pergaminu orygin., u którego była przywieszona pieczęć na sznurze jedwabn., czerwon.)

Wągrowiec. Archiw. miejskie: Transsumpt oryginalny, potwierdzony przez: Sigismundus tertius rex Poloniae etc. 1590 Dec. 16, Varssaviae, *w pergaminie, którego pieczęć znikła.*

Nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie nec non Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie Pomeranieque dominus terrarum et heres, perpetue memorie commendantes universis et singulis harum serie litterarum notum facimus tam presentibus quam futuris, quod accedens ad nostram regiam presenciam religiosus vir Gerardus, abbas monasterii de Lukna Ordinis Cisterciensis, privilegia tria infrascripta, in nulla sui parte viciata vel suspecta exhibuit publice et ostendit; quorum quidem privilegiorum tenor, et primo unius est talis: (*Sequitur diploma Nr. 367*).

Item alterius privilegii tenor est talis: (*Sequitur diploma Nr. 87*).

Tercii vero et ultimi privilegii tenor est talis: (*Sequitur diploma Nr. 334*).

Quibus quidem privilegiis exhibitis, predictus frater Gerardus abbas de Lukna, ut ea innovaremus et ratificaremus nobis humiliter ac devote supplicaverat. Nos autem sane considerantes, quod talia que per nostros predecessores Ihesu Christo sunt collata, ut mercedem sempiternam recipere valeamus in celis, ea officium regie maiestatis divinitus nobis concessum exercendo eciam in terris non infringamus, sed pocius rigorose solidemus ut cultus divinus tempore in nostro peramplius vigeat et augeatur, prescripta tria privilegia de verbo ad verbum, prout supra continentur, cum omnibus suis clausulis opportunis grata et rata habentes, de solite magestatis gracie plenitudine indiminute approbamus et confirmamus. In cuius rei testimonium, presentes scribi et dicto abbati dari fecimus appensione nostri regii sigilli roboratas. Actum in Pizdri durante in colloquio nostro generali, feria tercia infra octavas festi Penthecostes, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, presentibus hiis testibus: reverendo in Christo patre domino Iaroslao Gneznensi archiepiscopo, Mathia Borcowicz Poznaniensi, Nicolao Kalisiensi palatinis, Nicolao Poznaniensi, Do-

beslao Kalisiensi iudicibus, Thomislao vicecancellario nostro, et aliis multis testibus fidelibus nostris fide dignis. Datum per manus domini Othonis cancellarii nostri Polonie, scriptum autem per Iasconem de Busca scriptorem curie nostre.

Lukna, *Łekno.* Pizdri, *Pyzdry.* Busca, *Busko.*

Nr. 1251.

Kazimirus rex Polonie 1346 Iun. 14, in Pysdri; confirmat privilegium, quod **Wladislaus Cracovie tociusque Polonie dux 1315 Dec. 29, in Chanczin** civitati Słupca dederat.

Transsumpt orygin., potwierdzony przez: Elizabeth senior regina Ungarie et Polonie 1372 Iun. 12, Poznanie.

Kalisz. Archiw. Rządowe. Diplomata.

In nomine Domini amen. Nos Kazimirus Dei gracia rex Polonie recognoscimus universis tam presentibus quam futuris tenore presencium potituris, quod accedens ad nostram presenciam discretus vir Nicolaus dictus Wodiczca, civis de Slupcza, quoddam privilegium patris nostri dilecti domini Wladislai olim ducis Polonie exhibuit coram nobis et ostendit, et petivit illud per nos innovari. Cuius quidem privilegii de verbo ad verbum tenor erat talis: *(Sequitur diploma Nr. 979).*

Nos vero prescriptum privilegium cum omnibus suis articulis et clausulis universis, ob merita eiusdem Nicolai de mera et solita nostre regie maiestatis benignitate innovamus, approbamus, ratificamus et graciose confirmamus. In horum igitur omnium testimonium et evidenciam pleniorem, presentes dedimus nostri sigilli munimine roboratas. Actum in Pysdri feria quarta in vigilia Corporis Christi, anno eiusdem MCCCXL sexto, presentibus hys testibus: Nicolao palątino Kalisiensi, Arkemboldo Syradiensi, Nicolao Crusficiensi castellano, Nicolao iudice Poznaniensi, Wirzbiantha subcamerario, Cristino subdapifero Kalisiensibus, et aliis multis fide dignis. Datum per manus domini Ottonis cancellarii Polonie.

Slupcza, *Słupca.*

Nr. 1252.

Dobeslaus iudex terrarum Gneznens. et Kalisiens. 1346 Nov. 13, in Pisdry; ecclesiae Gneznensi hereditates Stropiszyn et Pępocin contra petitiones Iohannis et Przedpelkonis fratrum, heredum de Trąbczyn, nec non hereditatem Kokanin contra instantiam Petrassii, heredis de Rzegocin adiudicat.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 93 v.

Nos Dobeslaus iudex terrarum Gneznensis et Kalisiensis notum facimus universis et presentibus recognoscimus, quod de hereditatum Tropessino et Panpicza, in presencia nobilium virorum Nicolai capitanei Polonie, Maczconis Poznaniensis et Nicolai Kalisiensis palatinorum et aliorum infrascriptorum testium, dominum Kel-

czonem custodem et ecclesiam Gneznensem peticione et ab instancia Iohannis et Przetpelkonis fratrum, heredum de Trampczino; ac venerabilem in Christo patrem et dominum reverendum, dominum Iaroslaum sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopum, similiter ab instancia et peticione Petrassii heredis de Stregoczino pro hereditate Cokanino tenore presencium absolvimus, ipsis dictas hereditates adiudicantes et prenominatis heredibus super ipsis perpetuum silencium imponentes; in cuius rei testimonium, nostrum sigillum presentibus est appensum. Actum et datum in Pisdry in die sancti Briccii, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, presentibus viris nobilibus, palatinis Maczkone Poznaniensi, Nicolao Kalisiensi; Thomislao Poznaniensi, Sbiluto Gneznensi ac Ianussio Kalisiensi castellanis, atque aliis fide dignis.

Tropessino, *Stropiszyn.* Panpicza, *poniżéj z dodatkiem:* alias Kopydlowo, *może bydź Pępocin, lub też Kopydłowo.* Trampczino, *Trąbczyn.* Stregoczino, *Rzegocin.* Cokanino, *Kokanin.*

Nr. 1253.

Dobeslaus iudex terrarum Gneznens. et Kalisiens. 1346 Nov. 13, in Pysdri; ecclesiae Gneznensi hereditates Stropiszyn et Pępocin contra petitiones Andreae heredis de Trąbczyn eiusque cognatorum adiudicat.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 93 v.

Nos Dobeslaus iudex terrarum Gneznensis et Kalisiensis notum facimus universis et recognoscimus per presentes, quod in Pisdri in die sancti Briccii, anno Domini m.ccc.xlvi, presentibus Nicolao capitaneo Polonie, Maczkone Poznaniensi et Nicolao Kalisiensi palatinis, Thomislao Poznaniensi, Sbiluto Gneznensi, Ianussio Kalisiensi castellanis et aliis fide dignis, de ipsorum consilio et mandato adiudicavimus domino Kelczoni custodi, et ecclesie Gneznensi hereditates Troppessino et Panpycze perpetuo possidendas, absolventes ipsum seu ecclesiam Gneznensem ab instancia seu peticione Andree de Trampczino heredis et omnium cognatorum suorum, qui coram nobis ipsum statuentes, comiserunt sibi, suo et ipsorum nomine, facultatem litigandi pro hereditatibus eisdem; cuius allegacionibus et partis adverse hinc inde auditis, super huiusmodi hereditate sibi et omni sue cognacioni perpetuum silencium imposuimus, predicto domino Kelczoni et ecclesie Gneznensi presentes nostras litteras, nostro sigillo roboratas, super adiudicacione huiusmodi concedentes. Datum et actum in Pysdri in die sancti Briccii, anno Domini m.ccc.xlvi, presentibus testibus superius nominatis.

Troppessino, *Stropiszyn.* Panpycze, *in margine dodano:* sive Kopydłowo, *pewnie Pępocin; Kopydłowo odległe od ostatniego o 5 mil.* Trampczino, *Trąbczyn.*

Nr. 1254.

Dobeslaus iudex terrarum Gneznens. et Kalisiens. 1346 Nov. 14, in Pisdri; hereditatem Kokanin ecclesiae Gneznensi contra petitionem Petrassii, filii Pribconis de Rzegocin adiudicat.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 93.

Nos Dobeslaus iudex terrarum Gneznensis et Kalisiensis notum facimus universis et recognoscimus per presentes, quod in Pisdri sequenti die beati Briccii, anno Domini m.ccc.xlvi, in terminis generalibus, presentibus Nicolao capitaneo Polonie, Maczkone Poznaniensi et Nicolao Kalisiensi palatinis, Thomislao Poznaniensi, Sbilutho Gneznensi, Ianussio Kalisiensi castellanis et aliis quam pluribus militibus et domicellis fide dignis, de ipsorum consilio et mandato adiudicamus venerabili in Christo patri et domino reverendo domino Iaroslao, sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, et ecclesie sue suisque successoribus hereditatem dictam vulgariter Cokanino, ante Kalis locatam, perpetuo possidendam, eo, quod Petrassius, filius Pribconis de Strzegocin, super ipso Kokanino coram domino rege et coram nobis terminum cum domino archiepiscopo predicto recepit supradictum, in quo nec per se nec per sufficientem responsalem tribus diebus expectatus comparere curavit; propter quod, sua contumacia exigente, super eadem hereditate sibi perpetuum silencium imponentes, super huiusmodi adiudicacione dicto domino archiepiscopo presentes litteras nostras concessimus, presentibus dominis supradictis nostri sigilli munimine roboratas. Actum sequenti die beati Briccii, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto.

Cokanino, *Kokanin.* Strzegocin, *Rzegocin.*

Nr. 1255.

Fr. Iohannes prepositus domus Trzemesznens. una cum conventu eiusdem domus 1346 Dec. 5, in Trzemeschno; scoltetiam hereditatis Szydłowo cuidam Wyanczkoni iure Sredensi vendit.

Trzemeszno. Privilegia Conv. Canon. Reg. Later. Lib. privil. fol. 30.

In nomine Domini amen. Ab humana memoria facilius elabuntur, que nec litterarum insercione, nec proborum virorum testimonio comprobantur. Ob hoc igitur noscat presens etas et futura, quod nos religiosus frater Iohannes, prepositus domus Trzemesznensis, una cum conventu eiusdem domus vendidimus scolteciam nostre hereditatis, que in vulgari Schydlowo nuncupatur, pro decem marcis Thoruniensis monete iure Srzedensi Wyanczkoni suisque veris successoribus, damusque sibi et suis sequacibus in eadem hereditate Schydlowo tres mansos liberos iure perpetuo possidendos. Item volumus, quod idem Wyanczko et sui legittimi posteri, de iudiciis criminalibus et non criminalibus, iudicatis et iudicandis que in eadem hereditate secundum ius Srzedense evenerint, tercium denarium percipiat. Item sibi et eius progenitoribus ad ipsum iure pertinentibus, de omnibus thabernis, ortis, et aliis

omnibus proventibus qui in predicta hereditate haberi potuerint, prout ius Srzedense decrevit, tercium denarium. Decrevimus eciam, quod omnes incole in villa prefata Schydlowo inhabitantes a nostro censu et dominio duodecim annorum libertatem habeant; decimam vero nunc de cultis agris pro nobis singulis annis reservamus, de incultis vero octo annorum libertatem donamus. Elapsa vero libertate duodecim annorum, fertonem Thoruniensem de quolibet manso, in festo sancti Martini singulis annis domui nostre solvere tenebuntur. Decimam vero pro domo nostra manipulatim recipiemus. Insuper tria magna iudicia secundum ius Srzedense nobis reservamus. Eciam idem incole nobis tribus diebus in anno arare in nostris agris tenebuntur, et excepimus mansum unum in supradicta villa Schydlowo pro domo nostra reservantes. Damus eciam supranominato scolteto et suis incolis, in lacu nostro pisces capiendi cum hamo et aliis rethibus minutis; maiora vero pro nobis reservamus. Ut autem hec vendicio et ordinacionis institucio immobilis permaneat, presens scriptum nostris sigillis decrevimus firmiter esse roborandum. Actum et datum in Trzemeschno in vigilia beati Nicolai gloriosi confessoris et pontificis, sub anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo sexto, presentibus hys testibus: domino Iohanne preposito Trzemeschnensi, Petro priore eiusdem domus, Otthone subpriore, Iohanne custode, fratre Iacobo, et aliis fratribus et canonicis eiusdem domus.

Schydlowo, *Szydłowo.* Srzedense ius, *t. j. de Środa na Szlązku, dziś z niemiecka Neumarkt.*

Nr. 1256.

Clemens Pp. VI 1346 Dec. 8, Avinione; abbatibus de Żuków, Oliwa ac de Pelplin mandat, ut in causa inter episcopum de Kamień et Gneznensem archiepiscopum vertente decernant.

Pergam. orygin., u którego na sznurku konopnym przywieszona bulla Clemens Pp. VI.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 121.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis.. in Zukow et.. de Oliva ac.. de Polplyn monasteriorum abbatibus Wladislaviensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Gravem venerabilis fratris nostri.. archiepiscopi Gneznensis querelam accepimus, continentem, quod venerabilis frater noster Iohannes episcopus Caminensis, coadunata multitudine gentium armatarum, ad de Nova Czyrekviza et Wawrziskovo villas Gneznensis diocesis, ad mensam archiepiscopalem Gneznensem spectantes hostiliter accedens, villas ipsas violenter intrare ipsasque incendio concremare et alias destruere, nec non incolas dictarum villarum, vasalos eiusdem archiepiscopi capere, vulnerare, verberare et alias male tractare, ac pecora et alia bona tam archiepiscopi quam vasalorum predictorum ibidem inventa exinde secum in predam abducere pro suo libito non expavit, in archiepiscopi et mense predictorum contemptum et preiudicium non modicum et gravamen: quare prefatus archiepiscopus nobis humiliter supplicavit, ut sibi et dicte mense providere in hac parte de oportuno remedio dignaremur. Quia vero nobis non constitit de premissis, discre-

tioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quodsi non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Avinione VI Idus Decembris, pontificatus nostri anno quinto.

Zukow, *Żuków, z niem. Zuckau.* Oliva, *Oliwa.* Polplyn, *Pelplin.* Wladislaviensis, *de Włocławek.* Caminensis, *de Kamień, z niem. Kamin.* Nova Czyrekviza, *Mała Cerekwica.* Wawrziskovo, *wieś nad rz. Kamionka zamieniona później na miasto Kamień, gdzie następnie także wzniesiono kasztelanją.*

Nr. 1257.

Kazimirus rex Polonie 1347 Febr. 2, in Lowicz; bona sua Śpicimierz, Wieszczyce, lacum Jelonek, molendinum Księży młyn et villam Kokanin, quae libertatibus antiquarum villarum ecclesiae Gneznensis munit, cum hereditatibus eiusdem ecclesiae, dictis Przedecz, Żarów et Manice commutat.

Pergam. orygin. Na sznurze jedwabnym, czerwon. przywieszona pieczęć majestatyczna Kazimierza króla.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 122.

In nomine Domini amen. Quoniam facta mortalium digna memoria per decursum temporis labi consueverunt nisi litteris autenticis cum subscripcione testium commendata fuerint noticie posterorum, proinde nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris ad quorum noticiam devenerit scriptum presens, quod bonorum nostrorum ac ecclesie Gneznensis condicionem meliorem facere cupientes, cum venerabili patre nostro domino Iaroslao, divina providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, de consensu sui Capituli commutacionem bonorum vicissim fecimus infrascriptam. Dantes eidem domino archiepiscopo et sue ecclesie Gneznensi hereditates nostras, videlicet Spicimirz cum castro et Welscicze ibidem prope Uneyow situata, prout in suis limitibus sunt distincta, cum omnibus et singulis utilitatibus ac fructibus universis; item molendinum nostrum ante Gneznam, dictum vulgariter Ksanzi mlyn, super fluvium Velma situm, et lacum nostrum in Gnezna qui Ielene vulgariter nuncupatur, per eundem dominum archiepiscopum et suos successores qui pro tempore fuerint ac per ecclesiam Gneznensem, simul et villam Kocanino sitam prope Kalis, emptam iusto precio a Ubiscone vero herede per felicis recordacionis dominum Ianislaum suum predecessorem, libere ac pacifice perpetuo possidenda; volentes et in presentibus decernentes, quod eadem bona eo iure et libertate gaudeant et utantur, prout alie ville predicte ecclesie Gneznensis frui consueverunt et gaudere, cum predicta bona bonis archiepiscopalibus coniuncta sint vicinius et ex eo commodius gubernanda. Quodque in hominibus liberis seu obnoxiis predictorum bonorum, mulctas et penas, eciam capitales, pro maleficiis et culpis commissis, sicut in aliis sue ecclesie villis ipse dominus archiepiscopus et sui successores recipere valeat, et quod homines in bonis eisdem

degentes ad secularia iudicia non trahantur, nisi tantum ad presenciam ipsius domini archiepiscopi aut suorum iudicium: de nostra gracia concedimus speciali. Promittimus insuper et nos specialiter nomine nostro et nomine successorum nostrorum obligamur pro eviccione bonorum seu hereditatum earundem, si per quempiam pro ipsis bonis seu hereditatibus prenotatis, aut aliqua ipsarum, memorato domino archiepiscopo et ecclesie sue, seu suis successoribus moveri contigerit questionem. Recepimus autem a prefato domino archiepiscopo et ab ecclesia Gneznensi, suo consenciente Capitulo, hereditates seu villas, videlicet Przethcze et Zarowo cum lacu ibidem, sitas in terra Lanciciensi, ac Manicze ante Syrad per modum commutacionis eiusdem, tamquam vicina bonis nostris aliis, per nos et successores nostros, prout in suis limitibus similiter sunt distincta, cum fructibus et utilitatibus universis in perpetuum optinenda. Ut autem hec commutacio nostra sic sollempniter celebrata, inviolabilis perpetuo perseveret, eam presenti privilegio insigniri decrevimus nostri sigilli mayoris munimine roborando. Actum in Lowicz in die Purificacionis sancte Marie, anno Domini m.ccc.xl septimo, presentibus hys testibus: Nicolao Polonie, Iarando Syradie capitaneis, Ottone cancellario Polonie, Dzivissio pincerna Syradiensi, Samborio thezaurario Lanciciensi, Petro dicto Neorza tribuno Cracoviensi, et aliis multis fide dignis. Datum per manus cancellarii prenotati, scriptum autem per manus Pribislai aule nostre notarii et prepositi ecclesie sancti Georgii castri Gneznensis.

Spicimirz, *Śpicimierz*. Welscicze, *Wieszczyce*. Uneyow, *Uniejów*. Fluv. Velma, *rz. Wełna*. Ielene lacus, *jez. Jelonek*. Kocanino, *Kokanin*. Przethcze, *Przedecz*. Zarowo, *Żarów*. Manicze, *Manice*. Syrad, *Sieradz*.

Nr. 1258.

Clemens Pp. VI 1347 Febr. 19, Avinione; Andream ecclesiae Poznaniensi praeficit in episcopum et de more commendat.
Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 653.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Andree, electo Poznaniensi, salutem et apostolicam benedictionem. Quam sit onusta periculis, quam plena dispendiis, quantaque secum incommoda protrahat ecclesiarum vacatio diuturna sollicite considerationis indagine perscrutantes, libenter operarias manus apponimus et studium efficax impertimur, ut viduatis ecclesiis pastores preficiantur ydonei et ministri providi deputentur, quorum fulte presidiis et favoribus communite, malignorum insultus non metuant et pravorum non vereantur incursus, quinimmo, auctore Domino, felicibus proficiant incrementis. Dudum siquidem bone memorie Iohanne episcopo Poznaniensi regimini Poznaniensis ecclesie presidente, nos intendentes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice Sedis providentiam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie Poznaniensis dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Iohannis, qui nuper extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus

intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus, ne ipsa Poznaniensis ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, ac cupientes eidem ecclesie talem preesse personam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis ac in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te prepositum dicte ecclesie Poznaniensis, in diaconatus ordine constitutum, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis prout fidedignorum assercione percepimus insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua eidem ecclesie Poznaniensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesie Poznaniensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eadem ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina prospere dirigetur et salubria suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris suscipiens reverenter et tua eius oneri humiliter colla summittens, eiusdem Poznaniensis ecclesie solicitam curam geras gregem dominicum in illa commissum doctrina verbi et operis informando; ita quod dicta Poznaniensis ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium, nostre benivolentie gratiam uberius valeas promereri. Datum Avinione XI Kalendas Martii, pontificatus nostri anno quinto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Poznaniensis, Clero et populo civitatis et diocesis Poznaniensis, Universis Vassallis dicte ecclesie, ac Venerabili fratri.. archiepiscopo Gneznensi.

Nr. 1259.

Clemens Pp. VI 1347 Febr. 19, Avinione; Kazimiro regi Poloniae Andream electum Poznaniensem commendat.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 654.

Clemens *etc.* carissimo in Christo filio Cazimiro, regi Polonie illustri, salutem *etc.* Divine retributionis premium et preconium humane laudis acquiritur, si prelatis ecclesiarum, et hiis presertim qui pontificali dignitate sunt prediti, condignus honor impenditur et favor necessarius exhibetur. Dudum siquidem... (*etc. sicut in praecedente, usque:* suscipiet incrementa.) Cum itaque fili carissime sit virtutis opus, Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterna gloria venerari, excellentiam regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Andream electum et prefatam Poznaniensem ecclesiam sue cure commissam habens pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos, ipsosque benigni favoris auxilio prosequaris; ita quod idem electus tue celsitudinis fultus auxilio in commissa sibi cura pastoralis officii possit Deo propitio prosperari, et tibi exinde

a Deo perennis vite premium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Avinione XI Kalendas Martii, pontificatus nostri anno quinto.

Nr. 1260.

Clemens Pp. VI 1347 Mart. 5, Avinione; Andreae episcopo Poznaniensi munere consecrationis impertito, licentiam dat ad suam ecclesiam accedendi.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 655.

Clemens episcopus *etc.* venerabili fratri Andree, episcopo Poznaniensi, salutem *etc.* Pridem Poznaniensi ecclesia solatio destituta pastoris, nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis plenius continetur. Cum autem postmodum per venerabilem fratrem nostrum Bertrandum, episcopum Ostiensem, tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice Sedis beneplacitis te conformans, ad dictam ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus lacius diffundatur, et preter retributionis eterne premium, nostre benivolencie graciam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione III Nonas Marcii, pontificatus nostri anno quinto.

Nr. 1261.

Kazimirus rex Polonie etc. s. a. d. et l.; Statuta pro Polonia Maiore edit.

Bandtkie. Ius Polonicum p. 143. (Według Kodeksu Józefa Sierakowskiego i X. Świętosława z Wojcieszyna). — Helcel. Starodawne prawa Polskiego pomniki I, p. 183.

In nomine Domini amen. Cum Scriptura testante omnis etas ab adolescentia sit pronior ad malum et omnis creatura consistat sub vitio, et natura humana facile labatur ad delicta vitiaque etiam imitetur, quamvis, Domino disponente, subditi deberent fore pudici, pacifici et modesti, effrenata quandoque cupiditate, nisi iustitia conatus eius reprimeret, concordia inter homines nunquam foret; et quia dicente Scriptura summum bonum in hac vita est iustitiam colere et unicuique quod suum est tribuere, et propter hoc conditur constitutio seu statutum, ut humana coerceatur audacia et inter improbos innocentia securitate letetur: nos Kazimirus Dei gratia rex Polonie, cupientes ut subditi nostri in regno nostro degentes, presertim in terra Polonie, cuiuscunque status vel conditionis existant, honeste vivant, alterum non ledant, et ius unicuique tribuatur, de consilio venerabilis in Christo patris domini Iaroslai, sancte ecclesie Gneznensis archiepiscopi ac prelatorum nec non palatinorum ceterorumque baronum et nobilium nostrorum de terra Polonie, ad perpetuam rei memoriam statuta edidimus infrascripta; volentes ut ipsa statuta in predicta terra Polonie a quibuslibet observentur, sicut nostram indignationem et penas contentas in

illis cupiunt evitare. Requirit enim plerumque audacia perversorum, ut non simus sola delictorum prohibitione contenti, sed pena etiam delinquentibus imponatur.

I. *De iudicibus.*

Quoniam dum vultus noster ab his personis ex quibus constat iudicium contemplatur, iudex se offert iustitiam ad reddendam promptiorem et abstinebit a calumniis litigantes, proinde statuimus: quod nostra regia maiestate terram Calisiensem sive Poznaniensem intrante, iudex statim ad nostram curiam sive Calisiensem sive Poznaniensem intrare tenebitur et iudicio presidere, cognoscendo de omnibus causis, hereditariis etiam, tamen in nostra presentia, vel preter nos nostro speciali de mandato. Alioquin nobis extra terram existentibus, termini pro hereditatibus generales prout hactenus observatum extitit teneantur.

II. *De scriptoribus iudiciorum.*

Statuimus: quod scriptores iudiciorum de testibus producendis, si scribere et signare eorum dicta opportebit, recipiant tres grossos; ubi vero terminos peremptorios scribunt, de nota et signatura in grosso medio contententur.

III. *De officialibus iudiciorum.*

Item volumus: quod officiales de uno producente testes habeant quatuor scottos, a pena vero que dicitur pietnadziesta, bovem; et quando pro furto pignorant, bovem mediocrem. Sed de limitatione hereditatum, etiamsi pro una die duas vel tres hereditates inter eosdem duos succamerarius limitaverit et consummaverit, recipiat mediam marcam; sed a pluribus diebus, sive plures limitaverit hereditates sive unam limitaverit, tres marcas et duas secures cum duobus fossoriis iure suo tollat Item, si officialis alias wozny aliter formam iuramenti testibus dixerit quam est mandatum, et de hoc convictus iudicio fuerit, perpetuo de officio deponatur.

IV. *De causis criminalibus et absentia accusatoris.*

Statuimus: quod in causis criminalibus, in absentia accusantis seu actoris cuius interest, nos vel nostri successores aut capitanei nostri cognoscere non debemus nec aliquem hominem condemnare, nisi convictum iudicio et confessum.

V. *De illis, qui per strepitum ad iudicium veniunt.*

Plerumque fit, quod aliqui propter causas consanguineorum vel familiarium suorum ad iudicia venientes, per strepitum et importunam ipsorum acclamationem et infestationem sententiam seu victoriam causarum reportare consueverunt; unde super hoc providere volentes statuimus: quod deinceps nemo cuiuscunque status vel conditionis existat, propter causam consanguinei vel familiaris aut servitoris ad iudicium venire tali modo non servata quadam reverentia et discreta decentia presumat; quodsi quisquam contra facere presumpserit, pena que dicitur pietnadziesta nostre camere applicanda puniatur.

VI. *De extractione cultelli in iudicio.*

Statuimus etiam: quod si aliquis in iudicio cultellum extraxerit neque aliquem vulneraverit, ut talis denique in gratia nostra consistat. Si vero gladium vel cultellum extraxerit et vulneraverit aliquem, pena que dicitur siedmnadziesta puniatur, et illi quem dehonestaverit, penam pietnadziesta solvere teneatur.

VII. *Sequitur de eodem.*

Insuper statuimus: si quispiam coram nobis gladium vel cultellum extraxerit et aliquem vulneraverit, sine gratia puniatur. Si vero extraxerit et non vulneraverit, in gratia nostra consistat; et idem si coram capitaneo nostro hoc factum fuerit, decernimus observandum. Si vero coram domino archiepiscopo gladium vel cultellum

extraxerit, sive vulneraverit sive non, pena siedmnadziesta puniatur eidem domino archiepiscopo applicanda.

VIII. *Sequitur de verbis vituperosis.*

Si quis vero turpia coram eo protulerit, penam eidem domino archiepiscopo pietnadziesta persolvat. Si vero in curia nostra vel alicuius militis minutas quascunque res quis subtraxerit, auris periculo et privationi sit subiectus. Ubi vero coram milite quis gladium vel cultellum extraxerit, neminem tamen vulnerando, sit in gratia militis; si autem vulnus intulerit, decernimus ut manus sua perforari possit et debeat.

IX. *De citationibus.*

Decernimus etiam declarando: quod nos vel capitaneus noster vel palatinus vel iudex vel subiudex, vel officialis qui dicitur wozny, habeant facultatem dandi ministerialem ad citandum; ita, quod qui habent ius, non citentur nisi per literas nostras vel nostri capitanei, illique per literas duntaxat citentur. Sed curia nostra presente vel iudicio nostro generali existente, poterit officialis ad mandatum nostrum vel nostri capitanei seu iudicis sine litera citare in hospitio aut in foro. Extra curiam nostram vel iudicium nostrum si quis citari debuerit, non in domo militis, sed apud vladarium sive scultetum edictum citatorium proponatur actore presente vel eius nuntio, ei contra quem actio fuerit dirigenda, causa citationis per quem citatur exposita et assignato sibi certo termino comparendi. Et si citatus comparere non curaverit vel contempserit, pro quolibet termino, videlicet primo et secundo, octo scottos pro pena solvere teneatur; et in tertio termino si non comparuerit, causam perdat et ab actione cadat cum pena. Si vero actor in primo termino nec per se nec per alium suum nuntium paruerit, ab actione sua cadat cum pena septem marcarum.

X. *De inopinata citatione et deliberatione danda.*

Perpetuo prohibemus edicto: quod nostri familiares vel alii in nostra curia citati, seu coram nobis vel nostro iudicio arestati et inopinate inventi, respondere minime teneantur; sed citati legitime, propositis sibi actionibus coram nobis vel iudicibus nostris respondebunt, concessa eis deliberatione super propositis actionibus competenti.

XI. *De non receptione hereditatis vendite vel obligate post prescriptionem.*

Preterea statuimus quod edicto perpetuo servari mandamus: quod quicunque venditam possessionem infra octo annos, volens in ea aliquod ius vendicare in iudicium non reduxerit reclamando, vel hereditatem obligatam infra XXX annos non redimerit per se vel suos consanguineos quibus hoc competit de consuetudine speciali, hereditates sic vendite vel etiam obligate ab annis predictis, quos volumus currere ab anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo septimo a dominica Letare, penes ipsos quibus sunt vendite vel etiam obligate, perpetuo remaneant ipso facto.

XII. *De prescriptionibus spolii.*

Statuimus insuper: quod passus damna per furtum vel spolium in pecoribus vel pecudibus vel rebus minutis, infra annum tantummodo evocandi ad iudicium quem voluerit habeat facultatem; sed in iumentis et equis violenter vel furtive ablatis, infra duos annos; post annos vero supradictos, ad agendum non nisi cum testibus admittatur.

XIII. *De moneta in regno currente.*

Item ex quo unus princeps unum ius, etiam una moneta in toto regno debet haberi; que sit perpetua et bona in valore, ut per hoc magis sit grata.

XIV. *Quando iudex non potest redargui.*

Insuper statuimus: quod in nostra presentia vel coram nostro capitaneo vel quando generales termini tenentur palatinis vel baronibus presentibus, iudex iudicans non possit de malo iudicio redargui: cum non ipse solus, sed ceteri et plures iudicant supradicta.

XV. *De oblivione iudicate sententie.*

Adiicientes: quod quando super iudicato dubitabitur et ad iudicem recipietur, alias wstecz, quod si ille in memoria tenet, qualiter iudicavit statim dicere vel in crastinum differre teneatur.

XVI. *De illo, qui sententiam iudicis redarguit.*

Statuimus insuper: quod si litigator dixerit, in nostra nostrorumque baronum presentia vel absentia, iudicantem in causa sua inique et perperam processisse vel iudicasse, iudex per suos collegas qui secum presederunt in iudicio eodem statim probare debebit, quia iuste et legitime iudicavit. Sin autem arguens de falso sententiam suam, probare voluerit ipsum iudicem ut premittitur inique sententiam protulisse, id probare teneatur per sex testes similis dignitatis cuius noscitur esse iudex; isque redarguens sententiam iudicis ut est dictum nullatenus audiatur, donec iudici tres marcas vel pelles dederit mardurinas, quas idem iudex pro se iudicialiter obtinebit.

XVII. *De fideiussoria cautione.*

Preterea statuimus: quod quilibet fideiussor, illo negante pro quo fideiussum fuerit, si debitum fuerit viginti marcarum, solus, si vero fuerit quadraginta, metsecundus; in maiori vero pecunie quantitate, mettertius ipsum debitum pro quo fideiussum fuerat fideiussor et duo alii firmabunt propriis iuramentis. Etiam decernimus: quod nullus fideiussor pro illo pro quo fideiussit in iudicio equum vel bovem obliget; alias si obligaverit, ad restitutionem damnorum principalis debitor procedet, si presertim processerit de eius voluntate.

XVIII. *De liberante alium a iudicio.*

Quotiescunque in iudicio in causis criminalibus seu quibuscumque aliis, magnis vel parvis, quispiam conventus fuerit qui dominum aut criminis auctorem nominaverit aut socium, eiusque mandato se fecisse affirmaverit, et ille tunc principalis veniens ad iudicium ipsum liberabit asserens, ipsum id fecisse suo mandato: statuimus, quod ille citatus libere a iudicio discedere poterit, actioque huiusmodi dirigi debebit contra dominum et criminis auctorem, qui protinus et ex continenti respondere tenetur; alias primus ille qui citatus est respondere compellatur.

XIX. *De donationibus.*

Hoc statuto perpetuo declaramus observandum: quod donationes fixe et firme debeant permanere, etiamsi privilegium super eisdem donationibus concessum non fuerit, dummodo saltem morte donatoris vel eius cui donatio facta fuerit confirmetur; presertim his, qui nobiscum seu nostris successoribus viriliter in bello pugnantes fuerint interfecti, donatio recipiat perpetuam firmitatem.

XX. *De servicio exhibendo.*

Decernimus etiam: quod barones et nobiles nostri terrarum Polonie, nobis et nostris successoribus in regno nostro Polonie quanto melius et efficacius poterint teneantur militare et armis se instruere et servire; sed extra regni metas nobis servire non sunt obligati, nisi ipsis satis competens satisfactio per nos impendatur, vel per nos specialiter fuerint petiti et rogati ad hoc.

XXI. *De filia vivente patre dotata.*

Statuimus etiam: quod postquam aliquis nostrorum nobilium filiam suam vivens nuptui tradiderit et dotem sibi assignaverit competentem, ipso tandem defuncto, eadem plura a fratribus repetere non poterit. Si vero patre mortuo filia vel filie remanserint solute neque per patrem dotate, si filia fuerit palatini et possessiones fuerint multe, eidem centum marce pro dote per fratres assignentur; ubi vero possessiones pauce et filie multe, vel una hereditas, fiat estimatio in valore, et pars contingens cuilibet sorori per fratrem nomine dotis pecunia persolvatur. Et idem sentimus de filiabus inferiorum nobilium a palatino: quod cum eas in vita tradiderint maritis dote eisdem similiter assignata competenti, quibus de hac luce sublatis, fratribus questionem pro maiori hereditate movere non poterint. Fratres vero uterini cuilibet sorori quadraginta marcas solvere teneantur si possessiones sunt multe ut prefertur, si vero pauce, fiat estimatio ut supra, et pars contingens cuilibet sorori in pecunia per fratres exolvatur. Fratribus vero uterinis non existentibus, idem volumus de patruelibus esse intelligendum, et patruelibus non existentibus, tunc quilibet de eisdem armis et signis, consanguinitate saltem proximior, in bonis hereditariis seu patrimonialibus succedere poterit sororibus dotatis ut superius est descriptum; et interim, quousque sorores non fuerint matrimonialiter copulate, hereditates patrimoniales quocumque modo vocitentur, predicti fratres possidebunt, quousque eas nuptui tradant et dotent modo premisso. Hoc specialiter declarando prout etiam superius premisimus: quod cum pater in vita sua aliquam nuptui tradiderit, ex hoc debeat contentari quod sibi pater assignaverat dum adhuc viveret in humanis, nec fratribus pro dote aliquam poterit movere questionem; sed contentari debet de eo, quod parentes ipsius viventes et sui compotes existentes sunt largiti: adiicientes, quod fratribus seu mortuis seu existentibus, filie hereditatibus non succedant, sed contententur dote eis tradita ut superius continetur.

XXII. *De divisione bonorum post obitum matris.*

Statuimus: quod ubi pater post obitum sue coniugis inter filios suos fecerit divisionem bonorum suorum quam filiis denegare non potest, quamvis per nos vel capitaneum nostrum eadem divisio ratificata non fuerit seu confirmata, eodem patre mortuo filii ipsam rescindere non valebunt quocunque modo, sed paternam portionem inter se divident. Isto modo facta autem huiusmodi divisione bonorum ut dictum est, si pater aliam uxorem duxerit et filios susceperit ex eadem, filii prioris matrimonii ad paternam partem nequeant conspirare, sed erit portio secundi matrimonii filiorum. De filiabus vero, si quis habuerit vel eas reliquerit, fiat ut prius est constitutum. Si duo vel tres fratres divisionem inter se fecerint, uno ex ipsis mortuo nec fratres superstites nec filii fratris presumant rescindere eandem divisionem, quamvis eorum divisio nec per nos nec per nostrum capitaneum fuerit confirmata.

XXIII. *De milite vel kmethone occiso vel vulnerato.*

Quamvis occidens hominem, secundum legum sanctiones foret capitali pena plectendus, nos tamen vigorem illum temperantes statuimus: quod occidens militem, triginta marcas parentibus, pueris vel amicis; mutilans autem in pede, manu vel naso, quindecim marcas; in pollice vero mutilans, octo marcas; digitum vero quemlibet alium amputans, tres marcas grossorum ipsi mutilato vel in digito leso ut supra dicitur solvere teneatur. Pro qualibet vero vulneratione predictorum membrorum, vulnerato pena que dicitur pietnadziesta persolvatur. Si vero quispiam kmethonem occiderit, decem marcas solvere teneatur, quarum sex uxori seu pueris si superstites fuerint, et residue quatuor marce domino occisi exolvantur. Si vero occisus fuerit

dominorum duorum, tunc dicte quatuor marce inter dominos sunt dividende. Vulnerans autem kmethonem, eidem vulnerato unam marcam; domino autem ipsius, si vulnerans et vulneratus unius domini fuerint, unam marcam integram ipse vulnerans pro pena solvere teneatur. Si vero vulnerans et vulneratus duorum dominorum fuerint, inter ipsos marca huiusmodi penalis dividatur.

XXIV. *De raptu et oppressione virginum.*

Item statuimus: quod quicunque virginem, cuiuscumque status vel conditionis extiterit, sine voluntate parentum rapuerit et eam violenter oppresserit, vita ipsius sit in oppresse virginis gratia et amicorum eiusdem; filia vero sine voluntate parentum raptori consentiens vel se procurans recipi a raptore, etsi postmodum eidem matrimonialiter fuerit copulata, nichilominus dotem amittat, ita quod parentes seu amici eius non teneantur ad dotandum. Quicumque vero virgini seu vidue vel coniugate, in campo, silva, domo aut ubicunque opprimendo violentiam fecerit, et virgo seu mulier, evadens violentiam oppressoris et infra triduum ad villam viciniorem veniens seu in villa existens, ad villanos clamaverit plorando vel lacrimando, narrando sibi violentiam esse illatam, et signa oppressionis in ea apparuerint manifesta, et subsequenter iuraverit: in gratia nostra amicorumque eius idem oppressor existat, et hoc, si de eius clamore dicti villani fuerint protestati. Si vero virgo de oppressione aliquem accusaverit calumniose et in ea signa non apparuerint oppressionis, extunc, si is quem accusavit cum sex sue conditionis hominibus se expurgabit, ipsa calumniatrix, cuiuscumque status et conditionis existat, pena debita castigetur.

XXV. *De illo, qui tribus vicibus de furto fuerit accusatus.*

Statuendo declaramus: quod si quis tribus vicibus de furto vel spolio in iudicio convictus extiterit, etiamsi rem furtivam seu ablatam restituerit, is infamis remaneat perpetuo, nec eidem porte pateant dignitatum, nullaque donaria in vestibus aut aliis rebus a nobis penitus consequatur. Quodsi accusato de furto, sed non convicto, adhibito certo numero testium fuerit indicta purgatio, et is si unius testis testimonio defecerit, propter hoc infamis nullo modo habeatur, sed passo damnum satisfacere teneatur.

XXVI. *De furto in hereditate commisso.*

Preterea statuimus: quod si quis in alterius villa vel possessione, in lacu, piscina, in aqua fluenti, in feno, in frumento aut in campis furtum fecerit, iudicio convictus damnum passo satisfacere, et domino ville in qua huiusmodi furtum commissum est, ipse fur penam solvere teneatur. Depascentes vero et incidentes gramina cum falce, in tunica vel pallio impignorentur.

XXVII. *De usura Iudeorum.*

Usurarum voraginem in qua facultates exhauriuntur compescere cupientes statuimus etiam: quod Iudei nostrarum civitatum per septimanam non plus de usura recipiant, nisi tantum unum grossum a marca.

XXVIII. *De excessibus ministerialium.*

Flebili querela sepius recepimus, quod ministeriales per terram girantes et cursitantes, pauperes villanos vel religiosorum villas, aut pauperes milites ceterosque subditos nostros fatigandi vel vexandi modos exquisitos adinvenerint; ita, quod si alicuius ville pauperes milites aut villani religiosorum, eos pro beneplacito ipsorum officialium quibuslibet expensis non pertractant nec procurant, iidem ministeriales ipsos pauperes nobiles aut villanos sine culpa seu causa et absque iudicis precepto citant, occasione vexationis faciende terminos eis pro libito sue voluntatis assignantes, sicque

iidem pauperes milites seu villani, volentes redimere huiusmodi vexationes et molestationes, sepissime de certa pecunie summa cum eisdem componunt. Unde nos huiusmodi malitie et machinationi obviare volentes statuimus: quod deinceps ministeriales, sub pena privationis sui ministeriatus et privatione omnium suorum bonorum, absque speciali iudicis mandato aliquam citationem facere non presumant; alias premissam penam, et in facie adustionem et notationem non immerito poterint formidare.

XXIX. *De famulis in contentione dominum iuvantibus.*

Item statuimus: quod quotiescunque aliquos, cuiuscunque conditionis vel status existant contendere contigerit, et famulus dominum suum iuvando exempto gladio vel cultello aliquem vulneraverit, pro eo indignationem vulnerati vel amicorum ipsius nullatenus incurrat.

XXX. *De illo, qui interficit iumentum alicuius indomitum.*

Statuimus insuper: quod interficiens iumentum indomitum cuiuscunque, quatuor marcas; poledrum vero interficiens, tres marcas; et ubi iumentum ictu vel plaga alicuius lesum fuerit ad dorsum, marcam cum dimidia; et pro poledro secundi anni, quinque marcas huiusmodi ictum vel plagam inferens solvere teneatur. Ubi vero tertii, quarti vel quinti anni poledrum, vulgariter zrzebca occiderit, iuxta quod passus damnum super estimatione eiusdem poledri occisi iuramento suo firmaverit, satisfacere teneatur.

XXXI. *De incidentibus silvas.*

Statuimus etiam: quod quicunque habens cum aliquo limites vel terminos, ipsos transgrediendo ligna vel utensilia in alicuius silva vel gayo inciderit, is cuius silva fuerit, incidentem prius in securi, secundo in pallio vel tunica, tertio in bobus vel equis seu in uno equo impignorare poterit sine pena; sed si impignoraverit in duobus bobus vel equis, unum pro se obtinebit et alium bovem vel equum super fideiussoriam cautionem dimittat, et signum in arbore ubi impignoravit facere et incidere teneatur. Si vero quis in gayo alterius furtive unam vel duas quercus inciderit, pro qualibet quercu sex scottos; si vero tres inciderit, tres fertones illi in cuius gayo fecit cum tribus marcis pro pena, et iudicio alias tres marcas solvere teneatur. Et si tantum propagines vel plantas minutas exciderit, quatuor scottos ipsum incidentem solvere opportebit; et idem volumus esse tenendum de quercubus silvarum, seu in silvis aquaticis circa quaslibet aquas. De quercubus vero mericarum, vulgariter dambrowa, duos scottos quilibet ipsam incidens persolvat; si autem propagines seu ramos inciderit, solummodo pignora ab eo recipientur. Si quis autem arborem cum apibus succiderit, passo damnum marcam et iudicio alteram; qui vero sine apibus tamen ad apes aptatam arborem succiderit, passo damnum marcam mediam, et iudicio pariter mediam convictus exolvat.

XXXII. *De iumentis indomitis pascendis sub custodia.*

Statuimus: quod omnes habentes iumenta indomita, a vigilia sancti Adalberti usque ad festum sancti Michaelis illa sub custodia pascere teneantur; alias qui secus fecerit, estimationem damni convictus iudicio damnum passo cum pena unius marce ad solvendum sit adstrictus, sed denique ipsa iumenta damnum patiens ad suam domum propriam pellere non presumat.

XXXIII. *De porcis sive scrophis.*

Statuimus etiam: quod quicunque scrophas proprias ad glandes silve alterius depulerit, hic cuius silva fuerit pro prima vice porcum unum, secunda vice si invenerit, duos porcos mactare poterit et valeat; et tertia vice si invenerit, omnes scrophas

pellere poterit ad curiam nostram magis vicinam easdem nobiscum per medium divisurus; ita tamen, quod ubicunque predictos porcos intra suos limites mactaverit, signum in arbore facere teneatur. Et si pars adversa damnum ibidem illatum esse negaverit, tunc impignorans tenetur signum in arbore incisum et factum exhibere et hoc proprio suo iuramento firmare, videlicet ibidem porcos esse inventos.

XXXIV. *De illis, qui porcos pretio ad silvam conducunt.*

Statuimus: quod quando aliquis habens silvam vel mericam a se distantem, porcos suos vel scrophas per bona alterius intermedia et vicina voluerit ducere seu pellere ad eandem silvam, id facere non poterit per bona alterius, nisi per viam que ducit ad silvam suam; et idem dicimus esse per omnia observandum de eo, qui pro suis scrophis vel porcis pro pretio conduxerit silvam glandibus abundantem vel fagis, et bona alterius sunt intermedia inter silvam huiusmodi vel mericam. Is ergo, per cuius bona pecudes huiusmodi domini merice vel silve conductoris pelli debebunt, ex utraque parte vie ad triginta ulnas glandes proprias prius colligat seu depascat, ut sic predictus conductor merice vel silve, predictas scrophas vel porcos absque suo damno seu offensa possit pellere ad eandem.

XXXV. *De eo, quod pater non tenetur ferre iniquitatem filii, et e converso.*

Cum dicit Scriptura, quod filius non portabit iniquitatem patris, nec e converso, ideo statuimus: quod pater pro nequam filio, et e converso, minime coerceatur vel puniatur; et idem de fratribus germanis vel quibuscunque consanguineis declaramus fore servandum, nisi pater de culpa filii, vel filius de culpa patris, aut frater de culpa fratris participando in crimine delatus vel accusatus se nequierit expurgare: quia tunc secundum exigentiam culpe puniendum esse crimen decernimus. Sed committens crimen, secundum magnitudinem eiusdem percellatur et puniatur in bonis mobilibus seu in parte hereditatis sibi contingente, nobis et nostre curie applicanda.

XXXVI. *Sequuntur articuli pene* **XIV** *marcarum szyedmdzesanth.*

Statuimus: quod si quis ad domum militis veniens ipsum in suorum presentia occiderit puerorum, penam szydmdzeszcza solvere teneatur. Eandem etiam penam quilibet nobilium, qui tunc fuerunt cum eodem prebentes auxilium ad occidendum militem supradictum, szedmdzeszanth videlicet iudicio, penam vero que dicitur pyanthcza occisi pueris solvere sit adstrictus. Et hec pena szyedmdzeszanth pro eo sine gratia, nyemylosczywa vulgariter appellatur, quia quamdiu huiusmodi pena non fuerit persoluta, tamdiu militis interfector impignoretur. In casibus etiam infra scriptis hanc penam incurrerit, quicunque exciderit tres gades sectas, alias czyossy, vel cremaverit, et tres monticulos gadum dissipaverit. Item, quando quis tres arbores cum apibus succiderit vel apes cum melle subtraxerit seu exposuerit, et fuerit legitima probatione convictus. Item, abducens furtive vel etiam violenter tria vel plura iumenta indomita, seu illa vulnerans vel occidens. Item, quando quis sub incendio est convictus, aut intrans villam alicuius, occiderit enormiter in eadem. Ultimo, quando quis convincitur, quod spolium in strata publica seu violentiam alicui vel inhonestatem aliquam committere non expavit: ut in quolibet casuum premissorum ipse delinquens penam szedmdzeszyanth huiusmodi solvere constringatur.

XXXVII. *De treugis pacis seu salvo conductu dandis de regno fugientibus.*

Statuimus: quod si aliquis coram nobis vel capitaneo nostro de aliquo maleficio accusatus fuerit, et ad ostendendam suam innocentiam coram nobis vel capitaneo nostro admissus non fuerit, et ob hoc ipsum fugere contingat: ne fuga ipsius infamie imputetur, debet coram venerabilibus dominis episcopo Poznaniensi aut preposito,

nostris in Christo patribus protestari, quod nos vel capitaneus noster ad expurgandum ipsum non admisimus. Palatinus vero ipsum profugum servare poterit per sex septimanas ex consuetudine antiqua, infra quod tempus circa nos vel nostros successores aut nostros capitaneos iustitiam debet ei querere; et si non poterit obtinere quod admittatur ad ostendendam suam innocentiam super eo de quo fuerit accusatus, extunc dictus palatinus eundem profugum ad metas secure suo in conductu deducere teneatur. Qui sic conductus, infra annum a tempore sui exitus de terra, regno et terrigenis nocumenta inferre non habebit, uxore sua in bonis suis pacifice remanente per predictum annum et quiete. Quo anno evoluto si prefatus profugus die vel nocte nocumenta terrigenis aliqua intulerit, propter hoc infamis non debet reputari, nec ad mortem iudicari ipsum captum terrigene nostri nobis seu successoribus nostris aut capitaneis dare tenebuntur, nec propter hoc offensam nostram incurret. Si vero iudicio presentare se noluerit et fugiendo nocumenta terrigenis intulerit, bona ipsius immobilia camere nostre perpetue applicentur, mobilia vero inter nos et nostros barones per medium dividantur. Et si per quempiam captus fuerit, in gratia nostra consistat, et inter capientes ipsum et amicos capti, nulla propter eius captivitatem indignatio occulta vel manifesta debet suboriri. Uxor vero sua in dotalitio suo remanebit, vel ipsum vendere habeat liberam facultatem.

XXXVIII. *De kmethone a domino fugiente.*

Preterea declarando statuimus: quod cum a nobis sive a quocunque alio domino nobis subdito kmetho effugerit absque culpa sui domini, idem kmetho fugiens nullum ius acquirat tamdiu, donec domino suo de mansione ipsius non constabit; secus si domino suo de mansione ipsius constiterit, et intra annum ipsum iure non repetierit, extunc post annum si ipsum repetere voluerit, minime sibi hoc facere licebit. Qui profugus si propter austeritatem seu rancorem domini sui redire timens, etiam iure convictus noluerit, extunc decernimus, quod idem fugiens domino suo tres marcas pro pena, et censum annualem integre quem alias solvebat solvere tenebitur, et per hoc a domino suo fugitivus liberabitur antedictus; hoc tamen in iure terrestri, non Teuthonico intelligi volumus. Quando vero in iure Teuthonico kmetho residet, idem fugere seu recedere non potest nisi hereditate vendita, vel loco sui kmethonem eque divitem collocet, aut agris ex toto extirpatis hiemalibusque et estivalibus seminatis domino resignando recedere poterit pro libito. Adiicientes: quod si kmetho huiusmodi in noctis tempore recesserit fugitive, ręs quascunque in domo dimiserit fugiendo, dominus ipsius pro se potestatem habeat retinendi; et nichilominus dominus qui kmethonem hunc fugitivum secum retinere presumpserit, ipsum priori domino restituere teneatur cum omnibus rebus quascunque attulit ad eundem, et cum pena que dicitur pietnadziesta. Culpe vero propter quas a domino suo fugere licitum sit kmethoni, sunt iste: prima, quando dominus propter suum excommunicatur delictum et ob hoc kmethones ecclesiastica privantur sepultura; item secunda: quando dominus ville in quocunque loco suam villanam oppresserit violenter; et cum primum de hoc constiterit, nedum parentes oppresse, verum etiam omnes villani ubi hoc scelus commissum fuerit, quacunque hora recedendi liberam habeant facultatem, nec oppressor huiusmodi seu dominus ville ipsos detinere audeat seu in aliquo molestare. Idem liceat ipsis kmethonibus facere, cum ob culpam sui domini pignora de eis fuerint recepta: tunc absque quolibet impedimento possunt fugere ab eodem. Sed premissis culpis non existentibus, kmetho nequaquam recedat a domino suo: nisi, domo bona relicta et decenter septa, solum in necessitate domini, iuxta consuetudinem hactenus observatam.

Et si antea libertatem habebat, tot annis domino suo serviat ab ipso minime recedendo, quot annorum libertate gaudebat; et hoc, quando in iure Polonico sedet kmetho. Quando vero kmetho iure Teuthonico est locatus, idem nequeat recedere ullo modo, nisi tot annis censum exolvat, quot annis habuit libertatem; nec tunc hoc sibi liceat, nisi eque divitem loco sui kmethonem constituat, et agris suis in toto excultis seu extirpatis et seminatis hiemalibus et estivalibus: tunc recedere permittatur.

XXXIX. *Milites et nobiles ad expeditionem bellicam sunt obligati.*

Sed quia in armata militia honor regis et defensio totius regni dependet, tenetur igitur quilibet miles secundum quantitatem et possessionem suorum bonorum et redituum ad rem publicam certis armatis hominibus servire et prodesse, dummodo bona ipsorum sint libera et de iure militari instituta; et absque omni vexatione conserventur.

XL. *De calumpniis.*

Cum ex calumniis malignantium, destructio fit plurimorum, convenit statuere et iudicia formare aliquorum castellanorum, quorum solutio tantum ex calumniis dependit ut omnino amputentur.

XLI. *De eo, quod villanus non debet impignorari pro pena domini sui.*

Ex iure divino debet observari, quod iniquitas unius, alteri non debet obesse. Hoc statuto igitur ordinamus: quod pro pena obligatoria aut fideiussoria cautione militis aut superioris alterius, cuiuscunque kmetho vel subditus non debet impignorari vel quovis modo adstringi; sed si miles aut quivis alius, aliquo et quocunque debito aut obligatione vel fideiussione sit adstrictus et obligatus, ille de suis propriis bonis et rebus prout equum est solvat et satisfaciat.

XLII. *De obligationibus.*

Quia ex facilitate obligationis ad magna damna homines plerumque deveniunt, iure tenendum est: quod si quis fideiussit pro aliquo suo amico pro certa pecunie quantitate alicui civi vel alteri cuicunque, cuiuscunque status vel conditionis existat, illo tunc non solvente in termino adveniente et statuto, fideiussor non debet propter hoc ad hospitium in obstagium subintrare aut aliqua damna facere non solventis in destructionem. Sed si est parvum debitum, detur ei pignus et distrahatur; si autem magnum, possessio debitoris pro valore debiti per fideiussorem apprehendatur, tradaturque illi cui debitum dare tenetur.

XLIII. *De obligatione pecuniarum per Iudeos.*

Porro cum Iudaice pravitatis intentio super hoc versetur ut Christianorum bona et divitias semper deprimant et evellant, convenit igitur non immerito statuere: ut nullus Iudeus amplius alicui Christiano in regno nostro a modo constituto suas pecunias super litteras obligationis prestet aut mutuet, sed tantum ad pignus sufficiens prestare valebit secundum consuetudinem antiquitus reservatam.

XLIV. *De violentiis finiendis.*

Cum itaque omnis violentia non immerito variis iuris sanctionibus prohibeatur et coerceatur, maiestas igitur regia equum censuit, subditorum commodis in his presertim providere. Statuimus ideo: ut transeuntes per viam ad dominos ipsorum vel in propriis etiam negotiis procurandis, sive sint principes, milites, aut alterius status et cuiuscunque conditionis homines existant, pro se expensas aut pabula equorum in villis, tabernis aut locis solitariis non recipiant, aut aliquam vim inferant vendere no-

lentibus aut a venditione se retrahentibus; sed unusquisque libere utatur re sua pro libito sue voluntatis.

XLV. *De moderato pabulo aut victu recipiendo per transeuntes ad bellum.*

Verum quia gwerrarum strepitus ex inordinata militia plus proprias terras quam alienas consueverat ex rapina indebita desertare, ad succurrendum huic remedio convenit statuere: quod transeuntes ad expeditionem in suis propriis terris non plus pro sumtibus ipsorum et equorum recipiant, nisi moderatum pabulum aut victum ipsorum, sine quo transitus alias haberi non possit.

XLVI. *De probatione nobilitatis.*

Statuimus: si quis inculpatus fuerit quod non haberet ius militare, idem duos seniores sue genealogie post patrem, alios duos alterius genealogie, et tertios duos tertie genealogie bonos producat more consueto ad obtinendum suum ius militare.

XLVII. *De fratribus et sororibus per eos dotandis.*

Etiam statuimus: si quis militum aut nobilium de hoc seculo migrabit habens filios et filias, tunc fratres suas sorores maritis tradent dote eis assignata more consueto; si autem filios non habuerit sed filias, tunc filiabus omnes hereditates et possessiones cadent paterne. Et si fratres patrueles ipsas hereditates obtinere voluerint, tunc milites iuxta conscientias eorum dictas hereditates taxabunt, et a die taxationis iam dicti fratres patrueles sororibus infra annum paratam pecuniam secundum quod fuerint taxate persolvere tenebuntur; et si in spatio unius anni solvere neglexerint, tunc filie hereditates perpetuò tenebunt.

XLVIII. *De debito pecuniario.*

Cum in gravi debito rixe plerumque, utpote sexaginta, trecentarum aut plurium marcarum suscitentur, et tantum debitum brevi tempore provideri ac inopinate et subito solvi non potest, ex gratia conferendum statuimus: ut decem et octo septimanis terminus inclusivus ad solvendum statuatur et observetur; pro primo termino sex septimane, pro secundo alie sex, pro tertio ultime sex septimane. Hunc etiam terminum, dum quis extra terram sit et citatur pro termino peremptorio, eidem ad iudicium prefigendum declaramus; alias iudex ad definitivam procedat sententiam, huiusmodi contumacia citati non obstante.

XLIX. *De taxillis non ludendis ad prestam.*

Sed quia ludus taxillorum multos iustos et alios probos depauperat et dehonestat, pro remedio huius periculi statuta debent teneri: quod ludus taxillorum pro parata pecunia exerceatur, ut non ludant ad prestandum sicut facere consueverunt. Namque plurimi homines provocati in ludo et volentes ulcisci contra vincentes, ludunt ultra substantiam ipsorum; quia facilitas scripture ipsius ludi eos non tantum gravat, quantum parate pecunie amissio ipsos gravasset.

Wiersz 4 Wstępu, od góry; zamiast cupiditate, *B. i H. mają* cupiditas. *Art. IX, wiersz 3 od góry; u B. po* ius *braknie* quod. *Art. XXXI, wiersz 1 od góry; u B. po* terminos *braknie* ipsos. *Art. XXXVI, wiersz 3 od końca; u B. po* alicui *braknie* vel. *Art. XXXVII jest oddany według redakcyi Helcla. Art. XXXVIII, str. 592 wiersz 13 od dołu; po* presumpserit, *u B. braknie* ipsum. *Art. XLI, wiersz 2 od g.; zam.* obligatoria, *B. ma* obligatione. *Wiersz 3, zamiast* alterius, *B. ma* alteriusque. *Art. XLIV, wiersz 2 od g.; zam.* commodis, *B. ma* commoda. *Art. XLV, wiersz 2 od g.; zam.* consueverat, *B. ma* consueverunt. *Art. XLVIII, wiersz 2 od góry; po* suscitentur *u B. braknie* et.

Nr. 1262.

Brudir Heynrich Tusmer Ordins der Brudere des Spitalis sente Marien des Tuczin Hus von Ierusalem Homeystir 1347 Iul. 25, zu Marienburg; verleiht dem Nicolaus von Ryczkow 124 Huben im Lande Sossyn zum Culmer Recht.

Pergam. orygin., miejscami zupełnie wyblakły. W dolnym założonym brzegu, pasmo nici jedwabnych, żółtych i czerwon. przez dwa czworokątne wcięcia przewleczone, ucięte.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 123.

Wyssintlich sy allen den dy desyn Bryef horen lesen, das wir Brudir Heynrich Tusmer, Ordins der Brudere des Spitalis sente Marien des Tuczin Hus von Ierusalem Homeystir, mit Rate und Wyllen unser Brudir geben und vorlyen unsem getruwen Nyclaus von Ryczkow und syme Geswysterege, eren rechtin Erbin und Nachkomelyngen, hundert Huben und vyr unde czwenczik Hubin gelegin zu Soss... (*3 lit. del.*) in dem Lande, zu Culmyschin Rechte ewichlichin erblichin und zu besiczin. Derselbin hundert und vyr und czwenczik Huben sint dry Huben Wesewachs, gelegin by den Wesin der von Smytkinwalde by der Drawancz, als sy bewysit syn von dem Kumethur zu Ostirrode in den Greniczzin dy hernoch beschrebsten. Des selbin Gutis erste Grenicz stet uff dem Vlyse Crapele genant, dy Crapele uf bis an dy Ort Grenicz Nestakyn, von dannen gerichte bis uf di Grenicz dy da geczeychnit ist zwyschin Nestakin und Smytkinwalde, von dannen gerichte bis uf dy Grenicz von Smytkinwalde, von dannen zu geynde bis uf di Grenicz Balczan, Smytkinwalde und Napron, das ouch eyn Ort Grenicz ist. Von dannen bis uf dy Grenicz di da stet zuwyschin Ryczkow und Lypow, von dannen bis uf eyn Grenicz dy da geczeychnit ist uf dem Vlyse dy Griselaw genant, das eyn Ort Grenicz ist. Von dannen bis uf di Mittil Grenicz des selbin Gutis bis an eyne Vychte, von dannen zuwey Seyl uf dy Heyde bis uf eyn andir Vychte, von di Vychte bis uf eyn Eyche di da ist eyn Ort Grenicz, wedir uf de Crapele an di erste Grenicz. Ouch vorlye wir yn das Kirchlehyn ewichlich, und vry Vyscherye uf eren Tysch in der Drewancz, nedewendit der Bruckin Smytkow bis da yn vellit das Vlyt dy Griselaw, mit Engyln und mit cleynem Geczowe. An Werstowunge und Legirholtz uf der Heyde, zu irre Notdorft, und ir Vi zu weydin uf der Heyde. Von dem selbin Gute sullen uns di vorgenanten Nyclaus von Ryczkow und syn Geschwysterege dynen mit zwey gewonlichin Platen dinsten ewichlich, sy und ir Nachkomelynge und ir Erbin wen sy von uns gechyschin werdin, in grose Hervarte und in alle Lantwer getruwelichin dinen. Des sullen di vorgeschrebin des benanten Dinstes Vryheit habin acht Iar (*6 lit. del.*) Tage als dirre Brif gegebin ist. Zu eyme Geczugnisse habe wir an desin Brif unser Ingesegil gehangyn. Des sint ge... (*6 lit. del.*) ersamen geystlichin Brudere und Man uns lip in Gote: Her Wynrich von Knyprode Gros Kumetur, Her Herman Rudorfer obirste Hospitaler, Her Ludowig von Wolkinburg obirste Trapyer, Her Iohan Langerake Treseler, der Here Hans unsir Capellan (*7 lit. del.*) von Brandys, Her Erwyn von Stokheim unser Kumpane, Henrich und Paul unse Schribere, und andir ersam... (*5 lit. del.*). Gegebin und geschen zu Marienburg noch Gotis Geburt M.CCC.XLVII Iare, an sente Iacobis Tag des Czuwelf Bote.

Ryczkow, *Röschken.* Land Soss(in), *okolica miasta Dąbrowno.* Culmysch, *de Chełmno.* Smytkinwalde, *Schmükwalde.* Drawancz, *rz. Drwęca.* Ostirrode, *Osterode.*

Vlys Crapele, *lewy przypływ rz. Drwęca, nad którym leży w. Kraplau.* Nestakyn, *Nasteiken.* Balczan, *Balzen.* Napron, *Nappern.* Lypow, *Leipe.* Vlys Griselaw, *lewy przypływ rz. Drwęca, nad którym w. Balzen.* Marienburg, *Malborg.*

Nr. 1263.

Kazimirus rex Polonie 1347 Nov. 27, in Bidgoscza; hereditatem Mąkowarsk monasterio de Byszewo contra petitionem Iohannis de Unisław adiudicat.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabnych, zielon., skręconych w gruby sznur, przywieszona pieczęć majestatyczna Kazimierza króla.

Poznań. Königl. Staats Arch. Koronowo Nr. 80.

In nomine Domini amen. Nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris hanc litteram inspecturis publice protestantes, quod cum Iohannes dictus Unestowski procurasset ad nostram presenciam citari religiosum virum fratrem Petrum abbatem de Bissovia et conventum ipsius pro hereditate Mancovarzco, tandem ipsis coram nobis in termino assignato ex utraque parte conparentibus, post multam controversiam et altercacionem inter ipsos habitam pro dicta hereditate, nostri barones sedentes circa nos in iudicio, videlicet hy: Iarandus capitaneus Syradiensis, Chebda castellanus de Brest, Nicolaus de Bloseow iudex Poznaniensis, Iohannes iudex Cuyaviensis, Vilczco subdapifer Sandomiriensis et Mathias castellanus de Bidgoscza, visa iusticia dicti abbatis et conventus de Bissovia adiudicaverunt dictam hereditatem Mancovarzco cum omnibus pertinenciis ad eandem, ad dictum monasterium perpetuo pertinere. Quod iudicium nos considerantes esse iustum (sic) predicto monasterio Bissoviensi latum, ratum et gratum habentes, perpetuis temporibus duraturum confirmamus; in cuius rei testimonium, nostrum sigillum duximus presentibus appendendum. Actum et datum feria tercia proxima ante diem beati Andree apostoli, anno Domini m.ccc.xl septimo, presentibus testibus quibus supra et aliis multis, in Bidgoscza.

Unestowski, *t. j. de Unisław.* Bissovia, *Byszewo.* Mancovarzco, *Mąkowarsk.* Brest, *Brześć Kujawski.* Bloseow, *Błażejewo.*

Nr. 1264.

Nycolaus Ursus comendator Poznaniensis etc. s. a. d. et l.; protestatur, anno 1348, die 15 Ianuarii, Iohannem de Wilczyn pretium villae Mnichowice ex parte Iaroslai archiepiscopi Gneznensis sibi et conventui suo persolvisse.

Pergam. orygin., u którego na paskach pergaminowych dwie pieczęcie przywieszono. Pierwsza mała, okrągła, przedstawia na trójkątnéj tarczy godło niemieckiéj familii Baer, (Niedźwiedź kroczący pod górę w prawo,) napis: S. Fris. Nicolai Ursi. *Druga większa, bardzo zatarta pieczęć komendoryi ś. Jana w Poznaniu;* (pieczęć LII), *napis odłamany lub zatarty.*

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 124.

Noverint quibus expedit universi, quod ego Nycolaus Ursus comendator Poznaniensis una cum toto conventu ibidem Ordinis sancti Iohannis Ierosolimitani re-

cognoscimus ac profitemur, discretum virum Thomam de Wilczina Poznanie in domo habitacionis honorabilis viri domini Woyslay archidiaconi ecclesie Poznaniensis, eo presente et reverendo viro domino Ylico scolastico eiusdem ecclesie Poznaniensis, nobis anno Domini millesimo trecentesimo XLVIII, feria tercia proxima post octavam Epyphanie, xxx marcas grossorum Bohemicalium Polonice pagationis causa solvendi presentavit pro villa Mnychowice vulgariter nuncupata, in districtu Lovicensi sitam (sic), ex parte venerabilis in Christo patris et domini, domini Iaroslay divina et apostolice Sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopi, cuius servitor nec non familiaris idem Thomas existebat; quam quidem villam Mnychowice omni abiecto impedimento, debita forma empcionis retenta, certa pro pecunie summa rite ac racionabiliter idem dominus archiepiscopus a nobis comparavit. In cuius rei testimonium, nostra sigilla, videlicet meum Nycolay commendatoris suprascripti et conventus, presentibus sunt appensa.

Wilczina, *Wilczyn.* Mnychowice, *Mnichowice.*

Nr. 1265.

Clemens Pp. VI 1348 Mart. 17, Avinione; Andream a Poznaniensi ad Swerinensem ecclesiam transfert et de more commendat.
Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 671.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Andree episcopo Zwerinensi salutem et apostolicam benedictionem. Romani pontificis, quem pastor ille celestis potestatis sibi plenitudine tradita ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis solicitudo requirit, ut iuxta cuiuslibet statum ecclesie sic vigilanter excogitet, sic prospiciat diligenter, quod per eius providenciam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, nunc vero per ministerium translacionis accommode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit, singulis ecclesiis pastor accedat ydoneus ac rector providus deputetur, qui populum sibi commissum per suam circumspectionem providam et prudenciam circumspectam salubriter regat et dirigat, ac bona ecclesie sibi commisse gubernet utiliter et eciam adaugmentet. Dudum siquidem bone memorie Henrico episcopo Zwerinensi ecclesie Zwerinensis regimini presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, operacionis nostre ministerio secundum cor nostrum ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie, cum vacaret, ordinacioni et disposicioni nostre ac Sedis apostolice ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata Swerinensi ecclesia per obitum eiusdem Henrici, qui in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solacio destituta, nos vacacione eiusdem ecclesie fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potest reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne prolixe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberacionem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, tunc episcopum Poznaniensem, convertimus oculos nostre mentis. Inten-

dentes igitur tam ipsi Zwerinensi ecclesie quam gregi dominico eiusdem salubriter providere, ac sperantes, quod tu, qui Poznaniensi ecclesie hactenus laudabiliter prefuisti, prefatam Zwerinensem ecclesiam auctore Domino salubriter et utiliter gubernabis, te a vinculo quo prefate Poznaniensi ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad eandem Zwerinensem ecclesiam transferimus teque illi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Zwerinensis ecclesie tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo liberamque tibi dando licenciam ad eandem Zwerinensem ecclesiam transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod prefata Zwerinensis ecclesia, gracia tibi suffragante divina, per tue provide circumspectionis industriam defendetur a noxiis et preservabitur etiam ab adversis, ac in eisdem spiritualibus et temporalibus votivis proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi onus a Domino devote supportans, curam et administracionem predictas sic prudenter et sollicite studeas exercere, quod eadem Zwerinensis ecclesia provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retribucionis premium, nostram et eiusdem Sedis benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione XVI Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno sexto.

In e. m. Venerabili fratri.. archiepiscopo Bremensi, Dilectis filiis Capitulo et vassallis ecclesie Zwerinensis, Clero et populo civitatis et diocesis Zwerinensis, necnon Nobili viro.. comiti Zwerinensi, *mutatis mutandis*, ut eidem episcopo debitam reverenciam et obedienciam etc. exhibeant.

Zwerinensis, *z niemiecka de Schwerin.*

Nr. 1266.

Clemens Pp. VI 1348 Mart. 17, Avinione; Albertum ecclesiae Poznaniensi in episcopum praeficit et de more commendat.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 670.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Alberto episcopo Poznaniensi salutem et apostolicam benedictionem. Regimini pastorali universalis Ecclesie quanquam insufficientibus meritis disponente Domino presidentes, de universis orbis ecclesiis pro earum statu salubriter dirigendo solicite cogitamus; sed earum propensior solicitudo nos urget, quas vacacionis incommodis conspicimus subiacere, ut eis per apostolice Sedis providenciam de utilibus provideatur rectoribus, qui eas possint spiritualiter et temporaliter auctore Domino augmentare. Dudum siquidem bone memorie Iohanne episcopo Poznaniensi regimini Poznaniensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum eam quovis modo vacare contingeret, nostre operacionis ministerio ydoneam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinacioni et disposicioni nostre et Sedis apostolice ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum dicti Iohannis, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, reservacionis et de-

creti huiusmodi forsan ignari, te tunc canonicum eiusdem ecclesie in episcopum Poznaniensem, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque, eorundem decreti et reservacionis ut asseris inscius, eleccioni huiusmodi tuum prestans assensum, eleccionem eandem a venerabili fratre nostro.. archiepiscopo Gneznensi, loci metropolitano, eorundem reservacionis et decreti ut asseritur similiter inscio, obtinuisti auctoritate metropolitica confirmari tibique munus consecracionis impendi, teque administracioni spiritualium et temporalium eiusdem ecclesie ingessisti. Nosque huiusmodi vacacione fidedignis relatibus intellecta, de persona venerabilis fratris nostri Andree episcopi Zwerinensis, tunc prepositi dicte ecclesie Poznaniensis, eidem ecclesie, de qua nullus preter nos ea vice disponere poterat reservacione et decreto obsistentibus supradictis, auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo eum predicte ecclesie in episcopum et pastorem; et tandem prefata ecclesia Poznaniensi ex eo apud dictam Sedem vacante, quod nos prefatum Andream a vinculo quo eidem Poznaniensi ecclesie tenebatur auctoritate apostolica absolventes, ipsum apud dictam Sedem constitutum ad Swerinensem ecclesiam tunc vacantem eadem apostolica auctoritate duximus transferendum preficiendo eum prefate Swerinensi ecclesie in episcopum et pastorem, nos eleccionem et confirmacionem huiusmodi ad nostram interim deductas noticiam, utpote post et contra reservacionem et decretum predicta factas, reputantes irritas et inanes, et ad provisionem ipsius Poznaniensis ecclesie: de qua nullus preter nos hac vice disponere potest, pro eo, quod nos ante ultimam vacacionem huiusmodi dicte Poznaniensis ecclesie, provisiones omnium ecclesiarum cathedralium, tunc apud dictam Sedem quocunque modo vacancium et vacaturarum imposterum apud eam, ordinacioni et disposicioni nostre et Sedis predicte duximus reservandas, decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: apostolice solicitudinis studium dirigentes, post deliberacionem quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, quem litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis laudabiliter insignitum ex testimoniis fidedignis accepimus, convertimus aciem nostre mentis; quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus consideracione premissorum accepta, prefate Poznaniensi ecclesie de fratrum ipsorum consilio predicta auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in episcopum et pastorem, curam ad administracionem ipsius Poznaniensis ecclesie tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, munusque consecracionis tibi ut prefertur impensum, necnon alia per te alias rite gesta et administrata in ipsa Poznaniensi ecclesia eadem apostolica auctoritate ex certa sciencia approbando, in illo qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, prefata Poznaniensis ecclesia per tuam curiosam solerciam tuumque ministerium studiosum regetur utiliter et prospere dirigetur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad prefatam Poznaniensem ecclesiam cum gracia nostre benediccionis accedens, curam et administracionem predictas sic geras fideliter et solerter, quod ipsa Poznaniensis ecclesia sponso utili et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius difundatur, tuque preter retribucionis eterne premium, nostrum et eiusdem Sedis benediccionis et gracie merearis continuum percipere incrementum. Datum Avinione XVI Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno sexto.

In e. m. Venerabili fratri . . archiepiscopo Gneznensi, Dilectis filiis Capitulo ecclesie Poznaniensis, Clero et populo civitatis et diocesis Poznaniensis, necnon Carissimo in Christo filio Kazimiro regi Polonie illustri, *mutatis mutandis*, ut eidem Alberto reverentiam etc. debitam exhibeant.

Zwerinensis, *z niemiecka de Schwerin.*

Nr. 1267.

Dobeslaus iudex Kalisiens. 1348 Apr. 24, Gnezne; ecclesiae Gneznensi hereditatem Kokanin contra inpetitionem Martini de Żelaskowo, Cessantae de Osiek et Venceslai Gąsiorek adiudicat.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 94.

Nos Dobeslaus iudex Kalisiensis notum facimus universis tam presentibus quam futuris ad quorum noticiam devenerit scriptum presens, quod licet nobiles viri Martinus de Zelaskovo, Cessanta de Ossek et Vencesslaus dictus Ganssorek, de Swyka heredes, venerabilem in Christo patrem dominum Iaroslaum, divina providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopum, ad nostram presenciam et nobilium virorum dilectorum dominorum: Mathie Poznaniensis et Nicolai Kalisiensis palatinorum, Preczslai Kalisiensis capitanei castellani Poznaniensis, et aliorum multorum tunc nobiscum iudicio presidencium evocassent, volentes ab eo hereditatem dictam Kokanyno, sitam in terra Kalisiensi repetere, illud pro sua fundando intencione precipue pretendentes, quod forent proximiores ad redimendum eandem, et idem dominus archiepiscopus cum quibusdam ex fratribus suis de Gneznensi Capitulo, videlicet Yvone preposito, Vincencio decano, Preczslao archidiacono Gneznensibus propter hec constitutus fuisset coram nobis, nosque parati essemus eisdem partibus super premissis reddere iusticie complementum; tandem dicti Martinus, Cessantha et Ganssorek de iure suo utique diffidentes et salubriori ducti consilio, tam pro se quam pro proximioribus cognatis suis, amicis, videlicet fratribus patruelibus, sororibus et eciam consobrinis, omni accioni et iuri, quod eis ad repetendum hereditatem predictam quomodolibet competebat seu eciam competere posset in futurum, renunciaverunt et eidem cesserunt spontanea voluntate. Nos igitur una cum dominis supradictis ipsorum audita renunciacione et cessione huiusmodi, dictam hereditatem Kokanyno cum omnibus iuribus pertinentibus ad eandem, prout in suis limitibus est distincta, eidem domino archiepiscopo et sue Gneznensi ecclesie adiudicamus in his scriptis perpetue et libere possidendam, predictis Martino, Cessante et Ganssorkoni cum eorum proximioribus supradictis, super ipsa hereditate Kokanyno perpetuum silencium imponentes. Ceterum nec id duximus silencio relinquendum, quod ipsi Martinus, Cessantha et Ganssorek bona fide et liberalitate seu liberaliter promiserunt, quod si quis ex predictis cognatis eorum dicto domino archiepiscopo et sue ecclesie super dicta hereditate moverint forsitan in posterum questionem, id evincere et efficere modis omnibus tenebuntur, quod ipse dominus archiepiscopus et ecclesia sua dictam hereditatem quiete et pacifice possidebunt. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, nostrum et dictorum palatinorum et capitanei sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum

Gnezne in crastino beati Adalberti martiris, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo.

Zelaskovo, *Żelaskowo.* Ossek, *Osiek.* Ganssorek, *de Gąsiorowo.* Swyka, *zapewnie mylnie zam.* Swynka, *t. j. de Swinków, dziś Świniec.* Kokanyno, *Kokanin.*

Nr. 1268.

Maczko palatinus et capitaneus Poznaniens. 1348 Apr. 30, Gnezna; simul cum ceteris dominis protestatur, Boczatam una cum duabus sororibus et universis amicis hereditatem Garby monasterio de Lubin resignavisse.

Pergam. orygin. Skrawki pergamin. od przywieszenia dwóch pieczęci.
Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin Nr. 15.

Noverint universi presencium noticiam habituri quod nos Maczko palatinus et capitaneus Poznaniensis profitemur ac publice protestamur, quod Boczata cum duabus sororibus nec non universis amicis veniens coram nobis et domino Nicolao palatino Kalisiensi, Preczlao domino Poznaniensi, domino Dobeslao iudice Kalisiensi, Nicolao iudice Poznaniensi, non conpulsus nec coactus, sed bona deliberacione ac amicorum suorum, hereditatem que wlgariter Garby nuncupatur domino Iacobo abbati monasterii Lubin et fratribus ibidem Deo militantibus, pro anima sua suorumque omnium parentum, predecessorum, monasterio supra notato dedit atque contulit iure hereditario in perpetuum possidendam; nominatamque hereditatem Iacobus abbas una cum fratribus, qui nunc sunt et in posterum erunt, eandem hereditatem libere et quiete perpetue possideant taliter, ut nullus Boczate amicus coram nobis palatinis ac iudicibus predicta hereditate Garby nullius memorie sit recommendandum (sic), eidem monasterio Lubinensi, abbati ac fratribus ibidem manentibus Garby iure hereditario perpetuo possidendam. Presentibus hiis testibus: Iazkone Wiscota domino de Kriwin, Woyslao de Grizin, Thehoderico dicto Komornik, et coram quam plurimis fide dignis. Actum Gnezna in octava beati Alberti martiris, anno Domini M.CCC.XL.VIII, datum per manus Diclonis cappellani ac notarii domini Macz. palatini Poznaniensis.

Garby, Lubin, *dziś tak samo.* Wiscota, *nazwisko rodowe powstałe od wsi Wyskoć.* Kriwin, *Krzywin.* Grizin, *Gryżyna.* Komornik, *może zam. de Komorniki.*

Nr. 1269.

Iaroslaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1348 Mai. 25, Znene; inter heredes de Dzwonowo et rectorem ecclesiae in Dąbrówka kościelna ratione iurium et proventuum ecclesiarum in villis praedictis concordiam facit.

Gniezno. Archiv. Consistorii Metropol. Acta acticata anni 1555.

In nomine Domini amen. Nos Iaroslaus divina providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus ad perpetuam rei memoriam deducimus per presentes, quod

inter nobilem virum dominum Dirsikrayum heredem de Zwanovo, ex una, et Vittum rectorem ecclesie in Dambrova, parte ex altera coram nobis super iuribus et redditibus ecclesiarum de Dambrova et de Zwanovo fuit exorta materia questionis post multas verbales altercaciones, quamvis in discretos viros, magistrum Albertum plebanum in Bochna et Hankonem vicecancellarium, curie nostre familiares per easdem partes super eisdem iuribus decidendis fuisset compromissum, ipsique tamquam amicabiles compositores pronunciassent et declarassent, quod idem Vittus plebanus ecclesie parrochialis in Dambrova et in Zwanovo debebat regere et gubernare, fructus et redditus earundem in quibuscunque rebus consistant earundem ecclesiarum integraliter percipiens, taliter, quod ecclesia de Zwanovo per vicarium tenebatur deservire tamdiu, donec de iuribus et fructibus ac regimine predicte ecclesie de Zwanovo aliter disponeremur. Demum nos volentes huiusmodi questionem decidere, Hanconem capellanum nostrum de Grzegorzevo et Iacobum de Coldramb rectores ecclesiarum transmisimus ex officio ad inquirendum et videndum, utrum redditus ac fructus seu proventus, quos dictus Dirsikrayus patronus assignabat et differebat ad ecclesiam de Zwanovo specialiter pertinere, sufficerent pro debita sustentacione sacerdotis. Qui commissarii nostri commissionem eis factam cum partibus predictis decidentes, infrascriptos redditus et proventus, ex confessione prefati Dirsikragii patroni et recognicione prefate ville plebani in Dambrova, ad ecclesiam in Zwanovo inquisierunt et viderunt pertinere. Videlicet, primo in Pawlovo duos mansos, item in Dambrova duos mansos, item in Myeczwada duos mansos iuxta consuetudinem Sredensem mensuratos. Item lacum dictum Skrzinka, item prata ex illa parte lacus in longitudine sicut lacus se extendit. Item hortum potest facere pro humulo ultra predictum lacum, item hortum in civitate inter hortos civium. Item decimam post araturam prefati Dirsikragii patroni in villa Pawlovo et in Gorka. Item missales annonas in Pawlovo. Item duos boves. Item iumentum cum duobus pullis, ita tamen, quod rector qui pro tempore fuerit, de poledris pro se et ecclesia sua convertendis debeat contentari, iumentis remanentibus in grege penes patronum sine aliqua iumentorum alienacione. Preterea infrascriptos redditus similiter recognoverunt ad ecclesiam in Dambrova. Primo in villa Obora octo marcas de censu, item in duplex Lubovicze post milites decimam, item in Vissoka post milites decimam, item in Blizicze post milites decimam, item in Carczewo post milites decimam. Item in villa Stavyani missales per (sic) kmethones et decimam per (sic) milites. Item in villa Thurostowo similiter missales annonas. Item ibidem in Dambrova missales annonas et decimas per (sic) milites. Item stangnum inferius cum molendino dictum Markovecz, quod idem Vittus plebanus in Dambrova nomine ecclesie sue acquisivit in sculteto ibidem in Dambrova coram domino Dirsikragio herede ibidem in Dambrova et patrono, persolutis quatuor marcis per predictum Vittum prefato Dirsicragio, quamvis ad hoc non tenebatur. Nos igitur attendentes, quod prefati redditus pro utraque ecclesia et rectoribus earundem sufficere dinoscuntur pro sufficienti sustentacione et omnibus et singulis oneribus earundem supportandis, decrevimus et declaramus et eciam approbamus, quod deinceps prefatus patronus et ipsius heredes cum rectore dicte ecclesie de Dambrova super iuribus et fructibus seu obvencionibus prefatarum ecclesiarum conquiescere, et cessare debeant et teneantur perpetuis temporibus a qualibet restitucione. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum presentibus est appensum. Datum Znene die sancti Urbani martyris, anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo octavo, presentibus honorabilibus viris, dominis Vincencio decano, Mathia

scolastico Gneznensibus, Dirsikragio herede de Dambrova, Vincencio herede Grinensi, Dobrogostio de Dzewerzevo herede, et aliis plurimis fidedignis.

Zwanovo, *Dzwonowo.* Dambrova, *Dąbrówka kościelna.* Bochna, *Bochnia.* Grzegorzevo, *Grzegorzewo.* Coldramb, *Kołdrąb.* Pawlovo, *Pawłowo.* Myeczwada, *Niedźwiady.* Sredensis, *de Środa na Szlązku, z niem. Neumarkt.* Skrzinka lacus, *jezioro w pobliżu Dzwonowa.* Gorka, Obora, *dziś tak samo.* Duplex Lubovicze, *Łubowice i Łubowiczki.* Vissoka, *Wysoka.* Blizicze, *Bliżyce.* Stavyani, *Stawiany.* Thurostowo, *Turostowo.* Znena, *Żnin.* Grinensis, *nie odgadnione; pewnie mylnie zam.* Goricensis, *t. j. de Gorzyce.* Dzewerzevo, *Dziewierzewo.*

Nr. 1270.

Maczko palatinus et capitaneus Poznaniens. 1348 Mai. 30, Poznanie; una cum ceteris dominis hereditatem Garby monasterio de Lubin contra petitionem comitis Andreae et fratris eius Thomislai heredum de Słupia adiudicat.

Pergam. orygin. Skrawki pergam. od przywieszenia dwóch pieczęci.
Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin Nr. 16.

In nomine Domini amen. Sapientum provida decrevit auctoritas, ut negocia que perhenni stare cupiunt in vigore, literarum caracteribus commendantur, adhibita nichilominus testium presencia ydoneorum et ipsorum nominibus annotatis. Nos igitur Maczko palatinus et capitaneus Poznaniensis una cum domino Nicolao palatino Kalisiensi, Pretslao Poznaniensi domino, domino Dobeslao iudice Kalisiensi, ac domino Nicolao iudice Poznaniensi ad noticiam tam presencium quam futurorum cupimus devenire manifestissime recognoscentes, quod comes Andreas una cum fratre suo Thomislao heredes de Slup, dominum Iacobum reverendum dominum abbatem monasterii de Lubin ad nostram citavit presenciam, et coram nobis contra predictum dominum Iacobum abbatem de hereditate que wulgariter Garbi nuncupatur procedendo publice asserebat; qui inquam dominus Iacobus abbas bona commemorata aput prius dictum comitem Andream et Thomislaum, fratres dictos de Slup, rite, realiter ac racionabiliter per diutinum protestacionis amminiculum obtinuit iuris roboracionibus consenciendo. Tunc nos utentes consilio baronum circumsedencium, adiudicavimus domino Iacobo abbati monasterii Lubinensis et fratribus ibidem Deo militantibus iam dictam hereditatem Garbi libere perpetuo possidendam, taliter, quod nullus Andree vel Thomislay predictorum heredum de Slup amicus, coram nobis palatinis et iudicibus nec coram aliquo iudicio de predicta hereditate Garbi nullius memoirie (sic) sit recommendandum. In huius rei testimonium, presentem literam nostrorum sigillorum munimine duximus roborandam. Actum et datum Poznanie in crastino Ascensionis Domini per manus Diclzonis capellani ac notarii curie nostre, sub anno Incarnacionis Domini MCCCXXXXVIII, presentibus viris nobilibus et hiis infrascriptis testibus, videlicet Ianussio Gorkone castellano Kalisiensi, comite Presopasio subcamerario Poznaniensi, et aliis quam plurimis fide dignis qui ad presens fuerunt.

Slup, *Słupia.* Lubin, Garby, *dziś tak samo.* Gorko, *de Targowa Górka.*

Nr. 1271.

Dobeslaus filius Zyre heres de Kosciol 1348 Aug. 16—21, s. l.; donationem hereditatis Łęg a progenitoribus suis monasterio Ląd factam, certis conditionibus confirmat.

Włocławek. Lib. privilegior. monasterii Ląd, pag. 8.

In nomine Domini amen. Cum ea que aguntur in tempore illico cum tempore transeunt et labuntur, necesse est ea cum litterarum apice et proborum virorum testimonio stabiliri. Hinc est quod nos Dobeslaus filius Zyre, heres de Kosciol, universis presentium litterarum notitiam habituris cupimus fore notum, quod mei progenitores et parentes felicis memorie in hoc defluenti tempore conversantes, fratres, abbatem et conventum de Landa in Polonia pro hereditate dicta Lang per virgam iudicii sepius invaserunt. Nos vero prescriptus Dobeslaus relictus eorum heres legittimus atque verus, dictorum meorum parentum in consimili vestigia non relinquentes, dictos fratres, abbatem et conventum de Landa procuravimus pro dicta hereditate Lang ad iudicium convocari: unde et dicti fratres comparuerunt meorum progenitorum firmas et commendabiles litteras nec non regales confirmationes lucidius demonstrantes, quarum virtute intelleximus, quod mei progenitores et parentes, memoratis fratribus de Landa predictam hereditatem Lang propter Deum pure in eleemosynam contulerunt ad honorem beate Marie virginis gloriose et beati Nicolai, nec non suorum progenitorum successorumque animarum perpetuam ob salutem. Unde et dictorum fratrum iustitiam in omnibus attendentes, pro eorum fatigatione indebita, bene moti, abrenunciavimus et presentium testimonio abrenunciamus pro nobis meisque in perpetuum successoribus et posteris sepedictam hereditatem Lang ita large, quod nec nos nec mei successores seu posteri contra sepescriptos fratres de Landa procedendi pro dicta hereditate Land amplius ullam occasionem possumus habere aut debemus. Insuper, licet sepedicti fratres suis super hoc confectis ac datis litteris pro recepta eleemosyna firmiter promiserunt, quod in condescendente eorum hereditate in terra Pomeranie sita, quam a reverendo preclaro domino episcopo Cuiavie pro sepescripta hereditate Lanc per commutationem seu amicabilem compositionis materiam receperunt, tres sacerdotes, sive seculares sive exiles de claustro habere debeant, qui ibidem singulis septimanis tres missas defunctorum solvere non omitterent meorum progenitorum successorumque animarum ac mee ob remedium et salutem, duximus tamen dictorum fratrum paci et tranquillitati studiosius providendum: quod si in Pomerania controversie quod absit exorte fuerint, quamobrem fratres ibidem commorantes propter incommoda ad claustrum compulsi fuerint remeare, ibidem dictas tres defunctorum missas solvent, et nec nos nec mei successores aliquam propterea materiam contra sepedictos fratres habere possumus procedendi. Insuper prius dicti fratres nobis altare ad honorem sanctorum Laurentii et Stephani martyrum constructum in eorum monasterio assignarunt cum calice, missali et ornatu nostro signo lucidius insignito, in quo singulis septimanis absque omissione aliqua tres missas defunctorum celebrabunt, necnon singulis annis pro me meisque progenitoribus ac posteris in crastino beati Gregorii Pape solenne anniversarium fiet, ipsoque die dominus abbas fratribus suis lautum servitium ministrabit. In quorum testimonium omnium predictorum et munimentum veritatis, presentem paginam cum

appensione nostri sigilli fecimus firmiter communiri, anno Domini M.CCC.XLVIII infra octavas Assumptionis beate Marie virginis gloriose, presentibus nobilibus viris et famosis: Predborio Cuiavie capitaneo, Alberto palatino Brestensi, Vincentio iudice Brestensi, Hebda castellano Brestensi, et aliis quam pluribus fide dignis.

Kosciol, *Kościelec.* Landa, *Ląd.* Lang, *Łęg.* Brestensis, *de Brześć Kujawski.*

Nr. 1272.

Iarandus capitaneus terre Syradiens. 1348 Aug. 2, in Uneyow; protestatur, Iaroslaum archiepiscopum Gneznensem, ratione possessionis hereditatum Śpicimierz et Wieszczyce, cum Nicolao subagazone Lanciciensi et Troiano, filiis quondam Pauli Cauda palatini Lanciciensis, certam compositionem fecisse.

Transsumpt potwierdzony przez: Kazimirus rex Polonie 1348 Aug. 20, in Syradia.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 125.

In nomine Domini amen. Nos Iarandus capitaneus terre Syradiensis notum facimus universis ad quorum noticiam devenerit scriptum presens, quod constituti personaliter in nostra presencia nobiles viri Nicolaus subagazo Lanciciensis et Troyanus, filii quondam domini Pauli Caude palatini Lanciciensis, bona fide, sponte et libere promiserunt pro se et suis consanguineis omnibus quorum quomodolibet interesset, quod venerabilem in Christo patrem dominum Iaroslaum, divina providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopum, in hereditatibus, videlicet Spycimirz et Velscycze sibi invicem contiguis sive iunctis, sitis prope Uneyow opidum, et ecclesiam suam Gneznensem per se vel per alium nullo umquam tempore debeant quomodolibet molestare. Dictus vero dominus archiepiscopus, licet dictas hereditates fuisset per commutacionem factam cum illustri principe domino Kazimiro Dei gracia rege Polonie alias legittime assecutus, tamen pro bono pacis, et quod non habeant eum et ecclesiam suam predictam deinceps pro ipsis materiam impetendi seu movendi sibi aliquam questionem, eisdem Nicolao et Troyano sexaginta marcas grossorum presencialiter nobiscum sedens dedit, solvit et tradidit in pecunia numerata; et nichilominus licitum erit eis, prefatum dominum regem tam ipsius domini archiepiscopi auxilio commonere et sibi instare, ut sui gracia pro dictis hereditatibus, in bonis aliis facere dignetur similem recompensam. Tenebuntur autem dicti Nicolaus et Troyanus, si facta fuerit eis ex parte domini regis ut premittitur recompensa, dictas sexaginta marcas grossorum dicto domino archiepiscopo et sue Gneznensi ecclesie ex integro restituere similiter in pecunia numerata; premissa vero omnia et singula prefati Nicolaus et Troyanus promiserunt firmiter tenere, servare ac eciam adimplere, dictasque hereditates Spicimirz et Velscycze ab homine quolibet exbrigare sub obligacione bonorum seu hereditatum suorum, in quacunque terra seu districtu existant et quocunque nomine nuncupentur. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum presentibus est appensum. Actum in Uneyow in crastino beati Petri ad Vincula, anno Domini m.ccc.xl octavo, presentibus nobilibus viris: Henrico dapifero Kalisiensi, Iohanne de Kwathcovo, Dobemiro de Scothniky, Nicolao de Prosscono, et aliis quam pluribus fide dignis.

Spycimirz, *Śpicimierz.* Velscycze, *Wieszczyce.* Uneyow, *Uniejów.* Kwathcovo, *Kwiatków.* Scothniky, *Skotniki.* Prosscono, *Przykuna.*

Nr. 1273.

Kazimirus rex Polonie etc. 1348 Aug. 20, in Syradia; ratam habet amicabilem compositionem, quam fecerat **Iarandus capitaneus terre Syradiens. 1348 Aug. 2, in Uneyow,** ratione possessionis hereditatum Śpicimierz et Wieszczyce, inter Iaroslaum archiepiscopum Gneznens. et filios Pauli Cauda, quondam palatini Lanciciens.

Pergam. orygin. Na sznurku jedwabn., żółt. przywieszona pieczęć wielka Kazimierza króla.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 125.

In nomine Domini amen. Nos Kazimirus rex Polonie notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris ad quorum noticiam devenerit scriptum presens, quod constitutus in nostra presencia strenuus miles dominus Iarandus capitaneus noster Syradiensis publice recognovit, quandam intervenisse concordiam coram eo tamquam coram nostro capitaneo, ipso eidem concordie auctoritatem protestante, inter venerabilem in Christo patrem dominum Iaroslaum, divina providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopum, ex una, et nobiles viros Nicolaum subagazonem Lanciciensem et Troyanum fratres germanos, filios quondam Pauli Caude palatini Lanciciensis, parte ex altera super hereditatibus, videlicet Spycimirz et Welscycze, sitis prope Uneyow opidum Gneznensis ecclesie, quas hereditates dictus dominus archiepiscopus et eadem sua Gneznensis ecclesia per quandam commutacionem a nobis primitus obtinebat, propter quas dicti Nicolaus et Troyanus eundem dominum archiepiscopum sepius inpetebant. Quam quidem concordiam seu amicabilem composicionem parcium predictarum, predictus capitaneus suis litteris roboratam tunc coram nobis et nostris baronibus exhibuit et monstravit; quarum litterarum tenor sequitur in hec verba: (*Sequitur diploma Nr. 1272.*)

Nos igitur eiusdem concordie integraliter audito tenore et eo plenius intellecto, eam per omnia et in totum ratam et gratam habemus, ac ipsam ad instanciam dominorum archiepiscopi et capitanei predictorum ex certa sciencia perpetuis duraturam temporibus approbandam duximus et eciam confirmandam, dictis Nicolao et Troyano ac omnibus aliis ad quos quomodolibet pertineret, super dictis hereditatibus Spicimirz et Welscycze perpetuum silencium inponentes. In cuius rei testimonium, presentes dari fecimus nostri sigilli munimine roboratas. Actum in Syradia feria quarta infra octavas Assumpcionis sancte Marie, anno Domini m.ccc.xl octavo, presentibus hys testibus: Nicolao Kalisiensi, Ymramo Cracoviensi palatinis, Iarando capitaneo predicto, Wilczkone Sandomiriensi, Henrico Visliciensi castellanis, Iacobo Syradiensi, Floriano Lanciciensi cancellariis, et aliis multis fide dignis. Datum per manus domini Iacobi cancellarii prenotati, scriptum autem per notarium curie nostre Pribislaum.

Spycimirz, *Śpicimierz.* Welscycze, *Wieszczyce.* Uneyow, *Uniejów.*

Nr. 1274.

Fr. Conradus Vollekop Ordinis Hospitalis b. Marie domus Teutonice etc. et commendator in Tuchola 1348 Sept. 28, in Tuchola; protestatur, Laurentium de Pametow bona sua dicta Grisow rusticis de villa Łubna vendidisse.

Pergam. orygin., miejscami przetlały, u którego na pasku pergaminowym wisi ułamek pieczęci bez wycisku.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 126.

In nomine Domini amen. Noverint universi noticiam presencium habituri, quod nos frater Conradus Vollekop, Ordinis Hospitalis beate Marie domus Teutonice Ierosolimitane et commendator in Tuchola, recognoscimus tenore presencium lucide profitentes, quod honestus famulus Laurencius de Pametov, de maturo consilio, voluntate et consensu matris et uxoris sue ac omnium ac singulorum heredum suorum, bona ipsorum Grisov dicta, prope Lubna villa situata, honestis hominibus sculteto et rusticis in villa Lubna constitutis rite et racionabiliter absque omni dolo pro xxxii marcis usualis monete vendiderunt, pro suis usibus et utilitate possidenda et habenda. Que quidem bona honorabiles viri, dominus Pe. legatus canonicus Gneznensis et plebanus in Trencz, una cum Pe. (*6 lit. del.*) procuratores ac provisores domini archiepiscopi emerunt, nomine et ex parte venerabilis in Christo patris ac domini domini Iar. archiepiscopi Gneznensis empcionem dictam fecerunt. Et ipsi, scilicet Laurencius de Pametov, mater et uxor sua nec non universi et singuli heredes sui, promittunt rati et promiserunt dicta bona vendita nunquam repetere nec arrestare quoquomodo, nec eciam empcionem revocare, sed penitus abrenuncciaverunt. In quorum omnium testimonium et robur perpetue firmitatis, presentes dedimus nostri sigilli munimine communitas. Huius rei et empcionis testes sunt honorabiles et religiosi viri: dominus Iohannes presbiter nostri Ordinis, frater Pe. de Tymo vicecommendator, frater Tylo magister coquine, nostri conventuales, Mysner advocatus in Tuchola, Conradus Metz proconsul ibidem, Rupertus civis ibidem, Zibot scultetus, Paulus notarius. Datum et actum in Tuchola anno Domini M.CCC.XLVIII, in vigilia Michaelis archangeli.

Tuchola, *Tuchola.* Pametov, *nie odgadnione.* Grisov, *zdaje się jest częścią wsi Łubna.* Lubna, *Łubna.* Trencz, *z niemiecka Stretzin.*

Nr. 1275.

Kazimirus rex Polonie 1348 Nov. 11, in Vronki; monasterio de Łekno hereditates Łaziska et Dzierzązna restituit.

Naśladowanie, może z: Liber antiquior privilegiorum monasterii Luknens. *wspominanego w:* Protocollum primum i secundum *archiwa tegoż klasztoru. Pismo ma naśladować starożytne, inkaust ceglaty, pergamin świeży. Ułamek pieczęci nieznanéj, średniowiecznéj, przewiercony, przez który przewleczono skręcone nici czerwonego jedwabiu i pęczkiem do pergaminu przywiązano. Na stronie odwrotnéj napisano ręką wieku przeszłego:* Habetur in libro antiquiori.

Poznań. Königl. Staats Arch. Łekno 4. Relat. Kcynens. a. 1765 s. fol.

In nomine Domini amen. Protestationes principum ideo conquiruntur, ne id quod rite fit et rationabiliter, per quempiam maliciose et callumpniose possit irri-

tari seu violari. Igitur nos Kazimirus Dei gratia rex Polonie universis et singulis tam presentibus quam futuris publice profitentes declaramus, quod licet ad sugestionem quorundam minus iustam de hereditatibus Lazisca et Dzerozna nuncupatarum, sitas in terra Poznaniensi (sic) nos intromisisserimus (sic) et eas aliquo tempore tenuissemus, tandem nobis in convencione cum marchione Brandenburgensi in opido nostro Wronki existentibus, tum fratres de Lecno pro ysdem hereditatibus Laziska et nobis institissent dicentes et asserentes, easdem ad eorundem monasterium, Lecno vocatum in wlgari, hereditarie ab antiquo tempore pertinere; de cuius rei robore fideles nostri infrascripti requisiti per nos, ad quem eeedem hereditates, ad nos vel ad domum predictam seu monasterium Lecnoniense pertinerent? omnes unanimi voce responderunt et sufficienter sunt protestati, eciam ad iuramentum prestandum se paratos offerentes, quod eeedem hereditates Laziska et Dzerzozna non ad dominium nostrum, sed ad monasterium predictum de iure spectant ab antiquo. Nos itaque unicuique iustitiam reddere cupientes, contenti protestatione nostrorum fidelium sufficienti, easdem hereditates Laziska et Dzerzozna cum omnibus utilitatibus ad ipsas pertinentibus, fratribus et monasterio predicto restituimus perpetuo possidendas. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum presentibus duximus appendendum. Actum in Vronki die beati Martini episcopi et confessoris, anno Domini m.ccc.xl.viii, presentibus hys testibus: venerabili in Christo patre domino Alberto episcopo Poznaniensi, Preczslao castellano poznaniensi, Beniamin Castellano Gneznensi, Nicolao poznaniensi, Dobeslao Kalisiensi iudicibus, et aliis multis fidedignis. Datum per manus Pribislai aule nostre notarii. Frater Gerardus hanc litteram inpetravit.

Lazisca, *Łaziska.* Dzerozna, *Dzierzązna.* Terra Poznaniensis, *mylnie zam.* Terra Polonie, *gdyż obie wzmiankowane wsie leżały w województwie Kaliskiem.* Wronki, *Wronki.* Lecno, *Łekno.*

Nr. 1276.

Karolus Romanorum rex etc. 1348 Nov. 15, Wratislavie; confirmat privilegium, quod dederat monasterio de Wieleń: **Iohannes Boemie rex etc. 1337 Ian. 12, Wratislavie.**

Pergam. orygin. Nici jedwabne, czerwone i żółte, z których pieczęć znikła. Poznań. Königl. Staats Arch. Priment Nr. 5.

Karolus Dei gracia Romanorum rex semper augustus et Boemie rex. Universis presentes litteras inspecturis harum serie patefiat, quod pro parte devotorum nostrorum, abbatis et conventus monasterii Laci sancte Marie Ordinis Cisterciensis, quodam privilegium recolende memorie illustris Iohannis quondam regis Boemie, genitoris nostri karissimi, continencie infrascripte nostre celsitudini exhibitum extitit, ac devota instancia supplicatum, ut prefatum privilegium et omnia in ipso contenta, de nostre mansuetudinis clemencia approbare, ratificare, innovare et confirmare dignaremur; cuius quidem privilegii tenor talis est: (*Sequitur diploma Nr. 1164.*)

Nos itaque predictorum abbatis et conventus, ob singularem devocionis affectum quem ad gloriosam virginem Mariam Creatoris omnium genitricem, cuius vocabulo dictum monasterium insignitur, reverenter gerimus piis supplicacionibus incli-

nati, antedictum privilegium ac omnia et singula contenta in eodem, in omnibus suis clausulis et sentenciis, prout ipsius tenor presentibus est insertus, de innata nobis clemencia approbamus, innovamus, ratificamus et presentis scripti patrocinio confirmamus, volentes et decernentes, ipsa et eorum quodlibet obtinere perpetui roboris firmitatem. Nulli ergo hominum, cuiuscunque status seu preeminencie existat, liceat hanc nostre innovacionis, approbacionis seu confirmacionis gratiam infringere aut ausu temerario aliqualiter violare, prout indignacionis nostre aculeum ac penam gravissimam pro motu proprio infligendam voluerint evitare. In cuius rei testimonium, presentes litteras scribi et sigillo maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Wratislavie anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, Indictione prima, XVII Kalendas Decembris, regnorum nostrorum anno tercio.

Lacus sancte Marie, *nazwisko klasztoru Cystersów we wsi Wieleń, leżącéj nad jeziorem tegoż nazwiska.*

Nr. 1277.

Kazimirus rex Polonie 1348 Nov. 22, in Namslav; Karolo Romanorum regi spondet, se, si ipsius iuvamine limites regni Poloniae contra Ordinem domus Theutonicae et marchionem de Brandenburg recuperare possit, regi praedicto contra quemlibet, rege Ungariae excepto, auxilium praestiturum.

Riedel. Cod. diplomatic. Brandenburgens. B 2, p. 230. (Kopja).

Kazimirus Dei gracia rex Polonie, notum facimus universis. Super materiis controversiarum, dissensionum et quarumlibet iniuriarum, que hactenus viguerunt inter serenissimum principem dominum Karolum regem Romanorum semper augustum et Boemie regem ex una, et nos parte ex altera, de alto et basso in oppido Nambslaviensi Wratislaviensis diocesis, anno et die subscriptis, in hunc modum duximus amicabiliter concordandum. Quod sincera fide sub prestito iuramento et sine omni dolo promittimus supra dicto Romano et Boemie regi, fratri nostro, perpetuam dilectionem et fraternam amicitiam cunctis in antea futuris temporibus inviolabiliter observare; sic, quod ipse versa vice nobis sub iuramento simili ad observationem earundem dilectionis et amicitie teneatur, prout in antiquis literis nostre concordie inter eum et nos aliquotiens celebrate plenius continetur. Et supra dictis unioni et amicitie, illustrem principem dominum Bolkonem ducem Svidnicensem nepotem nostrum dilectum, cessante omnis dissensionis materia si que inter predictum dominum regem et eundem ducem nepotem nostrum hactenus est habita, duximus includendum, si super his per supradictum ducem Bolkonem, in iuridicam discussionem illustris ac magnifici principis domini Alberti Austrie, Stirie et Carinthie ducis consensum fuerit infra triduum, a die crastina continuo conputandum. Specialiter etiam promittimus et spondemus, quod medio tempore, quoad per suffragium et iuvamen predicti domini Karoli, Romanorum et Boemie regis, adversus Cruciferos de domo Teutonica seu Bavaros in marchia Brandenburgensi manentes metas regni nostri Polonie non recuperaverimus, hostibus et emulis dicti regis non cooperari vel assistere auxilio, consilio et favore. Recuperatis tamen limitibus regni nostri predicti, promittimus sub fide et iuramento superius expressis, predicto Romanorum et Bohemie

regi adversus omnem hominem auxiliari, astare, assistere: rege Hungarie duntaxat excepta, prout in antiquis literis nostris est expressum: et predictum regem et successores eius, qui nobis suis patentibus literis pro quadam summa pecunie promiserunt, de predicta pecunia nullis unquam temporibus admonere. Sique adiutorio Dei et supradicti regis suffragio mediante metis regni nostri habitis primitus et obtentis, aliqui occupatores de bonis et dominiis ad nostrum regnum Polonie non pertinentibus exterminati et expulsi fuerint, medietatem bonorum et dominiorum huiusmodi supradicti Romanorum et Boemie regis, residuam vero nostris usibus decrevimus applicandam. In huius rei testimonium nostrum sigillum duximus appendendum. Datum in Namslav oppido Wratislaviensis diocesis die sancte Cecilie virginis, anno Domini MCCCXLVIII.

Oppidum Nambslaviense. *Namysłów*, z niem. *Namslau*. *Wiersz 15 Rkpis ma* quod, zam. *quod*. *Wiersz 21 R. ma* recuperavimus, zam. recuperaverimus.

Nr. 1278.

Fr. Gallus de Lemberch prior domorum Hospitalis Ordinis s. Iohannis Ierosolimitani per Boemiam Poloniam etc. 1348 Dec. 7, in Tyncia; una cum conventu eiusdem Ordinis domus Posnaniensis protestantur, se hereditatem Maichowice ecclesiae Gneznensi vendidisse.

Pergam. orygin., w jednem miejscu przetarty, u którego w dołu zakładce wiszą szczątki trzech pasków pergaminowych, każdy przez wcięcia poprzeczne przewleczony.
Gniezno. Archiw. Capituli Metropol. Nr. 127.

In nomine Domini amen. Nos frater Gallus de Lemberch, prior domorum Hospitalis Ordinis sancti Iohannis Ierosolimitani per Boemiam, Poloniam, Moraviam, Austriam etc., nec non frater Nicolaus dictus Per. Confessionis eiusdem tunc commendator in Posnania, totusque conventus fratrum ibidem tenore presencium recognoscimus et eciam profitemur, quod hereditatem sive villam dictam Maychowice in districtu Ravensi sitam terre Mazoviensis, que ad (*8 lit. des.*) nostram pertinet ab antiquo, cum omni iure, dominio, libertate, campis, pratis et utilitatibus universis (*14 lit. des.*) Posnaniensis necessitate et utilitate inspecta, de communi consilio et consensu commendatorum (*12 lit. des.*) ac recognoscentibus illustribus principibus Semovito et Kazymiro, filiis pie recordacionis domini Troydeni ducis Mazovie, ipsam hereditatem ab omni eorum dicione, potestate ac dominio antiquo iure liberam et absolutam, prout hec in ipsorum ducum inde confectis literis plenius continetur, venerabili in Christo patri et domino, domino Iaroslao divina providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo et eidem sue Gneznensi ecclesie pro quadraginta quinque marcis grossorum denariorum Pragensium, quadraginta octo grossis pro marca qualibet computatis, quam pecuniam ab ipso domino archiepiscopo iam recepimus integraliter et habuimus in pecunia numerata, vendidimus, dedimus ac tradidimus, vendimus, damus et tradimus eciam in hiis scriptis, concedentes eidem domino archiepiscopo, quod dicte hereditatis Maychowice cum omnibus supradictis campis, pratis et utilitatibus que ad ipsam quomodolibet spectare noscuntur, suo et dicte Gneznensis ecclesie nomine possessionem apprehendere valeat quandocunque sibi videbitur expedire

ac se intromittere de eadem et de illa disponere iuxta sue beneplacitum voluntatis plenam et omnimodam facultatem. Presentibus testibus infrascriptis, videlicet fratre Sulislao plebano dicte domus in Poznania, nec non eciam fratribus aliis, scilicet Iohanne, Simone, Theodrico (*5 lit. des.*) Nicolao dicto Grand, Nicolao de Nozen et Iaroslao, conventualibus ibidem, qui premisso tractatui suffragia (*6 lit. des.*). Ad evidenciam autem et certitudinem firmiorem vendicionis predicte, sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum in Tyncia in domo dicti nostri (*5 lit. des.*) die dominico in crastino beati Nicolay confessoris, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo.

Mnychowice, *Mnichowice.* Ravensis, *de Rawa.* Tyncia, *zwykle Tyniec, klasztor Benedyktynów w Krakowskiem.*

Nr. 1279.

Fr. Iohannes prepositus totusque conventus monasterii Tremesens. 1348 Dec. 27, s. l.; hereditatem Lubin iure Theutonico civitatis Sredensis exponunt, et scultetiam ibidem Gregorio eiusque posteris vendunt.

Pergam. orygin. Brzegi obcięte, śladu przywieszenia pieczęci nie masz. Trzemeszno. Privil. Conv. Can. Reg. Lateran.

In nomine Domini amen. Cuncta que aguntur in tempore ne labantur cum tempore, solent testium vel scripture muniri roboracione. Noverint igitur universi presencium noticiam habituri, quod nos frater Iohannes prepositus Tremesensis, nec non Otto prior, Vitoslaus custos, Petrus claviger et alter Petrus, frater Iacobus, Iohannes et Mathias totusque conventus fratrum monasterii Tremesensis bona domus nostre predicte cupientes informare, hereditatem prefati monasterii que vulgariter Luben nominatur, adiuncta parte alterius hereditatis que Lanisco vocitatur usque ad silvam que Orla nuncupatur, iure Theutunico civitatis Sredensis exponimus; in qua discreto viro Gregorio et suis posteris scolteciam cum tribus mansis liberis vendidimus pro octo marcis Torunensibus, de quibus mansis, elapsa libertate, pro decima nobis quolibet anno fertonem Toruniensium denariorum solvere tenebitur. Addimus eciam memorato scolteto et suis successoribus lacum Choczim cum clausura et prato adiacente ex parte eiusdem hereditatis, et aliud pratum in palude inter silvam, circa viam eundo versus Velatow. Item concedimus sepe nominato scolteto et suis progenitoribus mediam tabernam, pro nobis media reservata; macellum vero pistorum, carnium, fabrile sutorum, libere et integraliter pro se locabit. Permittimus eciam nominatum scoltetum et suos posteros, gregem ovium pascere in eadem hereditate. Prebemus eciam iam dicto scolteto et suis posteris tercium ortum quos poterit mensurare ultra mensuram laneorum, duobus pro nobis retentis; et de omnibusque utilitatibus et proventibus qui in supradicta hereditate poterunt inveniri, tercium denarium obtinebit, et duo ad nos pertinebunt. De penis vero iudicialibus, parvis sive magnis, tercius denarius, et ad nos vero duo spectabunt. Concedimus eciam superius nominato scolteto et suis posteris, quod si umquam suus kmeto pro suo excessu secundum statutum terre a suo iure ad ius Polonicum tractus fuerit et iudicatus et in

penam laberetur, extunc tercia pars pene ad ipsum scoltetum spectabit, et ad nos due partes pertinebunt. Elapsis autem annis libertatis, prefatus scoltetus et sui successores unam viam infra annum in Vasnew in nostris expensis facere tenebitur, et in terra Polonica apta negocia pro nobis debet exercere. Item omnibus ibidem incolis pro locacione concedimus decem annorum spacio omnimodam libertatem. Damus eciam eisdem kmetonibus in magno lacu cum hamo et guzgustriis semper liberam piscacionem; permittimus vero a novalibus agris triplex frumentum percipere sine decimacione, usque ad extirpacionem tocius hereditatis. Postquam iam libertas expiraverit, omnes incole memorate hereditatis decimam integraliter persolvent, et in festo beati Martini nobis pro censu de quolibet manso fertonem Torunensium denariorum dare tenebuntur, et tres dies infra annum in nostris agris exarabunt. Pro decima lini quilibet eorum nonnisi unum regalem persolvet; pro missalibus vero unusquisque eorum duos choros siliginis et duos avene dare tenebitur. Hoc eciam inserimus, quod in triplici magno iudicio, pro nostra refeccione, pro quolibet sex grossos, semel scoltetus et bis incole infra annum solvere tenebuntur. Demumque habitatores prefate ville, ab omnibus exaccionibus pullorum, ovorum et aliis quibuslibet facimus liberos et exemptos. In cuius rei testimonium, presentes litteras nostri et conventus sigillorum munimine roborari mandavimus. Datum in die beati Iohannis apostoli et ewangeliste anno Domini m.ccc.xl octavo, presentibus honorabilibus viris, domino Thoma herede in Vilcina, domino comitte Cestcone herede de Depnicia, domino Nicolao choherede in Vilcina, domino Thomasio plebano de Slavno, domino Nicolao plebano in Vilcina, et aliis quam plurimis fide dignis.

Luben, *Lubin.* Lanisco, *osada znikła.* Choczim, *Kocin.* Velatow, *Wielatowo.* Vasnew, *Waśniów.* Vilcina, *Wilczyn.* Depnicia, *Dębnica.* Slavno, *Sławno.*

Nr. 1280.

Predborius capitaneus et alii dignitarii Cuiavie 1348 s. d., in Brest; protestantur, Dobeslaum filium Zyrae monasterio Ląd hereditatem Łęg pro uno altari in ecclesia praedicti monasterii et officio ibidem celebrando contulisse.

Pergam. orygin. Na skrawkach pergamin. przywieszono cztery pieczęcie. Pierwsza przedstawia na trójkątnéj tarczy godło rodu Pomianów, napis zatarty. Druga tarcz trójkątną z godłem zatartem, napis: S. Vicentii iudicis. *Trzecia godło rodu Lubiczów z napisem zatartym. Czwarta znikła.*

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que aguntur in tempore ne simul labantur cum tempore, necesse est ea litterarum apicibus et proborum virorum testimonio perhennari, noverint igitur universi presentem paginam inspecturi, quod nos Predborius capitaneus Cuiavie, Albertus palatinus Brestensis, Wincencius iudex Brestensis, Chebda castellanus Brestensis profitemur per presentes fide digna . . . (sic) quia venientes religiosi frater Nicolaus clavier, Gyzilbertus sacerdos et monachus, legitime legati religiosi patris abbatis et totius conventus de Lynda, nec non nobilis vir Dobeslaus filius Zyre ante conspectum nostrum, talem concordiam inierunt pro hereditate dicta Lank. Sic quot nominatus abbas et conventus promiserunt memo-

rato Dobeslao et suis successoribus pro conventu Landensi unum altare, quodcunque elegerit, cum nowo missali et ornatu cum signo suo; in qua ara singulis septimanis tres misse defunctorum pro animabus Dobeslay awi et ave, Syre patris, Clare matris, et omnium amicorum defunctorum suorum et pro metipso prefato Dobesslao et suis successoribus, aliis vero diebus prout occurrerint imperpetuum sunt celebrande, exhortacionem vero singulis diebus dominicis facientes, in hereditate vero dicta Godzessowo duos fratres cum plebano statuentes. Similiter vero nominatas missas celebrantes, anniversarium pro eisdem animabus singulis annis exercebunt, ad quod anniversarium pro fratribus sepedictus abbas sollepne prandium ministrabit. In cuius rei testimonium, presentem litteram scribere mandavimus et sigillorum nostrorum appensione roborari. Actum et datum in Brest, anno Domini millesimo ccc.xl.viii.

Lynda, *Ląd.* Lank, *Łęg.* Godzessowo, *Godziszewo, z niem. Gardschau.* Brest, *Brześć Kujawski.*

Nr. 1281.

Henricus abbas Teinciens. 1348 s. d. et l.; confirmat Nicolao Seyteler privilegium, quod dederat Adalberto et fratribus eius **Iohannes prepositus s. Laurencii prope Caliss 1326 Iun. 29, s. l.**

Kalisz. Archiw. Rządowe, Inscription. Castrens. Kalissiens. a. 1545, Lib. 8, fol. 269. (Z oryginału opatrzonego pieczęciami).

In nomine Domini amen. Quecunque debito ac licito tempore ad proborum peticionem confirmantur, incorrupta permanent ac illesa, et a bonorum impugnacione ratificatorum more consueto preservabunt. Hinc est quod nos Henricus, divina et apostolice Sedis providencia abbas Teinciensis, ad peticionem discreti ac honesti viri Nicolai dicti Seyteler civis Calissiensis, qui ad nostram ibidem in Caliss ac fratrum nostrorum venit presentiam, videlizet fratris nostri prepositi de sancto Laurencio ac aliorum nostrorum capellanorum, a nobisque humiliter ac studiose supplicavit, ut privilegium, sibi per fratrem nostrum olim Iohannem prepositum sancti Laurencii ac suis predecessoribus porrectum ac donatum super sculteciam in villa nostra Petrowo, confirmare dignaremur. Nos vero precibus suis inclinati peticionibus suis annuentes, ac precipue propter honorem quem fratribus nostris prebuit et in posterum exhibebit, prefatum suum privilegium confirmavimus, ratificando omni qua possibilitate valebamus. Quod privilegium in hec verba continetur: (*Sequitur diploma Nr. 1070*).

Nos enim Henricus divina providencia abbas Tinciensis, in testimonium et confirmacionem nec non propter evidenciam ac credenciam tutellamque firmiorem et stabiliorem, Nicolao dicto Scheitheler civi Calisiensi presentem porreximus paginam, sigilli nostri ac prepositi sancti Laurencii sub appensione. Actum coram testibus suprascriptis: Nicolao plebano Calisiensi, Henrico monacho fratre nostro de Mogelna, Iohanne nostro capellano, Hancone sculteto de sancto Laurencio, Nicolao notario civitatis. Datum sub anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo octavo.

Teinciensis, *de Tyniec.* Petrowo, *Pietrowo.* Mogelna, *Mogilno.* Sanctus Laurencius, *Kościelna wieś.*

Nr. 1282.

Kazimirus rex Polonie etc. 1349 Mai. 13, in Poznania; terram et civitatem Wschowa inhabitantibus, iura ipsorum Theutonicalia et consuetudines se conservaturum spondet.

Transsumpt potwierdzony przez: Wladislaus rex Polonie etc. 1388 Mart. 31, in Poznania.

Poznań. Königl. Staats Arch. Stadt Fraustadt Nr. 2.

In nomine Domini amen. Decet reges unumquemque in suo iure fovere et graciose conservare. Eapropter nos Kazimirus, Dei gracia rex Polonie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiavie Pomeranieque dominus et heres, universorum noticie tam presencium quam futurorum publice profitentes declaramus, quod maturo consilio baronum nostrorum prehabito, nostros fideles vasallos feudales, milites et incolas universos terre Wschowa nec non cives ac totam universitatem civitatis Wschowa nuncupate, circa omnia iura Theutunicalia et civilia ac consuetudines, quibus tempore aliorum ducum seu principum ab antiquo utebantur, promittimus dimittere et graciosius conservare; hoc adiecto et firmiter temporibus perpetuis observato, quod vasalli, milites et incole universi nec non cives predicti, citati vel inculpati pro causa seu causis hereditariis atque capitalibus et criminalibus, puta furti, sangwinis, homicidii, incendii et aliis universis, non alias nisi in civitate predicta Wschowa, coram nostro capitaneo vel burgravio seu provinciali advocato aut nuncio ad hoc specialiter deputato, suo iure Theutunico de se querulantibus respondere teneantur. In quorum omnium testimonium et evidenciam pleniorem, presentem litteram dari fecimus nostri sigilli munimine roboratam. Actum in Poznania feria quarta proxima post diem beati Stanislai martyris gloriosi, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono, presentibus hys testibus, nostris fidelibus Nicolao palatino Kalisiensi, Preczslao castellano Poznaniensi et capitaneo Polonie, Benyamin castellano Gneznensi, Iarando castellano Rozpiriensi et capitaneo Siradiensi, Nicolao Poznaniensi, Dobeslao Kalisiensi iudicibus, et aliis multis fidedignis. Scriptum et datum per manus Pribislai prepositi ecclesie sancti Georgii apud Gneznam et notarii aule nostre.

Wschowa, *Wschowa.* Rozpiriensis, *de Rozprza.*

Nr. 1283.

Albertus Poznaniens. ecclesie episcopus 1349 Mai. 15, Poznanie; protestatur, Mathiam Venceslai de Trzek a Boguslao et Krzyżano fratribus scultetiam in villa Sarbinowo emisse.

Pergam. orygin. Sznurki jedwabne, czerwone od przywieszenia dwóch pieczęci. Poznań. Archiv. Capituli III, 19.

In nomine Domini amen. Quoniam memoria hominis oblivione sepius obfuscatur, expedit ut actiones rerum gestarum litteris conscribantur, ut in eisdem tanquam

in speculo et exemplo memoria in posterum resumatur. Idcirco nos Albertus, divina et apostolice Sedis providencia Poznaniensis ecclesie episcopus, notum facimus universis et singulis presentibus et futuris quibus nosse fuerit oportunum atque recognoscimus per presentes et publice profitemur, Mathiam Wenceslai de Trsek a Boguslao et Krziszano fratribus et eorum filiis, in villa Capituli Sarbinovo vulgariter nuncupata, quam pro nunc tenet honorabilis vir dominus Bogufalus scolasticus Wladislaviensis et canonicus Poznaniensis, emisse scolthetiam, in qua sunt duo mansi liberi et unus ortus, de consensu fratrum nostrorum, Poznaniensis videlicet Capituli, pro certa pecunie quantitate; quam quidem scolthetiam prefati fratres Boguslaus et Krziszanus et eorum filii, dicto Mathie non compulsi nec coacti, sed libere et spontanee vendiderunt, sibi suisque posteris et successoribus legitimis iure hereditario perpetuo possidendam. Habebit etiam idem scolthetus et ipsius successores tertium denarium iuramentorum et cuiuslibet iudicati. Incole vero eiusdem ville, domino hereditatis ipsius qui pro tempore fuerit, ratione census et decime in festo beati Martini de manso quolibet duas mensuras tritici, duas ordei, quatuor mensuras siliginis, quatuor avene, de orto autem quolibet per tres grossos annis singulis, fertonem insuper grossorum de manso quolibet ratione census predicti solvere tenebuntur. Item tres dies infra annum domino suo arare debebunt. In festo autem Pasche de tota villa duos edos aut agnellum cum edo, de quolibet vero manso per duodecim ova; item in festo Petri tota villa arietem et de manso quolibet duos pullos; pro tribus autem prandiis iudicialibus tres fertones, quorum duo spectant ad villanos tertium autem est pertinens ad scolthetum, eidem domino ville dare et exsolvere similiter annis singulis perpetuis temporibus tenebuntur. In cuius rei testimonium, nostrum et prefati nostri Capituli sigilla presentibus duximus appendenda. Datum Poznanie quintadecima die mensis Maii, anno Domini m.ccc.xl nono, presentibus atque consencientibus dominis: Bogufalo decano, Ylico scolastico, Voyslao archidiacono, Andrea cancellario, Iohanne cantore Poznaniensibus, Bogufalo Wladislaviensi scolastico memorato, magistro Ambrosio, Andrea, Nicolao Cebulka, Dythkone de Sroda, canonicis Poznaniensibus, atque Iacobo eiusdem ecclesie canonico et notario nostro, per quem presentia sunt conscripta.

Trsek, *Trzek.* Sarbinovo, *Sarbinowo.* Wladislaviensis, *de Włocławek.* Sroda, *Środa.*

Nr. 1284.

Henricus archidiaconus Poznaniens. 1349 Mai. 30, s. l.; Alberto Poznaniensi episcopo scribit, terram inter Noteć et Drawam sitam, propter inopiam anno currente tantummodo 25 sexagenas grossorum ei solvere posse; anno sequenti tamen plus fore extorquendum sperat. Insuper regestrum bonorum ecclesiae in terra supradicta addit.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 181.

Venerabili in Christo patri ac domino, domino Alberto Poznaniensis ecclesie episcopo, Henricus archidiaconus eiusdem inter Notesz et Drawam, debitam reverenciam prompto cum famulatu. Noveritis, me fortiter apud vestras litteras laborasse; nam propter raritatem presencie domini Hassonis, ipsum querere prope Odram me

opportuit. Sed dum in Tuczno convenirent domini, concordaverunt et valde deprecabantur, ut **xxv** sexagenas grossorum isto anno reciperetis, anno vero futuro libenter vellent amplificare, inopiam et vastitatem terre intuentes: que viginti quinque sexagenas in proximo festo beati Martini ego una cum eis a terra vellemus extorquere, si status terre velut nunc permaneret. Registrum autem quod requisivistis est istud: Primo Worscenowe habet **lx** mansos, sed **x** mansi sunt vasti; de Nimynske **xl** mansi, **xx** vasti; de Nocyk **lx**, sed **xix** vasti; Gustorp **lx**, **xix** vasti; Pamyrin **lxi**, **xxiiii** vasti; Gysen **lx**, **xx** vasti; Stoben **l**, possessi omnes; Kortenicz **lx**, **xxx** vasti; Guntirshagen **c** cum **v** mansis, **xxviii** vasti; Voltirstolp **lx**, **xvi** vasti; Zulezhager **lxxx** minus **i** mansi, omnes possessi; Bercholc **l**, omnes possessi; Ditardestorf **lx**, omnes possessi; Voczich **lx**, omnes possessi; Magna Sabin **xc**, **xxxviii** vasti; Parva Sabin **lx**, **xi** vasti; Sconenvelde **lx**, **vii** vasti; Tuch **c** cum **xi**, omnes possessi; Vredelant **lxx**, sed **iiii** anni liberi; Hennekendorp **lx**, **x** vasti; Bruncow **lx**, **iiii** anni liberi, sed **xi** vasti; Prothenow **lx**, **iiii** anni liberi; Mertenstorp **lx** possessi, sed duo dabunt pactum; Lubestorp **xl** possessi; Nakel **lx**, **x** anni liberi; Sadow **xliii**, **xvi** vasti; Stralenberch **lx**, **xiiii** vasti; Stubbow **lx**, **x** vasti; Mellentyn **lx**, sed duo dabunt pactum; Martem **lx**, **xl** vasti; Ruschendorp **lx** liberi; Scultendorp **lx**, **vi** vasti; Knokendorph **lx**, **ix** vasti; Spechcesdorf **lx** possessi; Corona **c** liberi; Balsti **lx** vasti; Urle **lx**, **xxx** vasti; Lovicz **lx**, **xxx** vasti; Zvoch **xl**, **vi** vasti; Bomgarden **lx**, **vi** vasti; Spigel **l**, **x** vasti; terra Tempelborch tota vasta; Slopa **lxxx** liberi; Walkenborch **c**, Kalycz **c** mansi. De aliis enim villis non quesivimus, quia carent plebanis. Quod autem ita sit, credatis nobis. Eorum sigilla presentibus sunt affixa, quoniam plebani coram nobis fiducialiter super ipsorum continenciam sunt examinati. Et si oppositum huius inveniretis, quod sic non esset, fidem credulam de nobis denuo non adhibeatis. Quidquid vero de premissis vestra paternalis sollercia facere decreverit, per universorum presencium etc. (sic). Datum sub anno Domini **m.ccc.xl.ix** in vigilia Penthecostes.

Notesz fluv., *rz. Noteć.* Drawa fluv., *rz. Drawa.* Tuczno, *Tuczno.* Worscenowe, *Fürstenau.* Nimynske, *Nemischhof.* Nocyk, *Denzig.* Gustorp, *Gutsdorf.* Pamyrin, *Pammin.* Gysen, *Giesen.* Stoben, *Stöwen.* Kortenicz, *Körtnitz.* Guntirshagen, *Guntershagen.* Voltirstolp, *Woltersdorf.* Zulezhager, *Zülshagen.* Bercholc, *Birkholz.* Ditardestorf, *Dietersdorf.* Voczich, *Wutzig.* Magn. Sabin, *Gross Sabin.* Parv. Sabin, *Klein Sabin.* Sconenvelde, *Schönfeld.* Tuch, *Tuczno.* Vredelant, *Märkisch Friedland.* Hennekendorp, *Henkendorf.* Bruncow, *Brunk.* Prothenow, *Prochnów.* Mertenstorp, *Märzdorf.* Lubestorp, *Lubsdorf*, (*Lubczesko*). Nakel, *Nakel*, (*Nakielno*). Sadow, *Zadow*, (*Cudów*). Stralenberch, *Stralenberg*, (*Strzaliny*). Stubbow, *Stibbe*, (*Sztybowo*). Mellentyn, *Mellenthin*, (*Mielęcin*). Martem, *Marthe*, (*Marta*). Ruschendorp, *Ruschendorf*, (*Ruszona*). Scultendorp, *Schulzendorf*, (*Jeziorki*). Knokendorph, *Knackendorf.* Spechcesdorf, *Spechtsdorf.* Corona, *Deutsch Crone*, (*Wałcz*). Balsti, *Balster.* Urle, *Orla.* Lovicz, *Lobitz*, (*Łowicz*). Zvoch, *Zachow.* Bomgarden, *Baumgarten.* Spigel, *Spiegel.* Tempelborch, *Tempelburg*, (*Czaplinek*). Slopa, *Człopa.* Walkenborch, *Falkenburg.* Kalycz, *Kalies*, (*Kalisz*). *Wymienione powyżéj osady leżą na lewym brzegu rzeczki Drawa.*

Nr. 1285.

Iaroslaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1349 Iun. 7, in Czerequicia; hereditatem Gębarzewo Bernardo et Iohanni fratribus exponit, iure de Chełmno ad locandum.

Pergam. orygin. Na sznurach jedwabn., czerwon. przywieszono dwie pieczęcie. Pierwsza Kapituły Gnieźnieńsk. (pieczęć XXIV). *Druga podłużna Jarosława arcybiskupa.*

Königsberg. Königl. Staats Arch.

In nomine Domini amen. Quoniam ea que aguntur in tempore, simul cum decursu temporis evanescunt nisi fuerint litterarum testimonio cum anotacione testium posterorum noticie comendata, proinde nos Iaroslaus, divina providencia sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, notum facimus universis tam presentibus qoam futuris presencium noticiam habituris, quod cupientes bona nostra et ecclesie nostre quantum iuvante Domino possumus in melius reformare, hereditatem nostram et eiusdem nostre ecclesie, Gambarzovo seu alio nomine Bissoffalth dictam vulgariter, sitam in terra Pomoranie, iure Colmensi exposuimus ad locandum, dantes de consensu fratrum nostrorum Gneznensis Capituli, Bernardo et Iohanni fratribus germanis ac eorum liberis seu successoribus legittimis soltheciam in eadem. Cuius quidem solthecie nomine decimum mansum liberum possidebunt; iuramentorum vero et cuiuslibet iudicati, ac de banccis sutorum, pistorum et carnificum, et eciam de duabus thabernis quibus duodecim iugera duximus adiungenda, tercium denarium ipsi fratres et eorum liberi aut successores legittimi, iure hereditario perpetuis temporibus obtinebunt. Preterea admittimus de gracia, quod iidem fratres et eorum liberi ac successores legittimi, in aquis, si que sunt in hereditate predicta vel in posterum erigi possunt, piscandi, salvo tamen in omnibus iure nostro habeant omnimodam facultatem. Incolis vero qui se in eadem hereditate locaverint, a solucione census et decime infra decem annos a data presencium computandos damus et concedimus omnimodam libertatem. Evoluta autem libertate eadem, iidem incole tam pro censu quam pro decima, de quolibet manso sedecim scotos usualis monete et duos pullos in festo beati (sic) nobis et nostre ecclesie predicte Martini (sic) annis singulis solvere perpetuo tenebuntur. Ceterum prefati fratres Bernardus et Iohannes at eorum successores, nobis et nostris successoribus servire, prout aliarum villarum circumiacencium soltheti serviunt, sint astricti. Volumus insuper, quod cum per nos de consilio fratrum nostrorum predictorum sit statutum: ut in bonis predicte nostre ecclesie nonnisi scolthetus habendus est unus: predicti fratres Bernardus et Iohannes non possint inter se dividere scoltheciam prenotatam; sed unus ab alio partem redimens, solus remaneat pro scoltheto. Et quoniam iura Colmensis civitatis nobis sunt prorsus incognita, omnia iura que comodum et utilitatem respiciunt dominorum, salva nobis et integra reservamus. In quorum testimonium, nostrum et predicti Capituli nostri sigilla presentibus duximus appendenda. Actum et datum in Czerequicia in die sancte et individue Trinitatis, anno Domini millesimo CCCXL nono, presentibus honorabilibus viris, dominis Vincencio decano, Preczslao archidyacono, Kelczono custode Gneznensibus, et aliis pluribus fidedignis.

Gambarzovo, *Gębarzewo, z niem. Bischofswalde.* Colmensis, *de Chełmno.* Czerequicia, *Cerekwica.*

Nr. 1286.

Kazimirus rex tocius Polonie 1349 Iun. 14, in Transacz; ordinat limites inter Cuiaviam et Maiorem Poloniam, parte ex una, et terram de Chełmno et Pomoraniam Ordinis Theutonicorum, parte ex altera.

Pergam. orygin. Na grubych sznurach nici jedwabnych przywieszono trzy pieczęcie. Pierwsza na sznurze niebieskim pieczęć wielka Kazimierza króla. Druga i trzecia znikły, pozostały tylko sznury fioletowe, jedwabne.

Warszawa. Archiwum Główne. Dipl. Nr. 527. — Rzyszczew. Muczkow. Codex diplom. Polon. Suplm. Nr. 500.

In nomine Domini amen. Notum sit universis tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris, quod nos Kazimirus Dei gracia rex tocius Polonie cupientes nos terrasque nostras ac incolas ipsarum in pacis amenitate conservare, fecimus et ordinamus inter nostras terras, Cuiavie videlicet et Polonie, parte ex una, et religiosum ac magnificum virum dominum Henricum Thusmer, magistrum generalem Ordinis fratrum domus Theutonie (sic), et suum Ordinem ac terras ipsorum, Culmensem videlicet et Pomoranie, parte ex altera, veras granicies et perpetuo duraturas. Incipiendo ab ultima granicia districtus Nessoviensis, et demum descendendo per Wysslam usque ad quandam villam Bezendorf wulgariter dictam, ad abbatem de Bissovia pertinentem, ubi granicie reincipiunt terre Pomoranie supradicte; ita tamen, quod ubicumque littus terre Cuiaviensis predicte nostrum fuerit, ibi pro granicia medius (sic) Wisla, sive alveus eius habeatur, et quidquid in insulis et piscaturis et aliis utilitatibus quibuscumque a medietate predicta, nostra ex parte, utilitatis vel comodi poterit inveniri, ad nos et nostros successores dominos Cuiavie legittimos, et ad terram Cuiavie predictam debebit pertinere: omnis tamen homo Wislam transiens infra granicias prenotatas, a coaccione quacumque ad deponendum ipsius res, bona seu merces, nec non et ab exaccione et solucione pecunie cuiuscumque et impedimento quolibet liber erit, nec ad solvendum predictam per quempiam conpelletur. Limites vero Cuyavie et Pomoranie sunt hy: Incipiendo primo a supradicta villa Bezendorf abbatis predicti circa Wislam sita, ubi granicia Sweczensis incipit, et abinde procedendo per quendam montem usque ad granicias ville Magne Zupanino, et deinde eundo ad granicias ville Zambovo, a Zambovo usque ad granicias ville Nebescyn, abinde ad granicias ville Slothow; et a granicys illius ville procedendo usque ad granicias ville Prusk, deinde ad granicias ville Magne Lewyn dicte, abinde ad granicias ville Brzezin, et demum ad granicias ville Schroczk; tunc a Schroczk procedendo ad ville granicias Yessenicz; deinde autem ad granicias ville Dambagora nunc deserte que ad abbatem et monasterium Bissoviense pertinet, et abinde ad granicias ville Lubecors que ad plebanum in Schroczk pertinet, et tunc eundo ad granicias ville Sucha; a Sucha vero ad granicias ville Clonow, et abinde procedendo ad fluvium dictum Dzbra: ita, quod omnes supradicte ville cum suis graniciis ad terram Pomoranie spectare debebunt, sicut ab antiquo pertinuerunt ad eandem. Eundem autem fluvium Dzbra ascendendo usque ad illum locum, ubi rivulus Kamona dictus influit in predictum fluvium Dzbra; et tunc fluvium Kamona ascendendo usque ad illum locum, ubi Curvus fluvius dictus intrat sepedictum fluvium Kamona, et tunc ultra eundem Curvum fluvium ascendendo usque ad villam Grunow; deinde proce-

dendo per granicias signatas intermedias usque ad fluvium Nemonicz; et fluvium eundem descendendo usque ad illum locum, ubi influit in lacum dictum Sucow, et lacum eundem procedendo usque ad locum illum, ubi fluvius Debrnicz exit dictum lacum Sucow, et tunc fluvium Debrnicz descendendo usque ad illum locum, ubi intrat fluvium dictum Gwda: ita, quod omnium predictorum fluviorum et lacuum una medietas ad Polonie, et altera medietas ad Pomoranie terras debebit libere pertinere. Si vero, quod absit, inter incolas villarum predictarum et nostrarum infrascriptarum, videlicet Transacz, Wloky, Czeczrzew, Senno, Mroczimo, Neczissovo, Wodzino, Glynky, Weleme et Lachova, aliquas discordias seu contenciones quascumque contingeret suboriri, extunc vocata vicinitas partis utriusque condigna, debet easdem contenciones seu discordias sopire seu eciam disbrigare. Eandem igitur limitacionem ratam et gratam habentes, pro nobis et nostris successoribus bona fide promittimus, et contra omnia predicta nullo unquam tempore contravenire de iure vel de facto, sed pocius ea perpetuis temporibus inviolabiliter observare. In quorum omnium testimonium et evidenciam pleniorem, nostrum et venerabilium in Christo patrum, dominorum Iaroslai Gneznensis archiepiscopi et Alberti Poznaniensis episcopi ecclesiarum sigilla presentibus duximus appendenda. Actum et datum in Transacz XVIII Kalendas Iulii, anno Domini millesimo CCCXL nono, in presencia venerabilium in Christo patrum predictorum et aliorum nostrorum baronum subscriptorum: Nycolai Kalissiensis, Maczkonis Poznanyensis palatinorum, Iarandi Syradyensis, Preczlai Kalisiensis capitaneorum, Nycolai Poznanyensis et Dobeslai Kalissiensis iudicum, et aliorum fide dignorum plurimorum.

Culmensis, *de Chełmno.* Nessoviensis, *de Nieszawa.* Bezendorf, *Zławieś.* Bissovia, *Byszewo.* Sweczensis, *de Świecie.* Magna Zupanino, *Suponin.* Zambovo, *Zębowo.* Nebescyn, *Niewieszczyn.* Slothow, *nie odgadnione.* Prusk, *Prust.* Magna Lewyn, *Łowin wielki.* Brzezin, *Brzezno.* Schroczk, *Sierock.* Yessenicz, *Jasiniec.* Dambagora, Lubecors, *nie odgadnione.* Sucha, *Sucha.* Clonow, *Klonowo.* Fluv. Dzbra, *Brda rz.* Rivul. Kamona, *Kamionka rz.* Curvus fluvius, *strumień wpadający do rz. Kamionka p. w. Witkowo.* Grunow, *Grunów.* Fluv. Nemonicz, *strum. wpadający do jeziora Frydlandzkiego.* Lacus Sucow, *jezioro p. m. Frydland.* Fluv. Debrnicz, *Dobrzynka rz. lewy przypływ rz. Głda.* Fluv. Gwda, *Głda rz.* Transacz, *Trzęsacz.* Wloky, *Włuki.* Czeczrzew, *Trzeciewiec.* Senno, *Sienno.* Mroczimo, *Mruczyn.* Neczissovo, *Nieciszewo.* Wodzino, *Wudzyń.* Glynky, *Glinki.* Weleme, *Wielunek.* Lachova, *Lachowo.*

Nr. 1287.

Kazimirus rex Polonie 1349 Iun. 17, in Brest; spondet, se cives de Kalisz, si vigore pacti cum civibus de Wrocław initi aliquem malefactorem puniverint, sub suam tuitionem suscepturum.

Pergam. orygin. Sznur nici jedwabnych, zielonych, z którego pieczęć znikła.
Warszawa. Biblioteka prywatna. Diplomata.

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris ad quorum noticiam devenerit scriptum presens, quod nos Kazimirus Dei gracia rex Polonie volentes pactata et ordinata inter nostras civitates terre Polonie, parte una, et cives Wratislavienses, parte ab altera firmiter et inviolabiliter observare, fideles nostros consules et uni-

versos cives Kalisienses, si ipsos aliquem proscriptum seu maleficum ob ipsius excessus quantitatem, iuris sententia dictante, pena debita punire contingerit, liberare, et penitus ab omnibus per quos pro huiusmodi facto inpedirentur exbrigare volumus et spondemus taliter, quod pro eodem malefico, quem ipsos punire contingerit ut superius est expressum, nullum debent curare nec aliquas insidias seu comminaciones timere; quia ad hoc faciendum, videlicet ut malefici per nostros cives predictos Kalisienses puniantur, nostrum mandatum et voluntas accedit specialis. In quorum omnium testimonium et evidenciam pleniorem, presentes dari fecimus nostri sigilli munimine roboratas. Actum in Brest feria quarta infra octavas Corporis Christi, anno eiusdem MCCCXLIX.

Brest, *Brześć Kujawski.*

Nr. 1288.

Wladislaus Lachiciens. et Dobrinens. terrarum dux 1349 Iun. 18, in Bobrownik; conventui de Trzemeszno, titulo permutationis pro quadam parte hereditatis dictae Góra, sortem hereditatis Rogulice, Srzen dictam confert.

Pergam. orygin. Dwie dziurki od zawieszenia pieczęci.

Trzemeszno. Priv. Conv. Can. Reg. Lateran.

In nomine Domini amen. Universa negocia que fiunt apud homines, procedente tempore (sic) cursu vacillant oblivione mancipata, nisi scriptis autenticis testiumque fidedignorum suffragio fuerint lucidius roborata. Igitur nos Wladislaus, Dei gracia Lachiciensis (sic) et Dobrinensis terrarum dux, notum fieri cupimus universis presentibus et posteris presencium noticiam habituris, quod cum religiosis viris Iohanne preposito de Trzemesna ipsius et conventu permutacionem fecimus locorum sive agrorum infrascriptorum. Pro quodam angulo seu particula hereditatis ipsorum Gora vulgariter nominate, que hereditas domui de Trzemesna dignoscitur subiacere, quem angulum ville nostre Gay nuncupate adicimus, damus, conferimus et largimur tytulo permutacionis preposito et conventui dicte domus de Trzemesna et eorum ville Gora superius nominate, viceversa unam sortem que Srzen vulgariter nominatur hereditatis Rogulice vulgariter dicte, que sors in penis plurimis nobis advenit: pro qua eciam sorte, ad hec ipsam redimentes, Petro heredi de Rogulicz octo marcas grossorum dedimus paratorum: perpetuis temporibus habendam, tenendam, atque eo iure quo villa sepius nominata, Gora videlicet fruitur, possidendam hereditario iure libere et pacifice ac quiete, et ad usus placitos convertendam iuxta quod dictis fratribus qui pro tempore in dicta Trzemesna fuerint constituti, utilius et commodius videbitur expedire, vendendo, donando sive commutando, nostra tamen cum benivolencia pariter et consensu. Ut autem hec nostra commutacio commutacionisque protestacio inter nos et predictos fratres rite ac racionabiliter habita, robur perpetue firmitatis valeat optinere, presentes dicto preposito et conventui domus de Trzemesna scribi fecimus nostroque sigillo maiori communiri. Actum et datum in Bobrownik Corporis Christi in octava, sub anno Domini millesimo ccc.xlix, presentibus testibus, comitibus Iohanne castellano, Philippo subcamerario, Michaele pincerna, Wlodzimiro subiudice,

Alberto subdapifero Lanchiciensibus, Dominico subcamerario Dobrinensi, et aliis quam plurimis fide dignis. Scriptum per manus Henrici notarii nostri.

Gora, *Góra.* Gay, *Zagaj.* Rogulice, *Rogulice.* Bobrownik, *Bobrowniki.* Dobrinensis, *de Dobrzyń nad Wisłą.*

Nr. 1289.

Kazimirus rex Polonie 1349 Iun. 19, in Brest; mercatoribus de Toruń vias mercatorias per regnum Poloniae statuit.

Pergam. orygin., niegdyś w archiwie miasta Toruń zachowany.

Voigt. Cod. diplom. Prussic. III, Nr. 59.

Noverint quibus expedit universi, quod nos Kazimirus Dei gracia rex Polonie exnunc statuimus et irrevocabiliter ordinamus publicam stratam et transitum per dominium nostri regni omnibus et universis mercatoribus, cuiuscunque status aut conditionis existant, cum mercibus eorumdem quorumcunque, de civitate Thorun versus Wratislaviam per has civitates, videlicet per Raczeviam, per Conin, per Kalis et per Schilburg. Item aliam viam de Thorun versus Wladimiriam, per Seczechow, per Kazimiriam et per Kunistat necnon per Lublin. Versus vero Sandomiriam, per Brest, per Lanciciam et per Opoczno, et e converso de illis civitatibus supradictis versus Thorun transeuntibus, perpetuo duraturam; salvo tamen theloneo nostro, quod a tempore antiquo est statutum. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum presentibus est annexum. Datum in Brest feria sexta post octavas Corporis Christi, sub anno Domini M.CCC.XL nono.

Raczevia, *Radziejów.* Schilburg, *Ostrzeszów.* Wladimiria, *Włodzimirz.* Seczechow, *Sieciechów.* Kazimiria, *Kaźmierz.* Kunistat, *zam. Krasnystaw.* Brest, *Brześć Kujawski.*

Nr. 1290.

Fr. Henricus Dusmerus Ordinis fratrum etc. domus Teutonice etc. magister generalis 1349 Iun. 23, in Marienburg; limites inter terras sui Ordinis et Kazimiri regis Poloniae ordinat.

Dogiel. Codex diplomatic. IV, p. 71.

In nomine Domini amen. Notum sit universis tam presentibus quam futuris notitiam presentium habituris, quod nos frater Henricus Dusmerus, Ordinis fratrum Hospitalis beate Marie domus Teutonice Hierosolymitani magister generalis, cupientes nos terrasque nostras ac incolas ipsarum in pacis amenitate conservare, de consilio fratrum nostrorum fecimus et ordinavimus pro nobis et toto Ordine nostro inter magnificum principem dominum Casimirum regem Polonie et ipsius terras, Cuiavie videlicet et Polonie, parte ex una, et inter nos et terras nostras, Culmensem scilicet et Pomeraniam, parte ex altera veras granicies et perpetuo duraturas. Incipiendo ab ultima granicie districtus nostri Nieschow, et demum descendendo per

Vislam usque ad quandam villam Bezendorf vulgariter dictam, ad abbatem de Bissovia pertinentem, ubi granicie reincipiunt terre Pomeranie supra dicte, ita, quod ubicunque littus terre Cuiaviensis predicte infra prefatas granicies dicti domini regis fuerit, ibi pro granicie medius (sic) Wisla sive eius alveus habeatur, et quidquid in insulis et piscaturis et aliis utilitatibus quibuscunque a medietate predicta, nostra ex parte, utilitatis vel commodi poterit inveniri, ad nos ac Ordinem nostrum et ad terram Culmensem predictam debebit pertinere. Omnis tamen homo Wislam transiens infra granicies prenominatas, a coactione quacunque ad deponendum ipsius res, bona seu merces, nec non et ab exactione et solutione pecunie cuiuscunque atque impedimento quolibet liber erit, nec ad solvendum aliquid per quempiam compellatur. Limites autem Cuiavie et Pomeranie sunt hi. Incipiendo a graniciebus ville Transsecz, et deinde procedendo ad granicies ville Wluki, et tunc ultra ad granicies ville Czeczozew, ab inde autem transeundo ad granicies ville Senno, et tunc ultra ad granicies ville Mroczyno, deinde vero ad granicies ville Noczyssewo, et ab inde ad granicies ville Wodzyno, et tunc eundo ad granicies ville Glinki, ab inde vero ad granicies ville Welime, et tunc ultra granicies ville Lachowo, deinde vero directe transeundo, si granicies non habentur antique, usque ad fluvium Debra dictum: ita, quod omnes ville supra dicte cum suis graniciebus ad terram Cuiavie spectare debebunt sicut ab antiquo ad eandem pertinuerunt. Et tunc ultra predictum fluvium Debra ascendendo, usque ad illum locum, ubi rivulus Kamiona dictus influit in prefatum fluvium Debra, deinde autem predictum rivulum Kamiona ascendendo, usque ad illum locum, ubi fluvius Curvus dictus intrat memoratum rivulum Kamiona, et tunc eundem rivulum fluminis ascendendo, usque ad villam Grunowo, ab inde vero procedendo per granicies signatas intermedias, usque ad fluvium Nemonicz, et eundem fluvium descendendo, usque ad illum locum, ubi influit in lacum dictum Sukow, et per lacum eundem procedendo, usque ad illum locum, ubi fluvius dictus Dobiernica exit predictum lacum Sukow, et tunc eundem fluvium Dobiernica descendendo, usque ad locum illum, ubi intrat fluvium dictum Gwda; ita, quod omnium predictorum fluviorum et lacuum una medietas ad Polonie, et altera medietas ad Pomeranie terras debebit libere pertinere. Si vero, quod absit, inter incolas illarum supra dictarum et inter incolas nostrarum, et infra granicies nostras predictas villarum supra scriptarum, videlicet Bezendorf, ville supra dicti abbatis in Bissovia, et Magna Supanin, Zambowa, Nebescyn, Zlotho, Prusk, Magna Lowin, Brezyn, Schroczk, Gesseniecz, Dambogora, que nunc deserta est et abbatem predictum ad monasterium in Bissovia pertinet, Lubiechorz ville plebani in Schroczk, Sucha et Klonowa, discordias seu contentiones quascunque contigerit suboriri, extunc vocata condigna partis utriusque vicinia, debent eedem contentiones seu discordie sopiri seu etiam disbrigari. Eandem igitur limitationem terrarum predictarum ratam et gratam habentes, promittimus absque fraude et dolo pro nobis et successoribus nostris totoque Ordine nostro, contra predicta omnia et singula non facere vel venire ullo unquam tempore, aliqua ratione vel causa, de iure vel de facto; sed ea inviolabiliter perpetuis temporibus observare. In quorum omnium testimonium et robur perpetue firmitatis, nostrum et religiosorum virorum, nostrorum confratrum dilectorum, Vinrici de Knyprode magni commendatoris, et Hermanni Kuderfer summi hospitalarii sigilla presentibus sunt appensa. Datum in Marienburg anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono, in vigilia beati Iohannis Baptiste, presentibus testibus, honorabilibus et religiosis viris, nostris confratribus magno commendatore et summo hospi-

talario predictis, nec non Ludovico de Wolkinburg summo Ordinis trappario, Iohanne Nothafth in Thorun, Henrico de Boventhin de Grudentz, Henrico de Stockhein in Golubia, Alberto Schaff in Suecza, Conrado in Thuchola, Gereone in Schonssze commendatoribus, domino Iohanne nostro capellano, Iohanne de Bolanthin et Erbrardo de Buhaim, nostris sociis, Iahndo de Olementh et Bartholdo de Theschow, nostris militibus, Henrico et Nicolao nostris notariis, et aliis quam plurimis fide dignis.

Terra Culmensis, *Ziemia Chełmińska.* Nieschow, *Nieszawa.* Bezendorf, *Zławieś.* Bissovia, *Byszewo.* Transsecz, *Trzęsacz.* Wluki, *Włuki.* Czeczozew, *Trzeciewiec.* Senno, *Sienno.* Mroczyno, *Mruczyn.* Noczyssewo, *Nieciszewo.* Wodzyno, *Wodzyn.* Glinki, *Glinki.* Welime, *Wiełunek.* Lachowo, *Lachowo.* Fluv. Debra, *Brda rz.* Rivul. Kamiona, *Kamionka.* Fluv. Curvus, *str. płynący od wsi Grunowo do rz. Kamionka.* Grunowo, *Grunowo.* Fluv. Nemonicz, *mały strumyk p. m. Preuss. Friedland.* Lacus Sukow, *jezioro p. m. Preuss. Friedland.* Fluv. Dobiernica, *Dobrzynka rz.* Fluv. Gwda, *Gwda rz.* Magna Supanin, *Suponin.* Zambowa, *Zębowo.* Nebescyn, *Niewieszczyn.* Zlotho, *nie odgadnione.* Prusk, *Prusk.* Magna Lowin, *Wielki Łowin.* Brezyn, *Brzeźno.* Schroczk, *Sierock.* Gesseniecz, *Jasiniec.* Dambogora, *osada znikła.* Lubiechorz, *nie odgadnione.* Sucha, *Sucha.* Klonowa, *Klonowo.* Grudentz, *Grudziądz.* Golubia, *Golub.* Suecza, *Świecie.* Thuchola, *Tuchola.* Schonssze, *Kowalewo, z niem. Schönsee.*

Strona 622, wiersz 23 od g. zam. Grunowo, *Dogiel ma* Grymowo. *Wiersz 20 od d. zam.* Gwda, *D. ma* Groda. *Wiersz 14 od d. zam.* Dambogora, *D. ma* Danbogoru. *Wiersz 11 od d. zam.* disbrigari, *D. ma* discorigari. *Str. 623, wiersz 2 od góry zam.* Nothafth, *D. ma* Nothasth. *Zam.* Boventhin de Grudentz, *D. ma* Bonetnin et Grudentz. *Wiersz 4 od g. zam.* Erbrardo, *Voigt, Ritter Orden s. M. d. Deutschen Hauses etc. ma* Eckart.

Nr. 1291.

Clemens Pp. VI 1349 Oct. 20, Avinione; archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis mandat, ut sectam Flagellantium ab eorum dioecesibus arceant.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae I, 694.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus . . archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis salutem et apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines innumeras et immensas quibus ultra vires ex apostolice servitutis debito perurgemur, illud cordi nostro potissimum insidet et ad hoc attentius studia nostra convertimus et conatus, ut apud omnes Christiani nominis professores orthodoxa fides fulgeat, et sic catholice et apostolice Ecclesie norma sine cuiusque simulationis, fictionis seu velaminis palliis pure et inviolabiliter observetur, quod a vinea domini Sabaoth, cuius cura et custodia nobis licet immeritis est commissa, vepres et urtice tam periculose quam dampnabiliter succrescentes evellantur raditus, et vulpecule, que ipsam demoliri nituntur, per apostolice Sedis providentiam abigantur. Sane molesta nobis licet fidedigna magnorum relatio et multorum assertio nostrum et fratrum nostrorum non mediocriter turbavit auditum, quod in partibus Alamannie et ei convicinis, quedam sub pretextu devotionis et agendi penitentie varia religio et superstíciosa adinventio procurante satore malorum operum insurrexit, per quam

profana multitudo simplicium hominum, qui se flagellatores appellant, decepta verbis fictis et mendacibus malignorum, asserentium Salvatorem nostrum Ierosolimis patriarche Ierosolimitano apparuisse, cum tamen a longis citra temporibus nullus ibidem presentialiter fuerit patriarcha, et sibi aliqua dixisse, que colorem non habentia nec saporem, in quibusdam Scripture sacre obviare noscuntur: in illam cordis vesaniam et inane dampnationis precipitium est deducta, et de die in diem suggestione hostis antiqui, se ut dominicum gregem devoret transferentis in lucis angelum, nimium succrescendo deduci cornua trahente (?) cortinam periculosius formidatur, quod se per societates et conventiculas, licet caudas invicem collegatas habeat, dividentes, diversas circuivit patrias, ceterorum vitam et statum contempnendo se iustificavit et claves Ecclesie vilipendunt (?), ac in contemptum discipline ecclesiastice crucem Domini ante se, et habitum certum nigrum, videlicet ante et retro ipsius vivifice crucis impressum habens signaculum, sine superioris licentia deferentes, sub nomine penitentie vitam gerunt insolitam, congregationes conventuales et coadiuvationes que a iure sunt prohibite faciunt, et ad alios actus prosiliunt a vita et moribus communibus et observantia fidelium alienos, ordinationes et etiam statuta, quibus utuntur seu verius abutuntur, propria temeritate fecerunt, erroris suspicione non vacua et iudicio carentia rationis: sed ex eo tanquam Deo et hominibus amplius odiosa turbamur acerbius et durius anxiamur, quod quidem religiosi, presertim de Ordinibus Mendicantium, qui alios ab invio revocare debuerant et ad viam reducere veritatis, ab utero matris Ecclesie velud maledictionis filii nequiter aberrantes, linguas suas ut alios pertrahant in errorem acuunt, quibus corda debilia vulnerant infirmorum, et ignorantes Dei iusticiam et sue prudentie inicientes, dum legi Dei nolunt esse subiecti, alios in persuasibilibus humane sapientie verbis predicando et dogmatizando contra ecclesiasticam libertatem et fidei catholice puritatem ab ipsa fidei veritate subducere moliuntur, et ut efficacius officiant et conceptum virus latenter effundant, blandis prorsus sermonibus auditores, quasi bonum vinum primum ponendo satagunt irretire, ut cum inebriati fuerint, illud quod est deterius ingerentes, cum ipsis in perditionis laqueum incidant ac in profundum malorum pariter demergantur. Nos igitur tam pernicioso et periculoso principio, per quod ultro divine maiestatis offensam, magnum reipublice paratur periculum et apud fideles scandalum generatur, ne deteriores processus pariat et successus obstare volentes, et considerantes, quod: cum plerique ex ipsis seu adherentes eisdem, sub pietatis colore ad impietatis opera laxantes crudeliter manus suas, Iudeorum, quos pietas Christiana recipit et sustinet offendi eos aliquatenus non permittens, et frequenter Christianorum sanguinem effundere, et opportunitate captata, bona clericorum et laicorum dirripere et suis usibus applicare ac superiorum iurisdictionem usurpare et ad multa alia illicita prorumpere minime vereantur: timendum est, quod tam presumpta temeritas et temeraria presumptio, nisi ei per salubre antidotum occurratur, paritura sint non levem perniciem, et aliquorum morborum letali contagio serpens in plurimos, sero recipiat medicinam; attendentes insuper, quod error cui non resistitur quodammodo approbari videtur, et quod ex officio nobis iniuncto compellimur, ut quos per iter devium errando currere et plures in precipicium secum trahere perspicimus ac in dispersione multarum gentium ambulare, revocemus a devio, et ut in viam veritatis et iusticie gressus suos dirigant providere per opportuna remedia studeamus: fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et districte precipiendo mandamus, quatenus singuli vestrum in singulis vestris civitatibus et diocesibus, per vos vel alium seu alios,

adinventiones huiusmodi et ritus profanos, quos una cum societatibus, conventiculis et congregationibus ac statutis et ordinationibus, per supradictos, qui se ut premittitur flagellatores appellant, temerarie attemptatis, de fratrum nostrorum consilio perpetue prohibitioni subiecimus et tamquam illicita reprobavimus, auctoritate nostra reprobos et illicitos publice nuncietis, ac omnes, tam clericos seculares et regulares quam laycos de predicta supersticiosa secta seu societate quocumque appellantur nomine existentes vel eam sectantes, auctoritate predicta monere et inducere studeatis, ut ab huiusmodi observantia, secta et vana gloria taliter desistere et resilire procurent, quodque nullus deinceps predictam sectam seu conventiculam presumat intrare aut ritus et statuta societatum huiusmodi observare, contrarium facientes per censuram ecclesiasticam cohercendo, nec non et eos in quos temporalem iurisdictionem habetis, per penas temporales, de quibus expedire videritis, appellatione postposita compellatis. Sane, ut religiosi et alii errorum magistri, qui predicando et dogmatizando simplices decipiunt, et ceci ducatum cecis prebentes ipsos in foveam secum trahunt, etsi non divino amore, saltem humana confusione a tam iniquo proposito revocentur: omnes et singulos, cuiuscumque sint Ordinis, religionis, dignitatis, preminentie sive status, quos in predictis vobis constiterit deliquisse, capi, non obstante quocumque privilegio vel indulto, quod in hoc eis suffragari nolumus, faciatis, et tandiu captos detineatis, donec aliud a nobis receperitis in mandatis, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Per predicta tamen nequaquam intendimus prohibere, quin Christi fideles impositam sibi canonice penitentiam vel etiam non impositam, dummodo recta intentione et pura devotione ad illam peragendam procedant, in suis hospiciis vel alias, absque suspicionibus (in) congregationibus, societatibus et conventiculis supradictis possint facere, et se in bonis operibus exercendo, virtutum Domino, prout ipse inspiraverit, in humilitatis spiritu deservire. Ceterum, cum presentes littere nequirent singulis vestrum propter viarum discrimina commode presentari, volumus, quod (per) te, frater archiepiscope, earum transumptum publica manu scriptum et tuo communitum sigillo vobis suffraganeis transmittatur, cui adhiberi volumus plenam fidem. Datum Avinione XIII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno octavo.

Nr. 1292.

Fr. Florianus abbas Cirwens. atque Iohannes prepositus Tremessnens. 1349 Oct. 28, s. l.; statuunt, ut omnes fratres utriusque monasterii in electione abbatis vel praepositi communiter vocem habeant.

Pergam. orygin. Dwa skrawki pergamin. od przywieszenia dwóch pieczęci.
Warszawa. Biblioteka prywatna. Diplomata.

Universis Christi fidelibus presentes visuris, nos frater Florianus Dei paciencia abbas Cirwensis, atque Iohannes prepositus Tremessnensis devotas oraciones cum obsequiis studiosis. Quoniam ut dicit apostolus: Alter alterius honera portate, sic adimplebitis legem Christi; item: Sicut multe ac magne res dissensione et discordia dilabuntur et pereunt, sic viceversa parve res amicabili concordia crescunt et augentur: ut igitur tam personarum quam eciam rerum monasteriorum seu domorum nostrarum perpetuum crescat salutis augmentum, ex omnium fratrum et confratrum

nostrorum communi ac unanimi voluntate et assensu, maturo quoque prehabito consilio et sufficienti premeditacione, iam dictas domos et fratres ipsarumque confratres in unum gremium simul et pariter collectos, in unius et eiusdem honeris equalem lacionem et individuam seu indivisam ponderis portacionem, ita ut firmiter fideliterque mutua participacione omnium equaliter tribulacionum et consolacionum fraterna fruantur karitate, et omni denique semota contradiccione cum gaudentibus gaudentes, cum flentibus flentes namnam levius communia tangunt: volumus eciam, ut omnes fratres in eleccione abbatis vel prepositi voces habeant, et nullus, nisi ex legitima causa excludatur. Unde instante tempore eleccionis abbatis vel prepositi suprafatarum domorum, ex una parte prepositus cum uno e duobus fratribus voces habentibus ad eligendum abbatem proficiscatur, ex altera vero parte dominus abbas cum totidem fratribus voces habentibus vadat ad prepositi eleccionem. Ut autem hec ordinatio unionis seu unitatis perpetuum teneat firmamentum, presens scriptum sigillis earundem domorum fecimus roborari. Datum et actum v Kalendas Novembris sub anno Domini m.ccc.xl.ix, in subnoticia et assercione fratrum quorum nomina sunt hec: abbatis et prepositi supradictorum, Iohannes prior, frater Christinus, frater Iohannes custos, frater Borza, frater Pribislaus, frater Iohannes, frater Andreas, frater Gallus, frater Bartholomeus, frater Iohannes, frater Fredericus, confrater Gallus, frater Gerinus prepositus Blonensis, frater Iohannes prior, frater Augustinus, frater Bartholomeus, frater Albertus, frater Michael. Ex parte autem domus Tremessensis: frater Petrus prior, frater Iohannes, frater Iacobus custos, frater Petrus, frater Otto, frater Gnevomirus, frater Mathias, alter Mathias, frater Iohannes, frater Conradus.

Cirwensis, *de Czerwińsk.* Blonensis, *de Błonie.*

DODATKI I SPROSTOWANIA DO TOMU II.

Strona 4, *Nr. 619. Objaśnienia.* Wyszogrod castrum; *gród stał w pobliżu wsi Górne Strzelce, w okolicy m. Fordon.*

„ 8, *Wiersz 6 od góry. Zam.* qui, *czytaj* que.

„ 8, *Nr. 624. Objaśnienia. Zam.* Lubaschky, *ma być prawdopodobnie* Lubrzsky, *t. j. de Lubrza. Cnfr. Nr. 700.*

„ 9, „ *626. Zdaje się, że rok 1288 jest mylnie podaną datą tego dokumentu; przypadałby lepiéj r. 1290.*

„ 28, *Wiersz 2 od dołu. Zam.* pannum, *czytaj* panum.

„ 47, *Nr. 668. Wiersz tekstu 12 od góry. Zam.* e iam, *czytaj* etiam.

„ 48, „ *670. Wiersz 5 od dołu. Zam.* in mari rumnam, *ma być: in mari;* Rumnam. Rumna, *z niem. Rahmel.*

„ 51, „ *673. W nagłówku. Zam.* Biała, *ma być* Bielawy.

„ 59, „ *682. Wiersz tekstu 1. Zam.* occurimus, *czyt.* occurrimus.

„ 72, *Wiersz tekstu 9 od góry. Zam.* Theutonicalis, *czyt.* Theutonicali.

„ 72, *Wiersz tekstu 13 od góry. Zam.* episcopali, *czyt.* episcopalis.

„ 75, *Nr. 699. Wiersz tekstu przedostatni. Zam.* Nelas carzone, *czyt.* Nelascarzone.

„ 83, „ *710. Objaśnienia.* Grancze, *znaczy Goruńsko, z niem. Grunzig.*

„ 86, „ *715. Nagłówek. Oryginał dokumentu zachowany: Poznań, Archiv. Capituli, II, 6.*

„ 96, „ *724. Wiersz nagłówka 3. Zam.* Swormagac, *czyt.* Sworina gac.

„ 110, „ *739. Objaśnienia.* Rumna, *z niemiecka Rahmel.*

„ 118, „ *745. Objaśnienia.* Noteć *nazywano aż do XVI w. rzekę od połączenia Warty z Notecią aż do ujścia do Odry. Cnfr. Nr. 372.*

„ 143, *Wiersz 3 od góry. Zam.* helonei, *czyt.* thelonei.

„ 174, *Nr. 812. Objaśnienia. Podług* Liber beneficiorum J. de Lasko etc. *nazywano* Terra Zaborensis *obszar ujęty następującemi granicami. Ku północy stykał się tenże o 1 milę na południe od m. Wilatowa z Kujawami pomiędzy wsiami Kamieńcem a Szydłowem. Odtąd trzymał się granicy Wielkopolsko-Kujawskiéj, wyłączając jednakże z ostatniéj parafje Siedlimowską, Lisew-*

ską i Sępolińską, aż do zejścia się granic Kujawskiéj, Łęczyckiéj i Wielkopolskiéj pomiędzy wsiami Korzecznik i Kiejsze. Daléj szedł granicą Wielkopolsko-Łęczycką aż do ujścia Rgielawki do Warty, tam ztąd prawym brzegiem Warty aż o pół mili powyżéj Konina; następnie na zachód-północ ku Kamieńcowi, obejmując tu jeszcze Kozarzew, miasta Kaźmierz i Kleczew, i parafje Złotkowską, Budzisławską, Orchowską i Rękawczyńską. Dziś nazywają obszar ten po części Leśne Kujawy. Cnfr. Rocznik Towarzystwa przyjac. nauk Poznańskiego Tom X, p. 79.

Strona 185, Wiersz 13 od góry. Zam. exhiber euno, *czyt.* exhibere uno.

„ *229, Wiersz tekstu 4 od góry. Zam.* divino, *czyt.* divine.

„ *237, Nr. 886. Objaśnienia. Zam.* Ląka, *czyt.* Łąka.

„ *268,* „ *927. Wiersz tekstu 4 od końca. Zam.* M.CCC, nono presentibus, *czyt.* M.CCC nono, presentibus.

„ *278,* „ *933. W nagłówku. Zam.* Gotheto, *czyt.* Gothco.

„ *299, Wiersz 18 od dołu. Zam.* nequis, *czyt.* ne quis.

„ *317, Nr. 975. W nagłówku. Zam.* cum pertinentes pro decimis, *czyt.* pertinentes, cum decimis.

„ *349,* „ *1012. Objaśnienia.* Faule Obra, *po polsku* Obrzyca.

„ *386,* „ *1056. Objaśnienia.* Igolonia, *znaczy* Igłomia.

„ *407,* „ *1072. Do historyi klasztoru Lędzkiego i autentyczności dokumentu Nr. 10 ważne podaje wskazówki ustęp z protokółów* Capituli generalis Cisterciensis, *umieszczony w:* Winter, Die Cistercienser des nordöstlichen Deutschland, *Band III.*

Anno 1191. Abbatia de Linda revertatur ad matrem suam Lugana, et de duabus fiat una, et sit unum ovile et unus pastor.

Anno 1193. Duci Polonie rescribatur, quod petitio sua de non destruenda abbatia de Landes conceditur ei.

Do historyi klasztoru w Łeknie Cnfr. Nr. 18.

„ *415, Nr. 1082. Wiersz tekstu 12 od góry. Zam.* hereditario. Post vite, *czyt.* hereditario, post vite.

„ *423,* „ *1091. Wiersz tekstu 11 od góry. Zam.* Stelkno, *czyt.* Steklno.

„ *451, Wiersz tekstu 7 od dołu. Zam.* nitetur, *czyt.* nitatur.

„ *466, Nr. 1138. Objaśnienia.* Faule Obra, *po polsku* Obrzyca.

„ *481,* „ *1153. Objaśnienia. Zam.* Cgbina, *czyt.* Cybina.

„ *483,* „ *1156. Według:* Voigt, Ritter Orden s. Mariae d. Deutsch. Hauses, *nazywa się ówczesny komtur Gdański* Fr. Ruthenus, *t. j.* Reuss.

„ *484, Wiersz 8 od góry. Zam.* magnum, *czyt.* magnam.

„ *496, Wiersz 12 od dołu. Zam.* qoarumcunque, *czyt.* quorumcunque.

„ *527, Nr. 1194. Wiersz 3 od góry. Po* constitutus, *braknie* (sic).

„ *532,* „ *1200. Wiersz 2 od góry. Po* quendam, *braknie* (sic).

„ *535,* „ *1202. Objaśnienia.* Plutwica, *zapomniane dziś stare nazwisko strumyka przepływającego szereg jezior, a łączącego się pomiędzy wsiami Krukowskiem i Drążnem ze strum. Rokitką. Stanowił on, począwszy od swego źródła w pobliżu wsi Lachowa,*

aż do wsi Słupowa granicę pomiędzy Wielkopolskim powiatem Nakielskim, czyli Krajną i Kujawami, a zarazem pomiędzy dyecezyą Gnieźnieńską a Włocławską. Jest to zapewne ten sam strumień, który bulla Innocentego II nazywa Plitviza, *a który, idąc za mniemaniem dotąd powszechnie przyjmowanem, podaliśmy mylnie w Objaśnieniach dokumentu Nr. 7 za rzeczkę Plitnicę. Ta ostatnia nie stanowiła bynajmniéj granicy dyecezyi Gnieźnieńskiéj, bo płynęła całkiem przez dyecezyą Poznańską, a obiedwie rozdzielała tu rz. Głda. Cnfr. Nr. 960.*

Strona ***543***, *Nr. 1211.* ***Wiersz 5 od dołu.*** *Po* venerabile, *braknie* (sic).

„ ***564***, ***Wiersz 14*** *od góry. Zam.* reecipere, *czyt.* recipere.

„ ***575***, *Nr. 1248. Objaśnienia.* Bernowe, *znaczy miast. Berneuchen.*

„ ***593***, ***Wiersz 10*** *od dołu. Zam.* a modo, *czyt.* amodo.

„ ***602***, *Wiersz 10 od góry. Zam.* deservire, *czyt.* deserviri.

„ ***619***, *Nr. 1286. Objaśnienia.* Nessoviensis, *de Nieszawka, wsi i zamku leżących nad Wisłą blisko naprzeciw Torunia. Cnfr. Nra. 1192 i 1193.*

„ ***623***, *Nr. 1290. Objaśnienia.* Nieschow, *nie jest m. Nieszawa, tylko wieś Nieszawka.*

FINIS TOMI II.